BEATI
RAYMUNDI
LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS
OPERUM
TOMUS IV.
Qui eſt
Pars, Practica & Uſus
Tomi III. ſeu Artis Demonſtrativæ:
Sicut Tomus II. eſt Pars, Practica & Uſus Tomi I.
Seu Artis Compendioſæ inveniendi Veritatem.



Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Permiſſu Superiorum.
Anno Salutis Domini MDCCXXIX.

MOGUNTIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MAYERIANA,
Per JOANNEM GEORGIUM HÄFFNER.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

TRACTATUS,

Qui continentur in hoc

TOMO IV.

Liber exponens Figuram Elementalem Artis Demonſtrativæ.

Regulæ Introductoriæ in Practicam Artis Demonſtrativæ.

Quæſtiones per Artem Demonſtrativam ſeu Inventivam ſolubiles.

Diſputatio Eremitæ & Raymundi ſuper aliquibus dubiis Quæſtionibus Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi.

Liber ſuper Pſalmum: Quicunque vult. Sive: Liber Tartari & Chriſtiani.

Diſputatio Fidelis & Infidelis.

Liber, qui eſt: Diſputatio Raymundi Chriſtiani & Hamar Saraceni.

Diſputatio Fidei & Intellectûs.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Liber de Articulis Fidei ſacroſanctæ & ſalutiferæ Legis Chriſtianæ. Sive: Liber Apoſtrophe.

Supplicatio Sacræ Theologiæ Profeſſoribus ac Baccalaureis Studii Pariſienſis.

Liber de Convenientia Fidei & Intellectûs in Obiecto.

Liber de Demonſtratione per Æquiparantiam.

Liber Facilis Scientiæ.

Liber de Novo Modo Demonſtrandi. Sive: Ars Prædicativa Magnitudinis.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

CENSURA
ET
APPROBATIO ORDINARII
JUNCTA PRÆFATIONE.

QUæ in Commendationem prorſus Divini omníque ex parte conſummati Operis Lulliani Univerſalis in Tribus præcedentibus Tomis ex Officio intuitu dilectæ Veritatis ſinè ullo vano reſpectu Jure meritiſſimo approbatis jam conglomeravi Elogia generalia & ſpecialia, huc per generalia utiliter repeto, & omnimodâ ſinceri animi promptitudine confirmo, atque ſingulariter de præſenti Tomo Quarto intima mentis meæ ſenſa candidè aperio.

Nempe nihil melius, utilius, jucundius, honeſtius & ſalubrius eſt hominibus cunctis diebus vitæ ſuæ, quàm diſcere, docere, ſcire ac tenere numeris omnibus abſolutam Methodum & Artem infallibiliter inveſtigandi, inveniendi ac modis omnibus demonſtrandi multiplicem Veritatem naturalem ac ſupernaturalem Fidei Divinæ & Scientiarum, & perfectâ Arte Memorativâ confortare Memoriam, Inventivâ, Intellectivâ, & Demonſtrativâ illuminare Intellectum, & Amativâ Veri Boni informare Voluntatem, ut totus homo DEI perfectus ſit in omnigena Cognitione certæ Veritatis, & Amore veræ Bonitatis.

Atque hæc omnia pariter Bona præter alia inſignia & ſtupenda ex ſingulari gratia Vocationis præſtitit in univerſaliſſimo & ſingulariſſimo Opere Divinæ Sapientiæ B. RAYMUNDUS Lullus Doctor cœlitùs Illuminatus, qui in eruditiſſimis Libris ſuis ſub rudi verborum tegmine ac cortice Sapientibus hujus ſæculi abſcondit, parvulis autem revelat nucleum Sapientiæ tradendo omnes poſſibiles perfectos Modos, Figuras & Formas utiliter & jucundè inquirendi, ſecurè inveniendi, ſubtiliter ac profundè demonſtrandi generaliter (ex una primitiva Univerſali Arte ac Scientia per animadverſionem & ſignaturam Mentis à naturali habitu primorum Principiorum generalium innatorum immediatè orta) & ſpecialiter ex Principiis ſubalternis omnem Veritatem per Senſum & Intellectum, atque in præſenti Tomo Quarto Principia inveſtigativa, inventiva, demonſtrativa generalia & particularia, infinita & finita,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſenſualia & intellectualia, naturalia & ſupernaturalia, naturalia & artificialia miris modis ad uſum & praxin accomodè applicat, cùm omnis perfecta Doctrina, Methodus docendi & Scientia duabus partibus, videlicet unâ Theoricâ, alterâ Practicâ conſtare dignoſcatur. Quam viam regiam in Analyſi & Syntheſi tenendo

In *Primo* hujus *Tomi* Tractatu Illuminatiſſimus juxta Apocalypticam Revelationem ſexto perfecto Statui Eccleſiæ Philadelphiæ certiſſimè reſervatus Doctor omnium Artium & Scientiarum & Veritatum naturalium & ſupernaturalium exponit mirificè Figuram Elementalem Artis Demonſtrativæ per hanc demonſtrando Principia, Eſſentias, Naturas, Subſtantias, Virtutes, Qualitates, Gradus, Operationes, Mixtiones, Digeſtiones & Compoſitiones naturales ac artificiales quatuor Elementorum & eorum, quæ ex iis conſtant, applicando Veritates ſenſuales ad intelligentiam Veritatum intellectualium, quod conſummatiſſimum Elementale Syſtema qui non intelligit, cùm non calleat prima Elementa, hinc ſcio, quòd nihil ſolidi de Veritate Naturali ſive Phyſica ſive Medica corporum ſciat.

In *Secundo* perfectus in Arte Magiſter noſter tradit & explanat pulcherrimas ſcitúque maximè neceſſarias Regulas Introductorias in Practicam Artis Demonſtrativæ, quarum habitualis notitia cui præſto eſt, non video, quomodo ipſum quaſi infinita argumentandi Media vel à minori ad majus, vel à majori ad minus, vel ab æquali ad æquale in qualibet materia ſcibili unquam deficere poſſint.

In *Tertio* Lucerna lucens & ardens oſtendit ipſo facto poſſibile eſſe, quòd ex ſua priùs tradita Arte Demonſtrativa generali & ſpeciali omnes Quæſtiones omnium Scientiarum facilè, fundatè ac infallibiliter ſolvi poſſint, & plurimas reipsâ utiliſſimas ex triplici Genere & Differentia Principiorum Generalium, Specialium ac Individualium ſolutas dilucidat.

In *Quarto* ipſum Petrum Bonum Magiſtrum Sententiarum ſubtilitate, profunditate & ſoliditate Solutionis propoſitarum Quæſtionum Philoſophicarum & Theologicarum, quarum Intellectus neceſſarius eſt & ſufficit conſummato Theologo, longè ſupergreſſus ſimplicem Eremitam erudîit.

In *Quinto* Sapientiſſimus Profeſſor Veritatis Symbolum S. Athanaſii & Teſtimonia credibilia facta nimis pro captu & converſione Infidelium viâ ſagaciſſimâ aſtutiſſimè profitetur, & quàm inſolitè tam ſolidè demonſtrat.

In *Sexto* Fidelibus efficacem Modum diſputandi & lepidè in Spiritu Diſcretionis & Manſuetudinis converſandi cum Infidelibus &

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& errores refellendo viam & oſtium converſionis eorum adaperit; quod ipſum etiam in *Septimo* ex laudabili zelo intendit.

In *Octavo* notent Amatores Veritatis, quomodo Intellectus naturalis per Lumen naturale Veritates naturales, & per Lumen Fidei adveniens ſupernaturale Doni Intellectûs, Scientiæ & Sapientiæ Veritates ſupernaturales fortiſſimè evincat; quod niſi credideritis, non intelligetis.

In *Nono* generoſiſſimus Athleta orthodoxæ Fidei, cui Sanctus Martyr fuſo Sanguine ſuo ſubſcripſit, Articulos ejusdem Sacroſanctæ & Salutiferæ Legis Chriſtianæ ſubtiliſſimè, acutiſſimè & profundiſſimè variis Modis demonſtrando defendit.

In *Decimo* humilis, ſapiens & zeloſus pro majori DEI Gloria & Proximi Salute Profeſſoribus Pariſienſibus, ego poſt ipſum minimus & alii omnibus humillimè ſupplicamus, ne, quod ignorant, contemnant, ſed potiùs humili ſtudio addiſcant unicè veros & ſub fictitio Terminorum barbarismo (prout ignaris Grammaticæ Univerſalis loqui libet, ſed non expedit) fundamentaliſſimos omnem Veritatem demonſtrandi Modos.

In *Undecimo* convenientiſſimis Argumentis oſtenſivè probat Convenientiam Fidei & Intellectûs in Objecto, h. e., quî & qualiter Myſteria Fidei non ſolùm ab omnibus Catholicis ſint rationabiliter credibilia, ſed etiam ab ad hoc vocatis & electis per Rationes ſupernaturales infimas medias ac ſupremas ſint certiſſimè intelligibilia mediante Lumine Fidei ac Gratiâ DEI, quod eſt Fundamentum & Lapis angularis ſanæ Theologiæ SS. Patrum ac Doctorum Eccleſiæ.

In *Duodecimo* ignorantes perfectiſſimum & ſupremum Modum demonſtrandi per Æquiparantiam, hoc eſt, per Terminos & Propoſitiones æquales & mutuò inter ſe convertibiles bene diſtinguendo bene docet, & de eo ineluctabiliter ſtringendo convincit, ſinè quo ultimato & finali Modo demonſtrandi nequit quieſcere Intellectus humanus.

In *Decimo tertio* puſillanimis & deſperabundis de acquirenda plenitudine perfectionis Scientiarum viam planam facilémque Scientiam oſtendit, ſed intelligenti aut usque ad fundum penetrare ſtudioſè connitenti: nam non jacet in molli veneranda Scientia lecto.

In *Decimo quarto* denique Conſummatiſſimus Magiſter, Doctor, Profeſſor, Martyr novitatis cupidis Novum Modum demonſtrandi finali exactitudine demonſtrat, quos Modos perfectos, quas Figuras & formas abſolutas argumentandi ac demon-

 ſtrandi

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſtrandi quisquis vincibiliter neſcit, & culpabiliter non diſcit, aut qui ſcit, & non docet, reatu non caret.

Ex quibus urgentiſſimis Animum meum moventibus cauſis doctiſſimos ſimul ac pientiſſimos Libros Lullianos omnes unà cum præſenti Tomo omni Approbatione, Commendatione, Lectione, Studio, Publicatione, Elucidatione, Applicatione, Protectione, Propugnatione, Protectores autem, Fautores, Cooperatores, Studioſos omni cœleſti Benedictione & Gratiâ apprimè dignos, me Cenſurâ tanti Operis indignum, contemptores & oſores culpæ & pœnæ reos, nullos aut Operis imaginariè prætensâ difficultate aut obſcuritate aut prætextati latinismi barbarie juſtè ac rationabiliter abſterreri poſſe ac debere, Bonum autem commune omnino præferendum privato in omnibus Statibus per tanti Operis uſum inſigni Effectu procurari, ſicut jam ante hac ſæpius judicavi & cenſui, ita propter Gloriam Veritatis judicare ac cenſere, quoad vivam, non deſinam, & iterum iterúmque cenſeo.

Moguntiæ 23. Martii 1730.

FRANCISCUS PHILIPPUS WOLFF,
Doctoratûs Theologici Candidatus, Reverendiſſimi, Eminentiſſimi & Sereniſſimi Archi-Epiſcopi & Electoris Moguntini Conſiliarius Eccleſiaſticus Sigillifer, Seminarii Regens & Cenſor Ordinarius.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ADVERTENTIA
DISCIPULI AD LECTOREM.

EX Cineribus seu Umbra mortis Insignissimi Doctoris piæ & non satìs laudabilis memoriæ Domini Ivonis Salzinger Magni Discipuli Illuminati Doctoris & Martyris Beati RAYMUNDI LULLI *prodit in lucem Magni Lulliani Operis Tomus IV., quorum, nempe Operis Commendationem & dicti Tomi Contenta præcedens juncta Censuræ Præfatio luculenter exhibet. Pauca quædam, quæ adhuc advertenda supersunt, brevibus accipe.*

Primò: *cùm principalis Titulus totius Operis in fronte Tomi I. asserat in fine, quòd primis quatuor Tomis comprehendatur Universalis & Generalis Lulliana Ars & Scientia, in reliquis Tomis verò ipsius Generalis Artis Usus in particularibus Scientiis & Artibus: hic IV. Tomus autem ad minùs tres vel quatuor Tomos adhuc post se relinquat, quin plenè comprehendant Generalem Artem: est animadvertendum, quòd non simplices, sed duplicati Tomi intelligendi sint. Causa hujus est amplitudo seu multitudo Tractatuum pertinentium ad unam & eandem speciem Generalem Artem, quæ exegit divisionem eorundem in Partes, sicut patet in Tomo II., cujus inter alios principalior Tractatus, nempe* Liber Mirandarum Demonstrationum, *quamvìs Pars &* una Brancha Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem, *tamen non potuit eidem conjungi in uno Tomo I., ne hic jam satìs vastus nimium excresceret: &, ne Pars ejusdem nimiùm sejungatur à suo Toto, præter alias plures rationes visum fuit p. m. defuncto Doctori Salzinger eidem associare quosdam alios ex eodem fonte emanatos Tractatus, ut hoc medio Tomus II. ût Pars, Practica & facilior Usus Tomi I. utpote difficilioris naturali ordine & eidem adhæreat, & ne secùs cohæreat sequenti Generali Arti Demonstrativæ, quæ est absque eo tam ampla, ut etiam suo integro Tomo III. omnes sibi necessarios Tractatus comprehendere nequiverit. Unde*

Secundò *clarè apparet ratio Tituli præsentis Tomi IV., cujus præterea tres primi Tractatus Arti Demonstrativæ tam necessarii sunt, ut sinè eis eadem ferè intrinsecè incompleta & minùs intelligibilis relicta fuisset; ad cujus elucidationem non parum conferunt & reliqui eidem Arti affines Tractatus, præprimis in ordine quintus, ut etiam hic solus quasi ipsissima Practica & genuinus nativus Usus dictæ Artis haberi possit; proinde non tantùm ût complementum hujus Tomi considerandi sunt, sed ût Practica & Usus Artis Demonstrativæ; à qua subducere tres primos Tractatus esset eandem dimembrare & Secretiora Naturæ & Artis occultare; sunt autem multa in hoc Tomo perutilia Medicis & Naturalis Philosophiæ Amatoribus valde necessaria, sinè quorum notitia & alii profunditatem & sublimitatem Lullianæ Scientiæ non assequentur. Adhæc sequens Tomus V. continens Instrumentum Intellectivæ Potentiæ seu Ars Intellectiva per se satìs grandis existit, ut nihil sibi addi nec demi patiatur, nec conveniat, & ita pro exigentia Tomorum & eorum justæ magnitudinis, & quidem vel maximè pro integritate ipsarum Artium subinde quosdam Tractatus annexos non mireris, qui minùs apti videbuntur. Et quod de hujus & præcedentium Tomorum ordinatione & divisione dictum est, etiam de subsequentibus hinc inde præmonitum habeto. Quod*

Tertiò *est advertendum Lectori, sunt quædam ab ipsómet B. Authore præmonita ad eundem, ût puta:* de improprietate rectè loquendi propter expressionem majoris Sententiæ, & paucitatem propriorum nominum, ut eò meliùs exprimatur conçeptus mentis. *Tract. 3. hujus Tomi, in medio Prologi. Item* de largo modo loquendi &c. *Disput. Fidel. & Infidel. Part. 2. ante num. 1., & sic de aliis in aliis locis, præsertim in ultimis Tractatibus hujus Tomi, ratione quorum hìc addo Advertentiam cujusdam alius non contemnendi Discipuli.*

„*Charissime Lector, ne offendaris, quando leges in præsentibus Tractatibus aliquos Terminos in Scholis inusitatos, quia necessitas rectè loquendi istos terminos petit,*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tit, & non alios, & ſi aſſuefias, tibi valde bene placebunt, quia per illos propriè ſignificatur verus conceptus, quod non fieret per alios; v.g. uniſſimans, uniſſimatus, uniſſimare: unde adverte, quòd omne uniſſimum vel eſt activum habens uniſſimam actionem, vel eſt paſſivum habens uniſſimam paſſionem, vel eſt uniſſimus actus ab utroque procedens; ſicut omne, quod eſt bonum, vel eſt bonum activum, vel bonum paſſivum vel bonus actus ſeu operatio; ſicut ergo bonum activum rectè nominatur bonificans, & unum activum unificans vel uniens &c., & bonum paſſivum bonificatum, & unum unificatum vel unitum &c., & actus nominatur bonificare &c. vel unire &c.: ſic ergo ſimiliter, ſi loquamur de ente uniſſimo activo, quomodo meliùs & rectiùs poſſumus illud nominare, quàm dicendo uniſſimans, *& de paſſivo ſeu recipiente uniſſimam illius actionem, niſi dicendo* uniſſimatum, *& ſi de ipſo actu ſeu actione, niſi dicendo* uniſſimare? *& ſimiliter de optimo ente agente, dicendo* optimans, *& de optimo acto* optimatum, *& de actione* optimare? *ſimiliter maximans, maximatus, maximare &c.; & hoc modo bene & propriè aſſuefacti, quando audimus* maximans, *intelligimus ens maximum producens ens maximum, vel potiùs maximatum; & quando audimus* maximatum, *intelligimus ens maximum productum, & quando* maximare *vel* maximari, *intelligimus maximum producere vel produci; & ſic bene poſſumus proprios conceptus exprimere per iſtos terminos, quod non poſſemus facere per alios, niſi fortè cum multis additamentis vel circumlocutionibus. Similiter ſicut cauſa dicitur* cauſativa *& cauſans, & effectus* cauſabilis *& cauſatus, & efficere dicitur* cauſare, *& effici* cauſari: *ſic, ſi cauſa eſt ordinata in ſupremo gradu & producit effectum in ſupremo gradu ordinatum, quare ipſa non nominabitur cauſa* ordinatiſſimativa *&* ordinatiſſimans, *& effectus* ordinatiſſimabilis & ordinatiſſimatus, *& cauſare & cauſari illorum* ordinatiſſimare *&* ordinatiſſimari? *ſicut, quando eſt in poſitivo gradu, cauſa dicitur* ordinans *& effectus* ordinatus, *& efficere & effici* ordinare *&* ordinari? *certè non aliter poſſumus dicere, niſi velimus impropriè loqui. Et hoc advertere volui, quia expertus ſum, quòd aliqui minùs prudentes, quando in aliquo Libro noſtri B. Doctoris incidunt in conſimiles modos loquendi, ſtatim irridٍent, non attendentes ad ſenſum verborum, putantes eſſe impropriam locutionem, quæ revera eſt propriiſſima.„*

Adhæc & reperiuntur aliquæ citationes Sacræ Scripturæ, quas non mireris diverſas à Vulgata, quia B. Auctor fuit uſus aliis verſionibus, ſicut & in SS. Patribus invenies, & jam eſt prænotatum in Præfatione Tomi II.

Quartò: *cùm innotuerit, quòd etiam Æſtimatores & Amatores hujus Grandis tot viciſſitudinibus quidem agitati, nunquam autem expugnati Operis à Comparatione ſeu Coëmptione illius deterriti fuerint ex hoc, quòd humano modo præviderint, ferè eſſe impoſſibile, tot Tomos uniius Auctoris ab uno mortali homine & quidem privato & jam ſeniore ad optatum finem perduci poſſe, veluti etiam mors præclariſſimi ſupradicti Lulliani Diſcipuli timorem eorum fortè in plenam deſperationem converterit: hinc ad erectionem & conſolationem illorum non celandum duximus, quòd altefatum Grande Opus non ampliùs per privatos, ſed publicâ Auctoritate per deputatos Moguntinos Electorales Commiſſarios continuetur, & quidem ſub Potentiſſima & Gratioſiſſima Electorali Moguntina & Palatina Protectione, & conſequenter de ejusdem continuo Succeſſu & finali Complemento nullatenus dubitandum ſit, cùm uno deficiente continuò alius ſurrogabitur; quamvis non ſit ea conditio hujus Libri, ſicut aliorum, quorum, ſi pars depereat, vel Auctor ante finem deficiat, totum Opus imperfectum & mancum permanet, ſed noſtri Operis quilibet Tractatus, quantumvis parvus, per ſe integer eſt & completus, ita, quòd nec alienis nec propriis aliis ſuimet Auctoris egeat, cùm ſuismet Principiis, Mediis & Finibus abſolutus conſiſtat, & ſuper hæc per Generalia Principia aliis mirabiliter cohæreat; nihilominus, quia bonum ex integra cauſa, & quò majus bonum, eò magìs communicativum & diffuſivum ſuî, in Bonum Publicum omni conatu & induſtriâ procurabitur, ut totum Opus quàm citiſſimè, nitidiſſimè & charitativè ſinè omni invidia Publico communicetur.*

Agite igitur Æſtimatores Veri & Boni Amatores, ac veſtrâ Æmulatione noſtros labores augmentate, qui ejusdem laboribus immori ſecuri coram DEO non timemus.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

FIGURA
Elementalis

Figura Ignis

Ignis	Aër	Aqua	Terra
Aër	Ignis	Terra	Aqua
Aqua	Terra	Ignis	Aër
Terra	Aqua	Aër	Ignis

Figura Aëris

Aër	Ignis	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Terra	Aqua
Aqua	Terra	Aër	Ignis
Terra	Aqua	Ignis	Aër

Figura Aquæ

Aqua	Terra	Aër	Ignis
Terra	Aqua	Ignis	Aër
Aër	Ignis	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Terra	Aqua

Figura Terræ.

Terra	Aqua	Aër	Ignis
Aqua	Terra	Ignis	Aër
Aër	Ignis	Terra	Aqua
Ignis	Aer	Aqua	Terra

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER EXPONENS FIGURAM ELEMENTALEM Artis Demonſtrativæ.

In DEI Nomine incipit Liber de Figura Elementali.

DE PROLOGO.

ELementa ſunt quatuor principia rerum naturalium, de quibus omnibus omne Corpus ſub lunari circulo naturaliter conſtituitur; ut autem de ipſis & de operationibus eorum in corporibus phyſicis habeamus notitiam, per quam poſſimus *propriè* vel etiam *metaphoricè* reſpondere ad factas Quæſtiones, ſunt figurata in hac præſenti Figura *Demonſtrativæ Artis* ipſa quatuor Elementa juxta *gradus activos* & *paſſivos* eorum omnium & ſingulorum.

Et licèt de Elementis, quoad ipſorum eſſentias & exiſtentias, & quoad eorum gradus, operationes & prædicamenta in *Chaos* ſufficienter dictum ſit, nihilominùs nunc ad evidentiorem declarationem & expreſſionem propoſitæ Figuræ volumus ea tractare, quæ in præſenti Libro continentur; & ût manifeſtiùs pateant illa, de quibus hìc intendimus tractare, *dividitur* iſte Liber in *ſeptem Partes*, quæ ſunt Elementorum, & ad ea pertinentia.

Prima pars eſt de Gradibus Elementorum.

Secunda eſt de Situatione Elementorum.

Tertia eſt de Simplicitate & Compoſitione Elementorum.

Quarta eſt de Actione & Paſſione Elementorum.

Quinta de Mixtione & Digeſtione Elementorum.

Sexta de Loco & Motu Elementorum.

Septima de Generatione & Corruptione Elementorum.

Et ſciendum eſt, ſicut oculis patet, quòd hæc Elementalis Figura ſit diviſa in *quatuor Quadrata* juxta quaternarium numerum elementorum. Primum quatuor Quadratorum ponitur eſſe *Figura Ignîs* deſignans *naturam Choleræ*. Secundum *Figura Aëris* deſignans *naturam Sanguinis*. Tertium *Figura Aquæ* deſignans *naturam Phlegmatis*. Quartum Elementum vel quadratum *Figura Terræ*,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Terræ, designans *naturam Melancholiæ;* quodlibet istorum quadratorum habet sedecim terminos, sicut patet, variis coloribus coloratos; sed si super septem partes cujuslibet istorum quatuor quadratorum exemplificaremus, inutiliter tractaremus materiam; ergo sufficit in uno quadratorum exemplificatio prædictarũ partium, quod enim de uno dicetur, intelligetur de quolibet aliorum suo modo.

PARS I.

De quatuor Gradibus Elementorum.

1. IGnis in quarto gradu calidus
a. dividit se in sex partes, quarum tres tribuit terræ, & duas aëri, & unam aquæ; istæ sex partes valent quatuor puncta valentia unum gradum ignîs, qui est quartus, & è converso; hoc autem est in suppositio naturæ cholericæ; nam illa herba, quæ est in quarto gradu choleræ, est calida in quarto gradu, sicca in tertio, humida in secundo, frigida in primo; & hoc significatur per lineam transversalem primi quadrati, quod est figuræ ignîs.

b. In illa eadem planta est terra in tertio gradu dividens se in sex partes, quarum tres sunt subjectæ igni, duas verò habet activas in aëre, qui est in secundo gradu, & similiter unam activam in aqua, quæ est in primo gradu, & istæ sex partes terræ valent tria puncta valentia tertium gradum, & è converso.

c. In eadem planta est aër in secundo gradu dividens se in quinque partes, quarum duæ sunt subjectæ igni, & duæ terræ, minores tamen, quàm illæ duæ, quæ sunt subjectæ igni; & ultima, quæ est agens in aqua, est illa, quæ in planta humefacit aquam, quæ est in primo gradu; & istæ quinque partes aëris valent duo puncta, valentia secundum gradum aëris, & è converso.

d. In eadem planta est aqua in primo gradu, dividens se in tres partes, & in unam illarum recipit ignem, in alteram terram, & in alteram recipit aërem; & istæ tres partes valent unum punctum, quod valet unum gradum aquæ.

2. Secundùm significatum secundæ li-
a. neæ transversalis prædicti quadrati est aliud suppositum, vel planta cholericæ naturæ in tertio gradu, & hæc est calida in tertio gradu, sicca in secundo, humida in primo, & frigida in tribus partibus unius gradûs; aqua enim in illa est degradata, & ignis in tali suppositio dividit se in tres integras partes, & in unam diminutam quartâ parte totius partis, quarum trium partium tribuit duas terræ, & unam aëri; partem verò diminutam tribuit aquæ diminutæ similiter quartâ parte unius gradûs; & istæ tres partes simul cum quarta parte diminuta valent tertium gradum ignîs; iste tertius gradus est minor quàm quartus gradus supradictus in tantum, quòd ille se dividit in quatuor integras partes, iste verò in quatuor, quarũ quarta est diminuta quartâ parte suî.

b. In eadem planta vel suppositio est terra in secundo gradu, & hæc dividit se in duas partes integras, & duas diminutas; illæ duæ integræ sunt passivæ sub igne, aliæ verò duæ diminutæ sunt activæ, non tamen æqualiter, quia non æqualiter sunt diminutæ; prima enim est minùs diminuta, & hæc est activa in aëre; altera verò est magìs diminuta, & hæc est activa in aqua; & omnes istæ partes simul, scilicet duæ integræ, & duæ diminutæ in supradicto suppositio valent secundum gradum terræ, & è converso.

c. In eadem planta est aër in primo gradu, & iste dividit se in quinque diminutas partes; cum duabus est passivus sub igne, cum duabus magìs diminutis est passivus sub terra; altera verò pars, quæ est diminutior, est activa in aquâ; & omnes istæ partes valent in prædicto suppositio primum gradum, qui est aëris, & è converso.

d. In eadem planta est aqua degradata, continet enim tres partes integrales unius gradûs; & iste diminutus gradus dividit se in tres partes successivè diminutas; prima est passiva sub igne, secunda est passiva sub terra, cum tertia recipit humiditatem ab aëre; & omnes istæ tres supradictæ partes valent tres partes unius gradûs, & è converso.

3. Secundùm Lineam transversalem li-
a. vidam prædicti quadrati significantur illa suppositia, quæ sunt cholericæ naturæ in secundo gradu; nam in illud suppositum vel planta, in qua est cholera in secundo gradu, est ignis in secundo gradu, terra in primo, aër & aqua sunt degradati; gradus autem ipsius ignîs in hoc suppositio dividitur in tres partes, in unam integram, & in duas successivè diminutas; pars integra est acti-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

activa in terra, altera verò pars, quæ minùs diminuta eſt, eſt activa in aëre, & altera magìs diminuta, eſt activa in aqua; quantum autem contineant iſtæ partes, poteſt elici ex præcedentibus; omnes autem iſtæ partes ignîs valent in prædicto ſuppoſito ſecundum gradum ignîs, & è converſo.

b. In eadem planta eſt terra in primo gradu, & hic dividit ſe in tres partes, in unam integram, & in duas ſucceſſivè diminutas; pars integra eſt paſſiva in igne, altera verò minùs diminuta eſt activa in aëre, & altera magìs diminuta eſt activa in aqua; & iſtæ tres partes valent in prædicta planta primum gradum terræ, & è converſo.

c. In eadem planta aër eſt degradatus, eſt enim tantùm in tribus integris partibus unius gradûs; hic autem dividitur in tres partes ſucceſſivè diminutas, quarum major eſt paſſiva in igne, ſequens verò eſt paſſiva in terra, & minor illis eſt activa in aquâ; & iſtæ tres diminutæ partes valent in prædicta planta tres integras partes unius gradûs, & è converſo.

d. In eadem planta eſt aqua degradata uſque ad duas integras partes unius gradûs, & dividitur in tres partes ſucceſſivè diminutas; prima eſt major omnibus, & eſt paſſiva in igne, ſequens minor eſt paſſiva ſub terra, cum ultima verò minori omnibus recipit aqua humiditatem aëris; & iſtæ tres partes ſic diminutæ valent in prædicto ſuppoſito medietatem unius gradûs aquæ, & è converſo.

4. Secundùm Lineam viridem ſignificatur, quòd ſit aliud ſuppoſitum vel planta, quæ eſt cholericæ naturæ uſque ad primum gradum choleræ; in hac planta eſt ignis in primo gradu; & hic dividitur in quatuor partes integras totius gradûs; iterum totum eſſe iſtarum quatuor partium dividit ſe in ſex partes integras, id eſt, integrantes totum iſtum gradum, quarum tres ſunt activæ in terra, duæ activæ in aëre, & una activa in aqua; & iſtæ ſex partes in prædicto ſuppoſito valent unum gradum ignîs, & è converſo.

b. In eadem planta eſt terra degradata uſque ad tres partes unius gradûs, hic autem dividit ſe in ſex partes integrantes hunc gradum terræ diminutum quartâ parte; harum igitur partium tres ſunt in igne paſſivæ, duæ in aëre activæ, una verò eſt in aqua activa; & iſtæ ſex partes valent primum gradum diminutum, & è converſo.

c. In eadem planta eſt aër degradatus uſque ad duas partes, vel medietatem unius gradûs, & hic dividit ſe in quinque partes integras medii gradûs, quarum duæ ſunt paſſivæ in igne, duæ paſſivæ in terra minores quàm duæ ſubjectæ igni, una verò in aqua eſt activa; & iſtæ quinque partes in prædicto ſuppoſito valent medietatem unius gradûs aëris, & è converſo.

d. In eadem planta eſt aqua degradata uſque ad quartam partem unius gradûs, & hæc dividit ſe in tres partes ſucceſſivè diminutas, integrantes ipſam quartam partem unius gradûs, quarum major eſt paſſiva in igne, ſequens minor eſt paſſiva in terra, cum ultima minori omnibus recipit aqua humiditatem aëris; & iſtæ in prædicto ſuppoſito valent quartam partem unius gradûs aquæ, & è converſo.

5. Et ſciendum eſt, quòd, ſicut ignis habet propriam debitam & proportionatam partem activam in cæteris elementis, ſicut prædictum eſt, ita ſimiliter terra, aër & aqua ſecundùm debitam & proportionatam quantitatem habeant activam partem vel activas partes in igne; & iterum ſimiliter aër ſecundùm proportionatam juſtitiam eſt activus in terra, & terra in aëre; & iterum ſimiliter aër & terra ſecundùm juſtam proportionem ſunt activi in aqua, & aqua in illis; hoc autem ita debet eſſe, ut in elementatis ſuppoſitis ſit circulatio, & ne in illis ſuppoſitis, nec etiam in elementis ſit ceſſatio operandi, & ne aliquod elementum ſit in eisdem in totali paſſione, ita, quòd non in actione.

6. Quantitas debita & proportionata, per quam unum elementum activè vel paſſivè eſt in altero, poteſt imaginari, & reperiri diligenti indagatione per ea, quæ dicta & dicenda ſunt de actione ignîs in cæteris elementis, & de actione terræ in aëre & aqua, & de actione aëris in aqua, & de aqua in omnibus ſuo modo.

PARS II.

De Situatione Elementorum.

1. LInea rubea, per quam ſignificatur, quòd ignis ſit in quarto gradu, ſignificat, quòd in ſuppoſito cholerico ignis & terra ſint *extremitates*, aër verò & aqua ſint contenti ab illis. Linea nigra ſignificat, quòd ignis & terra ſint intra ſubſtantiam; virtus enim ſubſtantiæ eſt major intra ſubſtan-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſtantiam, quàm in extremitatibus ejus, aër verò & aqua in eadem nigra linea ſunt continentes; & per hoc patet, quòd ignis & terra per modum extenſionis ſint continentes, & per modum intenſionis ſint contenti; hoc idem ſimiliter ſequitur in aliis duabus transverſalibus lineis ſequentibus ſuo modo.

2. Præterea ignis lineæ rubeæ, & aër lineæ nigræ, & aqua lineæ lividæ, & terra lineæ viridis facientes unam erectam & primam lineam in quadrato ignîs in planta ignea in quarto gradu repræſentant diſpoſitiones ſphærarum, ſcilicet quòd ſphæra ignîs ſit ſuperior cæteris, & quòd ſphæra aëris poſt ſphæram ignîs ſit ſuperior reliquis duabus, deinde ſequitur ſphæra aquæ, ſphæra verò terræ eſt inferior omnibus aliis ſphæris.

3. In erecta linea ſecunda aër eſt rubeus, ignis niger, terra livida, aqua viridis, ſignificando, quomodo unum elementum accidentaliter in mixto eſt ſupra alterum elementum; & quod per iſtam lineam ſignificatur, illud idem per reliquas duas erectas lineas ſequentes repræſentatur ſuo modo, in quarum prima eſt aqua rubea, terra nigra, &c. hoc eſt per accidens, id eſt, ratione mixtionis, licèt ſit contra naturam ſphærarum; quoniam in linea rubea primi quadrati prior eſt ignis quàm aër, aër quàm aqua, aqua quàm terra: item in ſequenti linea nigra aër prior eſt quàm ignis, ignis quàm terra, terra quàm aqua: item in ſequenti linea livida aqua prior eſt quàm terra, terra quàm ignis, ignis quàm aër: & iterum in ſequenti linea viridi terra prior eſt quàm aqua, aqua quàm aër, aër quàm ignis; & ſic datur intelligi, quòd unumquodque elementum in ſuppoſito quarti vel inferioris gradûs caloris, & etiam in aliis ſuppoſitis elementatis ſit ſecundùm ſitum prius & poſterius altero, ad ſignificandum, quòd quælibet minima pars cujuslibet elementi ſit in minima parte cujuslibet alterius; & per conſequens quodlibet totum in quolibet toto, ut per virtutem talis mixtionis unumquodque quatuor elementorum ſit ſituatum in unoquoque ſuppoſito elementato ſecundùm continuam quantitatem.

4. Aliæ lineæ in prædicto quadrato ſunt declives; & prima, in qua eſt ignis rubeus, niger, lividus & viridis, & alia contrapoſita, in qua eſt terra rubea, nigra, livida & viridis, & aliæ lineæ his duabus interpoſitæ, in quibus eſt aër rubeus, niger, lividus & viridis, & aqua rubea, nigra, livida & viridis, ſignificant, quòd quodlibet elementum ſit ſituatum in omni declivitate & irregularitate corporis elementati. Et iterum ſunt quatuor aliæ lineæ obliquæ in prædicto quadrato, quarum duæ ſunt contrapoſitæ reliquis duabus; in prima eſt aër rubeus, terra nigra, aër lividus, in ſecunda eſt aër niger, terra livida, aër viridis, & in duabus his contrapoſitis in prima eſt aqua rubea, ignis niger, aqua livida, & in ſecunda aqua nigra, ignis lividus, aqua viridis; & per hoc ſignificatur, quòd unum contrarium contineatur ab altero contrario, & è converſo, id eſt, quòd illud elementatum, quod magìs eſt cholericum, ſit vehementius & virtuoſius in interioritate ſubſtantiæ, quàm ejus contrarium; & ſi contrarium continetur à contrario, benè ſequitur, quòd concordans contineatur à concordante; ſicut patet in lineis ſimilibus iſtis in quadrato aëris & quadrato aquæ.

5. Iterum in prædicto quadrato reperitur centrum & circumferentia; in centro ſunt ignis niger, terra livida, terra nigra, ignis lividus; in circumferentia ſunt quatuor lineæ, duæ erectæ, & duæ transverſales; duæ erectæ ſunt ordine oppoſito, & duæ transverſales ſimiliter; prima verò erecta & prima transverſalis ſunt eodem ordine; ſecunda erecta & ſecunda transverſalis ſimiliter, ad ſignificandum, quòd ignis & terra in interioribus ſubſtantiæ cholericæ ſint virtuoſiores cæteris, influentes ſuam virtutem ad exteriora ſecundùm concordantiam & contrarietatem: igitur ſi quis diligenter conſideret omnia, quæ de ſitu elementorum in hac Parte jam dicta ſunt, imaginabitur & intelliget, quòd elementatum corpus cholericum ſit totum plenum ubique ſuo proprio eſſe cujuslibet elementi.

6. Secundùm ea, quæ nunc dicta ſunt de ſitu ſedecim camerarum quadrati ignîs in illo compoſito elementato, quod eſt calidum in quarto gradu, ſiccum in tertio, humidum in ſecundo, frigidum in primo, ſic intelligendum eſt ſuo modo de gradibus melancholiæ, ſanguinis, & phlegmatis; & per hunc ſitum, qui de aliis partibus elementorum in aliis partibus eorundem dictus eſt, etiam poteſt intelligi ſitus formæ & materiæ prædicti ſuppoſiti vel plantæ,

quæ

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quæ ſunt aggregatæ de pluribus partibus ſubſtantialibus elementorum, de quibus ſubſtantia plantæ eſt conſtituta; hæ autem partes ſubſtantiales & accidentales ſunt quantitas, qualitas, & cætera ſubjecta formæ: ergò per hæc, quæ ſunt dicta, patet, quomodo unus gradus ſit ſituatus in alio in quovis ſuppoſito elementato.

PARS III.

De Simplicitate & Compoſitione Elementorum.

1. IN illa planta, in qua ignis rubeus eſt calidus in quarto gradu, ſunt elementa ſimplicia & compoſita, diverſimodè tamen; ipſi enim ſex puncti, in quos ignis ſe dividit, ut ignificet cætera elementa, ſunt ignis compoſitus actuans cæteras partes, in quas cætera elementa ſe dividunt ad recipiendam actionem ignîs; nam ût ſuprà dictum eſt, ſe dividunt in diverſas partes ſecundùm magìs & minùs activè & paſſivè, ut quodlibet illorum ſit agens & patiens ſubſtantialiter & accidentaliter, ad hoc, ut eſſentialis mixtio plantæ poſſit fieri; igitur quodlibet elementorum eſt mixtum cum quolibet aliorum, & per conſequens compoſitum, ac proinde quælibet pars cujuslibet eſt mixta cum qualibet parte cujuslibet aliorum; nam ignis infundens ſuam caliditatem in cætera elementa, infundit de ſe ſimul ſeipſum tanquam ſubjectum illius caliditatis, caliditas enim ſinè ſubjecto igneo, id eſt, quod ſit de eſſentia ſimplicis ignîs, non poteſt tranſire in alia elementa; & quod de igne dictum eſt, illud idem ſequitur de cæteris elementis: igitur ex his patet, quomodo elementa veniant in compoſitionem aliud aliorum cum alio ſubſtantialiter & accidentaliter; nam partium ſubſtantialium aliæ intrant in alias, & ſimiliter partium accidentalium aliæ intrant in alias.

2. In eadem planta eſt ſimplex ignis, & cætera ſimplicia elementa, ita, quòd illi ſex puncti, in quos ignis ſe dividit, ſi conſiderentur, prout ſunt unum & indiviſibile ex parte principii, ſint unus punctus, ſcilicet ſimplex ignis; iſte autem ſeptimus punctus regit ſex prædictos punctos, & influit in eos; & iſte ſeptimus punctus unus, in quantum unus & indiviſibilis, qui eſt ſimplex, non poteſt intrare compoſitionem, nec per conſequens eſſe corpus vegetatum, ſed eſt tantùm ſimplex ſubjectum ignîs compoſiti: hic autem ſeptimus punctus in prædicta planta quarti gradûs igneitatis eſt fortior & vehementior, quàm cæteri puncti ſimplices aliorum elementorum, quia iſte eſt in quarto gradu, & ſuus effectus, ſcilicet ignis compoſitus, eſt in majori gradu, quàm cætera elementa.

3. Sicut ignis compoſitus in ſupradicta planta habet unum ſeptimum punctum, ût nunc dictum eſt, ita etiam ſimili modo terra compoſita habet unum ſeptimum, qui eſt terra ſimplex; iſte autem valet quartum punctum terræ, de quo tractatur *in Chaos Capite de quatuor Gradibus Elementorum*, nec tamen iſte unus eſt in quantitate nec in virtute unius puncti ignîs, cùm non producat niſi tantùm tertium gradum terreitatis.

4. Similiter aër compoſitus in eadem planta habet unum punctum ſimplicem ſextum, qui eſt aër ſimplex agens & regens aërem compoſitum.

5. Similiter & aqua compoſita habet unum punctum ſimplicem quartum, & hic eſt aqua ſimplex activa & conſervativa aquæ compoſitæ.

6. Hi igitur puncti ſimplices, videlicet ſeptimus ignîs, & ſeptimus terræ, ſextus aëris, & quartus aquæ, ſunt agentes in elementato, ſcilicet in eadem prædicta planta, ita videlicet, quòd quilibet eorum agat in ſuo compoſito immediatè, mediantibus tamen partibus eorum inſimul compoſitis, quâlibet illarum agente in quamlibet aliarum.

Ipſi puncti ſimplices invicem in toto elementato compoſito, ſecundùm quòd eſt proportio in concordantia unius puncti ad alium, vel in contrarietate in eorum compoſitione per modum generationis vel corruptionis, vel regentiæ vel conſervationis influunt, puncti verò compoſiti refluunt ad eos; etiam puncti ſimplices ſunt inſenſibiles & univerſales, puncti verò compoſiti ſunt ſenſibiles & particulares; & eſt ſciendum, quòd tota eſſentia ſeptimi puncti ſimplicis ignîs in hoc elementato ſit idem numero, quod eſſentia punctorum compoſitorum ignîs, differunt tamen per accidens, ſcilicet, quòd ſeptimus punctus ſimplex generat, & regit compoſitos, ipſi verò compoſiti aliter agunt in terra, aliter in aëre, aliter in aqua; & in hoc ſimiliter differt quilibet ex punctorum ab altero ſecundùm

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diverſitatem ſuorum paſſivorum, quamvìs ſint una & eadem eſſentia; & hoc idem ſequitur ſuo modo de cæteris elementis: & hoc clarè patet in virtute Solis, nam una & eadem virtus numero eſt illa, quæ diſſolvit ceram, & decoquit tegulam, ſed differunt mediante illâ differentiâ, quæ eſt inter unum paſſivum & aliud.

PARS IV.

De Actione & Paſſione Elementorum.

1. IN ſupradicta planta, in qua ignis eſt in quarto gradu, ſunt formaliter activi illi ſex puncti, in quos ignis ſe dividit, puncti verò aliorum elementorum in eadem planta exiſtentes ſunt materialiter paſſivi; & hoc modo conſtituitur forma & materia in prædicta planta, quæ eſt ens unitum & aggregatum de prædicta forma & materia; hæc autem forma & materia tranſeuntes una in alteram, attingunt aliam ſpeciem, quæ non eſt ſub forma & materia ignîs, nec alicujus alterius elementi, imò eſt ſolùm forma & materia hujus plantæ exiſtentis hujus ſpeciei; ſed cauſa, quare ita eſt, patet in mixtione & transmutatione cujuslibet elementi in quodlibet aliud elementum; nam poſtquam totaliter ſunt mixta & confuſa ad invicem, ipſa ſic unita tendunt ad unum finem, qui non eſt ſpecies alicujus elementi, videlicet ad plantam. Et iterum in eadem planta puncti terræ ſunt activi in cæteris tribus elementis, terreificando illa, ipſa verò elementa ſunt paſſiva recipiendo terreitatem & ſiccitatem ipſius terræ; hoc idem ſequitur de aëre & aqua ſuo modo; itaque in eadem planta eſt quodlibet elementum agens & patiens, ſicut per prædicta manifeſtè patet; ſed quoddam illorum eſt magìs activum & in majori quantitate, quàm aliud, videlicet ignis in prædicta planta eſt magìs activus, quàm terra, cùm ſit in quarto gradu; deinde terra eſt magìs activa, quàm aër, cùm ſit in majori quantitate, quàm aër, cùm ſit in tertio gradu, aër verò in ſecundo; deinde aër eſt magìs activus, quia eſt in majori quantitate, quàm aqua, cùm aër ſit in ſecundo gradu; aqua verò in primo.

2. Similiter in eadem ſupradicta planta forma ignîs eſt in majori actione, quàm formæ aliorum elementorum exiſtentium in eadem planta; & ſic per conſequens actio caliditatis ignîs eſt major in prædicta planta, quàm actio ſiccitatis, humiditatis & frigiditatis; nam forma ſubſtantialis movet ſuam caliditatem ad cætera elementa; & per conſequens ſiccitas terræ eſt magìs activa in illa planta, quàm humiditas aëris; & humiditas aëris eſt magìs activa, quàm frigiditas aquæ, cùm qualitates motivæ ſint per accidens in ſubſtantialibus formis.

3. Ignis compoſitus eſt paſſivus ſub igne ſimplici, cùm ignis compoſitus ſit effectus ignîs ſimplicis; igitur ignis ſimplex eſt activus, & influens ignem compoſitum per totam prædictam plantam, in qua ignis ſimplex eſt tantum activus, quantum ignis paſſivus & cætera elementa ipſius plantæ poſſunt recipere; & quia totus ignis ſimplex non poteſt recipi in ipſam plantam, remanet ignis ſimplex extra plantam; nam ignis ſimplex eſt in aliis plantis. Et ſicut de actione ignîs ſimplicis ſequitur in igne compoſito & paſſivo, & per conſequens in cæteris elementis paſſivis, ſic ſimiliter ſequitur ſuo modo de aliis elementis in eadem planta.

4. Manifeſtum eſt, quòd quodlibet ipſorum elementorum ſecundùm magìs & minùs ſit activum & paſſivum in illa eadem planta, in qua ignis eſt in quarto gradu, & ipſe ignis activus ſuper terram ſimplicem, & ſuper cætera ibidem elementa ſimplicia: igitur cætera alia elementa ab igne patiuntur ſub igne; ſed hæc actio & paſſio fit per accidens, quia ignis ſimplex agit in terram compoſitam, quæ eſt effectus terræ ſimplicis; nam in ipſo igne inducente terram in illam plantam magìs calidam quàm ſiccam, & magìs igneam quàm terream, eſt ignis ſimplex mediante igne compoſito activus, terra verò ſimplex mediante terrâ compoſitâ eſt paſſiva; & quod ſequitur de igne & terra, ſequitur de terra & aëre; & ſic de aliis ſuo modo. Item è converſo in illa eadem planta eſt terra ſimplex activa ſuper ignem ſimplicem, in quantum reſiſtit igni ſimplici; nam quando terra ſimplex movet per totam plantam terram compoſitam, terra compoſita deſiccat ignem compoſitum; ſicut autem terra ſimplex eſt activa ſuper ignem ſimplicem, eodem modo eſt activa ſuper aërem ſimplicem, & aquam ſimplicem; & quod ſequitur de terra, idem ſequitur de aëre & aqua ſuo modo.

Quem-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

5. Quemadmodum elementa formaliter & materialiter, & ſecundùm magìs & minùs in planta vel in ſenſato ſunt graduata & ſituata, ita ſimili modo ſunt graduatæ & ſituatæ actiones & paſſiones eorum, ita, quòd formaliter & materialiter, & ſecundùm magìs & minùs totus gradus ignîs & totus gradus cujuslibet alterius elementi in actione & paſſione ſituatus eſt; & hoc manifeſtè patet, nam ignis eſt major cæteris elementis in planta ignea in quarto gradu, & per conſequens magìs activus; ejus tamen actio & paſſio ſecundùm intenſitatem eſt diſtincta; ignis enim in planta eſt magìs intenſus in actione, quàm cætera elementa, & minùs paſſivus, tamen reſpectu ad extenſitatem per totam plantam eſt ipſe ignis activus & paſſivus ſicut cætera elementa.

6. In planta ignea in quarto gradu forma ignîs eſt activa in ſuo proprio ſubjecto, ſcilicet in ignificabili ſibi proprio paſſivo; & hoc eſt ex natura propriæ formæ & materiæ, & propriæ eſſentiæ ignîs; totus autem ignis ſimplex & compoſitus eſt activus ſuper ignificabile remotum, id eſt, ſuper cætera elementa ipſius plantæ ſubjecta ipſi igni, ut agat per totam plantam ignificando & calefaciendo plantam vel ſemen; hoc idem ſequitur de cæteris elementis ſecundùm ſibi debitum elementatum. Forma ignîs, quæ eſt in planta quarti gradûs igneitatis, eſt activa, cæteræ verò formæ aliorum elementorum ſub illa ſunt paſſivæ, licèt quælibet earum ſit activa ſuper proprium ſubjectum; ſicut forma terræ ſub forma ignea eſt paſſiva in prædicta, quamvìs ſuper ſuum proprium terreificabile & ſiccabile ſit activa; hæc autem actio & paſſio formarum ſunt, quia forma magìs activa inducit alienam formam ad ſuum appetitum & naturam ſive ad ſuum finem videlicet ad formam plantæ exiſtentem plùs propter formam ignîs, quàm propter formam aliorum elementorum: igitur forma ignîs movet cæteras formas elementales, ut quælibet earum moveat ſuum proprium paſſum ad finem, quem forma ignîs appetit complere per viam vegetationis & productionis.

PARS V.

De Mixtione & Digeſtione Elementorum.

MIxtio & digeſtio pluribus modis ſunt intelligibiles, nos autem hìc intendimus tractare de elementali mixtione & digeſtione, quæ eſt in planta quarti gradûs igneitatis, in qua planta ſunt elementa, quando ex ipſis eſt mixta & digeſta.

1. Elementa igitur ſunt in planta, & planta in elementis, ſicut partes in toto, & totum in ſuis partibus, quod eſt, quia ignis eſt diviſus in ſex partes, in quibus ſunt mixtæ & digeſtæ cæteræ partes aliorum elementorum ipſius plantæ, quâlibet earum exiſtente unâ cum alia, ut ex ipſis in unum aggregatis, mixtis & digeſtis, ſit una planta.

2. In ipſa planta ſunt mixtæ ſimilitudines elementorum, ſcilicet bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas &c. ignîs cum bonitate, magnitudine, duratione &c. terræ, aëris & aquæ; hoc idem ſequitur de aliis elementis, ita, quòd una bonitas miſcetur cum alia, & una magnitudo cum alia, & una duratio cum alia, & ſic de aliis; & omnes ſic ſimul mixtæ digeruntur ad unam communem bonitatem, magnitudinem, durationem &c. plantæ, ut ipſa planta ſit bona, magna, durans, potens &c.; verùntamen quælibet bonitas, magnitudo &c. remanet in ſuo proprio univerſali ſubjecto, videlicet ſub ſuo toto, quod eſt ignis, vel aliquod aliorum elementorum, & exiſtit in gradu proprio, prout illi univerſalitati convenit bonitas &c. ignîs in quarto gradu; bonitas verò &c. terræ in tertio gradu; & ſic de aliis.

3. Secundùm ea, quæ nunc dicta ſunt, patet, quomodo in mixto ſint gradus elementales, & quomodo etiam digeſti conſtituant unam plantam; & hoc ita convenit eſſe, quia unaquælibet ſimilitudinum eſt in qualibet alia; & per conſequens unus gradus eſſentialiter & accidentaliter eſt mixtus & unitus in altero; nam partes eſſentiales cujuslibet gradûs ſunt mixtæ cum partibus eſſentialibus alterius gradûs; & ſimiliter quantitas & qualitas, ſicut ſiccitas & caliditas &c. cujuslibet gradûs ſunt mixtæ in ſubjecto finali, videlicet in planta: igitur partes cujuslibet gradûs, quantum poſſunt, multiplicantes & vivificantes ſe, mortificant cæteras partes aliorum graduum, ut quodlibet elementorum plùs poſſit agere in ipſa planta formaliter, & pati materialiter; & hoc per ſe manifeſtum appareret, aliter planta non haberet unam quantitatem continuam conſtitutam à pluribus partibus integrantibus, ſcilicet à partibus ignîs, terræ, aëris &c., quæ integræ ſunt diſtin-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diſtinctæ, in quantum differunt eſſentiâ & proprietate; hoc modo etiam numero diſtincti ſunt prædicti gradus & ſimilitudines ad invicem eſſentiâ & proprietate; ſed quoniam conſtituunt unam plantam, ſunt mixti & digeſti in unum, ut ex omnibus ſupradictis poſſit ſequi una continua quantitas.

4. Per hæc igitur, quæ nunc dicta ſunt, intelligitur, quomodo elementa in mixtione plantæ ſint formaliter & materialiter & etiam accidentaliter, quod eſt, quia, ût ſuprà ſignificatum eſt, unumquodque elementum formaliter & materialiter ſe dividit in ſuos punctos, ita, quòd quilibet ipſorum punctorum ſit activus per formam, & paſſivus per materiam; & ſic ipſi puncti in eſſentia & natura & etiam virtute formæ & materiæ remanent indiviſi; ſunt autem diviſi, in quantum cum cæteris punctis aliorum elementorum ſunt mixti; & forma & materia cujuslibet elementi ſunt confuſæ ad invicem & remiſſæ propter ſuam totalem mixtionem, in qua partes ipſorum ſunt diſtinctæ, in quantum in mixto una pars non eſt alia in eſſentia & natura; & etiam in quantum contrariantur ad invicem per calidum, frigidum, ſiccum & humidum, & per levitatem & ponderoſitatem, digeſtionem & reſtrictionem, evacuationem & repletionem, & etiam per appetitum, & ſic de aliis; & licèt quodlibet ipſorum elementorum ſimul cum aliis elementis tranſeat in aliam ſpeciem, ſcilicet plantæ, nihilominùs cujuslibet eſſentia & natura permanet integra.

5. In prædicta planta eſt ignis ſimplex, & ſimiliter unumquodque aliorum elementorum ſimplicium, idem in eſſentia & natura, per quam ignis (& ſic de aliis) permanet in forma, materia & virtute ignîs, & etiam in ſua eſſentia & proprietate ignis eſt diſtinctus à forma & materia & proprietatibus cæterorum elementorum; hoc idem ſequitur in illa planta de unoquoque elemento; & tale elementum in ipſa planta neque mixtè neque digeſtè poteſt attingi; illud autem, quod in ipſa planta mixtè & digeſtè attingitur, ſunt ipſa elementa, ſi ſint compoſita; itaque in quantum unumquodque illorum eſt mixtum cum altero, ſequitur inde medium, id eſt, alterum ab ipſis elementis, ſcilicet ſpecies altera à ſpecie cujuslibet elementi, compoſita de quatuor ſpeciebus elementorum: ergò iſtud medium eſt ens mixtum, digeſtum & compoſitum de principiis ſimplicibus, & etiam in illo compoſito eſt habitualiter eſſentia & natura cujuslibet ipſorum elementalium principiorum; nam in ipſo compoſito fluunt & refluunt principia miſcendo ſe & digerendo, ut ſit ipſum, videlicet planta.

6. Ergò quodlibet ſimplex elementum habet ſuam propriam ſimplicitatem in habitu ipſius plantæ, ſicut partes ſimplices habentur in ſuo toto compoſito, ita, quòd eſt ipſa ſimplicitas in potentia juncta cum habitu; & reducitur ad actum in conſummatione & privatione prædictæ plantæ; & in hoc habitu conſiſtit virtus, in qua & cum qua & ex qua ſimplicia elementa inſimul movent compoſita elementa, ut ſint in actu compoſita elementa, de quibus prædicta planta eſt producta & orta.

PARS VI.

De Loco & Motu Elementorum.

1. UT alia partium elementorum per virtutem loci & motûs poſſit eſſe in alia, ſunt locus & motus in planta quarti gradûs igneitatis, & ſic de aliis; non tamen partes, de quibus planta eſt compoſita, ſe movent localiter alia in aliam; tota enim planta eſt plena pluribus partibus, exiſtens unum corpus mixtum ex omnibus.

2. Ignis movet ſuam caliditatem in aërem, & per conſequens in alia elementa; & aër movet ſuam humiditatem in aquam, & per conſequens in cætera elementa, & ſic de aliis, ſecundùm quòd eorum circulatio eſt ordinata; unde in hoc motu in planta, mediantibus ſuis actionibus, fit mixtio ſubſtantialium partium ſubjectarum accidentalibus partibus; igitur quælibet ipſarum partium, ſive ſit ſubſtantialis ſive accidentalis, intrat quamlibet aliam, ut planta ſit quanta continuè ſecundùm ſubſtantiam & accidens; hic motus autem eſt inſenſibilis, quia eſt in interioritate plantæ, non autem localiter diſtinctus, ſicut collocans & collocatũ quodlibet localiter diſtinguitur, ita quòd continens non eſt contentum, nec è converſo; imò potiùs ſic eſt ibi motus, quia quælibet pars eſſentialis continet aliam, & continetur ab illâ, ut ſit vera mixtio & unio partium ipſius plantæ.

3. Quoniam planta per augmentationem mobilis eſt in aëre, in quo eſt contenta; eſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſt movens & mobilis etiam localiter in augmentatione ſuarum partium, unâ ipſarum creſcente in altera, & hoc intra ſubſtantiam ; hic autem motus localis venit ab intrinſeco naturæ; ille verò motus localis, qui eſt intra ſubſtantiam plantæ, eſt per virtutem elementorum ſimplicium in ſe ipſis moventium compoſitum : nam ſicut arcus movet ſagittam in aëre virtualiter propter ictum, quem ſagitta actu recipit, ita & multò meliùs & magìs virtualiter ſimplicia elementa movent intra ſubſtantiam compoſita elementa,& elementa compoſita componendo de ſe ipſis compoſitis de virtutibus ſimplicium elementorum movent compoſitum elementatum, & per virtutem ſimplicium elementorum conſiſtit quodlibet elementum in loco alterius elementi,& è converſo, ſicut pars in parte, & è converſo,movendo plantam extrà localiter per motum augmenti ; hic autem motus exterior durat ſecundùm virtutem impetûs, quem elementatum recipit in regimine & augmento ſuæ quantitatis à ſuis principiis, videlicet ab agente naturali & à materia, de qua ipſum elementatum eſt productum.

4. Sicut locus eſt imaginabilis, quia localiter unum corpus poteſt eſſe continens, & aliud contentum, ita motus eſt imaginabilis, quia corpus poteſt moveri de loco in locum ; ſic autem non eſt imaginabilis interior motus ſubſtantiæ, nam iſte non eſt localis, cùm quodlibet elementum plantæ ſit in alio & in ſemet ipſo, & etiam moveat aliud in ſe ipſo, ita, quòd quælibet partium illorum eſt in alia, & è converſo ; & talis motus & talis locus in planta eſt magìs intenſus & magìs virtuoſus, quàm locus & motus, quos planta habet extra ſe ; nam iſti ſunt de ſubſtantia plantæ, illi verò ſunt in alia ſpecie figurales & apparentes extra, neque ſunt de eſſentia ejus.

5. Magnes attrahit ferrum, & ad ſe localiter facit movere,ipſo magnete illocaliter movente ſuam virtutem in ſe ipſo,cùm virtus ipſius magnetis localiter non exeat extra magnetem ; ergò multò fortiùs quælibet partium elementorum plantæ movet alteram partem, & quodlibet ſimplex elementum aliud elementum, & quælibet virtus eorum aliam virtutem eorum ; hic autem motus eſt intra ſubſtantiam illocaliter, ſed quia planta propter influentiam provenientem ab intrinſeco motu ſecundùm incrementum & multiplicationem ſuarum partium augmentatur, ideo movetur tota extra ſe localiter ; & hoc per ſe manifeſtè patet.

6. Sicut in planta unumquodque ſimplicium elementorum, in quantum ſimplex, eſt indiviſibile,ſic ſimiliter ſimplex locus & ſimplex motus eſt indiviſibilis ; ſed per accidens motus & locus in planta eſt diviſibilis, ſicut ignis compoſitus in planta per cætera elementa diviſibilis eſt, licèt non ſit ſituatus ſic cum iſto elemento, ſicut cum illo; nam motus & locus habet aliam partem in ſe propter iſtum ſitum, & aliam propter illum ; ſic motus ignîs eſt ſurſùm ad ſphæram ignîs, & motus terræ deorſùm ad ſphæram terræ ; & de tali motu fit in planta per accidens diſtinctio, & oritur intra & extra plantam locus & motus compoſitus, tamen magìs intensè intrà, quàm extrà.

PARS VII.

De Generatione & Corruptione Elementorum.

1. IGnis ſimplex quoad formam eſt ignificativus, & quoad materiam eſt ignificabilis, & de his duabus entitatibus eſt eſſentia illius ; hoc idem ſimiliter ſequitur ſuo modo de cæteris ſimplicibus elementis ; unde ſimplex ignis, qui eſt in planta quarti gradûs igneitatis, de ſe generat ignem compoſitum, communicans ſuos ſex punctos cæteris elementis, ût jam ſuprà dictum eſt ; & ſic de ſuis punctis ſimul cum punctis aliorum elementorum ſequitur ignis compoſitus generatus ; & quia in illa planta ignis fortior eſt quàm cætera elementa, reducit cætera elementa ad ſuum finem, videlicet ad plantam calidam in quarto gradu ; iſte autem finis eſt incompletus quoad ſpeciem ignîs, nam iſte finis tranſit ad alium completum finem, ſcilicet ad ſpeciem plantæ, & corrumpitur appetitus ignîs, quia in generando non attingit ſuam ſpeciem, ſed potiùs aliam ; & per conſequens ſicut appetitus ignîs corrumpitur ex parte finîs, ſic ſimiliter corrumpitur appetitus cujuslibet alterius.

2. Ignis in planta attrahit cætera elementa, quantum poteſt, ut habeant ſuam ſimilitudinem ; & ſic propter appetitum,quem habet, multiplicandi ſuam ſpeciem, congregat in ſe ſimilitudines aliorum elementorum, ut eorum ſimilitudines poſſit alterare

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rare in ſuas ſimilitudines; & generando tales ſimilitudines, corrumpit eas vegetando, miſcendo & digerendo; & quod de igne diximus, illud idem ſuo modo ſequitur de unoquoque aliorum elementorum, ita, quòd quodlibet elementum habens in ſe ſimilitudines alterius elementi genitas, generat ſuas ſimilitudines in alio; ſicut ignis, qui generat caliditatem in aëre, ut humiditas aëris, habens in ſe caliditatem, poſſit convertere aquam in ſuam ſimilitudinem: ergò ignis generat quoad formam, & corrumpit quoad materiam; mediante igitur tali generatione & corruptione generatur & corrumpitur planta, ût per ſe patet.

3. Dum ſuppoſitum elementatum vel planta generatur, agens naturale, quantum poteſt, attrahit ad ſe elementa, ut eorum ſimilitudines poſſit transferre in ſuam ſimilitudinem, & dare generato; ſicut patet in animali, in quo vegetativa per ſenſitivam mota transmutat cibum, videlicet in formam ſpeciei; per quam transmutationem vivit & nutritur animal, per quam etiam conſervatur humidum radicale illius; hoc etiam ſimiliter ſe habet in plantâ, nam dum agens naturale generat illam, attrahit elementa ſimplicia, ut fiant compoſita, unde ſequitur planta hujus ſpeciei, cujus fuit generans illius, convertens in ſe, videlicet in ſuam ſpeciem elementa, quæ recipit, & transmutat illa in ſimilitudinem ſuæ ſpeciei, videlicet in generatum, ut ſpecies non pereat; ergò in hac generatione & corruptione fit generatio & corruptio elementorum; generatio elementorum fit in ea, quia generatur elementum compoſitum; corruptio illorum fit in ea, quia eorum eſſentia transmutatur in alienam ſpeciem, videlicet plantæ ab ipſis genitam.

4. Ignis in planta ignificat cætera elementa plantæ, infundens ſuam caliditatem in illa omnia; nam infundendo ſuam caliditatem infundit ſubjectum illius caliditatis; & ſic corrumpit & mortificat illa; nam aër & alia elementa recipientia caliditatem ignîs, recipiunt in ſe aliquas partes ipſius ignîs; & ſic generatur & vivificatur ignis in aëre & in cæteris elementis; & per conſequens corrumpitur aër & cætera duo elementa: igitur aër, & per conſequens cætera elementa, non eſt ita intenſus & purus, ſicut priùs.

5. Ignis calefacit aquam in olla, & ſic percutiens ollam in actu, illam caliditatem, quæ priùs erat in aqua in habitu, reducit ad actum, corrumpens frigiditatem aquæ, in quantum de actu, in quo priùs erat, eam reducit ad habitum, aquâ calefactâ durante in olla; dum autem aqua omninò eſt conſumpta, frigiditas illius remanet in potentia in ſpecie ignîs compoſiti, in quam aqua eſt transmutata propter ſuî corruptionem; ita etiam ſimiliter eſt in planta, nam quodlibet elementum in planta generat & corrumpit aliud elementum; omnia autem elementa in planta, quoad ſuos ſingulos actus ſimplices corrumpuntur, non autem quoad eſſentias ſuarum formarum & materiarum eſſentialiter remanentium in ſuppoſito; nam omnia elementa quoad prædictas eſſentias ſimplicium formarum & materiarum eſſentialiter remanentium in ſuppoſito inſimul ſunt una ſpecies aliena à ſpecie cujuslibet elementi; igitur elementa ſimplicia ſunt ſubjecta compoſitioni, & compoſita ſunt ſubſtantia plantæ, & ipſa compoſita ſunt ſituata in ſimplicibus, & ſpecies plantæ eſt ſituata in compoſitis; & ita in generatione plantæ quoad ſimplices eſſentias elementorum nihil augetur vel diminuitur; & ſic elementa ſimplicia transmutantur in compoſita, & compoſita in ſpeciem plantæ.

6. Nunc ſufficienter dictum eſt de Figura Elementali ſecundùm explanationem primi quadrati, quod eſt de igne; quod enim de igne ſecundùm ſuos gradus in elementato calido vel in planta calida dictum eſt, illud idem ſuo modo ſequitur de unoquoque aliorum elementorum ſecundùm ſuum Quadratum per ſuos gradus in ſuo proprio elementato.

Propoſitiones, quas in hoc Libro fecimus, habent neceſſariam demonſtrationem ſecundùm diſcurſum *Artis Demonſtrativæ;* quia ſi de iis, quæ in hoc Libro dicta ſunt, demonſtrativè proceſſiſſemus, deveniſſemus in nimiam prolongationem operis, & potiùs hoc Artiſtarum exercitationibus deliberamus dimittendum. Amen.

DEO GRATIAS.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI REGULÆ INTRODUCTORIÆ IN PRACTICAM Artis Demonſtrativæ.

DEUS, cum Tua Benedictione incipiunt Regulæ Introductoriæ in Practicam Artis Demonſtrativæ.

Ex ipſomet Originali Lemovicenſi translatæ in Latinum de verbo ad verbum.

1. DEUS ab joy xant : Per T., F. G. diſcorrens,
Afermant è negant *dubitar* diſtruens,

Concordant E. è I., è la N. ſubponens,

Prolonguant me de R. è de ſos conſequens,
De majoritat ſi fas tal acordamens,

Que menor el contrari ne ſiens odiens,

Deſirant equaltad, miya, comenſamens,

En lauſar è ſervir Vos, Rey omnipotens.

De Vos, è de lo *voſtre* vul far Demonſtramens
Propter *quid* è *quia* è *equiperalmens*
Ab majoritat ſi per tot lo meſclamens

De totas les Figuras artificialmens;
Si no puſc ſens miya, ab miya o comens,

D'actu deſtar, obrar vul eſſer conexens;

En la Obra *de dins* eſtay principalmens
Majoritat è fi, el contrarixamens
En la obra *de fores*, on pauc ſon inquirens;
Senſual, ſpirital no an egualamens;

Different major es, quan es dacordamens

1. DEUS cum gaudio canto : Per T., F. G. diſcurrentibus,
Affirmando & negando *dubitare* deſtruentibus,
Concordando E. & I., & ipſo N. ſupponente,
Prolongando me ab R., & à ſuis conſequentiis,
De majoritate finîs facio talem concordantiam,
Quòd minoritas & contrarietas inde ſint oditæ,
Deſiderando æqualitatem, medium, principium,
In laudando & ſerviendo Tibi, Rex Omnipotens.
De Te & de *tuo* volo facere demonſtrationes
Propter *quid* & *quia* & *æquiparantiam*
Cum majoritate finîs per omnem mixtionem
De omnibus figuris artificialiter;
Si hoc non poſſum ſinè medio, cum medio hoc incipio,
De actu exiſtendi, operandi volo eſſe cognoſcens;
In Opere ad *intrà* exiſtit principaliter
Majoritas & finis, & ipſa contrarietas
In opere ad *extrà*, in quo pauci ſunt inquirentes;
Senſuale, ſpiritale non habent æqualitatem;
Differentia major eſt, quando eſt in concordantia,

Q'no

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Q'no es de contraris, car pus ſon aviens.

Quæ non eſt de contrariis, quia magìs ſunt convenientes.

2. Si vols far Queſtio, en T. blava comenſa,
Tot T. mit en los angles, è auras ne ſcienſa;
A *ſoure* queſtio veges, de qual ſemenſa

Venen comenſamens concordans ſenes tenſa,
E les poſitions ages en ſovinenſa,
Segons elas conclu, car dar tan conexenſa.
D'univerſal a part ſabies far avinenſa,

Termens d'les Figures en la queſtio penſa:
Si as queſtio d'A, en ſos termens comenſa,
E ayſo matex fay dels altres a preſenſa,
Meſclant la un en laltre, eſgardant la valenſa
En tal acordament, que majoritat venſa,

Car major, be è gran è ver an covinenſa
De deſtruir menor, mal, pauc è d'falenſa;
Si ques plus ſemblant d'A, ajes en ſovinenſa;
Subſtancia è accident no ſon d'una valenſa:
Major es E., que I., I. que N. ſens falenſa,
So cove eſſer ver, don E. I. an crexenſa

En lauſar è ſervir A., don an influenſa:

Metaphoras faras, car *ſaber* hi comenſa.

2. Si vis facere quæſtionem, in T. livido incipe,
Totum T. pone in angulis, & habebis inde ſcientiam;
Ad *ſolvere* quæſtionem videas, de quali origine
Veniant principia concordantia ſinè contentione,
Et illas poſitiones habeas in reminiſcentia,
Secundùm illas conclude, quia dare tibi habent cognitionem.
De univerſali ad particulare ſcias facere deſcenſum,
Terminos Figurarum in quæſtione conſidera:
Si habes quæſtionem de A., in ſuis terminis incipe,
Et hoc idem fac de aliis in præſenti,
Miſcendo unum in altero, reſpiciendo valorem
In tali concordantia, quòd majoritas vincat,
Quia majus, bonum & magnum & verum habent convenientiam
Ad deſtruendum minus, malum, parvum & falſitatem;
Si quid eſt plùs ſimile ipſius A., habeas in reminiſcentia;
Subſtantia & accidens non ſunt unius valoris:
Majus eſt E., quàm I., I. quàm N. ſinè falſitate,
Hoc convenit eſſe verum, unde E. I. habent creſcentiam
In laudando & ſerviendo A., à quo habent influentiam:
Metaphoras facies, quia *ſcire* ibi incipit.

3. Comenſament, miya è egual, ſo malbir,
Q' ab majoritat fin cove concluir

D'actu primer ſegon, car noy poyray falir
En reyaltat, raſo, ſi o ſay perſegir.
Enfre cauſa è ſeffectu major ſi vul tenir,

Effectu è menor ſe ſolen àvenir,
Majoritat e DEU, hom noy pot contradir.
Tot quant DEUS a en ſi, es egal, à ver dir,
Eſcove mils en luy, quen altre, ſens fallir;

3. Principium, medium & æqualitatem, ſum arbitrii,
Quòd cum majoritate finîs inde conveniat concludere

De actu primo ſecundum, quia non ibi poteris falli
In realitate, ratione, ſi hoc ſcis proſequi.
Inter cauſam & ſuum effectum majorem finem volo tenere,
Effectus & minoritas ſolent convenire,
Majoritas & DEUS, homo non ibi poteſt contradicere.
Omne id, quod DEUS habet in ſe, eſt æquale, in veritate dico,
Et convenit meliùs in illo, quàm in alio, ſinè defectu;

E tot

Et

(c) 2006 Ministerio de Cultura

E tot ſo es en DEU, on mays be s'pot ſegir
D'intre ſes Dignitats, on res no pot fallir,
Mils ſe cove en ſi, quen ſos, ſon complir.

Si d' particular vols lo ver concluſir,
Dejus univerſal lo ſabies coſtuir:
Afermar major es, que *negar*, è conſir,

Q'can *negar* mays es, E. o fay perſegir.

Declinatio fay, car noy poras fallir,

D' materia è forma è d'lur influir

Corporal, ſpirital enſemblans conjuynir
Los fay tant, com poyras, è no vules mentir.

4. Qui per ſex mous eſt Art diſcurre la ſabia,
En movent S. la T., toſt ſaber la poria;

E ſi en concluir *d' impoſſibol* volia
Uſar pus volunter, molt mils ſen aydaria;
E que del ſubject prop uſas mays tota via;

Si uuy no pots xauſir, xauſix en altre dia.

Not vules diſputar ab hom de vilania;
En los dits, quet diran, prin ſenyal, tota via
Membra la Art melor, cajudar te poria:

Ab la T. proval teſt, car dar te maeſtria.

Primas entencions è ſegonas volria,
Q' ab majoritat ſi ne fees compaynia:

Si queſtio eſt d' A, ò de qual res que ſia,

Concorda gran major, falir noy poras mia;
Primera'ntentio è ſegona hi ſia,
Majoritat è ſi abſolutament lia
Totas vets ab bontat, è que mal noy eſtia.
Contingent, neceſſari no ſon d'una paria,

Enfre ens è no ens eſgarda melioria,
E materia è forma en compoſt jutjaria.

5. Afermant ò negant ſial teſt conſervats,

Afer-

Et omne id eſt in DEO, unde majus bonum poteſt ſequi
Intra ſuas Dignitates, in quibus nihil poteſt deficere,
Meliùs convenit in ſe, quàm in ſuis, ſuum perficere.
Si de particulari vis verum concludere,
Sub univerſali illud ſcias conſtituere:
Affirmare majus eſt, quàm *negare*, & conſidera,
Quòd, quando *negare* majus eſt, E. hoc debeat proſequi.
Declinationem facias, quia non ibi poteris falli,
De materia & forma & de illarum influentia
Corporale, ſpiritale inſimul conjungi
Illa fac tantum, quantum poteris, & non velis mentiri.

4. Qui per ſex modos iſtius Artis diſcurrere illam ſciret,
Movente S. ipſum T., citò ſcire illam poterit;
Et ſi in concludendo *impoſſibili* vellet
Uti magìs libenter, multò meliùs inde adjuvaretur;
Et quòd ſubjecto proprio utatur magìs ſemper;
Si hodie non potes aſſequi, aſſequeris in alia die.
Non velis diſputare cum homine inurbano;
In dictis, quæ tibi dicent, ſume ſignum, ſemper
Recole Artem meliorem, quæ adjuvare te poterit:
Cum ipſo T. proba textum, quia dare tibi habet magiſterium.
Primas intentiones & ſecundas vellem,
Quòd cum majoritate finîs inde faceres conjunctionem:
Si quæſtio eſt de A., vel de quacunque re ſit,
Concorda magnam majoritatem, falli non ibi poteris medio;
Prima intentio & ſecunda ibi ſit,
Majoritas & finis abſolutè ibi ſit
Semper cum bonitate, & quòd malum non ibi exiſtat.
Contingens, neceſſarium non ſunt unius paritatis,
Inter ens & non ens reſpice melioritatem,
Et (inter) materiam & formam in compoſito judicabis.

5. Affirmando vel negando ſit textus conſervatus,

Affir-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Afermar se cove ab *esser*, so sabiats,
E *negar* è no *esser* se son acompanyats.
S' it fayl responcio, sia DEUS reclamats,

Q'per Oratio el te monstre vertats.

Si no pots concluir ab possibilitats
En major entitat, impossibilitats
Sian ton *concluir*, è auras ne vertats;

D'ymaginatio te garda à tots lats,
Q'uen ver spiritual not aja enpatxats,

Contradictio es en nos major assats
Q'uen DEU, car major es, que nos; è es vertats,
Q'nos mils conexem DEU membrant, volentats,
Entendre ab be, gran, poder, ternitats,

Car ab so, don mays en jugiam, mas val tots lats,
Car DEUS es recolibles è entes è amats,

En mays per mays devem del dire la vertats.
La figura DEUS creet, nos pot mutar, sabiats,
Car sos sabers, poders hi serien menuats;

E so, que sabs per nom, serc ab proprietats.

Affirmare convenit cum esse, hoc scias,
Et *negare* & non *esse* sunt concordantia.
Si tibi deficit responsio, sit DEUS invocatus,
Quòd per Orationem ille tibi monstret veritatem.
Si non potes concludere cum possibilitate
In majori entitate, impossibilitas
Sit in tuo *concludere*, & habebis inde veritatem;
Ab imaginatione tibi caveas undique,
Quòd inde verum spirituale non tibi habeat impediri,
Contradictio est in nobis major multò
Quàm in DEO, quia major est, quàm nos; & est veritas,
Quòd nos meliùs cognoscamus DEUM memorando, volendo,
Intelligendo cum bonitate, magnitudine, potestate, æternitate,
Quia cum hoc, per quod meliùs de illo judicamus, plus valet semper,
Quia DEUS est recolibilis & intelligibilis & amabilis,
Et ideo *maximè* debemus de illo dicere veritatem.
Figuram DEUS creavit, non potest mutari, scias,
Quia sua sapientia, potestas ibi essent diminutæ;
Et hoc, quod scis per nomen, inquire cum proprietatibus.

FINITÆ SUNT RERULÆ, LAUS DEO.

REGULÆ INTRODUCTORIÆ EÆDEM.

Juxta varia Originalia antiqua Latina quoad sensum tantùm Latinitati redditæ, fortè ab ipsomet B. Auctore.

DEUS in tua Benedictione incipiunt *Regulæ Introductoriæ ad Praxin Artis Demonstrativæ.*

1. PRimò sic convenit ordinare Regulas ad solutiones, quòd per T. discurrentibus F. G. sinè H. de R. fiat transmutatio in N., per modum suppositionis; & de N. in E. I., & sic formentur: E. A. V. Y., I. V. Z.; & est necessarium, quòd E. sit majus, quàm I., & E. I. quàm ipsa N. R., & N. sit majus quàm R.

2. In triangulo nigro *affirmare* majus est, quàm *negare*, quia *affirmare* convenit cum *esse*, & *negare* cum *non esse*; si tamen *negare* conveniat cum majoritate, E. debet ipsum prosequi.

3. Recurrendum est ad cameras factas de Figuris *Artis Demonstrativæ*, scilicet de A. S. T. V. X. Y. Z., & semper salvis conditionibus earum est concludendum secundùm dispositionem earum; & hæ positiones multùm sunt tenendæ in habitu.

4. In discursu & solutione quæstionum operandum est secundùm illos *sex Modos* discurrendi & solvendi, qui continentur in *tertia Distinctione Artis Demonstrativæ*, in decimo Modo *Solvere*; & in *Capite*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

te XXVIII. Introductoriæ, & quandoque discurrendum est per unum modum, quandoque per alium.

5. In omni discursu & solutione est consideranda declinatio principiorum Artis, scilicet bonificativum, bonificabile, bonificare, bonificatum; ignitivum, ignibile, ignire, ignitum &c.

6. In omni inquisitione ipsum S. est discursivum, & T. instrumentum discurrendi; quia omnis formatio & solutio quæstionis sunt in T., & omnes Figuræ Artis sunt figuratæ in materia discurrendi.

7. Omne particulare semper est regulandum sub suo universali, & omnes inferiores puncti sub transcendentibus.

8. Omne ens est magìs judicabile per formam, quàm per materiam; & per simplicitatem, quàm per compositionem; & per intensitatem, quàm per extensitatem; & per necessitatem, quàm per contingentiam.

9. Ad faciendum quæstionem debent misceri trianguli ipsius T., & quæ continentur sub eis, in se & cum terminis aliarum figurarum; deinde debet fieri quæstio; & hoc idem sequitur ad solvendum, ut in solutione ipsi E. tribuatur Y., & ipsi I. tribuatur Z.

10. Si proposita quæstio non cadat immediatè in aliquem terminum Figurarum, debet induci per medium in terminos Figurarum.

11. Quando termini quæstionis per T. sunt reducti ad terminos Figurarum, est formatum universale; & sic debet concludi in particulari universalîs, ut non destruatur universale.

12. Si non sufficiat ad concludendum id, quod dicitur per nomen, investigandæ sunt proprietates ejus, miscendo T. cum aliis Figuris, ut per ipsas concludatur veritas.

13. Sic discurrendum est per majoritatem trianguli viridis, quòd differentia & concordantia sint remotæ à contrarietate & minoritate.

14. Concludendum est per majorem differentiam ipsius S. in concordantibus, quàm in contrariantibus.

15. Concludendum est secundùm distinctionem agendi & existendi actuum ipsorum S. T.

16. Est impossibile, quòd destruatur finis, quem DEUS habet intra se & extra; & ideo debet sic concludi, quòd non destruatur talis finis.

17. Sic debet concludi, quòd intrinseca Operatio absolutè conveniat cum majoritate, extrinseca verò cum minoritate.

18. Convenit concludere per majoritatem concordantiæ & æqualitatis, entitatis & possibilitatis; & si entitas & possibilitas non conveniant, convenit concludere, si potest fieri, per non entitatem & impossibilitatem.

19. Faciliùs concluditur per impossibile, quàm per positionem; & per propinquum objectum, quàm per remotum.

20. Convenit concludere per majorem æqualitatem sive entis substantialis sive accidentalis, ut sit magìs remotum à contrarietate & minoritate.

21. In omni solutione debet majoritas dari rei & primæ intentioni, & minoritas nomini & secundæ intentioni.

22. Semper debet concludi in hac Arte per *æquiparantiam*, vel propter *quid* vel *quia*; sed de A. simpliciter per æquiparantiam.

23. Majoritas & minoritas in bonitate semper accipiatur in causa finali; semper in majoritate T. rubei, & maximè in majoritate finîs convenit dare solutionem.

24. Sic convenit concludere, quòd intellectuale præferatur sensuali, & substantiale accidentali.

25. In omni solutione & discursu priùs convenit dare majoritatem DEO, quàm creaturæ.

26. In omni quæstione facta de A., vel de quocunque alio, convenit discurrere per terminos ipsius A., & concludere sinè contrarietate & minoritate aliorum terminorum.

27. Convenit concludere sive affirmativè sive negativè respectu ipsius A. vel majorum similitudinum ejus, ut ipsum meliùs cognoscatur & diligatur.

28. Nunquam aliqua conclusio sit contra istas cameras E. A. V. Y., I. V. Z., nec contra majoritatem earum, nec contra concordantiam substantiæ & majoritatis, accidentis & minoritatis.

29. Priùs convenit concludere per similitudines DEI, quàm per dissimilitudines ejus.

30. Convenit conservare similitudines inter

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ter ſenſualia & ſenſualia, quantò meliùs poſſunt conſervari.

31. Sic convenit concludere, quòd DEUS ſimpliciter habeat in ſe concordantiam, æqualitatem & finem ſinè contrarietate & minoritate, & quòd divinæ Dignitates ſimpliciter habeant majorem concordantiam ſecum ad invicem, quàm cum creaturis.

32. Quia DEUS concordat cum majoritate, & nos cum minoritate, ideo ſecundùm nos eſt contradictio in his, in quibus non eſt ſecundùm DEUM.

33. Notandum eſt, quòd meliùs cognoſcamus DEUM per recolere, intelligere & velle cum bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate &c., quia per hæc eſt magìs recolibilis &c.

34. Convenit recurrere ad propoſitiones Artis Majoris, ut inde formentur Maximæ, quibus concluſio indiget.

35. Quicunque leget textum Artis, probet illum per principia Artis, cùm ſit probabilis; etiam textus cujuslibet alterius Scientiæ eſt probabilis per Principia, ſi contineat veritatem.

36. Ex contrariis dictis adverſariorum convenit taliter concludere, quòd majoritas, *eſſe* & veritas inſimul concordent, & minoritas & *non eſſe* & falſitas.

37. Solutio cujuslibet quæſtionis eluceſcit ex contrariis argumentis.

38. Artiſta in diſputando & docendo ſemper ſit benevolùs, & evitet omnem hominem malitioſum, qui habet rebellem intellectum obſtinatum & ſuperbum, qui negat Principia per ſe nota vel declarata, vel qui innititur falſis vel nullis Principiis.

39. Si accidat defectus ſolvendi per acquiſitionem Scientiæ, convenit recurrere ad Orationem, ut reſponſio habeatur per Infuſionem.

40. Scias, quòd DEUS Figuram hujus Artis fecerit, & ideo non poteſt mutari, ne ſua Sapientia & Poteſtas diminuantur.

FINIS REGULARUM.



(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI QUÆSTIONES PER ArtemDemonſtrativam SEU Inventivam SOLUBILES.

DEUS ad Laudem & Gloriam tui Nominis, ut ſciamus cognoſcere & diligere Te & Tua mirabilia Opera, incipiunt *Quæſtiones per Artem Demonſtrativam* ſeu *Inventivam Solubiles*.

DE PROLOGO.

QUæſtiones plurimas ex pluribus & diverſis materiis ſumptas laboramus adducere ad præſens Opus, ut demus viam & doctrinam applicandi *Artem Demonſtrativam* ſeu *Inventivam* ad multas & diverſas materias, quibus humanus intellectus indiget.

Fit autem hæc applicatio ſumendo Principia ipſius Artis, quæ ſunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, &c.; Differentia, Concordantia, Contrarietas; Principium, Medium, Finis; Majoritas, Æqualitas, Minoritas;* & ſecundùm eorum neceſſarias Conditiones & Proprietates inducimus concluſiones in his, quæ de DEO & de cæteris rebus quæruntur, ût in ſequentibus apparebit.

„Sed, ut aliquoties bene exprimamus con„ceptum mentis, devenimus in impropriе„tatem rectè loquendi propter expreſſio„nem majoris Sententiæ, & paucitatem pro„priorum nominum; ût cùm dicimus: Boni„tas bonificat, Magnitudo magnificat & ſi„milia; vel in DEO incomprehenſibilem Ex„tenſitatem, id eſt, Magnitudinem, cui non „eſt terminus ſeu finis terminationis: unde „devotè ſupplicamus ſtudentibus in præ„ſenti Opere, quatenus nolint calumniare

(c) 2006 Ministerio de Cultura

„noſtra impropria dicta, ſed attendant, quid „per ea propriè velimus ſignificare; & ſi fortè „aliquid dixerimus, unde videretur oriri ſu„ſpicio erroris, hoc non eſt ex defectu Artis, „ſed provenit ex noſtra imperitia; quare in „talibus, ſi accidat, imploramus veniam, „& Correctionem Sacroſanctæ Romanæ „Eccleſiæ; non enim arbitramur, nec judi„cium rationis conſentit, quòd multa bene „dicenda, & declarationes multorum du„biorum propter quorundam impropriorum verborum contingentiam ſint præ„termittenda; & cùm malum ſit propter „bonum, & non è converſo, ſuſpicio mali „non debet impedire multitudinem bo„norum.

Igitur confidentes in Gratia DEI cum Fide & Timore ad utilitatem totius boni communis, & maximè ad Laudem & Cognitionem noſtri Domini DEI aggredimur præſens Opus, & DEUS perducat illud ad optimum finem: & primò quidem proponimus explicare Quæſtiones de DEO, tanquam de principaliori, ad quem omnia tendunt, & per quem omnia ſunt; deinde de cæteris, ſecundùm quòd ordo & nobilitas rerum poſtulat, quòd de ipſis tractetur; & primò

INCIPIUNT QUÆSTIONES De DEO.

QUÆSTIO I.
Utrùm DEUS ſit?

1. SOlutio. Ad hanc Quæſtionem ſolvendam procedimus iſto modo. Manifeſtum eſt, quòd nulla Bonitas poſſit eſſe magna ſinè *Differentia* bonificantis & bonificati in identitate eorum in eadem Eſſentia Bonitatis & bonificandi; ſed ſi DEUS non eſt, hæc, quæ dicta ſunt de Bonitate & Magnitudine, non ſunt in aliquo ente, quod per ſe patet, & Bonitas deficit Magnitudini, & è converſo; ex quo defectu magìs ſequitur privatio Bonitatis & Magnitudinis, quàm entitas earundem: unde ſequeretur, quòd prædicta Differentia magìs eſſet in malitia, quàm in Bonitate & Magnitudine; & inde ſequeretur, quòd malum eſſet deſiderabile in magnitudine, & bonum odibile; quod eſt falſum: ergo DEUS eſt, ut Bonitas ſit in Magnitudine, & è converſo.

2. Eſt impoſſibile, quòd Bonitas & Magnitudo ſinè *Concordantia* concordent, ut ſint concordans, concordatum & concordare; ergo manifeſtè ſequitur, quòd, Concordantiâ exiſtente privatâ, magìs eſſet malum, quàm bonum, & parvum, quàm magnum; ſed quia ipſa eſt, neceſſariò eſt oppoſitum: ergo DEUS eſt; quia ſi non eſſet, magìs eſſet malum, quàm bonum, & parvum, quàm magnum; & quia eſt oppoſitum hujus, DEUS neceſſariò eſt.

3. Si DEUS eſt, Bonitas diſtat à ſuo contrario in bono infinito, & Magnitudo in magno infinito, & ſic Concondantia diſtat à *Contrarietate* in infinito bono & magno; ſed ſi DEUS non eſt, infinita diſtantia Concordantiæ & Contrarietatis eſt in privatione, quod eſt infinitum malum, exiſtens ſummum ens ratione ſuæ infinitatis, quod eſſet DEUS malus infinitus, in quo malitia diſtaret à Bonitate & parvitas à Magnitudine in infinito malo; & ita eſſet infinita concordantia inter malitiam & magnitudinem, non autem inter Bonitatem & Magnitudinem; & per conſequens Contrarietas haberet majorem concordantiam cum generatione & eſſe, quàm Concordantia; quod eſt impoſſibile: ergo oppoſitum eſt neceſſarium, quod eſt impoſſibile, niſi DEUS ſit: ergo DEUS neceſſariò eſt.

4. Eſt impoſſibile, quòd Magnitudo & Æternitas differant, & per conſequens Magnitudo Æternitatis à Bonitate illius, ergo, cùm Magnitudo ſit idem in eſſentia & natura cum Æternitate & Bonitate, ſufficit identitati numerali bonificantis æternificantis, & bonificati & æternificati, & ipſius bonificare & æternificare, & bonificabilîs æternificabilîs, ut Magnitudo non deficiat ſuo magnificanti, & ſuo magnificato, & ſuo magnificare & magnificabili; hæc omnia autem eſſent impoſſibilia, ſi DEUS non eſſet, in quo hæc omnia ſupradicta haberent eſſe

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſſe: ergo DEUS eſt, cùm ſint neceſſaria: quia ſi non eſt, oppoſita prædictorum *Principiorum* ſunt in eſſe, poſtquam ipſa Principia ſunt in privatione, & iſta eſt malitia ſinè Magnitudine & Æternitate, & è converſo, & parvitas ſinè Bonitate & Æternitate, & è converſo; quod eſt contradictio: ergo DEUS neceſſariò eſt.

5. Si DEUS eſt, in eo eſt Principium de Eſſentia Bonitatis & Magnitudinis exiſtens idem numero cum *Medio* & Fine, & è converſo; ſed ſi DEUS non eſt, nullum Principium potèſt eſſe idem numero cum Medio & Fine in eſſentia & natura; quia ſi eſſet idem cum eis in numero, jam eſſet Medium & Finis, & è converſo; & ſic eſſet DEUS & non eſſet; quod eſt contradictio: vel ſi Principium eſſet idem numero cum Medio & Fine, non eſſet motus nec influentia Virtutis in operatione; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt, exiſtente Principiante in Principio & in Fine, & ipſo Principiare in Medio, & exiſtente Principiato & Principiabili in Fine & in Principiante & in Principiare; aliter Magnitudo non ſufficeret Bonitati & Æternitati, nec è converſo.

6. Si DEUS eſt, ipſe eſt infinitus *Finis* infiniens infinitum infinibilem, ut infiniendo poſſit eſſe Finis in Infinitate Bonitatis, Poteſtatis, Magnitudinis, Æternitatis &c., ita, quòd Finis ſit in Eſſentia & Natura Infinitatis Bonitatis &c.; ſed ſi DEUS nihil eſt, omnis finis eſt finiens, movens omnia ad nihilum, non autem infiniens; nam omne, quod eſt finitum in magnitudine & duratione &c. habens quantitatem, & exiſtens in tempore, & veniens ad corruptionem & ad non eſſe, eſt finis, ut non ſit infinitum, nec permanentia in rebus, ſed deſinentia; ſed omnia iſta ſunt impoſſibilia, quia contra conditiones Naturæ, & contra Principia *Artis Demonſtrativæ* ſeu *Inventivæ*: ergo ille DEUS benedictus eſt de neceſſitate, quem inquirimus.

7. Manifeſtum eſt humano intellectui, quòd omnia entia ſubſtantialiter ſint in *Majoritate*, & accidentaliter in Minoritate, & hoc eſt neceſſarium; eſſet autem impoſſibile, ſi DEUS non eſſet: ergo DEUS neceſſariò eſt. Quòd autem ſit neceſſarium, manifeſtè patet ratione Principii, Medii & Finîs Bonitatis Poteſtatis &c., quæ majores eſſent accidentaliter, quàm ſubſtantialiter, ſi DEUS non eſſet, ût per ſe patet; & ſic omnis Majoritas, quæ habet eſſe, eſſet in privatione, ſi DEUS nihil eſt, ita, quòd Majoritas concordaret cum nihilo, & Minoritas cum eſſe, quod eſt falſum; & naturaliter non ens eſſet amabile, & ens odibile; quod ſimiliter eſt falſum; & multa alia impoſſibilia ſequerentur, ſi DEUS non eſſet: ergo eſt manifeſtum, quòd DEUS neceſſariò ſit, ut prædicta falſa & impoſſibilia non ſequantur.

8. Si DEUS eſt, in illo eſt *Æqualitas* ratione Bonitatis, Magnitudinis &c., cùm conveniat, quòd in illo ſit id, per quod in illo eſt impoſſibilis alteratio boni in malum, & magni in parvum, vel è converſo; ſed privato Divino *Eſſe* eſſet oppoſitum, cùm nulla Æqualitas ſit inventibilis inter Bonitatem & ~~parvitatem~~ *Magnitudinem*, ſi DEUS nihil eſſet; & ſic prædicta alteratio eſſet ratione privationis prædictæ Æqualitatis, & *eſſe* ipſius inæqualitatis eſſet cauſa illius alterationis; & ſic concordarent inæqualitas & *eſſe*, & Æqualitas & *non eſſe*; & ratione ipſius *eſſe* ſequeretur, quòd inæqualitas Bonitatis & Magnitudinis &c. & prædicta alteratio eſſent deſiderabiles, & eorum oppoſitum odibile; quod eſt falſum: ergo DEUS neceſſariò eſt.

9. Si DEUS eſt, in ipſo eſt bonificans, magnificans &c. tam potens & tam bonus, magnus &c., quòd extra ſe non indigeat aliquo alio; ſi autem DEUS nihil eſt, Bonitas & Poteſtas in nullo ente habent in ſe illud, quod eis eſt neceſſarium ratione generis ſuæ eſſentiæ & naturæ: & inde ſequitur, quòd intra omne ens ſit *Minoritas*, & extrà acquiratur Majoritas; ita, quòd omne ens intra ſe ſit in Minoritate, extra ſe verò ſit in Majoritate, quam acquirit exteriùs; & ſic Minoritas non eſt ens circa nihil, ſed potiùs Majoritas; ſed manifeſtum eſt de natura ipſius Majoritatis Bonitatis &c., quòd Majoritas Bonitatis &c. ſit circa omne *eſſe*, & Minoritas circa *non eſſe*; quare, ſi DEUS non eſt, manifeſtè ſequitur, quòd contradictio & *eſſe* concordent, & converſio & *non eſſe*; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo neceſſarium eſt oppoſitum: ergo neceſſarium eſt, quòd DEUS ſit; benedictus ſit ipſe, qui in prædicta quæſtione ſe nobis manifeſtavit.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO II.

Utrùm in DEO sint Dignitates, scilicet Bonitas, Magnitudo &c.

SOlutio. Ad hanc Quæstionem solvendam sumimus ipsa *generalia Principia, quorum existentia est per se nota*, hæc autem sunt *Bonitas Magnitudo* &c., de quibus quæritur; & supponimus, quòd DEUS sit, ût jam manifestè demonstratum est, in quo ipsæ Dignitates, scilicet Bonitas, Magnitudo &c. naturaliter sunt volibiles, & hoc diversimodè, scilicet *ratione existendi & agendi.*

1. Æternitas non potest differre à sua Bonitate, & nisi DEUS esset æternus, non esset DEUS, cùm sit impossibile, quòd ipse sit summum Ens sinè Æternitate; ergo est æternus, & per consequens bonus; quod, si non esset, ejus Æternitas esset mala, & ipsius privatio bona: & etiam ratione Æternitatis & Bonitatis est magnus, & è converso; & etiam potens, quia potest existere & agere; est etiam sciens & volens &c. ratione Bonitatis, Magnitudinis &c.; & convenit, quòd hæc omnia sint in DEO ratione existendi & agendi sinè *Differentia* Essentiæ & Naturæ Deitatis, Bonitatis, Æternitatis &c.; aliter enim non esset summum Ens, nec per consequens DEUS, quia illi deficerent conditiones, cum quibus esset summus, & naturaliter Bonitas non esset volibilis in Magnitudine, nec è converso; quod est falsum: ergo in DEO sunt prædictæ Dignitates, & ipse est id, quod sunt suæmet Dignitates, aliter sequeretur, quòd prædicta essent falsa & impossibilia.

2. Postquam DEUS est, convenit, quòd in illo sit *Concordantia;* quod si non, non esset in eo id, per quod magìs distaret à Contrarietate, nec esset summus in existere & agere; convenit autem, quòd illa Concordantia, quæ in DEO est, sit in majori Magnitudine, quæ possit esse; sed non potest esse in majori Magnitudine, quæ potest esse, nisi ipsa sit Bonitatis, Magnitudinis, ita, quòd faciat eas esse idem numero, & eas concordare in agere: ergo cùm in DEO sit Concordantia, & conveniat, quòd illa sit necessariò Bonitatis & Magnitudinis &c., ergo in DEO sunt Bonitas, Magnitudo &c.

3. De necessitate convenit, quòd in DEO sit id, per quod ipse magìs distat à *Contrarietate;* sed Concordantia Bonitatis, Magnitudinis &c. est id, per quod magìs distat à Contrarietate: ergo in DEO sunt Bonitas, Magnitudo &c.; quod si non, etiam non esset eorum Concordantia; cujus oppositum patet.

4. Sinè *Principio* Finis est in DEO impossibilis; ergo DEUS est Principium; sed ipse non potest esse Principium sinè Bonitate & Magnitudine &c. sui ipsius, ratione quarum ipse est principians, scilicet bonificans, magnificans &c.; ergo in ipso sunt Bonitas, Magnitudo &c.

5. Impossibile est, quòd in DEO sint extremitates quantitativæ seu defectivæ, quia sic esset comprehensibilis, & per consequens deficeret in conditionibus Summi Entis, & ideo non esset DEUS; sed ipse non potest esse sinè prædictis extremitatibus sinè infinita Magnitudine extensa (ût ita loquamur) & intensa Bonitatis &c.; ergo in ipso sunt Magnitudo, Bonitas &c.

6. *Finis* necessariò est ratione Dignitatum, & è converso; ergo Finis non potest esse sinè Dignitatibus, nec è converso; sed cùm DEUS sit summus, ipse est Finis: ergo DEUS non potest esse sinè Dignitatibus; igitur est manifestum, quòd in illo sint Dignitates.

7. Bonitas, Magnitudo &c. ratione substantiæ sunt in *Majoritate*, & ratione accidentis sunt in Minoritate, quod per se patet; substantia etiam est major ratione majoritatis bonitatis, magnitudinis &c., & accidens est minus ratione minoritatis bonitatis &c., quia magìs distat à substantia; sed DEUS est ipsa Summa Substantia & Summa Causa, postquam ipse est, ût demonstratum est: ergo in illo sunt Bonitas &c.; quod si non, ejus effectus esset major, quàm ipse, quia substantialis majoritas ipsius effectûs stat ratione bonitatis &c. ipsius effectûs, quod per se patet; sed quia est impossibile, quòd effectus sit major, quàm sua Summa Causa, ergo in DEO sunt Dignitates.

8. Ubi est immensa *Æqualitas*, est impossibilis Majoritas & Minoritas; sed in Divina Essentia est immensa Æqualitas, ut per eam immensè distet à Majoritate & Minoritate, quibus inæqualitas est subjectum: igitur in DEO est immensa Æqualitas; ipsa autem immensa Æqualitas ratione suæ Immensitatis nullum defectum & privationem importat; sed sinè Bonitate, Magnitudine &c. importaret privationem & defectum; quod

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quod est impossibile: ergo non est sinè Bonitate, Magnitudine &c.; ergo in immensa Æqualitate DEI sunt Bonitas, Magnitudo &c., & per consequens necessariò in DEO.

9. Est impossibile, quòd DEUS sit sinè Æternitate; nam sinè Æternitate esset in *Minoritate*, ratione cujus non posset esse in Magnitudine, nec per consequens in Summitate Bonitatis &c; igitur in DEO est Æternitas, quia impossibilis est in illo Minoritas; sed Æternitas non potest esse in DEO sinè Bonitate, Magnitudine &c., cùm in ea sint Bonitas, Magnitudo &c., ratione quarum ipsa est bona, magna &c.; ut non sit in ea parvitas, nec sinè Sapientia & Voluntate: igitur est manifestum, quòd Bonitas, Magnitudo &c. sint in DEO; quod si non, non esset in eo Æternitas; quod est impossibile: ergo in DEO sunt prædictæ Dignitates.

QUÆSTIO III.

Quid est Essentia DEI?

1. SOlutio. Ad hoc dicendum est ratione conditionum Summi Entis, quòd Divina Essentia sit id, in quo vel de quo bonificans potest ex ipsa intra ipsammet Essentiam distinguere bonificatum à se ipso; & est id, in quo Virtus habet tantam Magnitudinem in Bonitate & Potestate, quòd potest esse idem cum Magnitudine; & etiam id, ratione cujus bonitas est magna in Distinctione bonificantis & bonificati; & sic in Divina Essentia est Distinctio, ratione cujus omnia prædicta habent esse; quod si non esset, esset defectiva in conditionibus pertinentibus ad eam, ut sit in Summitate Bonitatis &c.

2. Divina Essentia est id, per quod Bonitas magìs distat à malitia, & Magnitudo à parvitate; & sic Divina Essentia est Bonitas & Magnitudo &c. in summa *Concordantia* earum, cùm ratione Bonitatis, Magnitudinis &c. & summæ Concordantiæ earum magìs distet à malitia & parvitate & contrarietate, si ipsa est ipsa Bonitas, Magnitudo &c. & ipsa Concordantia earum & concordare, quàm si non sit idem, quod ista; ergo Divina Essentia est ipsa Bonitas &c.

3. Est impossibile, quòd Divina Essentia sit *Contrarietas*, distat enim immensè à Contrarietate; igitur Divina Essentia est id, quod est Concordantia sinè Contrarietate, ut magìs distet à Contrarietate, & ut Bonitas, Magnitudo &c. concordando magìs sint unum & idem, & magìs distent à non identitate.

4. Convenit, quòd Divina Essentia sit illa immensa & æterna Bonitas, Magnitudo &c., de qua immensus & æternus Bonificans & Magnificans &c. existens ipsa eadem Essentia principiat immensè & æternaliter immensum & æternum bonificatum, magnificatum &c.; nulla alia essentia potest habere altiores conditiones; igitur Divina Essentia est *Principium*, ut Principians de sua Bonitate, Magnitudine &c. principiet suum Principiatum permanentem cum eo ipsa eadem tota Bonitas, Magnitudo &c. ratione Principiati; quæ si non esset istud Principium cum prædictis conditionibus, deficerent illi conditiones Deitatis.

5. Divina Essentia est illud *Medium*, in quo Principium & Finis sunt unum idem Identitate Bonitatis, Magnitudinis &c., illo Medio existente Deitate, & è converso, in qua Principium & Finis conjunguntur identaliter in principiando & infiniendo ratione immensæ & æternæ Bonitatis, Magnitudinis &c., uniendo & distinguendo inter bonum & bonum &c.

6. Divina Essentia est ipse immensus & æternus *Finis* immensæ & æternæ Bonitatis, Magnitudinis &c., cùm ipsa Bonitas &c. sinè immenso & æterno Fine non possit esse immensa & æterna, ipsâ existente ipso immenso Fine, & è converso: ergo prædictus Finis est ipsa, scilicet Essentia DEI, & è converso.

7. Divina Essentia est illa Bonitas, quæ inter cæteras bonitates ratione *Majoritatis* magìs est desiderabilis, cùm Majoritas sit lumen humani intellectûs & voluntatis, in quo intellectus & voluntas magìs attingunt Magnitudinem Bonitatis; hæc enim Bonitas est illa, quæ per se potest esse bonum & æternum, & hæc est ipsa Essentia, quæ est Deitas, & è converso.

8. Divina Essentia est *Coæquatio* Principii & Finîs in tanta Magnitudine Bonitatis, quòd ipsa est conversio Bonitatis & Gloriæ, ut possit sufficere Magnitudini Bonitatis ratione Principii & Finîs.

9. Divina Essentia est ipsum Ens immensè perfectum, habens intra se Immensitatem Bonitatis & Potestatis ad bonificandum & possificandum tantâ immensitate Bonitatis & Potestatis, quòd sit immensum impossibile realiter & essentialiter & naturaliter, quòd ipsa participet cum *Minoritate*.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO IV.

Utrùm Dignitates DEI sint Essentia DEI?

1. SOlutio. Hæc Quæstio solvitur *per Conditiones Summi Entis* isto modo. Divina Bonitas est tanta in Magnitudine, quanta ejus Æternitas, & è converso, ut in DEO non sint Majoritas & Minoritas, sed sufficiat eis earum Magnitudo in tantum, quòd non importet aliquam malitiam seu privationem; sed si Dignitates DEI non sunt ipsa Essentia DEI, de necessitate est *Differentia* inter ipsas Dignitates & ipsam Essentiam: unde sequitur, quòd Essentia DEI non sit essentialiter bona, nec æterna nec magna, sed accidentaliter, nec Dignitates sint in DEO substantialiter, sed accidentaliter; & per consequens deficit cuilibet Dignitati & ipsi Essentiæ Magnitudo, & implicatur in eis parvitas & malitia propter privationem Bonitatis, Magnitudinis & Æternitatis in hoc, quòd DEUS accidentaliter est agens de suis Dignitatibus, habens in se accidentia in infinitate malitiæ, parvitatis & privationis; quod est impossibile: igitur Dignitates DEI sunt ipsa Essentia DEI, ut non sequantur prædicta impossibilia, & ut DEO non deficiant conditiones Summi Entis.

2. De conditionibus Summi Entis, quod est DEUS, est, quòd sua Voluntas velit, quòd ipsa sit Essentia DEI, ut suum velle sit essentiale, & ut ipsa ût volens, volitum & volibile sit Essentia, ad hoc, ut volens, volitum & volibile sit ipsa Essentia, & essentialiter sit *Concordantia* inter volens, volitum & volibile; quæ nisi esset essentialiter, esset accidentaliter, & Voluntas magìs diligeret Concordantiam in accidentalibus rebus concordantibus cum Minoritate & privatione Bonitatis, quàm in substantialibus rebus concordantibus cum Majoritate & *esse* Bonitatis; quod est impossibile, ut Bonitas non deficiat in essentiali Virtute Voluntati, nec è converso: ergo Dignitates DEI sunt Essentia DEI.

3. Divina Voluntas, ût volens, diligit Bonitatem, & Divina Bonitas, ût bonificans, bonificat Voluntatem, ita quòd Voluntas, ût bona, vult, quòd ipsa Bonitas sit Essentia DEI, & odit oppositum hujus, ut in volendo non sit mala, sed potiùs bona; quoniam si diligeret oppositum hujus, diligeret contra Bonitatem, & Bonitas malificaret Voluntatem; quod est impossibile: ergo cùm Voluntas sit immensa, aliter DEUS non esset, Voluntas habet suum velle perfectum: igitur Dignitates DEI sunt Essentia DEI.

4. Si Divina Bonitas non est ipsa Essentia DEI, ipsa Essentia esset extra Bonitatem; unde sequeretur, quòd in DEO *Principians* ita principiaret Principiatum, quòd priùs ratione Essentiæ principiaret ipsum, quàm ratione Bonitatis, ita quòd ipsum Principiatum priùs esset principiatum, quàm bonum, magnum &c.; & sic deficeret illi Magnitudo & Æternitas, & malum esset dilectum & diligibile; quod est impossibile: ergo Dignitates DEI sunt Essentia DEI.

5. Vel in Divina Essentia est otiosìtas, vel bonificans ratione suæ Bonitatis bonificat bonificatum, & volens ratione suæ Voluntatis vult volitum; & hoc in tanta *Conjunctione* Unitatis Bonitatis & Voluntatis, & bonificantis volentis, & bonificati voliti, quòd Divina Essentia cum immensa Bonitate & Voluntate distat à pluralitate essentiarum & accidente: igitur tantâ Conjunctione Unitatis uniuntur Bonitas & Voluntas & cæteræ Dignitates, & bonificans volens, & bonificatus volitus (& sic de aliis) cum ipsa Essentia DEI, quòd omnes sunt una Essentia, una Bonitas, una Voluntas, unus Bonificans volens &c., unus bonificatus volitus &c., una sola Divina Essentia; aliter deficerent DEO conditiones immensæ Bonitatis, Voluntatis &c., & per consequens conditiones Summi Entis; quod est impossibile: ergo Dignitates DEI sunt Essentia DEI.

6. Si Divina Bonitas non esset Divina Essentia, sequeretur, quòd Essentia DEI ratione *Finis* se haberet ad Finem ût essentians, non autem ût bonificans ad bonificatum; & sic Essentia præcederet Bonitatem ratione Finîs, & hoc esset volitum & volibile; quod est impossibile, ut Finis Bonitatis & Voluntatis non sit extra se ipsam, sed intra; si enim esset extrà, Voluntas non acquiesceret Bonitati nec sibi, nec Bonitas Voluntati nec sibi; quod esset malum & privatio bonitatis & Gloriæ & Voluntatis.

7. Si Divina Bonitas &c. non est idem numero, quod tota Divina Essentia, sequitur, quòd Essentia non sit bona ratione *Majoritatis* Bonitatis, sed ratione Minoritatis ejus; & sic Divina Voluntas cessat velle Bonitatem Essentiæ ratione Magnitudinis, & vult eam ratione parvitatis; quod est impossibile,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſibile, ut Magnitudo Finîs non deficiat Bonitati, Voluntati &c.: ergo Dignitates DEI ſunt Eſſentia DEI.

8. Si Bonitas &c. non eſt ipſa Eſſentia DEI, ſed eſſet in ea accidens, Bonitas ût bonificans non eſt coæquans bonificatum ſibi ipſi, ſed potiùs Eſſentia DEI agit de Bonitate tanquam ſubſtantia de ſuo accidente; & ſic ipſa coæquatio ratione Bonitatis Voluntatis &c. eſt accidentalis, & ratione Eſſentiæ eſt ſubſtantialis;& ſic eſt in Majoritate ratione ſubſtantiæ, & in Minoritate ratione accidentis: igitur in DEO non eſt ſimpliciter *Æqualitas;* quod eſt impoſſibile, ut Simplicitas ratione Magnitudinis ſufficiat Æqualitati in Bonitate, Voluntate &c.; ergo Dignitates DEI ſunt Eſſentia DEI.

9. Si Divina Voluntas, Bonitas, Magnitudo &c. non eſſent Eſſentia DEI, eſſent in *Minoritate,* cùm omne, quod non eſt Eſſentia DEI, ſit in Minoritate reſpectu Magnitudinis Eſſentiæ DEI; & per conſequens bonum bonificans & bonum bonificatum &c. eſſent in Minoritate; & per conſequens Eſſentia DEI, ût bona & volita eſſet in Minoritate; quod eſt impoſſibile: ergo Dignitates DEI ſunt Eſſentia DEI.

QUÆSTIO V.

Utrùm Actus Dignitatum, ſcilicet bonificare &c. ſint de ipſa Eſſentia Dignitatum.

1. SOlutio. Dicendum eſt ad hoc iſto modo: manifeſtum eſt, quòd inter bonificantem & bonificatum ſit magna Virtus in bonificare, ita quòd bonificare eſt de Natura & de Eſſentia Bonitatis, ut bonificans & bonificatus ſint eſſentialiter idem in Eſſentia Bonitatis, ita, quòd Eſſentia ſit una, & Natura una, Suppoſita verò diſtincta; hoc autem non poſſet eſſe, niſi ratione Magnitudinis Virtutis *Diſtinctionis* & Concordantiæ, quæ ſcilicet Magnitudo Virtutis eſſet in privatione, ſi bonificare non eſſet idem eſſentialiter, quod Bonitas, & de ipſa Bonitate; imò potiùs bonificare eſſet ens accidentale exiſtens in parvitate; quod eſt impoſſibile: ergo Actus Dignitatum ſunt de Eſſentia Dignitatum.

2. Ut Magnitudo ſufficiat Virtuti concordandi & *Concordantiæ* magnificantis & magnificati, convenit, quòd magnificare ſit de Eſſentia Magnitudinis, & de ipſa Magnitudine; quod ſi non, prædicta Magnitudo eſſet defectiva & in Minoritate Virtutis; quod eſt impoſſibile: igitur eſt de ipſa Eſſentia, ita quòd magnificans & magnificatum ſunt eſſentialiter in ipſa Eſſentia, & ſunt ipſa Eſſentia Magnitudinis &c., & per conſequens Concordantia & Virtus eorundem.

3. Si concordare in DEO eſt de ipſa Eſſentia & Natura Divinæ Concordantiæ, Magnitudo & Virtus DEI magìs diſtant à *Contrarietate;* cùm autem in DEO ſit id, per quod ipſe eſt in Magnitudine Virtutis, & per quod ejus Magnitudo & Virtus magìs diſtant à Contrarietate: ergo concordare in DEO eſt de Eſſentia Divinæ Concordantiæ.

4. Convenit, quòd æternificare ſit Finis Æternitatis; quod ſi non, Æternitas eſſet fruſtra & contra Magnitudinem ſuæ Virtutis: ergo æternificare eſt Finis Æternitatis; igitur eſt impoſſibile, quòd æternificare ſit alia eſſentia ab Æternitate; nam non ſufficeret alia eſſentia ſeu natura ipſi æternificare, niſi ipſa Æternitas ratione Magnitudinis ſuæ Virtutis ad *principiandum* æternificando æternificatum de ipſa Eſſentia Æternitatis, permanentibus ipſo æternificante & æternificato eâdem Eſſentiâ Æternitatis: ergo æternificare eſt de immenſa Eſſentia Æternitatis, ut æternificatum æternificabile principietur ab æternificante, & permaneat ipſa æterna Eſſentia æternificantis.

5. Si conjungere ſeu unire in DEO non eſſet de ipſa Eſſentia Divinæ *Conjunctionis* vel Unitatis in poſſendo, poſſe in DEO non eſſet ipſa Eſſentia Poteſtatis in conjungendo ſeu uniendo, & ſic deficeret Magnitudo Virtutis ipſis poſſe & Poteſtati, & unire & Unitati in DEO; quod eſt impoſſibile: ergo conjungere in DEO eſt de Eſſentia Divinæ Conjunctionis.

6. Niſi infinire eſſet eſſentialis actus Infinitatis, ita quòd nullo modo accidentalis, Virtus eſſet priùs in ſuo Principio, ſcilicet in ſua Eſſentia, de qua oritur, quàm in *Fine,* ad quem ſe habet; & ſic deficeret ipſi Virtuti Magnitudo; & inde manifeſtè ſequeretur, quòd in Sapientia DEI priùs eſſet intelligere habitu, quàm actu; quod eſt impoſſibile: unde manifeſtum eſt, quòd Divinum intelligere ſit de ipſa Eſſentia Sapientiæ DEI ad hoc, ut in DEO intelligens & intellectus, & intelligere & intelligibile permaneant eadem Eſſentia & Natura Sapientiæ DEI.

7. Cùm Divina Voluntas ſit omnino perfecta,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

fecta, ipsa vult suum velle in majori Magnitudine Virtutis, quæ possit esse, & est etiam ita; quod si non, diligeret se ipsam in *Majoritate*, & suum velle in Minoritate; quod est impossibile: igitur diligit, quòd suum velle essentialiter sit id, quod ipsa est de se ipsa, & hoc est ratione Magnitudinis Virtutis, ut ipsa Voluntas in se ipsa & in Magnitudine Virtutis non sit defectiva.

8. Si per totam Magnitudinem Principii, Medii & Finîs Virtutis & *Æqualitatis* & actuum earum virtuificare in DEO non sit de ipsa Essentia Virtutis in coæquando & coæquare, ipsa Essentia Æqualitatis in virtuificando magnificando deficit Virtuti & Æqualitati & actibus earum in DEO; quod est impossibile: ergo oppositum est necessariò. Igitur actus Dignitatum sunt de Essentia Dignitatum.

9. Veritas ratione verificantis plùs potest verificare verificatum, si ipsum verificare sit de ipsa Essentia Veritatis, quàm si non sit de ipsa Essentia Veritatis; imò etiam si ipsum verificare non est de ipsa Essentia Veritatis, non verificatur verificatum de tanta Essentia, quanta est Veritas & ipsum verificans; & hoc ratione *Minoritatis* verificandi, quia ipsum verificare non est tantum, quanta est ipsa Veritas & verificans; sed hoc est impossibile in DEO, ut in eo non sint minorificare & majorificare: ergo actus Dignitatum sunt de Essentia Dignitatum.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Divinæ Dignitates sint idem numero?

1. SOlutio. Ad hoc dicendum est per easdem rationes, conditiones & terminos, per quos priùs dictum est. Si in DEO Bonitas & Magnitudo distinguendo & concordando sunt idem numero, illa Unitas & Identitas cum suo actu est in majori Magnitudine Virtutis, quæ possit esse; nam ratione *Distinctionis* stat Magnitudo Virtutis Unionis, & ratione Concordantiæ stat Virtus actûs Unionis, scilicet unire; & quia hæc omnia sunt bona & magna in Virtute, necesse est, quòd sint, ut Magnitudo non deficiat Virtuti Bonitatis, nec Bonitas Virtuti Magnitudinis, nec Virtus Bonitati & Magnitudini, nec Unitas suo actui; hæc autem omnia non essent, nisi Bonitas & Magnitudo essent idem.

2. Si Magnitudo & Æternitas sunt idem numero, Magnitudo ratione suæ Virtutis infinitè supplet Æternitati in eo, quòd habeat Infinitatem extensivè existendo, & Æternitas supplet Magnitudini in eo, quòd ratione Virtutis habeat immensam Durationem; & sic concordando sunt Magnitudo & Æternitas unum idem, & Virtus habet sufficientiam existendo & durando & etiam agendo ratione *Concordantiæ*; si autem non essent idem numero, nulla prædictarum Dignitatum haberet sufficientiam sibi nec alteri, & Virtus esset major in Contrarietate, quàm in Concordantia; quod est impossibile: ergo Magnitudo & Æternitas sunt idem numero.

3. Si Æternitas & Potestas sunt idem numero, in Æternitate & Potestate consistit Virtus, ratione cujus æternificans ût virtuosus agit, & potens etiam ût virtuosus agit; & sic influitur Virtus ex æternificante potente in æternificatum positum in tantum, quòd sint idem numero ex hoc, quia Æternitas & Potestas sunt idem numero, & eorum Concordantia ratione Magnitudinis Virtutis tantum distat à *Contrarietate*, quanta est ipsa immensa Virtus; si autem Æternitas & Potestas non sunt idem numero, deficit in DEO Magnitudo Virtuti, & è converso; & est possibile, quòd inveniatur *Contrarietas* inter Magnitudinem & Virtutem; quod est impossibile: ergo Æternitas & Potestas sunt idem numero.

4. Est impossibile, quòd Virtus sit in magnitudine Finîs sinè *Principio*, nam sicut Virtus pro nihilo non egreditur à substantia, sed pro aliquo, quod est Finis illius progressionis, ita Virtus non egreditur à nihilo, sed ~~per~~ ad aliquid, quod est Principium magnificandi, ita, quòd Virtus mediante Principio & de Principio per Medium tendit ad Finem, quod Medium in DEO est naturalis Identitas Sapientiæ & Potestatis, ut in illo Medio Principium sapiat Finem (& è converso) in eadem Essentia & Natura Potestatis & Sapientiæ, ita, quòd Magnitudo & Virtus non deficiant Principio, Medio & Fini existendi & agendi Potestatis & Sapientiæ; quibus deficerent sinè numerali Identitate earum; quia si Sapientia & Potestas non essent idem numero, Magnitudo non posset conservare Identitatem Potestatis & Sapientiæ Principio Virtutis, nec Virtus per unum Medium tenderet ad Finem, sed per plura; & sic Virtus esset in DEO ens compositum de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de pluribus principiis, mediis & finibus; quod eſt impoſſibile: ergo Poteſtas & Sapientia ſunt idem numero.

5. Convenit, quòd in Divina Sapientia & Voluntate ſit Virtus conjunctiva, ut Divinum intelligere & velle ſe ad invicem poſſint conjungere in unum, ita, quòd Voluntas diligat, quòd ſuum intelligere & velle ſit intellectum & illuminatum à Sapientia; hoc autem non poſſet eſſe ſinè Virtute conjunctiva; quod per ſe patet: & quia Magnitudo habet Virtutem magnificativam in illa *Conjunctione*, de neceſſitate convenit, quòd, ne Magnitudo poſſit deficere Virtuti, nec è converſo, Divina Sapientia & Voluntas ita ſint conjunctæ, quòd ſint idem numero; quod ſi non, Magnitudo & Virtus deficiunt in Conjunctione & Unione exiſtendo & agendo; quod eſt malitia & parvitas & privatio Virtutis; quod eſt impoſſibile: ergo Sapientia & Voluntas ſunt idem numero.

6. Si Voluntas & Virtus in DEO non ſunt idem numero, ſequitur, quòd *Finis* Virtutis priùs ſit in ſuo Principio, quàm in Principio Voluntatis; idem ſimiliter è converſo ſequitur de Fine Voluntatis; & ſic alia illarum præcedit aliam; quod eſt impoſſibile, ut Magnitudo Voluntatis & Virtutis non deficiat Principio & Fini earum: ergo Voluntas & Virtus ſunt unú idem numero, ut conſiſtant in eodem numerali Principio & Fine ratione Magnitudinis Unitatis ſinè aliqua præcedentia.

7. Si Virtus & Veritas in DEO non ſunt idem numero, Virtus eſt major in ſe, quàm in Veritate, & Veritas è converſo; & ita Virtus non eſt in ſua Magnitudine ſinè Minoritate Veritatis, nec Veritas è converſo; & ſic eſt in eis Minoritas, & per conſequens parvitas, malitia & falſitas; quod eſt impoſſibile: ergo Virtus & Veritas in DEO ſunt idem numero.

8. Si Veritas & Gloria non ſint idem numero, deficit eis *Æqualitas* in Magnitudine Virtutis verificando & gloriando; qui defectus eſt impoſſibilis in DEO; igitur Veritas & Gloria ſunt æquales in DEO; & ſi ſunt æquales, convenit, quòd ſint æquales in Principio, Medio & Fine illarum, ſcilicet in verificante glorificante, verificare & glorificare, verificato & glorificato; & hoc in tanta Magnitudine Virtutis, quòd ſint unum idem, aliter ſequitur defectus & parvitas & privatio Magnitudinis Virtutis in DEO; quod eſt impoſſibile: ergo Veritas & Gloria ſunt idem numero.

9. Si Gloria & Bonitas non ſunt idem numero, Virtus eſt magna in *Minoritate*; quia ſi non ſunt idem, bonum eſt, quòd non ſint idem ratione Bonitatis; & ſic eſt bonum, quòd Gloria per ſe non ſit bona, & quòd Bonitas per ſe non ſit glorioſa; & per conſequens bonum eſt, quòd Bonitas & Gloria ſint in Minoritate; & ſic Virtus eſt in ſua Magnitudine per Minoritatem Gloriæ & Bonitatis; quod eſt impoſſibile: ergo Gloria & Bonitas ſunt idem numero.

QUÆSTIO VII.

Utrùm Divinæ Dignitates & Actus earum ſint idem numero?

SOlutio. Ad oſtendendum ſolutionem hujus Quæſtionis ſumimus *conditiones Magnitudinis Æternitatis*, ut, ſicut de Magnitudine & Æternitate dicemus, ita ſuo modo de cæteris Dignitatibus DEI poſſit fieri, & hoc ſic.

1. Si Magnitudo in DEO non eſt idem cum magnificare, nec Æternitas eſt idem cum æternificare, Magnitudo in DEO eſt diſtincta à magnificare, & Æternitas ab æternificare, ratione cujus *diſtinctionis* ipſum magnificare eſſet finitum, ſimiliter æternificare eſſet finitum, qūia Poteſtas nec de ſua Eſſentia nec de alia poſſet infinire per prædictos actus; & ſic Dignitates in DEO deficerent actui Magnitudinis & Æternitatis in Infinitate; quod eſt impoſſibile: igitur magnificare eſt Eſſentia Magnitudinis, & per conſequens æternificare Eſſentia Æternitatis, ut in DEO ſit nulla quantitas Magnitudinis & durationis.

2. De neceſſitate convenit, quòd Divinus Intellectus intelligat infinitam *Concordantiam* inter Magnitudinem & Æternitatem, ut ipſe intelligat infinitum; & ſic ratione Infinitatis Concordantiæ ſufficit Magnitudo Æternitati & actui illius, ut Æternitas & actus ejus ſint idem numero, ut ipſa Æternitas ſit infinita in exiſtendo & in agendo.

3. Si poteſtas & poſſe in DEO non ſunt idem numero, Voluntas DEI non eſt infinita volendo Infinitatem ſuæ Poteſtatis & poſſe illius; nam ratione conditionum, quas Magnitudo & Æternitas habent, Poteſtas non poſſet infinire ſuum poſſe, niſi cum eo remaneret omnino idem; & ſic Voluntas DEI volens, quòd ſua Poteſtas & poſſe illius

(c) 2006 Ministerio de Cultura

sint idem, *contradiceret* Magnitudini & Æternitati in Potestate & posse; quod est impossibile: ergo Potestas & posse in DEO sunt idem numero.

4. Si Intellectus & intelligere in DEO non essent unum idem, in eo esset intellectus intelligens *Principium* intelligendi formaliter, intellectus verò & intelligibile essent in eo Principium ipsius esse intellecti materialiter; & sic intelligere in DEO esset Principium quantum & compositum ex influentia formæ & materiæ; & sic non distaret à parvitate ratione Magnitudinis & Æternitatis; quod est impossibile: igitur Intellectus & intelligere sunt unum idem numero in DEO, ipso intelligente existente formâ cum ipso intelligere, ut ipsum intelligere distet à materia ratione Infinitatis ipsius formæ.

5. Sicut est impossibile, quòd inveniantur extremitates mensurabiles in Divina Magnitudine & Æternitate, sic est impossibile, quòd ipsæ inveniantur in Divina Voluntate & in suo velle; cùm in DEO sua Voluntas sit idem cum Magnitudine & Æternitate; igitur Divina Voluntas & velle sunt unum idem numero; quod si non, datur *Medium* extremitatum & mensurationis, in quo non sunt idem, & in quo etiam per consequens limitantur; & sic Magnitudo deficit Divinæ Voluntati, & suo velle in Æternitate &c.; quod est impossibile: ergo Divina Voluntas & suum velle sunt idem numero.

6. Est impossibile, quòd virtuificare extra *Finem* Virtutis possit habere suum Finem, cùm, si DEUS est, Finis Virtutis sit infinitus & æternus, & etiam ipse Finis Virtutis sinè actu esset otiosus; & sic Finis infiniendo virtuificare in DEO facit, quòd virtuificare sit idem numero cum Virtute; nam sicut Virtus agendo influit de se suum actum, sic retinet eum in se existendo idem cum eo, ut Magnitudo possit sufficere Virtuti & actui ejus in Æternitate & Infinitate; quod si non, sequitur, quòd Divina Virtus in absentia Infinitatis sui actûs evacuaretur & annihilaretur; quod est impossibile.

7. Nisi Veritas & verificare essent idem numero in DEO, Divina Veritas ratione suæ Essentiæ esset magìs intensa, quàm suum verificare, & verificare magìs, quàm Veritas ratione Virtutis; & sic Divina Veritas & suum verificare essent in *Majoritate* & Minoritate; quod est impossibile: ergo Veritas & verificare sunt idem numero in DEO.

8. Gloria & gloriari sunt æqualiter in Magnitudine & Æternitate, ut Gloria ratione Infinitatis extensivæ (ût ita loquamur) & ratione Infinitatis Durationis sit tam magna & æterna agendo, quàm existendo, & è converso; igitur sunt æquales in DEO Gloria & suum gloriari; & sicut sunt æquales ratione Magnitudinis & Æternitatis, sic etiam sunt unum idem numero ratione Magnitudinis & Æternitatis; quod si non, essent magìs in Magnitudine ratione *Æqualitatis*, quàm Unitatis; quod est impossibile: igitur Gloria & gloriari sunt idem numero in DEO, ne Magnitudo & Æternitas etiam inæqualiter se habeant ad Divinam Gloriam & ad gloriari ejus; quod est impossibile.

9. Si bonificare in DEO non est idem cum Bonitate, sequitur inde *Minoritas* Divinæ Bonitatis & ipsius bonificare; ut igitur sint in Æternitate infinitè distantes à parvitate bonitatis, de necessitate sunt unum idem, ne DEO deficiant conditiones Summi Entis.

QUÆSTIO VIII.

Utrùm Actus Divinarum Dignitatum sint idem numero secundùm Magnitudinem & Voluntatem DEI?

SOlutionem hujus Quæstionis inquirimus isto modo.

1. Si Divina Voluntas vult, quòd bonificare DEI & ejus magnificare sint idem numero, vult hoc cum Magnitudine volendi; cùm ipsum bonificare & magnificare sint majora, & in illis sit major Magnitudo, si sunt idem numero, quàm si non sunt idem; ergo sunt idem numero, ut Divina Voluntas habeat magnum velle, & Divina ~~Voluntas~~ Magnitudo magnum magnificare in eorum identitate; nam sicut Divina Voluntas vult, quòd suus volens sit distinctus à suo volito, ut in illa *Distinctione* suum velle sit magnum, sic vult, quòd bonificare & magnificare sint unum idem, ut Voluntas sit magna in eorum Identitate: igitur bonificare & magnificare in DEO sunt unum idem, quia ita vult Voluntas; si enim non sunt unum idem, & Divina Voluntas vult, quòd sint unum idem, Divina Voluntas est defectiva in Magnitudine volendi; quod est impossibile: ergo bonificare & magnificare in DEO sunt idem numero.

2. Si magnificare & æternificare sunt unum idem, est magna *Concordantia* in illis, & etiam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

etiam in Magnitudine & Æternitate, & in Magnitudine & æternificare, & in Æternitate & in magnificare; quod ſi non, prædicta Concordantia eſt in privatione & in parvitate; quod eſt impoſſibile & odibile à Voluntate, quæ habet Concordantiam cum Magnitudine: ergo magnificare & æternificare ſunt unum idem.

3. Si æternificare & poſſe in DEO non ſunt unum idem, ſunt in illo tot ſuppoſita, quot ſunt Dignitates & actus ipſarum in eo, ita, quòd quælibet Dignitas eſt ſuppoſitum ratione exiſtendi, & habet ſuppoſitum ratione agendi; & ita Voluntas diligit Magnitudinem in multitudine ſuppoſitorum, & odit Magnitudinem in Identitate actuum Dignitatum; quod eſt impoſſibile & *Contrarietas;* & cùm ſit unum *Suppoſitum eſſentiale* abſolutum, videlicet Unus DEUS, una Bonitas, unum bonificare, una Unitas Eſſentiæ & Naturæ: igitur æternificare & poſſe ſunt unum idem.

4. Si poſſe & intelligere non ſunt idem numero in DEO, Divinum poſſe non haberet ſuum finem in Divino intelligere, nec è converſo, & ſequeretur ratione Differentiæ eorum, quòd Poteſtas mediante poſſe ſe haberet ad ſuum Finem, & Sapientia mediante intelligere ſe haberet ad ſuum Finem, & per conſequens eſſet Differentia inter Finem Poteſtatis & Finem Sapientiæ in DEO, quod eſt odibile ratione Magnitudinis Finîs; igitur cùm Magnitudo Finîs in DEO ſit diligibilis in Magnitudine Divinæ Voluntatis, & non odibilis: ergo poſſe & intelligere ſunt idem numero in DEO.

5. Si intelligere Divinæ Sapientiæ, & velle Divinæ Voluntatis ſunt idem numero, ipſum velle eſt magìs intellectum, & ipſum intelligere magìs dilectum; ſi autem non ſunt idem numero, eorum non identitas eſt ratione Sapientiæ, quia intelligit, quòd ipſa non ſint idem, & ratione Voluntatis, quia odit, quòd ipſa ſint idem; & ſic Divina Sapientia intelligit parvitatem in ſuo intelligere & in velle Divinæ Voluntatis, & Divina Voluntas diligit illam parvitatem, & odit ejus oppoſitam Magnitudinem; quod eſt impoſſibile: ergo intelligere & velle ſunt idem numero.

6. De neceſſitate convenit, quòd Divina Voluntas diligat *Finem* Magnitudinis in tantum, quòd Voluntas ſit ipſa Magnitudo, ut poſſit eſſe Finis ipſius Magnitudinis, & quòd Magnitudo ſit ipſa Voluntas & Finis ipſius Voluntatis; hæc autem omnia dicta de Voluntate & Magnitudine non poſſunt eſſe, ſi Virtus in Magnitudine deficeret ipſi Voluntati, in quo defectu eſſet Voluntas, ſi *vellet* ~~odiret~~, quòd actus Virtutis eſſet diſtinctus à ſuo velle, quia ratione illius diſtinctionis eſſet in DEO alius Finis ipſius velle, & alius Finis ipſius virtuificare; & ſic Finis Divinæ Magnitudinis eſſet in parvitate; quod eſt impoſſibile: ergo velle & virtuificare ſunt idem numero.

7. Eſt impoſſibile, quòd Divina Voluntas contradicat *Majoritati* actuum Virtutis & Veritatis DEI, cùm Voluntas ratione Magnitudinis eorum ſit magna; igitur eſt impoſſibile, quòd Divina Voluntas non diligat Identitatem prædictorum actuum; quia per Identitatem eorum Divina Virtus eſt in Veritate (& è converſo) per Magnitudinem in tota Divina Voluntate: ergo virtuificare & verificare ſunt idem numero.

8. De vi & de natura Magnitudinis Divinæ Voluntatis eluceſcit, quòd verificare & glorificare ſint volibilia in *Æqualitate* & in coæquare, & ratione Magnitudinis ipſius coæquare ſequitur, quòd ſint volibilia in unire: unde ſicut coæquare ſtat & durat in Magnitudine Diſtinctionis volentis & volити, ſic ſtat & durat identitalis Unio ipſorum verificare & glorificare; & ſic Magnitudo ipſius velle ſufficit Voluntati in dilectione prædictæ Æqualitatis & Identitatis: ergo verificare & glorificare ſunt idem numero.

9. Cùm ſit impoſſibile, quòd Divina Voluntas habeat ſuum velle in *Minoritate*, neceſſariò convenit, quòd velit, quòd glorificare & bonificare in DEO ſint unum idem numero, ut ſuum velle non ſtet & duret in Minoritate cum ~~Magnitudine~~ *Bonitate*; quod eſt impoſſibile; cùm ſit bonum, quòd glorificare ſit idem in DEO, quod bonificare, & è converſo: ergo glorificare & bonificare ſunt idem in DEO.

QUÆSTIO IX.

Utrùm Dignitates DEI ſint æquales.

1. SOlutio. Divina Bonitas habet conditionem coæquativam ratione Magnitudinis, & Magnitudo è converſo ratione Bonitatis, ita, quòd magnum bonum eſt, quòd Bonitas ſit immenſa & infinita exiſtendo & agendo in Magnitudine, & Magnitudo ſimili-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

militer in Bonitate; & sic Bonitas & Magnitudo sunt æquales in Immensitate & Infinitudo, quia Bonitas est ratio, quare Magnitudo est bona existendo & agendo immensè & infinitè, & Magnitudo similiter est ratio, quare Bonitas est magna eodem modo.

2. De conditionibus Magnitudinis est, quòd sit magnificativa, & de conditionibus Æternitatis est, quòd sit æternificativa; & sic Æternitas ratione Magnitudinis est immensa, & Magnitudo ratione Æternitatis est æterna, scilicet infinitâ duratione; igitur ratione conditionum, quas habent, Magnitudo & Æternitas sunt æquales.

3. Æternitas est æternificativa, ut non sit otiosa; æternificativa quidem potest esse ratione Potestatis, & in ipsa Potestate est possificativa, ut Potestas non sit otiosa; igitur quia Æternitas ratione Potestatis est æternificativa, & Potestas ratione Æternitatis est possificativa, est manifestum, quòd sint æquales.

4. Quidquid est Divinæ Potestati possibile, est suæ Sapientiæ scibile, quia Potestas sinè scibilitate Sapientiæ nihil potest, & Sapientia sinè possibilitate Potestatis nihil scit; nam aliter esset differentia inter Bonitatem, Magnitudinem &c. earum; quod est impossibile: ergo est manifestum, quòd necessariò sint æquales.

5. Divinus Intellectus tantum se habet ad suum intelligibile, quantum Divina Voluntas ad suum volibile, quod est, ut Magnitudo, Æternitas & Potestas non deficiant Bonitati Sapientiæ & Voluntatis DEI, quia inæqualitas esset eis malum; igitur Intellectus & Voluntas DEI necessariò sunt æquales.

6. Divina Voluntas vult tantum Virtutis in Bonitate, Magnitudine &c., quantum in se ipsa, quod est, ut Divina Virtus sit volibilis in Magnitudine, non autem in parvitate; & etiam Divina Virtus ratione suî tanta est in Divina Voluntate, quanta est in se, quod est, ut, quidquid Voluntas diligit, diligat cum Virtute, igitur necessariò est Æqualitas inter Divinam Voluntatem & Virtutem.

7. Veritas est, quòd in DEO sit Virtus, & Veritas, quæ est in DEO, est in illo cum Virtute; igitur ratione Magnitudinis Bonitatis &c. sequitur, quòd Virtus & Veritas in DEO sint æquales, ut earum Bonitas non deficiat Magnitudini earum, nec è converso, & ut Potestas earum non deficiat Bonitati earum, nec è converso.

8. Veritas & Gloria, esse & *Æqualitas* conveniunt, falsitas verò & pœna, privatio & inæqualitas conveniunt; igitur sunt æquales illa Veritas & Gloria, quæ sunt in Summitate Bonitatis &c.; quod si non, æqualitas falsitatis & pœnæ meliùs conveniret cum privatione, quàm Æqualitas Veritatis & Gloriæ cum esse; quod est impossibile: ergo Veritas & Gloria sunt æquales.

9. In DEO non potest esse inæqualitas inter Bonitatem & Gloriam, quia illa inæqualitas esset mala & contra Bonitatem, & ex illa malitia haberet Divina Bonitas pœnam; quod est impossibile: igitur ratione Majoritatis distantiæ Bonitatis & Gloriæ à malitia & à pœna convenit, quòd Bonitas & Gloria DEI sint æquales, ut Magnitudo non sit defectiva Majoritati prædictæ distantiæ.

QUÆSTIO X.

Utrùm Dignitates DEI & Actus earum sint æquales?

1. SOlutio. Divina Bonitas est existendo & est agendo, ut autem ipsa Bonitas æqualiter consistat existendo & agendo, est Æqualitas in illius esse & suo bonificare; & sic quanta ipsa est, tantum agit, ut Magnitudo Virtutis non deficiat ipsi esse illius; qui defectus esset malum & parvitas Magnitudinis Virtutis Æternitatis &c.; quod est impossibile: ergo Dignitates DEI & actus earum sunt æquales.

2. In Divina Magnitudine est magnificare, ut non sit otiosa in Bonitate, Æternitate &c., & ut etiam habeat *Concordantiam* cum eis: unde si Magnitudo & magnificare sunt æquales, ita, quòd Bonitas, Æternitas &c. sint tantæ existendo & agendo ratione ipsius magnificare, quantæ ratione Magnitudinis, & è converso, sequitur inde major Concordantia inter ipsas Dignitates & actus earum; si autem est hujus oppositum, est prædicta Concordantia in Minoritate; quod est impossibile: ergo Magnitudo & magnificare sunt æquales in DEO.

3. Æternitas æternificat actus Bonitatis, Magnitudinis, Potestatis &c.; & sic æternificat suúmmet actum ratione prædictorum actuum in tantum, quantum ipsa est bona, magna, potens &c., cùm ipsa nihil sit extra Bonitatem, Magnitudinem &c.; & sic æternificans ipsius Æternitatis coæquat sibi suum æternificare in bonificato & bonificabili, magnificato & magnificabili, & per consequens

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſequens in bonificare, magnificare &c.: unde manifeſtè ſequitur, quòd Æternitas & æternificare ſint æquales.

4. Poteſtas ratione Suppoſiti eſt potens de ſe ipſa & de ſuámet Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Sapientia &c., & ita potens coæquat ſémet ipſum cum ſuo poſſito & poſſibili in tantum, quantum Poteſtas eſt potens, & è converſo; ſed cùm Poteſtas ſit tota potens in Infinitate Bonitatis, Magnitudinis &c., & potens ſit ipſa Poteſtas in DEO, ût jam probatum eſt, de neceſſitate ſequitur, quòd Poteſtas & poſſe in DEO ſint æquales.

5. Divina Sapientia & ſuum intelligere ſunt æqualiter diligibiles in ipſa Voluntate DEI cum Magnitudine ſinè parvitate; igitur Divina Sapientia & ſuum intelligere neceſſariò ſunt æquales, ut Divina Voluntas in DEO æqualiter diligat, & ut ratione Magnitudinis diſtet à parvitate in diligendo & exiſtendo.

6. Si Divina Voluntas & ſuum velle non eſſent æquales, ſequeretur, quòd Voluntas eſſet *Finis* ſui actûs, vel è converſo; & ſic exiſtere Voluntatis eſſet Finis, & agere illius ſe haberet ad illum; vel agere Voluntatis eſſet Finis, & exiſtere illius ſe haberet ad illum; & ſic nunquam quieſceret agendo vel exiſtendo, & omnes Divinæ Dignitates deficerent Voluntati vel actui illius; quod eſt impoſſibile: ergo Divina Voluntas & ſuum velle ſunt æquales.

7. Niſi Divina Virtus & ſuus actus ſint æquales, ita, quòd ipſa Virtus non ſit major exiſtendo, quàm agendo, ſequitur, quòd in parte ſit in potentia & habitu in Subſtantia, non autem tota in actu; ſicut in naturalibus; & ſic eſt in illa ſucceſſio, quantitas, tempus &c.; quæ ſunt impoſſibilia Divino Enti ratione Infinitatis Æternitatis Bonitatis &c.; ſi autem actus illius eſt major, quàm illa, non ſufficit ſola ſuo actui ratione Principii Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis &c.; quod eſt impoſſibile: ergo Divina Virtus & ſuus actus ſunt æquales.

8. Si Veritas & ſuum verificare non ſunt æquales, in DEO Veritas & Gloria non ſunt æquales ſinè Minoritate & parvitate; quia ſi non ſint æquales, Veritas vel verificare propendent ad falſitatem vel falſificare ratione inæqualitatis inducentis otioſitatem ipſi Veritati vel verificare, quod eſt pœna contra Gloriam; quæ pœna impoſſibilis eſt in DEO: ergo Veritas & ſuum verificare ſunt æquales.

9. Eſt impoſſibile, quòd tota Divina Gloria ſit glorificabilis ſinè Æqualitate Gloriæ & ipſius gloriari in gloriante & gloriato & gloriabili; & ſi non tota, ſaltem in parte eſt glorificabilis, & per conſequens eſt in parte glorificativa, non autem in toto; & ſic neceſſariò datur *Minoritas* in Divina Gloria; quod eſt impoſſibile: igitur in DEO eſt Æqualitas Gloriæ & ipſius gloriari, ut Gloria ſit tota gloriabilis ratione formæ, quæ eſt ipſa Gloria exiſtens gloriativus glorians de ſe toto gloriatum; quod eſſet impoſſibile, niſi Gloria & actus ejus eſſent æquales.

QUÆSTIO XI.

Utrùm Actus Divinarum Dignitatum in DEO ſint æquales?

1. SOlutio. Ratione ipſius ſummè magnificare in DEO convenit, quòd Divinum bonificare & poſſe ſint æqualia, ut in DEO poſſit eſſe ſumma *Diſtinctio* inter bonificantem & bonificatum, ad hoc, ut in actu Magnitudinis eluceſcat actus Bonitatis; hoc idem ſequitur de actu Magnitudinis & Poteſtatis; ſed hæc omnia non poſſunt eſſe ſinè æqualitate prædictorum actuum, quia ſinè mutuo coæquare eorum adinvicem eſſet inter eos inæquare, in quo eſſet privatio contra coæquare; quod eſſet malum & privatio Magnitudinis & poteſtatis in DEO; quod eſt impoſſibile: ergo actus Divinarum Dignitatum in DEO ſunt æquales.

2. Si actus Divinarum Dignitatum in DEO non eſſent æquales, deficeret in DEO Magnitudo ſuo actui & actui Æternitatis & Sapientiæ; quod eſt impoſſibile: ergo neceſſariò ſunt æquales, cùm etiam in coæquare poſſint magìs concordare, quàm in oppoſito ipſius coæquare.

3. Si æternificare, poſſe & intelligere non ſunt æqualia, non diſtant tantum à *Contrarietate*, quantum ſi eſſent æqualia; & etiam ratione inæqualitatis eorum eſſet inconveniens intelligere in eis æqualitatem, & eſſet conveniens in eis intelligere inæqualitatem; quod eſt falſum & contra finem eorum: ergo æternificare, poſſe & intelligere ſunt æqualia.

4. Neceſſariò convenit, quòd poſſe, intelligere & velle DEI ſint æqualia in *principiare*, nam ſinè poſſe æquali ipſi intelligere & velle, & è converſo, intelligens non poſſet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

intelligendo principiare intellectum, nec volens volendo volitum tantum, quantum ipse intelligens & volens est potens; & sic Potestas esset defectiva in Sapientia & Voluntate; quod est impossibile in DEO: & nisi etiam posse se haberet ad intellectum & volitum in tantum, quantum ipsum est, esset in tantum nihil in Potestate, quantum posse esset ultra intellectum & volitum, cùm Potestas non habeat posse extra intelligere & velle, nec è converso; sed hoc est impossibile: ergo posse, intelligere & velle DEI sunt æqualia.

5. Necessariò convenit, quòd in DEO intelligere, velle & virtuificare sint æqualia in *Medio* Principii & Finîs eorum, quia intellectivus in DEO coæquat sibi intellectum intelligibilem, & volitivus volitum volibilem, & virtuificativus virtuificatum virtuificabilem; hoc autem est, ut prædictæ Dignitates habeant suos actus magnos; unde prædicti actus necessariò sunt æquales in conjunctione & unione ipsorum, ut eorum Magnitudo non consistat in privatione.

6. Cùm Divina Voluntas in DEO tantum diligat Gloriam in Veritate, quanta est Voluntas & Veritas in illo, necessariò convenit, quòd actus Voluntatis, Veritatis & Gloriæ sint æquales in *Fine*, ut ipsa Voluntas nolit suam Veritatem & Gloriam in Minoritate, sed velit ipsas in Magnitudine, cùm sint idem cum Magnitudine; hoc idem etiam est de Virtute & Gloria, quod est de Voluntate: nam Gloria tantum glorificat in DEO actum Voluntatis, quantus est actus ipsius Gloriæ; & Veritas tantum verificat illum, quantus est actus ipsius Veritatis; quod si non, earum Finis esset attingibilis in Minoritate, & non in Majoritate; quod est impossibile: ergo necessariò convenit, quòd prædicti actus sint æquales.

7. Sinè Æqualitate ipsius virtuificare & verificare impossibile est in DEO infinire; & sinè Æqualitate eorum impossibilis esset mutua conversio eorum ratione ipsius infinire in DEO; & ideo de necessitate convenit, quòd prædicti actus sint æquales.

8. Quia Veritas & Gloria DEI concordant cum esse, & distant à non esse ratione falsitatis & pœnæ & contrarietatis, convenit, quòd actus Bonitatis & Gloriæ & Concordantiæ necessariò sint essentiales in coæquare; quod si non, Veritas in DEO non tantum distaret à falsitate, nec Gloria à pœna, nec Concordantia à Contrarietate; cùm autem necessariò sit id, per quod prædicta distantia est major; ergo necessariò convenit, quòd prædicti actus sint æquales.

9. Si divinum gloriari, distinguere & concordare non sint æqualia in coæquare, divinum gloriari est diminutum in Distinctione & Concordantia gloriantis & gloriati & gloriabilîs in Divina Essentia, & similiter distinguere & concordare sunt diminuta in gloriante, distinguente & concordante, & in gloriato, distincto & concordato, & in gloriabili, distinguibili & concordabili in Divina Essentia; quod est impossibile: ergo prædicti actus in DEO sunt æquales.

QUÆSTIO XII.

Utrùm DEUS sit infinitus existendo & agendo?

1. SOlutio. Recolligendo ea, quæ dicta sunt in prædictis Quæstionibus, manifestum est, quòd DEUS sit infinitus existendo & agendo; nam manifestè probatum est, quòd in illo Dignitates sint unum idem numero & æquales, & quòd Dignitates & actus earum sint unum idem numero & æquales, & quòd actus ipsarum Dignitatum sint unum idem numero & æquales; igitur manifestè concluditur ad necessariam affirmationem prædictarum quæstionum, quòd DEUS sit infinitus existendo & agendo; aliter sequeretur negatio prædictarum quæstionum, quæ est falsa & impossibilis, ût multis rationibus probatum est; & etiam sequeretur, quòd distinguens in Divina Essentia non distingueret suum distinctum in tantum, quantum ipse est distinguens; quod implicat limitationem & cessationem in Divina Essentia; quod est impossibile: ergo DEUS est infinitus existendo & agendo.

2. Suprà manifestè probatum est, quòd Bonitas, Magnitudo, Potestas, Voluntas &c. sint in tanta *Concordantia*, quòd sint omnino unum idem in numero, ita, quòd ipsa Identitas earum est ipsa Concordantia earum, & DEUS est tota illa Identitas, ergo DEUS est ipsa Bonitas, ipsa Magnitudo, ipsa Potestas, ipsa Voluntas &c.; & per consequens infinitus existendo, cùm ipse sit ipsa Voluntas & Potestas & Magnitudo & Bonitas; & nulla istarum potest sustinere suum oppositum in illa Identitate seu Concordantia, cùm quælibet sit idem, quod alia: sed cùm privatio Infinitatis sit malitia & parvitas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tas & defectus Poteſtatis & Voluntatis; igitur in ipſa Identitate & Concordantia eſt Infinitas: ergo DEUS eſt infinitus exiſtendo; & quia ſimiliter privatio ipſius infinire in concordare prædictarum Dignitatum eſt malitia & parvitas: ergo eſt in DEO infinitum agere; igitur DEUS ſimiliter eſt infinitus agendo.

3. In DEO eſt impoſſibilis *Contrarietas*, cùm ipſe ſit Magnitudo, Æternitas &c., & actus earum; igitur ipſe eſt infinitus exiſtendo & agendo; quod ſi non, eſt Contrarietas inter ejus Magnitudinem & Æternitatem &c.; ratione cujus Magnitudo in Bonitate, Poteſtate &c. non ſufficit Æternitati, nec è converſo; quod eſt impoſſibile, & contra Concordantiam Divinarum Dignitatum & actuum earum.

4. Cùm DEUS ſit Magnitudo & Æternitas, & magnificare & æternificare, Magnitudo ſupplet, quòd Æternitas non ſit quanta, & ejus actus non ſit quantus, & Æternitas ſupplet, quòd Magnitudo non ſit temporalis ſeu in tempore, & ejus actus non ſit temporalis ſeu in tempore: unde manifeſtè ſequitur, quòd DEUS ſit infinitus exiſtendo & agendo in *Principio*, in quo Magnitudo & Æternitas eſt magnificans, magnificatus, magnificabilis, & æternificans, æternificatus & æternificabilis; & ſic de Bonitate &c.

5. DEUS eſt infinitus & æternus ratione Immenſitatis Magnitudinis Æternitatis &c., in quibus non ſunt metæ nec extremitates ratione Simplicitatis Eſſentiæ & Naturæ Magnitudinis Æternitatis; nam Magnitudo in DEO eſt Ens ita ſimpliciſſimum, quòd comprehendat omnes extremitates, ſicut Æternitas omnes ſucceſſiones: unde manifeſtum eſt, quòd DEUS ſit infinitus exiſtendo, & per conſequens agendo; nam Magnitudo exiſtens infinita magnificando æternaliter conjungit tantum, quanta ipſa eſt, cum ſuo magnificato & magnificabili id, quod habet ratione Infinitatis Æternitatis Bonitatis &c.; & ſic DEUS eſt infinitus agendo, videlicet conjungendo & uniendo; hoc idem eſt de Æternitate & Bonitate, quod eſt de Magnitudine.

6. Eſſe DEI eſt *Finis*, cùm Finis dicat *eſſe*, & privatio *non eſſe*; cùm autem iſte Finis ſit Bonitas, Magnitudo &c., ût probatum eſt, convenit, quòd ſit infinitus, & ſic actus iſtius finîs eſt infinire; quia ſi eſſet finire, conveniret, quòd Finis ad hoc, ne remaneret otioſus, finiret tantum, quantus ipſe eſt; & cùm præter ipſum nihil ſit infinitum, quia duo infinita non poſſunt eſſe, conveniret, quòd finiret ſémet ipſum, & ſic eſſet finitus & infinitus; quod eſt contradictio: igitur DEUS, qui eſt ipſe Finis, eſt infinitus exiſtendo & agendo infinitum, videlicet infiniendo infinitum infinibilem, qui cum infiniente eſt totus ipſe Finis infinitus.

7. Reſpectu *Majoritatis* Majoritas & Infinitas concordant cum Magnitudine & Æternitate; igitur cùm DEUS ſimpliciter ſit ipſa Magnitudo & Æternitas ſinè quantitate & tempore (aliter enim non eſſet ipſa Magnitudo nec Æternitas) convenit, quòd ſit infinitus; quod ſi non, naturaliter ſequeretur, quòd Majoritas concordaret cum parvitate & oppoſito æternitatis, & Minoritas cum Magnitudine & Æternitate; quod eſt falſum & impoſſibile: igitur DEUS eſt infinitus exiſtendo & agendo.

8. Etiam ad hoc, ut non ſequatur prædicta falſitas & impoſſibilitas, *Æqualitas* Sum̃æ Bonitatis &c. non poteſt eſſe extra Magnitudinem & Æternitatem; igitur cùm DEUS ſit ipſa Summa Bonitas, Magnitudo & Æternitas, convenit, quòd ſit infinitus in exiſtendo Æqualitas prædictarum Dignitatum, cùm ipſe ſit ipſa infinita Æqualitas in Bonitate &c.; etiam eſt infinitus in agendo, ipſo coæquante ſibi de ſuámet Eſſentia & Natura Æqualitatis coæquatum coæquabilem ratione ipſius coæquare; quia niſi ipſe eſſet infinitus coæquando, non ſufficerent bonificare, magnificare &c. Magnitudini Æqualitatis Bonitatis &c.; quod eſt impoſſibile.

9. Eſt impoſſibile, quòd in eſſentia *Minoritatis* ſit Magnitudo & Æternitas, quia ſic eſſent idem cum ſuis contrariis; & ſic illa eſſentia eſſet corruptibilis, ratione cujus corruptibilitatis Divina Magnitudo & Æternitas eſſent in corruptione; quod eſt impoſſibile: unde manifeſtè patet, quòd DEUS ſit infinitus exiſtendo & agendo, cùm finitas dicat Minoritatem Bonitatis, Magnitudinis &c.

QUÆSTIO XIII.

Utrùm DEUS in tantum ſit DEUS agendo, quantum exiſtendo, & è converſo?

1. SOlutio. DEUS eſt ipſa Summa Bonitas, ipſa Summa Magnitudo &c., & ſic DEUS ratione Exiſtentiæ Summæ Bonitatis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tis &c. eſt DEUS exiſtendo; Summa Bonitas verò non poſſet eſſe ſumma ſinè bonificare, nec Summa Magnitudo ſinè magnificare &c., ita, quòd ipſum bonificare &c. ſit in Summitate Magnitudinis & ipſius magnificare, & è converſo, ut Bonitas non deficiat Summitati ipſius bonificare &c., nec è converſo; & ſic de aliis Dignitatibus DEI: igitur DEUS eſt tantum DEUS agendo, quantum exiſtendo; quod ſi non, Dignitates & actus earum deficerent Summitati & Infinitati, & è converſo; & per conſequens deficerent eſſentialiter & naturaliter; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt tantus agendo, quantus exiſtendo.

2. Quoniam Divina Bonitas, Magnitudo &c. concordant ratione *Concordantiæ* ipſorum bonificare & magnificare, ita, quòd concordans concordat concordatum & concordabilem de ſuámet Eſſentia Bonitatis &c., & hoc in tantum, quòd ipſe concordans eſt tantus, quanta eſt ipſa Concordantia, & per conſequens tantus, quantum eſt ipſum concordare, & ſimiliter tantus eſt ipſe concordatus concordabilis; igitur eſt manifeſtum, quòd Concordantia ſit tanta in concordare, quanta eſt in concordante & concordato concordabili: igitur cùm DEUS ſit ipſa Concordantia, eſt tantus in concordare, quantus in Concordantia.

3. Si DEUS in tantum eſt DEUS agendo, quantum exiſtendo, & è converſo, magìs diſtat à *Contrarietate* Bonitatis & bonificandi, Magnitudinis & magnificandi &c., quod per ſe patet; cùm autem conveniat, quòd in DEO ſit id, per quod ipſe magìs diſtat à prædicta Contrarietate, quod ſi non, Contrarietas contradiceret Magnitudini Concordantiæ Bonitatis: ergo DEUS eſt tantus agendo, quantus exiſtendo.

4. DEUS exiſtendo *Principium* eſt principians, & exiſtendo principians eſt Principium; & hæc converſio eſt in DEO neceſſaria, ut Magnitudo non deficiat Æternitati, nec è converſo, & ut Bonitas, Poteſtas &c. non deficiant Magnitudini Æternitatis, nec è converſo; qui defectus eſt impoſſibilis: igitur DEUS in tantum eſt principians, quantum eſt Principium, & è converſo; & inde ſequitur, quòd DEUS in tantum ſit principiatus & principiabilis & principiare agendo, quantum exiſtendo principians & Principium, ut in Divina Eſſentia principians ratione Eſſentiæ & Naturæ Principii non deficiat ipſi principiare, nec principiatus principiabilis Principio principianti: unde ſequitur, quòd DEUS in tantum ſit DEUS in Principio ratione agendi, quantum ratione exiſtendi.

5. Si DEUS non eſt in tantum DEUS ratione Agentiæ ſuæ Eſſentiæ & Naturæ, quantum ratione ſuæ Exiſtentiæ, ſequitur, quòd ipſe ſit DEUS ſimpliciter ratione ſuæ Exiſtentiæ, & ſecundùm quid ratione ſuæ Agentiæ; & inde ſequitur, quòd in ſua Deitate ſint *extremitates* ſimpliciter & ſecundùm quid; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt tantus agendo, quantus exiſtendo.

6. Si DEUS non eſt in tantum DEUS agendo, quantum exiſtendo, *Finis* exiſtendi vel agendi eſt extra ejus Eſſentiam, vel convenit, quòd Finis ſit de Eſſentia Majoritatis extra Æqualitatem; & ſic Finis in DEO non diſtat à parvitate in Æqualitate & Magnitudine &c.; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt tantus agendo, quantus exiſtendo.

7. Si DEUS non eſt in tantum DEUS agendo, quantum exiſtendo, & è converſo, eſſent in Divina Eſſentia *Majoritas* & Minoritas, & ſic eſſet Concordantia inter Magnitudinem & Minoritatem, & inter parvitatem & Majoritatem, & per conſequens eſſet Contrarietas inter Magnitudinem & Bonitatem, & Concordantia inter Bonitatem & malitiam, & Magnitudinem & parvitatem &c.; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt tantus agendo, quantus exiſtendo.

8. Neceſſariò convenit, quòd in DEO ſit id, per quod ipſe plùs diſtat ab inæqualitate & Contrarietate; igitur de neceſſitate convenit, quòd in illo ſit infinita *Æqualitas*, ut in illo ſit infinitè impoſſibilis inæqualitas & Contrarietas. Igitur de neceſſitate DEUS in tantum eſt DEUS agendo, quantum exiſtendo; quod ſi non, privata eſt in eo prædicta Æqualitas, quod per ſe patet.

9. Si DEUS non eſt in tantum DEUS agendo, quantum exiſtendo, & è converſo, ipſe plùs diſtat à *Minoritate* & accidente ratione exiſtendi, quàm agendi; & ſic ejus Deitas in parte propendet ad Minoritatem & accidens; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt tantus agendo, quantus exiſtendo.

QUÆSTIO XIV.

Utrùm in DEO ſit Productio?

1. SOlutio. Bonum eſt in DEO bonificare, magnificare &c., ut Bonitas, Magnitudo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

do &c. non ſint otioſæ, otioſitas enim & non producere magnum bonum æternum &c. & privatio ipſorum bonificare, æternificare &c. & malum concordant; igitur per oppoſitum oppoſita iſtorum ſunt concordantia; ſed cùm ſit *Differentia* Contrarietatis inter hanc Concordantiam & illam, & Concordantia hujus actionis, quæ eſt productio in bonificando, magnificando &c., ſit in Majoritate ratione Magnitudinis ipſius eſſe, & Concordantia otioſitatis &c. ſit in Minoritate ratione privationis & ipſius non eſſe, eſt manifeſtum, quòd in DEO ſit Productio, aliàs ſequeretur oppoſitum in DEO; quod eſt impoſſibile.

2. In DEO eſt Bonitas, Magnitudo &c.; igitur Bonitas & Magnitudo &c. habent *Concordantiam* in ipſo *eſt*, & ipſe DEUS ſimiliter & bonificare &c. habent Concordantiam in ipſo eodem *eſt* Divino, quia ſunt in ipſo; & iterum eſt Concordantia Bonitatis &c. in ipſo *eſt* Divino, quia Bonitas eſt magnitudo, & è converſo, & ſic de aliis Dignitatibus; & quia etiam ipſa Bonitas eſt bonificare, magnificare &c., & è converſo, & ſic de ſingulis Dignitatibus DEI; & iterum quia bonificare eſt magnificare &c., & è converſo, & ſic de aliis actibus Dignitatum. Adhuc tamen, ſi in ipſo *eſt* Divino eſt Concordantia ratione Producentis Productivi & Producti Producibilîs, bono producente bonum, & magno magnum, & æterno æternum, videlicet DEO DEUM, exiſtente Bonitate in Magnitudine, & è converſo (& ſic de aliis) & in magnificare &c., & è converſo (& ſic de aliis) & bonificare exiſtente in magnificare &c., & è converſo (& ſic de aliis) ratione hujus Productionis, & hoc in tantum, quantum quilibet iſtorum Divinorum Terminorum convertitur cum alio ratione Divinæ exiſtentiæ, eſt manifeſtum, quòd ſit major Concordantia in prædicto *eſt* Divino; imò etiam aliter eſſet impoſſibile, quòd eſſet prædicta Converſio Divinorum Terminorum in ipſo *eſt* Divino ratione abſentiæ Magnitudinis Concordantiæ illorum; & per conſequens DEUS non eſſet DEUS; quod eſt impoſſibile. Igitur in Divinis eſt Summa Productio.

3. Eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit *Contradictio;* eſt autem contradictio, quòd bonificare ſinè producere ſit magnificare, & è converſo; quia privato producere in DEO DEUS bonus non producit in ſe ipſo bonum de ſe ipſo, nec magnus producit in ſe ipſo magnum de ſe ipſo, ut bonificare ſit bonum magnum, & magnificare magnum bonum; igitur ſi non eſt Productio in Divinis, eſt privatio bonæ & magnæ bonificationis & magnificationis, æternificationis &c. in DEO, quod eſt ſummum malum in DEO exiſtens ſummè impoſſibile, quia ſequitur ſumma contradictio in DEO. Igitur in DEO eſt Productio;

4. DEUS eſt in tantum *Principium* agendo, quantum exiſtendo; & Conditio Divini Intellectûs eſt, quòd principiando ſit intelligens in ſe ipſo, ut DEI Bonitas, Magnitudo &c. non ſint defectivæ Eſſentiæ & Naturæ Divini Principii: ergo Divinus Intellectus principiando eſt intelligens, & intelligendo principians in ſe ipſo; & ſi principians in ſe ipſo, igitur ipsémet Intellectus eſt principiabilis, principiare & principiatus in ſe ipſo; cùm, quidquid eſt in DEO, & quidquid eſt ipſe DEUS, ſit ipſe purus Divinus Intellectus. Igitur, cùm non ſit magìs nec minùs in DEO, quantus eſt ipſe DEUS, tantus eſt ipſe Intellectus ejus, quia exiſtentialiter convertuntur in Natura Deitatis; & quantus eſt ipſe Intellectus, tantus eſt ipsémet intelligens, & è converſo; & quantus eſt ipſe intelligens, tantus eſt ipſe principians & principiativus, & è converſo; & quantus eſt principians, tantus eſt principiabilis & principiatus & principiare, & è converſo, quia exiſtentialiter convertuntur in Natura Deitatis. Ergo de primo ad ultimum, principians principiativus in tantum eſt principiativus principians, quantum DEUS, & è converſo; & principiabilis principiatus ſimiliter in tantum, quantum DEUS; & ſic de principiare: igitur cùm quilibet iſtorum in Infinitate Divinæ Bonitatis &c. cum alio exiſtentialiter convertatur, & ſint Unus DEUS infinitus in Bonitate &c., manifeſtum eſt, quòd DEUS principiativus principiet DEUM principiabilem per ipſum principiare, quod eſt DEUS, ſinè diverſitate Deitatis; & hoc eſt ipſa Productio, quam dicimus eſſe in Divinis.

5. Simpliciter omne, quod eſt, aut eſt bonum aut malum, aut eſt magnum aut parvum, aut æternum aut non æternum, & ſic de aliis hujuſmodi; producere autem bonum non eſt malum, & producere magnum non eſt parvum, & producere æternum non eſt contrarium Æternitati, & ſic de aliis hujuſmodi; igitur cùm in DEO ſit id, per quod in ipſo non eſt malum, parvum, non æternum &c.,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

&c.,&per quod in ipso est bonum,magnum, æternum &c.,est manifestum,quòd in DEO sit Productio, quia, si non est in eo, est malum, quòd de bono producatur bonum, & est parvum,quòd de magno producatur magnum; quod est falsum. Ergo in DEO est Productio.

6. Infinire est impossibile sinè producere, quia ipsum infinire non habet suam perfectionem in se ipso, nisi infinitus infiniens de se producat infinitum infinibilem, ut sufficiat ipsi infinire; nam in producendo infinitum de infinito stant infinitivus infiniens, & infinibilis infinitus, & per consequens ipsum infinire; & ita *Finis* Infinitatis stat producendo in infiniendo, vel infiniendo in producendo, quod per se manifestum est: unde, cùm ipse DEUS sit Infinitas Bonitatis &c.per infinire ipsius Infinitatis, igitur Finis DEI stat producendo in infiniendo; & ideo necessariò est in DEO Productio.

7. Manifestum est, quòd Divina Essentia sit *major,* si habet suum proprium actum de se ipsa in se ipsam,scilicet essentiare,quàm si non habet ipsum; illud essentiare autem non potest habere quoad rationem entis essentiantis de ipsa suámet Essentia in ipsam eandem suam Essentiam essentiabilem essentiatum non extra Unitatem ipsius Essentiæ sinè producere ipsius entis essentiantis de sua ipsámet Essentia in ipsam eandémmet Essentiam; igitur cùm in DEO sit impossibilis Minoritas suæ Essentiæ,est necessarium, quòd in illo sit Productio.

8. Illud est necessarium inDEO, per quod DEUS non est ens accidentaliter, sed per quod distat ab accidente; igitur in DEO est necessaria Productio, per quam Substantia DEI & ejus substantiare sunt æquales substantialiter; hoc autem manifestè patet, quia, si per ipsum substantiare DEUS non sit substantiatus de DEO in una eadem Substantia in tantum, quantum per ipsam Substantiam existit DEUS, quod nihil aliud est, nisi DEUS productus de DEO, est manifestum, quòd Divinum substantiare sit accidens, nec Divina Substantia & ejus substantiare convertantur ratione suæ infinitæ *Æqualitatis;* & sic est necessarium, quòd in DEO sit id, per quod DEUS est Ens accidentaliter, & per quod non distat ab accidente; quod est manifestè falsum. Igitur in DEO necessariò est Productio.

9. Si in DEO de bono, magno, æterno &c. in bonum, magnum, æternum &c. est produci bonum, magnum, æternum &c., producente DEO & producto DEO existente unâ eâdem Divinâ Essentiâ immensâ & æternâ inBonitate &c.,distant utique substantialiter DEI Bonitas, Magnitudo & Æternitas &c. à *Minoritate* in substantiali summitate hujus Substantiæ, quæ non potest esse major; ût per se patet: sed cùm necessariò conveniat, quòd in DEO sit id, per quod necessariò tanta & talis Substantia Divinæ Substantiæ distat à Minoritate; igitur necessariò in DEO est illa Productio, quæ dicta est; quod si non, sequitur ex hoc ipso, quòd non esset prædicta major distantia, quæ potest esse, & quòd esset major propinquitas, quæ possit considerari, Divinæ Substantiæ ad Minoritatem; quod est summè impossibile. Igitur prædicta Productio est necessaria in DEO.

QUÆSTIO XV.

Utrùm in DEO sit Distinctio?

1. SOlutio. DEUS est unus in ratione *per se stans,* & est agens in se ipso in ratione *per se stans,* & hoc in tantum, quantum est unus, ut Bonitas, Magnitudo &c. DEI habeant bonificare, magnificare &c. æqualia ipsi existere; hoc autem necessariò ita habet esse, ut DEUS sit in tantum DEUS agendo, quantum existendo, ût probatum est: unde cùm ipsa Deitas sit unum per se stans, & sua Unitas sit ipse DEUS per se stans sinè aliqua inæqualitate existendi & agendi, igitur ipsa Deitas in ratione Deificantis per se stantis habet Deificare tantum per se stans in ratione Deificati, quantum ipsa per se stat in ratione Deificantis & per se stantis; & ipsa Unitas in ratione unientis per se stantis habet unire tantum per se stans in ratione uniti, quantum ipsa Unitas per se stat in ratione unientis & per se stantis; igitur ipse Deificans uniens per se stans est ratione suæ per se-stantiæ suppositum distinctum de tota sua per se-stantia Deificativa & unitiva à Deificato unito per se stante distincto de sua tota per se-stantia Deificabili & unibili à Deificante uniente & per se stante: igitur necessariò est in DEO *Distinctio* Suppositorum.

2. Necessarium est, quòd in DEO sit *Concordantia,* ut inter Existentiam DEI & Agentiam sit Concordantia, videlicet inter Bonitatem & bonificare, Magnitudinem & ma-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

magnificare &c., & per conſequens inter bonificativum bonificantem, & bonificatum bonificabilem, & inter bonificare & magnificare, & ſic de aliis; neceſſitas autem ipſius Concordantiæ in DEO ſtat ratione Magnitudinis Bonitatis DEI; nam ſi in DEO non eſt prædicta Concordantia, quæ convertatur cum Unitate DEI, Unitas DEI non eſt tam remota à Contrarietate; plùs etiam eſt, quòd Unitas DEI exiſtens Unitas ſit Concordantia, & è converſo, quàm ſi tantùm eſſet Unitas: igitur eſt manifeſta neceſſitas ſupradictæ Divinæ Concordantiæ; igitur in DEO eſt prædicta Concordantia: ſed eſt impoſſibile, quòd hæc Concordantia ſit in DEO ſinè Diſtinctione Suppoſitorum; & hoc patet, nam in quantum ipſa Concordantia convertitur cum Unitate, ût prædictum eſt, in tantum convertitur cum Diſtinctione, ſinè qua non poteſt eſſe Concordantia: igitur Divina Unitas & Diſtinctio Divinæ Concordantiæ convertuntur. Igitur ſicut Unitas & Concordantia ſunt in majori Magnitudine Bonitatis in DEO, in qua poſſunt eſſe ût Unitas & Concordantia, ita Diſtinctio eſt in majori Magnitudine Bonitatis in DEO, in qua poſſit eſſe ût Diſtinctio; ſed Diſtinctio majoris Magnitudinis, quæ poſſit eſſe, eſt, quòd infinitè diſtinguat infinita Suppoſita in DEO, ut infinita Concordantia infinitè concordet ea in infinita Unitate Bonitatis, Magnitudinis &c.: igitur in DEO eſt Diſtinctio Suppoſitorum.

3. DEUS ratione ſuî in infinitum diſtat à *Contrarietate*, non autem poteſt diſtare in infinitum à Contrarietate ſinè infinita Concordantia, cùm Concordantia & Contrarietas contrarientur; infinita Concordantia autem non poteſt eſſe ſinè infinita Diſtinctione, ût per ſe patet, nec infinita Diſtinctio, niſi ſit inter infinita; nec infinitum poteſt eſſe, niſi ſit infinitum Suppoſitum; quia infinitum non eſt, cui deeſt per ſe-ſtantia; & cui adeſt per ſe-ſtantia, eſt ſuppoſitum; igitur in DEO neceſſariò eſt Diſtinctio infinitorum Suppoſitorum; quod ſi non, in DEO non eſt infinita Diſtinctio; & ſi in illo non eſt infinita Diſtinctio, in illo non eſt infinita Concordantia; & ſi in illo non eſt infinita Concordantia, non eſt infinitum diſtare DEI à Contrarietate; quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo in DEO eſt Diſtinctio Suppoſitorum.

4. In DEO eſt una Bonitas, una Magnitudo &c., unum bonificare, unum magnificare &c., ita, quòd iſti Divini termini exiſtentes id, quod ſunt, ſecundùm ſuas proprias Rationes ratione ſuæ infinitæ Unitatis convertantur, ita, quòd unusquiſque ipſorum eſt id, quod quilibet alius, & id, quod omnes eſſentialiter, ita quòd conditionis Bonitatis &c. ratione ipſius Unitatis, quæ eſt ipsámet Bonitas &c., ſit, quòd ipſa habeat unum actum uniendi; quod ſi non, Bonitas DEI non eſſet ſuámet Unitas tam magna agendo, quàm exiſtendo, cujus oppoſitum eſt neceſſarium, ût ſuprà probatum eſt: unde cùm Bonitas DEI ſit *Principium*, quia ſe habet in Ratione unius Principii, & ſic ipſa Unitas DEI, eſt manifeſtum, quòd ipſa ſit unitiva principiativa exiſtens Suppoſitum, cùm ipſa ſit tanta in agere, quanta in exiſtere; unde neceſſariò ſequitur, quòd ipſa ſit principiabile unibile Suppoſitum, cùm ipſa in tantum ſe habeat ad eſſe unibilem in ratione uniti, quantum ad unitivum in ratione unientis; & ſic ſunt in DEO Suppoſita, quia Suppoſitum uniens principians, quod eſt ipſa tota Bonitas, Unitas, in quantum eſt uniens principians, non eſt ipſum Suppoſitum unitum principiatum, in quantum principiatum unitum, quod eſt tota ipſa eadem Unitas, Bonitas &c.: unde manifeſta eſt in DEO Diſtinctio Suppoſitorum, quia DEI Unitas, Bonitas &c. exiſtit tota Suppoſitum unitivum uniens; & totum Suppoſitum unitivum uniens exiſtit ipſa tota Bonitas, Unitas &c.; & ipſa eadem tota Unitas, Bonitas &c. exiſtit totum Suppoſitum unibile unitum; & totum Suppoſitum unibile unitum exiſtit tota eadem Unitas, Bonitas &c., & Suppoſitum uniens & principians, & Suppoſitum unitum & principiatum diſtinguuntur in tantum, quantum ſunt ipſa eadem Unitas, Bonitas &c.; & hoc in tantum, quòd ipſa eorum Diſtinctio eſt ipsámet Unitas, Bonitas &c, & è converſo; hoc autem convenit ita eſſe, quia Deitas vel Divina Eſſentia eſt ipſum Principium infinitum tantum in principiando, quantum in ſe Principium, exiſtens unicum & ſolum Principium.

5. Divinus Intellectus eſt unus, & intelligit, quòd ſit unus, quia eſt unus; & intelligit, quòd ſua Bonitas ſit una, & ſua Magnitudo ſit una, & ſic de aliis; & ſic in intelligendo menſurat unamquamque illarum infinitè, & ſic menſurat eas quamlibet per ſe & cum proprio actu invicem; & ratione

(c) 2006 Ministerio de Cultura

infiniti remanet tantùm una illarum Unitas in illa *menſuratione*, ita quòd intellectus intelligit, quòd convertibiliter ſint idem numero, id eſt, eadem Eſſentia vel eadem Natura, ita quòd intelligit eas in exiſtente agente ratione unius Suppoſiti boni bonificantis, & magni magnificantis &c. uniendo, vel unientis bonificando, magnificando &c.; & hoc in tantum, quantum ipſum eſt, ut infinitum non ceſſet agere tantum, quantum ipſum eſt; & ideo neceſſaria eſt in DEO infinita Diſtinctio Suppoſitorum, ſcilicet unientis & uniti, quia aliter non uniret vel bonificaret &c. tantum, quantum ipſum eſt; quod eſt impoſſibile, ût patet per prædicta, vel nihil uniret, bonificaret &c.; quod ſimiliter eſt falſum: ergo in DEO eſt Diſtinctio Suppoſitorum.

6. In DEO eſt unus *Finis*, & ille eſt infinitus, quia Divinus Finis eſt idem, quod Divina Infinitas; ergo actus Divini Finîs eſt idem, quod Divina Infinitas; igitur actus Divini Finîs eſt infinire; Divinus Finis autem & ſuámet Unitas convertuntur; igitur Unitas DEI eſt unitiva infinitiva uniendo infiniens, vel infiniendo uniens, unde ſequitur infinibile unibile, unitum infinitum ût tale unum productum ab infinitivo unitivo, infiniente uniente, exiſtente toto infiniente uniente totâ Divinâ Eſſentiâ & Naturâ in ratione Suppoſiti infinientis unientis, & in toto infinito unito exiſtente totâ eâdem Divinâ Eſſentiâ & Naturâ in ratione Suppoſiti infiniti uniti, aliter uterque iſtorum non converteretur cum tota Divina Eſſentia & Natura, cujus eſt, quòd ipſa ſit Suppoſitum, cùm habeat conditionem per ſe ſtandi; cùm igitur infiniens unitivus in ratione infinientis unientis non ſit infinitum unitum in ratione infiniti uniti, nec è converſo, diſtinguitur quilibet illorum ab alio de tota Divina Eſſentia, illis exiſtentibus totâ illâ eâdem Divinâ Eſſentiâ: igitur in DEO vel in Deitate eſt infinita Diſtinctio prædictorum Suppoſitorum, aliter in DEO non eſſent infinitus terminus à quo, & infinitus terminus ad quem; & ſic non eſſet infinire de infinito ad infinitum; & ſi non eſt infinire in DEO, eo ipſo non eſt Infinitas in eo; & ſi non eſt Infinitas in eo, non eſt in eo Finis, quia convertuntur, ût dictum eſt, aliter non eſſet DEUS; igitur ablato Divino Fine DEUS nihil eſt, quia nihil habet eſſe ſinè Fine. Quare manifeſtè ſequitur, aut quòd DEUS non ſit, aut quòd in illo ſit prædicta Diſtinctio Suppoſitorum; ſed neceſſarium eſt, quòd DEUS ſit, ût probatum eſt: ergo in illo eſt prædicta Diſtinctio Suppoſitorum.

7. Si in DEO eſt Diſtinctio Divinorum Suppoſitorum, & nulla pluralitas Deitatis, Unitas Deitatis eſt in majori Magnitudine, quæ ſit vel poſſit eſſe; quod ſi non, eſt in minori; & ratio hujus eſt, quia ſi in DEO eſt Diſtinctio Divinorum Suppoſitorum, & nulla pluralitas Deitatis, ita quòd ipſa Diſtinctio & Unitas Deitatis convertantur, ita quòd non ſit aliquid in DEO in ratione accidentis, ſunt Divini termini, ſcilicet Bonitas, Magnitudo &c., bonificare, magnificare &c. in tanta Magnitudine Bonitatis, quòd ipſi exiſtentes inconfusè quilibet id, quod eſt de ratione ſuî, convertantur ad invicem exiſtentes una Deitas, quæ cum omnibus & cum quolibet illorum tota convertitur, quia in DEO eſt impoſſibile accidens ſive magìs vel minùs; hoc autem manifeſtè patet, nam ratione infinitæ Diſtinctionis infinitorum Suppoſitorum ſervatur inconfuſio cujuslibet Divini termini in prædicta converſione terminorum, qui ſunt Unitas, Deitas & Diſtinctio; unire, deificare & diſtinguere; & hoc in tantum, quantum bonificans, magnificans &c., vel bonificatum, magnificatum &c. exiſtit Suppoſitum, & ſervatur converſio cujuslibet cum reliquo eorum in ipſa inconfuſione in tantum, quantum una eadem Deitas eſt Suppoſitum bonificans &c. & Suppoſitum bonificatum &c.; & hoc in tantum, quòd eorum inconfuſio & converſio convertantur, ſicut Diſtinctio Suppoſitorum & eorum unica Deitas convertuntur. Unde neceſſariò convenit, quòd in DEO ſit prædicta Diſtinctio Suppoſitorum ratione hujus prædictæ *Majoritatis;* quod ſi non, eſſet totum ejus oppoſitum in DEO, videlicet major Minoritas, quæ ſit, vel quæ poſſit conſiderari; quod eſt ſummè impoſſibile. Ergo in DEO datur Diſtinctio Suppoſitorum.

8. In DEO non eſt inæqualitas Bonitatis &c., quia inæqualitas implicat Majoritatem & Minoritatem, quæ in DEO ſunt impoſſibiles; imò etiam ratione Magnitudinis Bonitatis &c. convenit, quòd in DEO ſit infinitum oppoſitum inæqualitatis, per quod infinitè diſtet ab inæqualitate; & ideo eſt neceſſarium, quòd in ipſo ſit infinita *Æqualitas;* & hoc in tantum, quantum eſt in illo neceſſaria Magnitudo Bonitatis &c. in Infi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Infinitate; ſed in DEO non poteſt eſſe infinita Æqualitas ſinè infinita Diſtinctione, quod per ſe patet; nec infinita Diſtinctio, niſi ſit Suppoſitorum; quia majoris Magnitudinis Bonitatis &c. eſt, quòd illa ſit Suppoſitorum, quàm non Suppoſitorum, nam ſic eſt magìs remota ab accidente & Minoritate: igitur neceſſariò in DEO eſt Diſtinctio Suppoſitorum: quod ſi non, in DEO non eſt infinita Æqualitas, nec per conſequens Magnitudo Bonitatis &c. in Infinitate, neque diſtat infinitè ab inæqualitate; quod eſt impoſſibile, nam ſic nõ eſſet DEUS. Ergo in DEO eſt Diſtinctio Suppoſitorum.

9. Bonum eſt, quòd in DEO non ſit Diſtinctio, quæ importat *Minoritatem*, & hæc eſt diſtinctio eſſentiarum; ſed bonum eſt, quòd in DEO ſit Diſtinctio, quæ penitus eſt remota à Minoritate, imò etiam ſinè qua Divina Eſſentia non eſſet remota à Minoritate; & hæc eſt Diſtinctio Suppoſitorum, ſinè qua infinitus DEUS exiſtens infinitum Suppoſitum non ageret de toto ſe ipſo infinitum DEUM exiſtentem infinitum Suppoſitum, & ſinè qua privaretur infinita libertas agendi in infinitum, & cogeretur unaquæque Dignitas DEI minorificare in ſuo actu, quod eſt contra Magnitudinem Bonitatis &c. infinitæ Libertatis DEI, cujus eſt in ratione infiniti boni magnificare infinitum bonum in ſua Infinitate magnificationis, & hoc cum infinita Diſtinctione infiniti & infiniti convertibili & conversâ cum infinita Unitate Deitatis infiniti & infiniti, ſicut prædictum eſt. Igitur in DEO eſt neceſſaria Diſtinctio Divinorum Suppoſitorum, quam benedictam adoramus.

QUÆSTIO XVI.

Quomodo conſiſtat in DEO Unitas?

1. SOlutio. Unitas DEI conſiſtit in prædicta *Diſtinctione*, ut Unitas ratione ſuæ Eſſentiæ & Naturæ poſſit agere, id eſt, unire diſtinguendo unitivum unientem & unibilem unitum in Natura & Eſſentia Unitatis. Unde ſicut Bonitas conſiſtit in Magnitudine, & è converſo, ſic Unitas conſiſtit in Diſtinctione, & è converſo; cùm Unitas & Diſtinctio ſint idem numero, & alia id, quod alia inconfusè ſecundùm id, quod eſt quælibet quoad propriam Naturam, ût in prædictis eſt ſignificatum, ut in uniente diſtinguente & in unito diſtincto ſint idem numero, & alia illud, quod alia inconfusè; & ideo cùm Diſtinctio in DEO ſit Ens abſolutè indiſtinctum in Eſſentia & Natura Bonitatis &c. & ſuî ipſius, ipſa Unitas conſiſtit Ens indiſtinctum in Eſſentia & Natura Bonitatis &c. & ſuî ipſius. Quare neceſſariò ſequitur, quòd in DEO ipſa Unitas ſit Deitas ſeu una Eſſentia & Natura Divina, una Bonitas, una Magnitudo &c. unum bonificare, unum magnificare &c., videlicet unum Ens, quod eſt DEUS. Unde patet, quòd ipſa Unitas ſit in una Identitate numerali Bonitatis, Magnitudinis &c., & hæc omnia convertantur ad invicem & cum ipſa Unitate eſſentialiter & naturaliter, ût ſuprà in prædictis Quæſtionibus probatum eſt. Iterum Unitas DEI conſiſtit in Suppoſito uniente bonificante &c., & in Suppoſito unito bonificato &c., ipſis Suppoſitis exiſtentibus diſtinctis ratione Eſſentiæ & Naturæ ipſius Diſtinctionis, & eiſdem exiſtentibus unicâ & eâdem Divinâ Eſſentiâ ratione naturæ ipſius Unitatis, ipsâ Unitate convertente ſe totam cum ipſa Diſtinctione, ût prædictum eſt.

2. In Divina Eſſentia conſiſtit Unitas in *Concordantia*, & è converſo, in tantum, quod ipsámet Unitas exiſtens propriè id, quod eſt, eſt ipſa eadem tota Concordantia, & è converſo exiſtente ipsâ Concordantiâ id, quod eſt; hoc autem ita convenit eſſe, ut ratione totius eſſentiæ Concordantiæ, quæ eſt ipſa Unitas, ſit unus uniens bonus, magnus &c. cum uno unibili unito bono, magno &c. in toto concordare utriuſque bono, magno &c., quod convertitur cum toto unire Unitatis & cum tota ipſa Unitate, ratione cujus etiam Bonitas &c. & bonificare &c. ſunt cum unire in Concordantia ratione concordantis & concordati permanentium in eadem Unitate Eſſentiæ.

3. Divina Unitas etiam conſiſtit extra omnem *Contrarietatem* ratione infinitæ Concordantiæ, quæ eſt ipsámet Deitas, ût dictum eſt; quoniam in tantum convenit, quòd bonum concordet cum bono, magnum cum magno, unum cum uno, id eſt, DEUS cum DEO in Unitate Deitatis, quòd ratione infinitæ Concordantiæ, quæ eſt ipsámet infinita Unitas, ipſa Unitas ratione ſuî infinitè diſtet à Contrarietate; & ideo convenit, quòd Unitas DEI infinitè ſtet extra omnem Contrarietatem.

4. Unitas DEI ita conſiſtit in *Principio*, ſicut Intellectus in Voluntate, & è converſo,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

so, & Divina Unitas est unum Principium, quod, ut se habeat ad Finem, & sapiat Essentiam & Naturam Finîs & è converso, est unus principians, qui de se principiat suum principiatum principiabilem, convertens totam illam Unitatem, quæ est ipsémet principians, in principiatum principiabilem; & sic ipsámet Unitas existens Principium principians existit Principium principiatum principiabile, quæ infinitè sunt distincta, permanente ipsâmet Unitate in Principio, Medio & Fine sinè divisione & sinè quantitate principiantis & principiati, cùm ipse principians unus de tota Essentia suæ Unitatis principiet principiatum, producendo illum ad tantum Finem, imò etiam ad eundem, qui est ipse principians; & sic ipsa Unitas stat in se una, & distinctimodè stat in principiante & principiato ratione Distinctionis principiantis & principiati, quæ est ipsámet Unitas, & è converso.

5. Divina Unitas consistit in *Medio* Principii & Finîs, ut Principium & Finis in ipso Medio sint ipsa eadem Essentia ipsius Unitatis; & hoc ita necessariò convenit, ut Divina Unitas absolutè permaneat indistincta, quia ejus Essentia & Natura est una tantùm; quod tamen non posset esse, nisi Unitas consisteret in Medio Principii & Finîs, conjungens in ipso Medio Principium principians & Finem infinientem cum Principio principiato principiabili & Fine infinito infinibili, ipsis existentibus eâdem Essentiâ Unitatis & Deitatis & unius DEI; aliàs sequeretur, quòd Virtus Unitatis esset in vitio in Principio, Medio & Fine; quod est impossibile.

6. Divina Unitas consistit in Ultimo *Fine*, ut ipse Finis sit unus; nam si essent plures ultimi fines, Unitas deficeret in Magnitudine Bonitatis, & per consequens unicuique fini; quare convenit, quòd Unitas sit in ultimo Fine, ût dictum est. Iterum etiam Unitas est in Fine ratione agendi, ut Unitas ratione Finîs sit in uniente infiniente existens unus Finis, & in unito infinito existens idem Finis, uniente infiniente & unito infinito permanentibus eâdémmet Essentiâ totius Unitatis Deitatis, & totius Bonitatis &c. Deitatis; hoc autem non posset esse, nisi Deitas esset in Fine (& è converso) convertibilis cum ipso Fine ratione unientis infinientis, & uniti infiniti.

7. Divina Unitas consistit extra *Majoritatem*, cùm Majoritas simpliciter non sit magnificabilis, quia non potest esse sinè Minoritate; & ideo, ut Unitas non sit sinè actu Magnitudinis, nec simpliciter participet cum Minoritate, non potest esse in Majoritate relativa alicujus Minoritatis ipsius Unitatis; veruntamen in comparatione ad Minoritatem effectûs consistit in Majoritate, cùm sit major, quàm omnes creatæ unitates.

8. In DEO consistit Unitas in *Æqualitate*, & è converso, ut Unitas per infinitam Æqualitatem infinitè remota ab inæqualitate sufficiat infinienti unienti ad infinitè coæquandum sibi infinitum unitum, ita quòd uniens & unitus permaneant infinitè æquales in Unitate Æqualitatis, & in Æqualitate Unitatis DEI; hoc autem non posset esse, nisi ipsa Unitas esset ipsa Æqualitas uniens coæquans unitum coæquatum.

9. Cùm Divina Unitas sit idem, quod Magnitudo Divinæ Bonitatis, Divina Unitas consistit essentialiter extra omnem *Minoritatem* (cùm Minoritas concordet cum parvitate) & hoc in tantum, quantum ipsa est ipsa Magnitudo, ut uniens, qui est tota ipsa Magnitudo Unitatis, de tota Magnitudine Unitatis uniat suum unitum, elongans ipsum unitum ab omni Minoritate in tantum, quantum ipse uniens per Magnitudinem Unitatis est elongatus ab omni Minoritate.

QUÆSTIO XVII.

Utrùm in DEO sit Generatio?

1. SOlutio. Generationem dicimus in creatis, cùm per viam naturæ de substantia producitur alia substantia sub eodem genere, ût de animali animal, & de planta planta, & hujusmodi; & hoc modo sumitur propriè generatio; sed magìs propriè sumitur generatio, cùm de substantia producitur alia substantia sub eadem specie, ût de homine homo, & de vite vitis, & hujusmodi, & de omni magìs simili magìs simile. Igitur de necessitate convenit, quòd in DEO sit propriissima Generatio, nam, ût superiùs probatum est, de DEO producitur DEUS, videlicet alius de alio ratione infinitæ *Distinctionis* superiùs probatæ in DEO; quia alius totam suam eandem Deitatem producit in alium, permanente unâ eâdem Deitate in quolibet illorum totâ; & si, pro eo, quòd alius

(c) 2006 Ministerio de Cultura

alius homo in alium ſemel producit humanitatem, dicitur genitor & pater, quia genitor, & homo ab eo ſemel productus dicitur genitus & filius, quia genitus, ergo multò magìs ſeu magìs propriè & propriiſſimè ex eo, quòd aliud Suppoſitum DEUS in aliud Suppoſitum æternaliter ſinè infinita ceſſatione producit ſuámmet totam Deitatem, dicitur Genitor & Pater, quia Genitor; ſimiliter multò magìs propriè Suppoſitum DEUS ab eo æternaliter productum dicitur Genitus & Filius; quia Genitus; igitur eſt manifeſtum, quòd in DEO ſit Proprietas Generativa, quæ eſt Paternitas, quia nihil præter ipſum adeò propriè naturaliter producit alium ſibi ſimilem; & per conſequens eſt in eo Proprietas Generabilis, quæ eſt Filiatio; igitur in DEO neceſſariò eſt prædicta Generatio: nam ſi non eſſet in illo, non eſſet in illo infinita Diſtinctio Suppoſitorum; nam ſinè prædicta Generatione non produceretur in Deitate ſimilis de ſimili, videlicet DEUS de DEO in infinita Diſtinctione ſimilantis & ſimilati, imò conveniret neceſſariò, cùm DEUS ſit tantus in producere, quantus ipſe exiſtit, quòd DEUS tantum, quantus ipſe eſt, produceret, ſed non de ſe ipſo, alium, qui non eſſet DEUS; quod eſt ſummè impoſſibile: quare neceſſariò convenit, quòd in DEO ſit prædicta Generatio.

2. Imago eſt producta à ſuo artifice, nec tamen eſt ab eo propriè genita, eſſet tamen ab eo genita, ſi cum ſuo artifice eſſet verum animal; & adhuc magìs propriè, ſi cum illo eſſet verus homo alius à ſuo artifice, ita, quòd humanitas in tantum concordaret cum iſto, quantum cum illo. Sed cùm ita ſit, ût ſuprà probatum eſt, quòd in DEO producens concordans producendo concordet, ſeu concordando producat æternaliter & immensè ſuum productum concordatum totum in eadem Deitate, videlicet in eadem infinita Bonitate, Magnitudine &c. totum alium à producente concordante ratione infinitæ Diſtinctionis ſuprà probatæ, ita, quòd in tantum concordet una eadem numero Deitas cum iſto, quantum cum illo, & è converſo, ita quòd iſte unâ eâdem numero Deitate ſit DEUS & ipsámet tota Deitas, & ille illâ eâdémmet numero Deitate ſit DEUS & ipsámet tota Deitas, cùm non ſit nec poſſit eſſe niſi una numero Deitas tantùm, quæ in aliquo ſuî non eſt magìs neque minùs DEUS, eſt manifeſtum, quòd Productio illius in iſtum ſit Generatio; & illum producere iſtum eſt neceſſariò illum generare iſtum, ita quòd ille ratione generandi eſt DEUS Pater, & iſte ratione eſſendi generati eſt DEUS Filius; cùm ille, qui generat alium ſibi ſimilem ſpecie, ſit Pater, & per conſequens genitus ſit Filius; & maximè is, qui generat alium ſibi ſimilem eâdem numero Deitate, eſt maximè Pater, & per conſequens ejus Genitus eſt maximè Filius, quia ſic producens concordans & productus concordatus habent majorem *Concordantiam*, quam poſſunt habere, quam non haberent, ſi ille in producendo concordando non eſſet Generans, & iſte Generatus. Quare ex his jam dictis manifeſtum eſt, quòd in DEO ſit prædicta Generatio, & per conſequens Proprietas Generativa concordativa productiva ratione generandi, quæ eſt Paternitas, & Proprietas Generabilis concordabilis producibilis ratione eſſendi Generati, quæ eſt Filiatio; & hoc etiam manifeſtè patet in oppoſito; nam ſi prædicta Generatio non eſſet in DEO, Diſtinctio & Unitas non ſufficerent Divinæ Productioni, nec Productio & Unitas Diſtinctioni, ita, quòd, cùm DEUS agat tantum, quantus exiſtit, plus produceret, quàm ejus Unitas & Diſtinctio eſſent in Concordantia, & plus, quàm Unitas ſufficeret Diſtinctioni, & è converſo; quod eſt impoſſibile: quare in DEO neceſſariò eſt prædicta Generatio.

3. Neceſſarium eſt, quòd in DEO ſit id, per quod DEUS ratione ſuî habet infinitam diſtantiam vel remotionem à corruptione & *Contrarietate*, quia Contrarietas & corruptio ad invicem concordant; & ideo neceſſariò convenit, quòd in DEO ſit id, per quod habeat infinitam diſtantiam à corruptione, ut infinitè diſtet à Contrarietate, & per quod habeat infinitam diſtantiam à Contrarietate, ut infinitè diſtet à corruptione; ſed cùm producens & productus in DEO infinitè diſtent à Contrarietate ſuî, quod per ſe patet; ideo etiam concordant infinitâ Concordantiâ ſuî; ſed non poſſunt eſſe concordantes infinitâ Concordantiâ, niſi ipſa infinita Concordantia ſit infinita Generatio, & è converſo, ut, quantum Concordantia ratione ſuî diſtat à Contrarietate, tantum ratione ſuæ Generationis diſtet à corruptione. Igitur neceſſariò eſt in DEO infinita Generatio, quæ eſt infinita Concordantia inter concordantem producentem & concordabilem productum DEUM ab ipſo DEO producente; quare neceſſariò con-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

convenit, quòd producens sit infinitus Generans, & per consequens Pater, quia infinitâ Concordantiâ producit suum producibilem, qui est infinitus Genitus, & per consequens Filius, quia infinitâ Concordantiâ productus, aliàs infinita Concordantia non esset infinita Generatio nec infinita Productio aliûs de alio in eadem numero infinita Bonitate, Magnitudine &c. existente totâ producens Suppositum, & totâ productum Suppositum; & sic DEUS non distaret infinitè à corruptione & Contrarietate, quia deesset illi id, per quod distaret ab illis imperfectionibus, quod est impossibile: ergo necessariò convenit, quòd prædicta Generatio sit in DEO.

4. Manifestum est, quòd ignis sit magìs principiativus & principiabilis generando ignitum, quàm generando calefactum, sive magìs generativus & generabilis principiando ignitum, quàm principiando calefactum; quia ignitum genitum substantialiter cum suo igniente generante participat eandem naturam igneïtatis, sed calefactum in ratione calefactionis accidentaliter participat illam cum suo igniente; & ideo est manifestum, quòd generatio sit plus in substantia, quàm in accidente, & plus in majori substantia, quàm in minori. Ergo est manifestum, quòd in DEO sit Generatio; nam, cùm DEUS principians producat DEUM principiabilem producibilem immensè & æternaliter, dat ei communicationem totius unius ejusdem numero Deitatis in Deificato, in quantum ipse productivus principians communicat eandem numero totam in Deificante; hæc autem Deificatio, quæ est necessariò talis principiatio, sicut dictum est, necessariò est Generatio, quæ est in summo gradu Perfectionis Bonitatis &c.; quod si non, manifestè sequitur, quòd principiatio calefacti ex igniente sit plus & in majori bonitate &c. generationis, quàm principiatio igniti ex igniente; & per consequens omnis generatio est major in dissimilitudine, quàm in similitudine, & minor in majori participatione seu communicatione principiativi principiantis & principiabilîs principiati in eodem *Principio;* quod manifestè falsum est: ergo prædicta Generatio est in DEO.

5. DEUS est æternum Principium in se ipso & infinitus Finis, Principium autem & Finis DEI existentes propriè id, quod sunt, convertuntur, quia eorum infinitum & æternum *Medium*, cum quo convertuntur, mensurat & conjungit æternaliter & infinitè unumquodque illorum in Infinitate Bonitatis, Magnitudinis &c. Igitur æternaliter infinitè conjungit & mensurat DEUS conjunctivus producens totum suum Principium æternum & infinitum immensum & totum suum Finem infinitum in Principiatum æternum, ipso immenso & æterno Principiato existente infinibili & principiabili imenso & æterno; & ita de Principio producitur Principium, & de Fine Finis (videlicet DEUS de DEO) per totum Medium immensum & æternum convertibile cum ipso Principio & Fine, existente ipso Principio inevacuabili in principiante immenso & æterno, & ipso Fine eodem modo. Igitur necessariò convenit, quòd talis Productio in Divinis sit Generatio. Nam, si producere Solis de sua intensa luce extensam lucem per totum medium lucidum ipsâ luce intensâ existente inevacuabili in Sole est generare lucem de luce in eadem natura lucis; multò magìs igitur producere Principium immensum & æternum de Principio inevacuabili immenso & æterno in eadem Natura Principii, & eodem modo Finem de Fine in eadem Natura Finîs per totum Medium immensum & æternum est generare; & si hoc non est generare, multò minùs producere prædictam lucem de luce Solis est generare, quod non esse est falsũ: igitur necessariò convenit, quòd prædicta Generatio sit in DEO.

6. DEUS est infinitus, ût probatum est, & ideo ipse est *Finis* Bonitatis, nam aliter ipse non esset infinitus in Bonitate &c.; igitur DEUS est infinitus Finis & per consequens infinire, cùm conveniat, quòd infinire sit de tota Essentia & Natura Finîs per totam Essentiam & Naturam Finîs in totam Essentiam & Naturam Finîs; aliter infinire non esset infinitum, nec per consequens id, quod est, sed potiùs limitare, quod in Divino Fine est impossibile; ergo ipsum infinire est incessans producere Infinitum Finem de Infiniente Fine per totum eundem numero Finem immensum, ut idem numero Finis ratione suæ Infinitatis in Bonitate &c. sit totus infinitus, & totus Infinitus de toto Infiniente; & ideo necessariò convenit, quòd tale producere seu infinire sit generare, & talis Finis Infiniens sit Finis Generans, & talis Finis Infinitus sit Finis Genitus, quia ratione Infinitatis ipsius Finîs Infinientis æterni ipse totus Infiniens non cessat totum eundem suum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuum Finem æternaliter de toto ſe ipſo convertere in totum Infinitum totum alium ab Infiniente, producendo totum ipſum de toto ſe ipſo, ipſo Fine exiſtente uno eodem numero; hoc autem non poſſet eſſe ſinè Generare, cùm ſinè ceſſatione æternaliter alium dare totum eſſe alteri toti de toto ſe ipſo in eadem numero Eſſentia Finîs ſit Generare; igitur prædictus Finis Infiniens eſt Generans, & prædictus Finis Infinitus eſt Genitus de toto ipſo Generante; & ſic eſt Generatio in DEO; quod ſi non, infinitus infinitivus Infiniens non converteret ſe ad producendum totum ipſum Infinitum Finem de ſe ipſo toto Infiniente Fine in eadem numero Eſſentia & Natura Finîs; & hoc ideo, quia infinita Largitas Bonitatis &c. non ſufficeret Fini Infinienti in largiri de toto ſe ipſo Finem Infinitum exiſtentem ipſúmmet numero Finem; quod eſt falſum, quia ſic Divina Largitas non eſſet infinita in Bonitate & bonificare &c.; quod eſt impoſſibile. Igitur neceſſariò convenit, quòd in DEO ſit prædicta Generatio.

7. DEUS eſt Subſtantia, & eſt in tantum DEUS in agendo, quantum in exiſtendo, ût probatum eſt; igitur eſt in tantum Subſtantia agendo, quantum exiſtendo; ſubſtantiare autem eſt ſubſtantiale agere ſubſtantiæ: igitur ſicut DEUS totus Subſtantiâ eſt DEUS, ita DEUS totus ſubſtantiando eſt DEUS; ſed non poteſt totus ſubſtantiando eſſe DEUS ſinè generare, quod eſt de Subſtantia Subſtantiante ſubſtantiare Subſtantiatum alium à Subſtantiante, aliàs magìs exiſteret Subſtantia, quàm ſubſtantiaret de eadem; & ſic ipſum ſubſtantiare in DEO eſſet accidentare, quia per exiſtere Subſtantia DEUS exiſteret ipſa Subſtantia Subſtantians, ſed per agere non eſſet ipsâ Subſtantiâ Subſtantiatus; & ſic eſſet in *Majoritate* ratione exiſtendi ſubſtantialiter, & in Minoritate ratione agendi accidentaliter; quod eſt impoſſibile: ergo oppoſitum eſt neceſſarium, & per conſequens Generatio in DEO.

8. Similitudo magìs conſiſtit in *Æqualitate*, quàm in inæqualitate; in DEO autem eſt Similitudo in Bonitate, Magnitudine &c., bonificante, magnificante &c. coæquante ſibi in eadem Bonitate, Magnitudine &c. ſuum bonificatum, magnificatum &c. aſſimilando eum ſibi in coæquando illum ſibi; ſed ſi iſta coæquatio, quæ eſt ipſa aſſimilatio, eſt in DEO per viam Generationis, ita quòd ſimilis de tota ſua Bonitate, Magnitudine &c. generet ſibi ſimilem, coæquando illum in tota eadem Bonitate, Magnitudine &c., eſt magìs ſimilis illi, & è converſo, quàm aliquo alio modo ſinè generatione coæquali in Magnitudine Bonitatis &c.: quare eſt manifeſtum, quòd in DEO ſit perfecta Generatio Coæquati ſimilîs Coæquanti, cùm ratione infinitæ Divinæ Bonitatis, Magnitudinis &c. conveniat, quòd Similitudo ſit infinîta in eadem Bonitate, Magnitudine &c.; imò etiam, ſi aſſimilaret eum ſibi ſinè prædicta Generatione, ſequeretur, quòd bonificaret eum de alia bonitate, & magnificaret eum de alia magnitudine &c., quod non eſſet ipſe bonificans coæquans; & ſic eſſent in DEO diverſæ bonitates, diverſæ magnitudines &c., videlicet diverſæ eſſentiæ, & ſic plures Dii, quod eſt impoſſibile: quare ſequitur, quòd prædicta Generatio neceſſariò ſit in DEO.

9. In DEO non eſt *Minoritas*, imò potiùs DEUS diſtat infinitè ab omni Minoritate ratione infinitæ Magnitudinis Bonitatis, Æternitatis &c.; ergo Divinum *Eſſe* ratione ſuæ Infinitatis in Bonitate, Æternitate &c. diſtat à Minoritate, quæ eſt ens circa *non eſſe*; ſed manifeſtè patet, quòd per Generationem *Eſſe* diſtet à *non eſſe* in Majoritate diſtantiæ ratione Magnitudinis Bonitatis &c., quia per corruptionem ratione Minoritatis Bonitatis &c. *eſſe* tendit in *non eſſe*; igitur eſt manifeſtum, quòd DEUS de ſuo *Eſſe* generet DEUM, ut una eadem numero Eſſentia Deitatis infinitè diſtet à corruptione & Minoritate eſſendi per infinitum *Eſſe* Genitum de infinito *Eſſe*; & ideo convenit, quòd ſit Generatio in DEO, aliàs deficeret illi ſubjectum infinitæ diſtantiæ; quod eſt impoſſibile. Igitur eſt in DEO Generatio, videlicet *Eſſe* Generans de tota ſuámet Subſtantia *Eſſe* Genitum, videlicet DEUS DEUM de tota una eadem numero Deitate ſuî, & ipſe DEUS Generans eſt ille DEUS, quem dicimus DEUM Patrem, quia generat; & ipſe DEUS Genitus eſt ille, quem dicimus DEUM Filium ejus, quia Genitus de tota Subſtantia Patris, exiſtente Generatione ipſius immensâ & æternâ inceſſanter, & immensâ Bonitate, Magnitudine &c. totius unius ejuſdem in numero Deitatis; & hæc eſt illa benedicta Generatio, quam quærimus in DEO, & quam per ſcrutationem manifeſtis Rationibus in DEO invenimus.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO XVIII.

Utrùm in DEO sit Processio?

1. SOlutio. Probatum est, quòd in DEO sit Productio, Distinctio & Generatio, per quam habemus Patrem & Filium, ût jam dictum est; modò inquirimus Processionem in eadem Generatione per Distinctionem & Productionem, ut inveniamus Sanctum Spiritum, & hoc sic: Bonum est Magnitudini DEI, quòd ipsa sit bona; & est bona ratione Bonitatis DEI, ut ipsa Bonitas habeat actum bonificandi; cùm autem Magnitudo essentialiter sit ipsa Bonitas, Bonitas ratione Essentiæ non ponit aliud in Magnitudine, quod non sit ipsámet Magnitudo & ipsámet Bonitas; & sic manifestè constat, quòd ipsa Magnitudo in tantum, quantum ipsa existit, sit bonificata sinè augmento Magnitudinis, & sic oritur Filius ratione bonificationis Magnitudinis, quæ super Magnitudinem, quæ est ipse Pater Bonificans, nihil addit; & ideo convenit, cùm ipsa Magnitudo sit tantum bonificata, quantum ipsa est, quòd eam Bonificatam esse sit Filius derivatus totus à suo Bonificante, cui nihil Essentiæ potest addi; & quia ita est, quòd Pater est Bonificans Magnitudinem (quæ est Filius DEI) quia est Bonificata, oritur inde Sanctus Spiritus isto modo: bonum est Patri, quòd bonificet, magnificet, ut sit Filius, ita quòd Bonitas, quæ est Pater, quia bonificat, sit perfectus Pater, ita quòd non possit esse magìs Pater in ratione Paternitatis, & Magnitudo, quia bonificatur, sit Filius, nec possit esse magìs Filius in ratione Filiationis, sed tamen ultra totum hoc (ût ita loquamur) quòd ille bonificet, & iste bonificetur, *est bonum Patri,* bonificare Filium seu Magnitudinem Filii, = & quia manifestum est, quòd *hoc bonum esse Patri* non sit Pater neque Filius, & quòd *hoc idem bonum esse Filio* non sit Filius neque Pater, ideo necessariò *istud bonum esse* erit Tertium Suppositum oriens ab utroque, quod dicimus Sanctum Spiritum, & ejus Suppositum oriri dicimus procedere ab utroque, quare, ût manifestè patet, talem Processionem Sancti Spiritûs sive Ortum necessariò in DEO invénimus.

= *et similiter Filio,*

2. Virtus ratione Magnitudinis est major in *Concordantia*, quàm in Contrarietate; sed, cùm infinita Magnitudo Virtutis sit in concordativo Patre concordante sibi Filium, quia est in ipsa Concordantia, quæ est Pater, & sit in concordabili Filio concordato à Patre, quia est in eadem Concordantia, quæ est Filius, est necessarium, quòd de Concordantia, quæ est Pater, & de eadem Concordantia, quæ est Filius, procedat eadem Concordantia inter Patrem & Filium, qui, ût probatum est, in tantum sunt distincti, quantum sunt eadem Concordantia Bonitatis, Magnitudinis &c.; & si de Patre & Filio, qui sunt una Concordantia, non procederet Concordantia inter Patrem & Filium, procederet inter Patrem & Filium infinita Contrarietas de infinita Concordantia Patris & Filii, cùm infinita Distinctio non possit esse sinè infinita Concordantia vel infinita Contrarietate inter infinitè distincta, quod per se patet; sed est impossibile, quòd infinita Contrarietas procedat de infinita Concordantia: igitur oppositum est necessarium, videlicet quòd infinita Concordantia de infinitè concordantibus procedat inter eosdem, videlicet de Patre & Filio concordantibus inter ipsum Patrem & ipsum Filium, quæ Concordantia inter ipsos non est Pater neque Filius, quia inter Patrem & Filium non est ipse Pater, nec inter Patrem & Filium est ipse Filius, ût per se patet; igitur eadem Concordantia inter ipsos, secundùm quòd est inter ipsos, est Suppositum Tertium à Patre & Filio de tota eadem numero eorum Concordantia spiratum inter se, & iste est Sanctus Spiritus de infinita Sanctitate utriusque ab utroque spiratus; cùm in DEO tota Magnitudo Virtutis sit in Concordantia Bonitatis; &c. & è converso.

3. Est impossibile, quòd in DEO sit *Contrarietas;* & ut Magnitudo Virtutis non deficiat Magnitudini Concordantiæ in Infinitate Bonitatis &c., nec è converso, est illud, ratione cujus DEUS Pater & Filius infinitè distant à Contrarietate; sed Processio Sancti Spiritûs ex Patre & Filio de tota infinita Magnitudine Virtutis est hujusmodi; nam, si Patrem generare Filium, & Filium generari à Patre est eadem Magnitudo Virtutis in Concordantia inter Patrem & Filium, quæ est Pater & Filius, non existens Pater & Filius, existendo inter utrumque spirata vel procedens ab utroque, cùm conveniat, quòd sit infinita Generatio Patris in Filium & Filii à Patre sinè parvitate Virtutis in Concordantia procedente ex ipsa Generatione inter utrumque, est manifestum, quòd in infinitum sit impossibilis Contrarietas inter Patrem & Filium ratione talis Processionis seu Spi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Spirationis hujus Magnitudinis Virtutis in Concordantia inter Patrem & Filium, quam convenit eſſe aliud Suppoſitum, quod non eſt Pater nec Filius, ſed idem numero DEUS, cùm, ſicut inter utrumque tota non eſt aliquis illorum, ſic in quolibet illorum ſit eadem numero tota, quæ eſt inter utrumque; tota autem ſpirata ab utroque ſive procedens ab utroque Suppoſitum inter utrumque Suppoſitum eſt Sanctus Spiritus, quia ſpiratus ab utroque ſcilicet Patre & Filio.

4. Cùm magnum *Principium* ſit neceſſarium Magnitudini Finîs, & magnus Finis Magnitudini Principii, & DEUS Pater ſit Principium generativè producens Finem Filium de toto ſe ipſo in Magnitudine unius ejuſdem numero Finîs eſſentialis & Principii, ita quòd Pater ſit Principium principiando Generans Principium principiabiliter Genitum, quod eſt Filius de uno eodem numero Fine in eundem numero Finem; & cùm conveniat, quòd Principium Pater ſit magnum Principium Generans in Magnitudine Finîs, & quòd Principium Filius ſit magnum Principium Genitum in Magnitudine Finîs, non poteſt hujus Generationis quantitas ſeu limitatio procedere ab utroque, ut magnum Principium non deficiat Magnitudini Finîs, vel è converſo: igitur Infinitas Finîs eſſendi iſtius Principii Generantis & illius Geniti procedit ab utroque exiſtens unum idem Principium eſſentiale cum utroque, convertibile cum eodem Fine Patris & Filii; & iſte eſt Sanctus Spiritus, quem quærimus, qui non eſt Pater nec Filius, ſed eſt illud, ad quod ſpirandum de tota ſua eadem numero Deitate ſe contrahunt Pater & Filius in tantum, quantum ipſi ſunt, ut, in quantum exiſtit ipſa Generatio ratione utriuſque, in tantum diſtet à privatione in ratione ſpirandi iſtum ab utroque de tota ipſa Generatione.

5. Ratione Magnitudinis Virtutis *Medii* procedit Magnitudo Virtutis Principii in Magnitudinem Virtutis Finîs, & ratione ejuſdem Magnitudinis Virtutis Medii influit Magnitudo Virtutis Finîs in Magnitudinem Virtutis ~~Medii~~ *Principij*, ut per eandem refluat Principium ad ipſum Finem in Magnitudine Virtutis; igitur ablatâ Magnitudine Virtutis Medii neceſſarium eſt, quòd etiam abſit Magnitudo Virtutis Principii & Magnitudo Virtutis Finîs, ût per ſe manifeſtè patet. Igitur cùm DEUS Pater ſit Principium infinitæ Virtutis Generans principiando in infinita Virtute, ut ſit Finis infinitæ Virtutis, ſcilicet Principium Genitum in infinita Virtute, quod eſt Filius, qui Filius eſt Principium infinitæ Virtutis Genitum, ut Finis infinitæ Virtutis ſit Principium Generans, ſcilicet Pater, eſt neceſſarium, quòd ſit Medium inter utrumque, ſcilicet inter Principium, quod eſt Finis Generans, & Finem, qui eſt Principium Genitum, ſapiens naturam utriuſque ſcilicet Gignentis & Geniti in tanta Magnitudine Virtutis, quanta eſt eadem Magnitudo Virtutis utriuſque, quod Medium totum ſpiretur ab utroque toto in eadem numero Magnitudine Virtutis cum utroque, ut, ſicut ab uno in alium eſt infinita & inceſſans Generatio, ita hujus Generationis ſit mutua & inceſſans fruitio ſpirativè producta ab utroque toto, ut non ſit major Finis in generando aliud Suppoſitum aliud, quàm in fruendo aliud Suppoſitum alio, & ut non detur Medium infinitè vacuum inter utrumque, quod eſt impoſſibile: ergo ſpiratur ſeu procedit Medium ab utroque, ſapiens totam eandem numero Naturam utriuſque; & iſte eſt Sanctus Spiritus, quia totus Sanctus ab utroque toto Sancto ſpiratur.

6. Pater & Filius in tantum ſe habent in *Fine* relativè, quantum in Principio, & è converſo, ut Magnitudo ſufficiat eorum Relationi, cui non ſufficeret ſinè Medio ipſius Relationis, in quo Pater & Filius in tantum relativè ſe habeant, quantum in Principio & Fine; iſtud autem Medium unum inter utrumque ratione actionis utriuſque neceſſarium eſt id, quod dicimus Sanctum Spiritum, ut uterque de tota ſua Subſtantia ſpiret ipſum, ut amborum mutua Fruitio ſit in tantum Finis & Principium in ratione Medii & DEUS, quantum ipſi Spirantes, ne ſint Majoritas & Minoritas Magnitudinis Virtutis in Divino Principio, Medio & Fine; quod eſt impoſſibile; & ideo in DEO eſt Spiratio Sancti Spiritûs ab utroque, quæ eſt idem, quod ejus Proceſſio.

7. Homo pater non poteſt tantum majorificare ſuum diligere diligendo ſuum filium, quantũ ſuum homificare generando illum; quod eſt, quia ſuum diligere eſt accidentale, & ſuum homificare eſt ſubſtantiale; ſed convenit, quòd DEUS Pater, ût Pater ratione Magnitudinis ſuæ Virtutis &c. tantum deificet illud diligere, quo diligit ſe tantum Patrem tanti Filii, & illum tantum Filium ſuî tanti Patris, & quo Filius ſe diligit tantum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Filium tanti Patris, & ipsum tantum Patrem sui tanti Filii, quantum deificat generare, quo generatur Filius; aliàs prædictum diligere Filii & Patris esset ens accidentale insufficiens substantialiter ad esse Ens Divinum, quod est impossibile: quare manifestè patet, quòd ad evitandum accidens in Divinis conveniat, quòd in DEO sit Processio prædicti diligere Patris & Filii ab utroque de tota eorum substantia in ratione Tertii Suppositi, ut ipsum diligere & producentes illud sint in majori *Majoritate*, quâ possint esse, & magis separati ab accidente & Minoritate; & illud diligere tale & tantum procedens ab utroque tali & tanto est Sanctus Spiritus spiratus ab utroque.

8. Si Sanctus Spiritus procedit Suppositum à Supposito, quod est Pater, & à Supposito, quod est Filius, est manifestum, quòd sic nullo modo inæqualitas operandi mediet in Divinis; nam, ût suprà probatum est, est manifestum, quòd ex hoc, quòd agere DEI est æquale ipsi existere, sequatur Suppositum Generans Suppositum Genitum in Divinis, ita, quòd ex uno agere immediatè sequantur duo Suppositi, videlicet ex generare, quod est unum, sequantur Pater & Filius, ût Suprà patet, qui duo sunt duo Suppositi, ex quibus procedunt duo agere & unum agere, videlicet duo diligere, & unum diligere; duo quidem, videlicet diligere Patris Filium, & diligere Filii Patrem; unum verò, quia diligere Patris Filium est diligere Filii Patrem, & è converso, cùm non sit nisi unum essentiale diligere, sicut nec nisi una essentialis Voluntas DEI; hoc autem unum diligere mutuum ab utroque spiratum seu procedens ab utroque convenit esse illud Suppositum, quod inquirimus; quod si non, non est *Æqualitas* vel proportio ipsius agere & Divinorum Suppositorum, quia ex uno agere sunt duo Suppositi una Substantia, ût suprà patet; sed ex duobus agere & uno non est unum Suppositum in Divinis; & sic unum agere se habet plùs ad pluralitatem Suppositorum, quæ sunt una Divina Essentia, quàm plura agere existentia unum agere ad Suppositum; igitur cùm in DEO non sit magis neque minùs, necessarium est, quòd prædictum diligere mutuum seu respectivum sit Tertium Suppositum procedens ab utroque, quod dicimus Sanctum Spiritum.

9. Si mutua Fruitio Patris & Filii procedens ab utroque est Suppositum ab utroque spiratum in tantum, quantum ipsi sunt, habent distantiam ab otiositate & *Minoritate* Bonitatis, Magnitudinis &c. tantum, quantum ipsi sunt, cùm eorum Operatio habeat tantum Bonitatis & Existentiæ, quantum ipsi sunt; igitur cùm ratione Perfectionis & Bonitatis eorum conveniat, quòd in tantum distent à Minoritate & defectu, qui sunt causabiles ex cessatione, quantum ipsi sunt, necessariò convenit, quòd eorum mutua Fruitio procedens ab utroque sit Suppositum spiratum ab utroque; quod est ipse Benedictus Sanctus Spiritus, existens in DEO totus DEUS cum Patre & Filio eodem uno DEO.

QUÆSTIO XIX.

Utrùm Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio?

1. SOlutio. Cùm in DEO sit infinita *Distinctio*, secundùm quòd suprà patet, convenit, quòd illa sit magnum Principium infinitum in Magnitudine; & ideo est impossibile, quòd in DEO sit illud, quod diminuit de Magnitudine hujus Principii, quod est ipsa Divina Distinctio; igitur est necessarium, quòd illud sit in DEO, per quod ipsa Distinctio est in Magnitudine suæ Perfectionis; quare convenit, quòd Sanctus Spiritus procedat DEUS à Patre & Filio DEO, ut Principium, quod est ipsa Distinctio, non minuatur de Magnitudine distinctivitatis & distinguibilitatis; nam si Sanctus Spiritus procedit ex utroque, scilicet ex Patre & Filio, est major distinguibilitas ipsius Sancti Spiritûs, & distinctivitas in utroque, quàm si procederet ex Patre vel ex Filio tantùm; ergo Sanctus Spiritus procedit ab utroque, scilicet ex Patre & Filio; quod si non, diminuitur Divina Distinctio de Magnitudine Principii, scilicet de distinguibilitate & distinctivitate; & sic Magnitudo deficit Bonitati &c. Divinæ Distinctionis; quod est impossibile: igitur Sanctus Spiritus procedit ex Patre & Filio.

2. Divina *Concordantia* est tota Pater, & tota Filius, & tota Sanctus Spiritus, ita, quòd totus Filius producatur de tota Concordantia, & Sanctus Spiritus procedat de tota Concordantia; igitur cùm Sanctus Spiritus procedat de tota Concordantia totus Concordantia, est manifestum, quòd procedat ex toto Patre & Filio, cùm illa tota Concordantia sit Pater & Filius, ex quibus procedit unum concordare utriusque, quod est Sanctus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tus Spiritus; nam ſi procederet ex Patre tantùm, vel ex Filio tantùm, concordaret ille, ex quo procederet, alium ſécum, & non è converſo, de eodem concordare; & ſic Concordantia eſſet defectiva in altero Divinorum Suppoſitorum, quia illi Suppoſito deficeret infinitum concordare; hoc autem eſt impoſſibile: ergo ſequitur, quòd Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio.

3. Si ex utroque, ſcilicet à Patre & Filio, procedit de tota eorum Concordantia concordare utriuſque in tanta Magnitudine, quòd ſit infinitum Suppoſitum ſpiratum ab utroque, uterque Spirantium non poteſt magìs in Magnitudine perfectionis diſtare à *Contrarietate* & contrariari; nam ſic uterque totus ex toto ſe ipſo ſpirat unum infinitum concordare utriuſque, & concordat unum infinitum ſpiratum ex utroque; ſed ſi non procedit ex utroque, ſed ex uno tantùm, ille, ex quo non procedit, non concordat ſpirando, nec ſpirat concordando, & in tantum ratione ſuî accedit ad contrariari; ſed cùm infinita diſtantia ſpirandi contrariando, vel contrariandi ſpirando ſit inter Divina Suppoſita, neceſſarium eſt, quòd infinitum concordare utriuſque de tota Concordantia utriuſque ab utroque Spirati ſit infinitum Suppoſitum; quod eſt Sanctus Spiritus.

4. Cùm Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint tria Suppoſita in Divinis, ût per ſupradicta patet, & quodlibet ſit unum Divinum *Principium* æternum fruens & fruitum ratione ipſorum Suppoſitorum, ipſo toto Patre fruente toto Filio & toto Sancto Spiritu, & ipſo toto Filio fruente toto Patre & toto Sancto Spiritu, & toto Sancto Spiritu fruente toto Patre & toto Filio, & hoc unicâ ſolâ eſſentiali Fruitione procedente ab utroque in Sanctum Spiritum utriuſque, fruente Patre Filio de toto ſuo Sancto Spiritu, & Filio fruente Patre de toto ſuo eodem Sancto Spiritu, & Patre fruente Sancto Spiritu de toto ſuo Filio, & Filio fruente eodem de toto ſuo Patre, & Sancto Spiritu fruente toto Patre de toto Filio, & toto Filio de toto Patre, igitur eſt neceſſarium, quòd Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio, ut perfectum Principium fruitivum & fruibile totum non deficiat cuilibet ipſorum Suppoſitorum; quod eſt impoſſibile: quare ſequitur, quòd Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio.

5. Neceſſarium eſt, quòd *Medium* influatur de Principio & Fine ſapiens naturam utriuſque, ut Principium per Medium ſe habeat ad Finem, & Finis per idem Medium ad Principium, & ut etiam Medium ratione Principii ſe habeat ad Finem, & ratione Finîs ſe habeat ad Principium, & ut Finis ratione Principii ſe habet ad Medium, & Principium ratione Finîs ſe habeat ad Medium; & ſic triangulus eſt ex utraque parte continuus de Medio ad Finem, & de eodem Medio ad Principium, & de Principio ad Medium, & de eodem Principio ad Finem, & ſic de Fine ad Principium, & de eodem Fine ad Medium; & hoc Medium, quia de natura utriuſque eſt influxum inter utrumque, nectit in ſe ipſo utrumque in unum; quare convenit, quòd Medium neceſſariò influatur ſeu procedat ab utroque; quod ſi non, continuaretur triangulus ex una parte, & non ex alia; & ſic naturaliter unum conjunctorum influeret ad alterum, ſed non è converſo; & iſto modo Finis influeret Principio per Medium, ſed non reflueret idem eidem per illud, quod eſt contra naturam & conditionem Principii & Medii & Finîs; igitur conſtat, quòd Mediû producatur ab utroque. Unde, cùm Sanctus Spiritus ſit Medium inter Patrem & Filium, cùm ſit id, per quod Pater intelligit & diligit, ſe generare Filium, & id, per quod Filius intelligit & diligit, ſe generari à Patre, ût ſuprà ſignificatum eſt, eſt neceſſarium, quòd procedat ex utroque, ſcilicet ex Patre & Filio; aliter ſequeretur, ſi procederet à Patre tantùm, ita quòd non à Filio, quòd Pater intelligeret & diligeret, ſe generare Filium, ſed non intelligeret & diligeret Filium intelligentem & diligentem ſe generari à Patre, nec Filius intelligeret & diligeret ſe generari à Patre, ſed intelligeret & diligeret Patrem generare ipſum Filium; & hoc intelligeret & diligeret ideo, quia de eadem numero Eſſentia DEI, quæ eſt ipsémet Filius, produceretur à Patre; & ſic implicaretur maximus defectus in unoquoque Suppoſitorum Divinorum; quod eſt maximè impoſſibile; & hoc idem ſequitur, ſi procederet ex Filio, ita quòd non ex Patre; & ideo eſt neceſſarium, quòd procedat ab utroque.

6. Eſt impoſſibile, quòd in DEO *Finis* ſit de eſſentia Majoritatis; & ideo convenit, quòd Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio; quod ſi non, deſtrueretur Æqualitas Finîs propter Majoritatem in iſta circulatione: Pater eſt, ut ipſe ſit, & ut ſit Filius, & ut ſit Sanctus Spiritus; & Filius eſt, ut ipſe ſit, & ut ſit Pater, & Sanctus Spiritus; & Sanctus Spiritus eſt, ut ipſe ſit, & ut ſit Pater & Filius,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ita quòd unus idem numero infinitus Finis essendi existat totus in unoquoque illorum; nam si Sanctus Spiritus non procederet ex utroque, sed ex solo Patre tantùm, Sanctus Spiritus non esset immediatè ratione Finîs Filii, scilicet ut esset Filius immediatè propter esse Sancti Spiritûs, sed ratione Patris tantùm; & sic Filius esset defectivus in Magnitudine Finîs, quia Sanctus Spiritus non esset in tantum, ut esset Filius, in quantum est, ut sit Pater; & hoc, quia Filius in se ipso non frueretur ipso Sancto Spiritu spirando de se, sicut Pater, sed participando cum illo tantùm; & sic esset diminuta ipsa intrinseca & immediata Fruitio ipsius Filii, & non ejus extrinseca: unde sequitur, quòd sit impossibile, quòd Finis infiniat ipsam Fruitionem Filii in Magnitudine, quod est falsum, cùm ipse sit perfectus DEUS. Igitur necessariò convenit, quòd Sanctus Spiritus procedat in tantum ex uno, quantum ex alio, scilicet ex Patre & Filio simul.

7. Si Sanctus Spiritus procedit ex solo Patre, Pater est *major* agendo, quàm Filius, quia Pater generat & spirat, sed Filius nec generat nec spirat; si verò procedat ex solo Filio, Filius est major fruendo, quàm Pater; sed, si procedat ex utroque, Pater, in quantum generat Filium, in tantum Spirat Sanctum Spiritum; & Filius, in quantum generatur, in tantum spirat eundem; & in quantum Pater spirat, in tantum Filius fruitur illo Spirante, & è converso Pater, in quantum spirat Filius, in tantum fruitur eodem; & sic est impossibilis inæqualitas inter Patrem & Filium; sed consistit Magnitudo æqualiter in utroque: unde necessariò convenit, quòd Sanctus Spiritus procedat ex utroque æqualis utrique, ut non sit inæqualitas in Divinis.

8. Cùm Pater generando intelligat & diligat Filium, necessariò convenit è converso, quòd Filius essendo genitus in tantum diligat & intelligat Patrem, quantum Pater intelligit & diligit genitum; sed cùm non sit nisi una essentialis Dilectio utriusque, & alius intelligat & diligat alium in tantum, quantum ipse est DEUS, necessariò convenit, quòd illa Intellectio & Dilectio utriusque spirata ab utroque de necessitate procedat æqualiter æqualis utrique; quia tota sapit totam *Æqualitatem* utriusque in infinita Magnitudine Bonitatis &c.; quod si non, Magnitudo generandi & essendi generati esset contra se ipsam ratione suæ conditionis & ratione conditionis Bonitatis &c.; quod est impossibile: ergo sequitur, quòd Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio.

9. Si Sanctus Spiritus procedit ex Patre & Filio, est manifestum, quòd habeat plus Entitatis in Bonitate &c. Patris & Filii, secundùm quòd per prædicta patet; si verò non procedit ex utroque, habet minus; igitur Sanctus Spiritus necessariò procedit ex Patre & Filio; & si non, aut major Entitas Sancti Spiritûs in Bonitate &c. Patris & Filii erit in privatione, & minor in *esse*, & Sanctus Spiritus non erit DEUS, quia ratione suæ *Minoritatis* est ens circa nihil, quod est impossibile: aut ipsa Minoritas ejus, si non procederet ab utroque, erit Majoritas, & è converso, quod est contradictio: quare Sanctus Spiritus necessariò procedit ex Patre & Filio.

QUÆSTIO XX.

De Modo Generandi in Divinis.

1. SOlutio. Ad faciliùs intelligendum Modum Generandi in Divinis subjicimus primò intellectui modum generandi in diversis creaturis, ut intellectus per *similitudinem* transcendat ad *rem similatam*, & primo: intelligimus, quòd ignis ratione suæ formæ sit distinctivus, & ratione suæ materiæ distinguibilis in omnibus suis primis principiis, quæ sunt igneïtatis bonitas, magnitudo, duratio, potestas, instinctus, appetitus, virtus, veritas, finis & cætera hujusmodi, ita quòd ipsa Bonitas ignea, & sic de aliis, est distinctiva ût forma, & distinguibilis ût materia; & ideo ignis habens has prædictas conditiones in omnibus suis primis principiis simpliciter generat ignem compositum, sed tamen à se ipso simplici distinctum ratione mixtionis aliorum elementorum cum igne, sinè quibus non potest generare illum; & in hoc, scilicet in compositione & etiam in accidentibus *dissimilatur* hæc generatio ignîs increatæ Generationi DEI, sed in aliis bene stat similitudo. Nam DEUS Pater est *distinctivus* ût Forma in tota Divina Bonitate &c., sed in hoc hæc Generatio est altior, quàm in igne & in cæteris creatis, quia DEUS Filius habens ex Patre totam Divinam Formam, quæ est Pater, & non aliquid aliud, quod non sit pura Divina Forma, est totus distin-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diſtinguibilis ût Forma, non autem ût materia, ita quòd tota Bonitas eſt tota Magnitudo &c., quæ eſt Pater, diſtinguendo bonificativa, magnificativa &c. ût Forma, & eadem Bonitas, Magnitudo &c., quæ eſt Filius, eſt bonificabilis, magnificabilis &c. ût Forma, exiſtente ipſo toto Filio diſtinguibili & diſtincto à Patre. Iterum oſtenditur Modus Generationis in Divinis ſic: in DEO Bonitas, Magnitudo &c. ſunt idem numero, ut Bonitas non ſit magna per accidens, & è converſo; quia ſi eſſet magna per accidens, eſſet malum & parvum in DEO; quod eſt impoſſibile: unde patet, quòd in DEO ſequeretur accidens, ſi Bonitas, Magnitudo &c. non eſſent idem numero, ita quòd ſequatur Subſtantiatum Generatum, quia ſunt idem numero; aliàs numeralis Identitas earum careret fine; quod eſt impoſſibile. Præterea, ut in DEO Bonitas, Magnitudo &c. ſint reales Rationes, oſtenditur Modus generandi ſic: in DEO Bonitas, Magnitudo &c. ſunt idem numero; & quia convenit, quòd Bonitas ſit magna ratione Magnitudinis, & Magnitudo bona ratione Bonitatis, & ſic de Æternitate, Poteſtate &c., & quia plus eſt, quòd ſint idem numero, & quòd Bonitas ſit magna ratione Magnitudinis, & è converſo, quàm ſi eſſent tantùm idem numero, & ſi Bonitas non eſſet magna ratione Magnitudinis, & è converſo nec Magnitudo bona ratione Bonitatis; ſic fortiter tranſit ſeu ſequitur, quòd Bonitas, quæ eſt Pater, per viam Generationis ſit magna in generando Filium, qui eſt magnum Bonum generatum; etiam Bonitas Patris ſit per viam Generationis æterna in generando Filium bonum æternum; & ſic Divinæ Dignitates ſunt reales Rationes inconfuſæ per viam Generationis, ſinè qua Generatione non poſſent ſtare realiter inconfuſæ.

2. Viſus eſt concordativus, lux autem oculi, aëris, Solis & objecti ſunt concordabiles in concordabili luce visûs; & ita viſ[illegible]us ût forma generat videre in propria luce, in qua ſunt concordabiles alienæ luces, ut totum inſimul ſit ſubjectum, in quo viſivum de ſimilitudinibus objecti generat viſibile genitum. Unde generatio visûs eſt diſſimilis Divinæ Generationi, in qua viſivum non ſufficit de ſua propria viſivitate generare ſuum viſibile in viſum, quia ad hoc non habet plenam *Concordantiam* ſinè alieno ſubjecto; & ideo generatur inde accidens videre, quia ſubjectum propinquum & remotum viſi geniti non ſunt eadem numero eſſentia visûs. Igitur in defectu concordantiæ iſtius generationis illuceſcit per oppoſitum plenitudo Concordantiæ Divinæ Generationis, quia, cùm ſit infinita Concordantia Bonitatis, Magnitudinis &c. Generationis Patris in Filium, in Divinis ſufficiunt infinita Bonitas, infinita Magnitudo &c., quòd totus Pater ſit concordativus generando de tota eadem infinita Bonitate &c. Filium concordabilem in tota eadem infinita Bonitate &c., exiſtente totâ eâdem infinitâ Bonitate &c. generabili concordabili in ipſo Filio DEO, ita quòd unaquæque Dignitas DEI eſt tota concordativa generativè ratione Paternitatis, & tota concordabilis generabiliter ratione Filiationis ſinè indigentia alterius naturæ, cùm una eadem Concordantia Gignentis & Geniti DEI ſit infinita & æterna in Simplicitate Deitatis; & inde procedit infinitum concordare infinitè remotum ab accidente.

3. Humanus intellectus in imaginatione generat ſpecies ſenſibiles objecti, ut circa res imaginabiles *contradicat* ignorantiæ & oblivioni, & etiam otioſitati voluntatis generando verbum in una concordantia veritatis potentiæ & objecti; ſic ſimiliter & multò altiùs ſinè comparatione DEUS Pater in Deitate deificat, id eſt, bonificat infinitam Magnitudinem &c. Generabilîs Filii generando Filium, attingens illum generando eum de ſua Bonitate &c. in ſua Bonitate, Magnitudine &c., ut contradicat malitiæ, parvitati &c. otioſitatis intelligendi, bonificandi & diligendi &c. Intellectûs, Voluntatis, Bonitatis &c. Patris & Filii; quod eſſet ſummum malum, parvum &c. DEO Patri & Filio.

4. Intellectus agens eſt generativus, & ſuum intelligere eſt generabile in intellectu poſſibili, qui eſt ejus proprium intelligibile, in quo etiam ſémet ipſum intelligit; & in iſto intelligibili generat ipſe intellectus agens ſimilitudines ſeu ſpecies abſtractas de ſenſibili & imaginabili, aſſimilando eas, & dividendo ſe à phantaſmatibus rerum ſenſibilium, ita quòd intelligit ſe bonum magnum &c., quantum agens; & ſic in ſuo intelligere eſt ejus bonitas &c. principiativa, quia ipſe eſt intellectivus & agens, & eſt intelligibilis, ût eſt poſſibilis; & ſic ſequitur generare intelligere principiatum & generatum per virtutem intellectivi & intelli-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

telligibilîs de bonitate, magnitudine &c. ipsius intellectivi & intelligibilîs. Sed in Essentia DEI Pater est intellectivum & generativum *Principium*, Filius autem est ejus Proprium Intelligibile, in quo Pater se intelligit bonum, magnum &c., & etiam intelligit suum Filium in suámet Bonitate Genitum; & hoc modo DEUS Pater generat DEUM Filium intelligendo se in Filio, & è converso, ratione Bonitatis &c.

5. In generatione plantæ procedit virtus de substantia in operationem, existens in *Medio* agentis & agibilîs, ut gignens influat genitum mediante virtute bonitatis, magnitudinis, durationis &c. gignentis. Unde per simile ratione Medii significatur Modus generandi in Divinis; quia, cùm DEUS Pater sit agens generativus, & Filius agibilis genitus, procedit quædam Virtus de tota Divina Substantia in infinitam Operationem Deitatis, existens Medium agentis & agibilîs, ut ipse agens generativus influat agibilem genitum de tota Bonitate, Magnitudine &c. suî; & ita Pater generando cõmunicat se ût bonus, magnus &c. Filio bono, magno &c.; & hoc modo tendendi de toto bonificare, magnificare &c. Substantiæ Patris in Filium generatur ipse Filius DEUS in Medio, scilicet in bonificare, magnificare &c., quod est Virtus conjungens Medium Bonitatis cum Medio Magnitudinis &c., & bonum cum bono, & magnum cum magno; & sic de aliis.

6. Homo pater convertit illam materiam, quæ vegetando ei advenit, in suam propriam materiam in generando carnem, quia convertit cibum & potum in suam speciem, quantum potest, per viam nutrimenti, ut ipsa caro ejus sit genita, sit etiam potentia & habitus generandi filium, quia ipsa materia remota, postquam conversa est in ejus carnem, conversa est in potentiam ratione materiæ, & habitum ratione formæ ad generandum filium; deinde, cùm per viam generationis suæ speciei transit in actum, transmittit suæ speciei generativè filium ejusdem speciei in potentia & habitu, & mulier hoc, quod sibi generativè formaliter transmittitur, recipit materialiter, & stat in muliere forma agens ad hominem, quæ in suam propriam materiam convertit illam carnem, quam ipsa mulier generat in suam speciem de remota materia adveniente sibi edendo; & hoc modo fit generatio hominis semine Patris & matris tendente ad hunc finem, qui est homo generabilis ex his duobus principiis per prædicta media. In DEO autem sinè comparatione est altior Modus generandi; nam DEUS Pater generando transmittit suum Filium actu in *Finem* Bonitatis, Magnitudinis &c., & Finis Bonitatis in se ipsum recipit DEUM Filium actu; & hoc modo DEUS Pater generat de Fine suum Filium DEUM in eodem Fine, in quo Fine ipse Pater & Filius sunt unus numero Finis coæqualiter infinitè & æternaliter; & ideo in ipsa Generatione DEI sunt impossibiles potentia & habitus.

7. Homo justus dormiens habet justitiam habitu, cùm autem surgit à somno & agit de justitia, tunc generat actum justitiæ, communicando suam bonitatem magnitudini, & è converso, & sic in suo actuali recolere, intelligere & velle generat actu virtutem de virtuoso lumine bonitatis, magnitudinis &c., ex quibus justum recolere, justum intelligere & justum velle sunt influxa, videlicet ex bonitate &c., de quibus anima cum suis potentiis est constituta; & iste est modus generationis virtutis moralîs, significans, prout potest, Modum Generationis in Divinis: quia Pater agens de tota sua Virtute generat actum totius suæ Virtutis in Filium, communicando suam Bonitatem Magnitudini (& è converso) substantialiter sinè Minoritate, & sic in suo proprio intelligere & velle bonum, magnum &c. in *majori* Magnitudine Bonitatis; quia Pater generat actu substantialiter sinè cessatione Æternitatis & Infinitatis de tota virtuosa Essentia infinitæ Bonitatis, Magnitudinis &c., de quibus infinitum intelligere & diligere Filii geniti à Patre productum est, DEUM Filium infinitam Bonitatem, Magnitudinem &c., quæ sunt tota Divina Essentia.

8. Humanus intellectus generat habitum scientiæ in *Æqualitate* recolendi, intelligendi, volendi, bonificandi &c., & in æqualitate recolitivi & recolibilîs, intellectivi & intelligibilis, volitivi & volibilîs, bonificativi & bonificabilîs &c.; & quantò magìs intellectus coæquat hæc omnia, tantò magìs generat scientificum habitum in se ipso; & hæc generatio scientifici intellectûs repræsentat Modum Generationis DEI, prout potest, quia DEUS Pater coæquativus de Summa Æqualitate, quæ possit esse, bonificandi, magnificandi, æternificandi Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis &c. generat Filium sibi coæquatum in bonificare, magnificare,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

care, æternificare &c., & in Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c., ut magìs ſit remotus à parvitate vel Minoritate ſuæ Generationis.

9. Homo & Sol generant hominem, homo quidem ſubſtantialiter, Sol verò accidentaliter; igitur in generatione hominis generat homo per modum Majoritatis, & Sol per modum *Minoritatis* tantùm; & adhuc, quia homo non poteſt generare hominem ſinè adjutorio alterius naturæ remotæ, generat homo hominem per modum Minoritatis; ſed DEUS Pater generat DEUM Filium ſinè aliqua Minoritate, quia ſinè omni adjuvamento alienæ eſſentiæ de ſuámet Eſſentia ſeu Subſtantia, quæ ad hoc eſt ſufficiens, cùm ſit ſubſtantialiter infinita & æterna in ſuámet Bonitate, Magnitudine &c.; & ſicut ad generandum hominem generatio hominis magìs diſtat à Minoritate, quàm generatio Solis, quia homo in homine de ſe generat hominem, Sol verò non generat hominem in Sole: ſic ex hoc, quia DEUS Pater generat DEUM Filium in DEO, exiſtente utriuſque Deitate unâ numero, diſtat Generatio DEI tantùm à Minoritate ſuper omnes generationes. Et iſta ſufficiant de Modo generandi in Divinis.

QUÆSTIO XXI.

De Modo procedendi in Divinis?

1. SOlutio. Modus procedendi in Divinis poteſt conſiderari *per ſimile in creatis;* nam ignis in compoſito elementato tranſit in aërem, & ejus caliditas in humiditatem aëris, igne calefaciente aërem; & ideo de igne in aëre, & è converſo, procedit tertium, tamen cum aliis elementis, videlicet elementatum diſtinctum ſpecie ab igne & aëre, ex quibus procedit, quod ſcilicet elementatum ex utroque procedit diſtinctum in ſuam ſpeciem ratione *diſtinctionis* utriuſque producentis illud. Et in hoc oſtendit, quantum poteſt, operatio elementorum Proceſſionem in Divinis, quia Sanctus Spiritus procedit DEUS in DEO ex DEO Patre & Filio, & quia Pater eſt in Filio, & è converſo Diſtinctimodè, ideo procedit Sanctus Spiritus diſtinctimodè ex utroque diſtinctus ab utroque.

2. Ignis calefacit aërem in tantum, quòd aër, qui non eſt ignis, fit calidus ab igne; & ideo inter ignem & aërem ſtat tertium, ſcilicet calidum ignîs & aëris, ſapiens naturam utriuſque, in quo ignis & aër invicem concordant; & ſic de eorum *concordantia* procedit concordatum ſpecificatum & derivatum aliud ab ipſis diſtinctum. In Divinis Pater generat Filium in tantum, quòd Filius, qui non eſt Pater, ſit genitus Filius DEUS à DEO Patre; & ideo inter Patrem & Filium reſultat tertium, quod eſt DEUS, ſapiens totam naturam utriuſque, in quo ſcilicet tertio Pater & Filius invicem concordant, & ita de eorum Concordantia procedit ex utroque concordatum unitum diſtinctum ab utroque, qui eſt Sanctus Spiritus procedens totus Concordantia Bonitatis &c. Patris & Filii.

3. Ignis intrat aquam, ut calefaciat eam, & aqua ignem, ut frigefaciat eum, & ſic alius in alium per modum *contrarietatis*, & ideo ex mutua contrarietate amborum procedit ab ambobus contrariatum non principaliter & formaliter ratione contrarietatis eorum, ſed materialiter, imò ratione concordantiæ aliorum elementorum, quæ concordantia ratione talis contrarietatis eſt ſubjecta corruptioni; in Divinis autem DEUS Pater generando deificat DEUM Filium, & non è converſo, in tanta Concordantia, quòd de tota Concordantia procedat ex utroque concordatum infinitâ Concordantiâ utriuſque, ut in infinitum ſit impoſſibile, quòd ab utroque procedat contrariatum; & ideo procedit ipſe Sanctus Spiritus infinita Concordantia inter Patrem & Filium in Divinis.

4. Quantitas in ſubſtantia procedit ex ſubſtantia exiſtens diſtincta à ſubſtantia; quia forma ſubſtantiæ eſt quanta & materia quanta; & ſic extenſa quantitas ſubſtantiæ de intenſa quantitate formæ & de intenſa quantitate materiæ procedit extenſa, & ſic de intenſa quantitate ſubſtantiali procedit accidentalis quantitas extenſa per totam ſubſtantiam ſapiens naturam formæ ſubſtantiæ#, & naturam materiæ ratione materiæ ſubſtantiæ. In Divinis autem Pater eſt tota Divina Subſtantia ſinè quantitate, & Filius tota eadem Divina Subſtantia ſinè quantitate, & hoc ratione Infinitatis & Æternitatis Bonitatis, Poteſtatis, Virtutis & Veritatis &c.; & ideo, cùm Pater, quia generans, & Filius, quia genitus, ſe habeant infinitè & æternaliter quoad unum in ratione *principiantis* & principiati, ſapiens totam naturam utriuſque, ſcilicet principian-

ratione forme

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tis Gignentis, & principiati Geniti, procedit illud tertium ab utroque Subſtantia infinita & æterna utriuſque, & ſic de tota eadem Immenſitate procedit eadem numero Divina Immenſitas in totam Divinam Subſtantiam, ut tota Divina Subſtantia in Bonitate &c. immenſa ſit tota in Patre, tota in Filio, tota in Sancto Spiritu, infinitè diſtans à quantitate, tempore & omni accidente.

5. In homine moralis Virtus, ſcilicet Juſtitia, Prudentia &c., & etiam virtus &c. ignîs in elementato procedit *Medium* ex Principio & Fine; ſed alio modo procedit ex Principio, & alio modo ex Fine, & alio modo conſiſtit, quàm ſuum Principium vel Finis, ex quibus procedit. In Divinis autem Sanctus Spiritus procedit ex Patre & Filio tanquam ex Principio & Fine Medium exiſtens idem in numero Principium & Finis, quia Pater & Filius ſunt ei Principium & Finis in ſpirando, & ipſe in bonificare, magnificare &c. procedit ex Principio & Fine Medium inter Patrem & Filium, quod non eſt Filius neque Pater, quia in ſe toto eſſendo ſpiratus eſt alius à Patre generante, alius verò à Filio genito, eſſendo idem totus numero DEUS cum eis.

6. Sapor procedit formaliter & materialiter de virtute guſtûs, formaliter quidem ratione guſtativi, materialiter autem ratione guſtabilîs; ſed ipſe ſapor prout eſt à guſtabili, diverſimodè procedit ab illo, prout conſtituitur unum guſtabile de propinquo, quod eſt de eſſentia ipſius guſtûs, & de remoto, quod eſt de eſſentia cibabilîs cibi, vel potabilîs potûs, quia materialiter & extensè ex iſto guſtabili remoto procedit, ſed intensè procedit ex ipſo guſtabili propinquo, ut ſequatur unus *Finis* guſtatus; & ideo quia diverſimodè appetitus diversè procedit, contingit, quòd ſit diverſus; quod patet, quia, cùm guſtabile propinquum eſt infirmum ratione ſuî & ſui guſtativi, convertitur extensè dulcedo guſtabilîs remoti in amaritudinem intenſam, quæ eſt inter guſtabile propinquum & ſuum guſtativum: unde patet, quòd Finis guſtûs conſiſtat in guſtato, procedens de forma & materia guſtûs. Et in hoc ſignificatur, quòd in ipſo Summo Fine, qui eſt DEUS, Sanctus Spiritus procedat Finis infinitus de infiniente Patre & de infinito Filio, ut ſit impoſſibilis finitas inter infinitivum & infinibilem, ex quibus procedit.

7. *Majoritas* ipſius *eſſe* procedit ex Majoritate ſuæ eſſentiæ, videlicet ex Majoritate ſuæ formæ & ſuæ materiæ, de quibus ipſum *eſſe* vel ipſum ſuppoſitum eſt conſtitutum; unde ipſa Majoritas eſt in eſſe ens eſſentiale, major tamen in *eſſe*, quàm in eſſentia, cùm eſſentia ſe habeat ad *eſſe*, & non è converſo; Minoritas autem egrediens de Minoritate eſſentiæ in *eſſe* eſt ens accidentale, in quo ipſum *eſſe* eſt minus, quàm eſſentia ipſius *eſſe*; & ita Majoritas & Minoritas procedunt ex eſſentia in *eſſe*, in quo ſimul cum ipſa eſſentia, de qua procedunt, permanent, influente ipsâ eſſentiâ ſuas Majoritates, & ipſo *eſſe* refluente ſuas Majoritates ad ipſam eſſentiam. Et hoc, quantum poteſt, repræſentat, quomodo ſit Proceſſio in Divinis; quia Pater & Filius ſunt Eſſentia Sancti Spiritûs, & Sanctus Spiritus eſt *Eſſe* procedens ex Patre & Filio de tota ſubſtantiali Magnitudine Patris & Filii, non eſt Majoritas nec Minoritas, neque procedit de Majoritate, nec de Minoritate, cùm Magnitudo utriuſque, ſcilicet Patris & Filii ſit Actus infinitus in Bonitate &c.; & ideo Pater & Filius cum Sancto Spiritu remanent unum *Eſſe*, una Eſſentia, cùm in DEO ſit nulla Diſtinctio inter Eſſentiam & *Eſſe* ratione infinitæ Unitatis Finîs Bonitatis &c. Eſſentiæ & ipſius *Eſſe*.

8. *Æqualitas* ipſius intelligere de Æqualitate intellectivi & intelligibilîs propinqui procedit ex utroque, permanens in eadem Æqualitate, ex qua procedit; & ſic eſt egrediens & permanens; & ita in effectibus Summæ Cauſæ æquale ex æqualibus de eorum Æqualitate procedit. Sed in Eſſentia ipſius Summæ Cauſæ ſimilatus Proceſſus eſt major; quia Sanctus Spiritus de Æqualitate Patris & Filii procedit Æqualitas ex utroque æquali in Bonitate &c.; nam, cùm Pater ſit æqualis Filio, & è converſo, & de tota ſua Æqualitate ſpirent Sanctum Spiritum, neceſſariò Sanctus Spiritus ex æqualibus ſpiratur eis æqualis exiſtens ſeu permanens Æqualitas cum Patre & Filio ſpirantibus illum.

9. In naturalibus de ſimilitudinibus procedit ſimilitudo; ſed ex *Minoritate* bonificativi & bonificabilîs procedit Minoritas ipſius bonificare & bonificati, ita quòd Minoritas bonificativi tranſit ad bonificabile, & refluitur è converſo. In DEO autem de eadem infinita ſimilitudine Patris & Filii procedit Sanctus Spiritus Similitudo; & ſic Sanctus Spiritus ſpiratur infinita Similitudo Patris in Filium, & reſpiratur infinita Similitudo Filii

in

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in Patrem, Patre de toto ſe ipſo fruente Filio, & è converſo, & ſic Sanctus Spiritus procedit ex Patre Similitudo Patris in Filium, & procedit ex Filio Similitudo Filii in Patrem; ergo Sanctus Spiritus eſt Similitudo de Similitudine, DEUS de DEO, procedens ſimilis ex Similibus, Suppoſitum ex Suppoſitis, permanens in Patre & Filio unus DEUS per infinita ſæcula Benedictus.

QUÆSTIO XXII.

Utrùm in DEO ſit tantùm Trinitas Divinorum Suppoſitorum?

SOlutio. Suprà probatum eſt, quòd in DEO ſit Generatio & Proceſſio, & ratione iſtarum per conſequens Pater & Filius & Sanctus Spiritus; quare ad prædictam probationem ſequitur in Divinis Pluralitas, & non minus, quàm ternarius numerus; idcirco præſens inveſtigatio eſt, utrùm in Divinis ſint plures Perſonæ vel Suppoſita quàm tria; & hoc ſic.

1. In Divinis eſt infinita *Diſtinctio* generando & procedendo, ùt ſuprà patet, ex qua conſiſtunt Pater & Filius ratione Generationis, Patre generante Filium, & Sanctus Spiritus ratione Proceſſionis, ipſo Sancto Spiritu procedente ex Patre & Filio; cùm autem ipſa Diſtinctio DEI & ipſa Unitas DEI convertantur, ùt ſuprà dictum eſt, eſt impoſſibile, quòd aliquis defectus vel inæqualitas implicetur in ipſa Unitate DEI ratione Diſtinctionis Divinorum Suppoſitorum, vel Contrarietas vel diſproportio inter Pluralitatem eorum & Unitatem eorum; quæ Unitas & Pluralitas eſſentialiter & inconfusè neceſſariò convertuntur.

Sed ùt ſuprà patet, Unus producitur de Uno in Divinis, videlicet Filius de Patre; hoc autem Unum Produci Unius ab Uno non poteſt eſſe duo vel plura produci Unius ab Uno in DEO, ſicut in DEO non ſunt duæ vel plures eſſentiales Unitates, nec duæ vel plures eſſentiales Bonitates &c.; quare neceſſariò convenit, quòd Unitas producendi Unius ab Uno ſit ipsámet Unitas DEI; cùm ſit impoſſibile, quòd in DEO ſint plures Unitates, ſicut eſt impoſſibile, quòd in eo ſint plures Eſſentiæ. Igitur eſt neceſſarium, quòd in DEO ſit unus Pater tantùm, & unus Filius tantùm, & eſt impoſſibile, quòd in illo ſint plures Patres & plures Filii; aliter enim Divina Diſtinctio non converteretur cum Divina Unitate; & ſic conveniret, quòd eſſent plures Dii, quod eſt falſum. Igitur in DEO eſt Unum Produci Unius ab Uno.

Iterum, ût ſuprà probatum eſt, Unum Suppoſitum producitur ex Duobus Suppoſitis, ût Sanctus Spiritus à Patre & Filio; hoc autem Produci Unius ex Duobus ſimiliter neceſſariò convenit, quòd ſit Unum ratione Unitatis DEI, cum qua convertitur ipſa Unitas producendi Unum ex Duobus; aliter ſequeretur illud falſum, quod ſuperiùs. Igitur eſt impoſſibile in DEO, quòd Pater & Sanctus Spiritus, vel Filius & Sanctus Spiritus producant aliud Suppoſitum ex ſe ipſis.

Iterum, ût ſuprà patet, Duo producuntur ex Uno, ſcilicet Filius & Sanctus Spiritus ex Patre, & convenit, quòd hoc Produci Duorum ex Uno ex eâdem ratione, quâ priùs, neceſſariò ſit unum tantùm, & non plura. Igitur eſt impoſſibile, quòd Filius producat duos, vel Sanctus Spiritus duos.

Igitur in his *Tribus Modis producendi* importatur Trinitas Divinorum Suppoſitorum, ſcilicet Patris & Filii & Sancti Spiritûs, nec poteſt eſſe alius modus producendi ab iſtis, quin deſtruat Unitatem alicujus illorũ, quam impoſſibile eſt deſtrui, ût jam probatum eſt. Igitur eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit aliquod aliud Suppoſitum, niſi Unus Pater, & Unus Filius, & Unus Sanctus Spiritus tantùm, qui ſunt DEUS. Quòd autem non poſſit eſſe alius modus producendi in DEO, quin deſtruat aliquem prædictorum Trium Modorum neceſſariorum ratione Generantis & Geniti & Procedentis ab utroque, ût ſuprà dictum eſt, vel quin ponat pluralitatem alicujus illorum, quod eſt impoſſibile, patet, quia ſic conveniret, quòd unum Suppoſitum produceretur ex tribus Suppoſitis, vel tria ex uno, vel duo ex duobus &c. Si autem unum produceretur ex tribus, produceretur ex Patre & Filio & Sancto Spiritu alius ab illis, & ſic daretur Pluralitas ſecundi prædicti Modi, videlicet aliud Produci Unum ex Duobus, ſcilicet Filio & Sancto Spiritu, quod non eſſet Produci ipſius Sancti Spiritûs ex Patre & Filio; & quantum ad hoc, deſtrueretur ipſa Unitas in Divinis, quod eſt impoſſibile: igitur unum non producitur ex tribus, nec per conſequens unum ex quatuor. Si verò tria Suppoſita producerentur ex uno, non poſſunt produci ex Filio, quia non poteſt producere duo, ût patet per prædicta; nec ex Sancto Spiritu, quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non producit, ût patet per prædicta; nec ex Patre, quia aut conveniret, quòd tertium Suppoſitum produceretur ex Patre reſpectu Filii & Sancti Spiritûs, & ita produceretur ab eis, ſicut Sanctus Spiritus, quia eſt ſecundum Suppoſitum productum, producitur de Patre & de Filio; & ſic ſequitur eadem diverſitas Unitatis, quæ priùs, quod eſt impoſſibile: aut conveniret, quòd produceretur ex ſolo Patre non reſpectu alterius Suppoſiti, & ſic eſſent in DEO duo Produci Unius ab Uno, quod ſimiliter eſt impoſſibile ratione Unitatis DEI; imò etiam quodlibet omnium Divinorum Suppoſitorum non eſſet Finis cujuslibet eorum; & ſic eſſent in DEO Majoritas & Minoritas diverſificantes Unitatem DEI, quod eſt impoſſibile. Igitur eſt manifeſtum, quòd tria Suppoſita non poſſint in DEO produci ab uno Suppoſito, nec per conſequens plura, quàm tria. Si etiam duo producerentur ex duobus, ſic eſſent in DEO duo Produci Unius ab Uno, vel duo Produci Duorum ab Uno; & ſic ſimiliter deſtrueretur ipſa eſſentialis Unitas DEI; quod eſt impoſſibile: & ideo eſt impoſſibile, in DEO duo produci ex duobus, & per conſequens impoſſibile, plura vel plures produci ex pluribus. Igitur reſtat Unum Produci Unius, ſcilicet Filii ex Uno, ſcilicet ex Patre, ût ſuprà probatum eſt; & Unum Produci Unius, ſcilicet Sancti Spiritûs ex Duobus, ſcilicet Patre & Filio, ût ſuprà probatum eſt; & Unum Produci Duorum, ſcilicet Filii & Sancti Spiritûs ex Uno, ſcilicet ex Patre, ita quòd ex hoc non ſequantur duo Produci Unius ex Uno, quia Pater producens Filium de illo eodem Producere Uno quoad ſe dat eſſe Sancto Spiritui ratione Filii eodem modo, & nec ſequantur duo Producere Unius ex Uno, ex eo, quòd Unum, ſcilicet Sanctus Spiritus producatur ex Duobus, ſcilicet ex Patre & Filio, quia Sanctus Spiritus ſumit Unicam Rationem procedendi æqualiter ex utroque, ſcilicet ex Patre & Filio. Quare ad neceſſariam Poſitionem prædictorum Modorum producendi in Divinis neceſſariò ſtat Trinitas prædictorum Suppoſitorum in Divinis, & non ultrà; quæ tota Trinitas convertitur cum ſola & ſimplici Unitate DEI, ſicut ſuprà probatum eſt.

2. Neceſſarium eſt, quòd in DEO ſit Unus Pater, & Unus Filius ratione Divinæ Unitatis, & hoc in tanta *Concordantia* Bonitatis &c. utriuſque, quòd ex ipſa Concordantia utriuſque procedat Sanctus Spiritus ex utroque æqualis utrique in Magnitudine Bonitatis & Deitatis, qui, cùm ſit æqualis utrique, ſufficit Magnitudini Concordantiæ utriuſque; & ideo eſt impoſſibile, quòd detur quartum Suppoſitum in Divinis, quia ſic Sanctus Spiritus non ſufficeret Magnitudini Concordantiæ Patris & Filii, ſi produceretur vel procederet de ipſa Concordantia aliquod quartum Suppoſitum, quod per ſe patet, & ſic Sanctus Spiritus cum Patre & Filio non eſſet DEUS, quia non eſſet æqualis utrique, quod eſt impoſſibile, ût ſuprà patet: ergo in DEO eſt Trinitas Suppoſitorum tantùm.

3. Illud eſt impoſſibile in DEO, quod importat minorem remotionem Deitatis à *Contrarietate*; ſed cùm DEUS Pater ſit tota Deitas, & Filius tota eadem Deitas, & Sanctus Spiritus tota eadem Deitas, eſt neceſſarium, quòd ſit illud, per quod magis impoſſibile eſt, quòd Pater contrarietur Filio, & è converſo, & Filius contrarietur Sancto Spiritui, & è converſo, & Sanctus Spiritus contrarietur Patri, & è converſo; ſed Trinitas, quam Pater & Filius & Sanctus Spiritus conſtituunt de ſuis Perſonis vel Suppoſitis, eſt hujuſmodi ſinè quaternitate perſonarum, ſi Sanctus Spiritus in ratione Suppoſiti eſt una infinita Concordantia Patris & Filii, & Pater in ratione Suppoſiti eſt una infinita Concordantia Filii & Sancti Spiritûs, & Filius in ratione Suppoſiti una infinita Concordantia Patris & Sancti Spiritûs; &, ſi eſſet quartum Suppoſitum in Divinis, aut Pater, aut Filius, aut Sanctus Spiritus non eſſet infinita Concordantia in ratione Suppoſiti ſufficiens inter duo reliqua, quia duo non haberent plenam Concordantiam in uno tertio, quod eſt falſum: quare, ût ſuprà patet, convenit, quòd Sanctus Spiritus ſit plena Concordantia Patris & Filii, & per conſequens Filius plena Concordantia Patris & Sancti Spiritûs, & etiam per conſequens Pater plena Concordantia Filii & Sancti Spiritûs: igitur convenit, quòd Trinitas prædictorum Suppoſitorum tantùm ſit in Divinis, & non ultrà; quod ſi non, ratione quarti Concordantia ipſius Tertii non eſſet tantum remota à Contrarietate; ſed cùm conveniat, quòd hujus Concordantiæ Divinorum Suppoſitorum detur infinita remotio à Contrarietate: igitur in DEO eſt Trinitas Suppoſitorum tantùm.

4. DEUS eſt unum ſolum infinitum & æternum *Principium*; igitur cùm totus DEUS

(c) 2006 Ministerio de Cultura

US ſit Pater, ût ſuprà patet, ergo totum unum ſolum infinitum & æternum Principium eſt Pater, & in tantum Pater, quantum Principium; ſed de conditione ſuæ Infinitatis & Æternitatis eſt, quòd illud Principium ſit unum: igitur de Conditione DEI Patris eſt, quòd ipſe ſit Unus Pater ratione Unitatis ipſius infiniti & æterni Principii, quod convertitur cum Patre; igitur eſt impoſſibile, quòd in DEO ſint plures Patres, quàm unus. Et cùm DEUS Filius ſit Unus Filius ratione unius Patris dantis ei totam Unitatem ipſius infiniti & æterni Principii, ût ſuprà patet, eſt impoſſibile, quòd in DEO ſint plures Filii, quàm Unus; & cùm etiam Sanctus Spiritus totus ſpiretur à Patre & Filio de una infinita Spiratione vel Proceſſione vel Productione amborum, ut in ipſa Generatione non ſit accidens, procedit Sanctus Spiritus Unus & non plures ratione ipſius unius infiniti & æterni Principii, quod Pater & Filius dant illi totum. Igitur eſt impoſſibile, quòd in DEO ſint plures Patres, plures Filii, & plures Sancti Spiritus, ſicut plura eſſentialia infinita & æterna Principia: igitur eſt neceſſarium, quòd in DEO ſit Unus Pater tantùm, & Unus Filius tantùm, & Unus Sanctus Spiritus tantùm. Si autem eſt quaternitas in Divinis, neceſſariò convenit, quòd illa ſit ratione alterius principii, quod non eſt Generatio nec Proceſſio in Divinis, cùm ratione unius Generationis non poſſit eſſe, niſi Unus Pater & Unus Filius, & ratione Unius Proceſſionis Unus Sanctus Spiritus, quæ ſcilicet proprietas non ſit ratione Generationis, quia Generatio eſt perfecta in ſe ratione ſuî & ſuæ Proceſſionis, nec ſit ratione Proceſſionis, quia Proceſſio eſt perfecta ratione ſuî & ipſius Generationis; nam, ſi eſt alia proprietas in DEO à prædictis, non communicabit cum eis in eodem Fine, & ſic erit aliud principium & alia eſſentia à prædictis ſuperflua in DEO; quod eſt impoſſibile. Igitur eſt neceſſarium, quòd in DEO ſit Trinitas tantùm, quæ conſiſtit ex Poſitione Unius Patris, Unius Filii, Unius Sancti Spiritûs, & non ultrà.

5. Si in DEO eſt unus Pater tantùm ſe habens immediatè ad unum Filium & ad unum Sanctum Spiritum, & unus Filius ſe habens immediatè ad unum Patrem & ad unum Sanctum Spiritum, & unus Sanctus Spiritus ſe habens immediatè ad unum Patrem & ad unum Filium, eſt manifeſtum, quòd unumquodque Suppoſitum iſtorum trium prædictorum ſit infinitum *Medium* ad duo reliqua ſe habentia ratione ſuî immediatè in infinitum, videlicet Pater ad Filium & ad Sanctum Spiritum, & Filius ad Patrem & ad Sanctum Spiritum, & Sanctus Spiritus ad Patrem & ad Filium; nam, ût manifeſtè patet, plus eſt in DEO, ſi Divina Suppoſita ſe habeant ad invicem immediatè in infinitum & mediatè in infinitum, ita quòd mediatè & immediatè in DEO ſinè reali contradictione convertantur in infinitum ratione Infinitatis Bonitatis &c. ipſorum Divinorum Suppoſitorum, quàm alio modo: igitur in DEO eſt unus Pater tantùm ſe habens ad Filium & Sanctum Spiritum, & unus Filius tantùm ſe habens ad Patrem & Sanctum Spiritum, & unus Sanctus Spiritus tantùm ſe habens ad Patrem & Filium, & non eſt in DEO quartus, quia ſic eſſent in DEO inter duos duo media, quia non ſufficeret unum Medium; & ſicut non ſufficeret unum Medium, ita nec unum Principium, nec unus Finis, nec una Bonitas &c.; & ſic darentur plura media, plura principia, plures fines & plures divinæ eſſentiæ, & per conſequens plures Dii, quod eſt impoſſibile. Igitur eſt neceſſarium, quòd Trinitas prædictorum Trium Suppoſitorum ſit in Divinis, & nulla quaternitas Suppoſitorum.

6. *Finis* unius Divinæ Eſſentiæ eſt tantus in agentia ſuî, quòd ratione ſuæ Magnitudinis Bonitatis &c. agendi conſiſtat totus unus Pater, ut agendo generativè ſit ipſémet Finis unus Filius, & hoc in tantum, quòd ipſémet Finis procedat inde unus Sanctus Spiritus; quia agentia Patris in Filium in tantum eſt perfecta in Magnitudine Unitatis Bonitatis &c., quantum ipſa Divina Eſſentia in Patre & Filio: igitur Unus Divinus Finis eſt unus Pater, unus Filius, unus Sanctus Spiritus ratione ſuæ Unitatis, ipsâ Paternitate non habente aliud, niſi illud, quod eſt ipſa Unitas infiniti Finîs; & hoc idem eſt de Filiatione & Spiratione; & ratione iſtorum eſt tanta Agentia in Magnitudine Bonitatis &c. Divini Finîs, quanta eſt Exiſtentia: igitur eſt impoſſibile, quòd ſint plures Patres, plures Filii & plures Sancti Spiritus vel aliud quartum Suppoſitum cum uno Patre, uno Filio & uno Sancto Spiritu; nam, ſi eſſent plures patres, paternitas multorum haberet aliud ultra Unitatem infiniti Finîs, quod non haberet ab ipſa Unitate Finîs; & hoc idem ſequeretur de Filiatione, ſi eſſent

(c) 2006 Ministerio de Cultura

plures filii, & ſic de Spiratione, ſi eſſent plures ſancti ſpiritus; & ſic eſſent in DEO plures diverſæ eſſentiæ & plures diverſi fines deſtructâ ipsâ Unitate Finîs; & ſic eſſent in Paternitate plures Dii &c.; quod eſt ſummè falſum. Igitur eſt ſummè neceſſarium, quòd in DEO non ſit, niſi unus Pater tantùm, unus Filius tantùm, & Unus Sanctus Spiritus tantùm, in quibus Divina Agentia eſt æqualis in Infinitate unius Divini Finîs ipſi Eſſentiæ DEI, quia Pater & Filius conſequuntur plenum Finem ſuæ Actionis de ſe in Sancto Spiritu, & Sanctus Spiritus plenum Finem ſuæ Actionis de tota Divina Subſtantia in Generatione Patris in Filium. Quare, ſi tota Divina Bonificatio, Magnificatio &c. converteretur cum aliqua alia actione ratione aliûs quarti ſuppoſiti, ſicut convertuntur cum Generatione & Spiratione, conveniret, quòd illa eſſet ad perfectionem Generationis, ſicut eſt Spiratio, ut non ſit fruſtra vel extra Finem, & ſic eſſet manifeſtum, quòd una Spiratio non eſſet in tanta Magnitudine Finîs, in quanta eſt una Generatio, nec ipſa Generatio eſſet una; nec ipſa Generatio, cùm ſit una, haberet ſe tantum ad unicam perfectionem ſui Finîs in Spiratione ſolùm, quantum in ſe ipſa, quod eſt impoſſibile: igitur eſt manifeſtum, quòd Divina Bonificatio, Magnificatio &c. non convertantur cum aliqua alia actione à Generatione & Spiratione, ratione cujus poſſit eſſe quartum ſuppoſitum in Divinis aliud à Patre & Filio & Sancto Spiritu. Quare neceſſariò convenit, quòd in Divinis ſit Una Trinitas tantùm, ſcilicet Patris & Filii & Sancti Spiritûs.

7. Si ratione *Majoritatis* conveniret, quòd eſſent plures patres & plures filii & plures ſancti ſpiritus in Divinis, nullus finitus numerus patrum &c. ſufficeret ratione Minoritatis, ſed maximè conveniret, quòd numerus eorum eſſet infinitus, ita quòd infiniti numero patres eſſent in Divinis, generantes infinitos numero filios; & ſi ſic, ſequeretur manifeſtè contradictio ratione infinitatis ſuppoſitorum patrum numero infinitorum, videlicet, quòd ultra infinita in numero ſuppoſita multiplicarentur generativè infinita ſuppoſita filiorum, & ſic ipſa ſuppoſita patrum in numero infinita eſſent numero finita, quia ſemper ultra multiplicarent alia numero ſuppoſita: igitur non eſt ratio Majoritatis, quòd ſint infiniti in numero patres, nec infiniti in numero filii &c.; ſed potiùs convenit, quòd in DEO neceſſariò ſit id, per quod DEUS magìs diſtat à prædicta contradictione: eſt autem manifeſtum, quòd plùs diſtet à prædicta contradictione, ſi eſt unus Pater tantùm generans unum Filium tantùm, procedente ab utroque uno Sancto Spiritu, quàm ſi eſſent plures patres &c.; nam, cùm eſſet Minoritas, ſi eſſent infiniti numero patres &c., ratione contradictionis, neceſſariò convenit, quòd ſit Majoritas, ſcilicet ſi ſit unus Pater tantùm infinitus in Unitate, generans unum Filium eâdem Unitate infinitum, & procedens unus Sanctus Spiritus eâdem Unitate infinitus. Igitur ratione ipſius Majoritatis, ut in DEO ſit major diſtantia à contradictione & Minoritate, non ſunt in DEO plures patres, quàm Unus, nec plures filii, quàm Unus, nec plures ſancti ſpiritus, quàm Unus, nec ratione Majoritatis cum uno Patre, uno Filio, uno Sancto Spiritu poteſt eſſe aliud quartum ſuppoſitum, quod non ſit Pater nec Filius nec Sanctus Spiritus; nam, cùm tota Paternitas ſe habeat totam ad Filiationem, & è converſo, ratione Majoritatis ſinè Minoritate, & tota Generatio ſe habeat totam ad Spirationem ſeu Proceſſionem ex utroque, ſi ſit iterum aliud quartum ſuppoſitum prædictum, aut tota Paternitas non ſe haberet tota ad Filiationem, & è converſo, in quantum ſe haberet ad proprietatem illius quarti ſuppoſiti, aut Generatio non ſe haberet totam ad Spirationem, in quantum ſe haberet ad proprietatem illius quarti ſuppoſiti, & ſic ratione iſtius quarti ſuppoſiti implicaretur Minoritas inter Divina Suppoſita; quod eſt impoſſibile: igitur non eſt in DEO, niſi Trinitas prædictorum Suppoſitorum tantùm, qui ſunt Pater & Filius & Sanctus Spiritus.

8. Si in DEO eſſent plures patres, conveniret, quòd illi & quilibet eorũ æqualiter eſſet tota Deitas; cùm ipſa Deitas ratione ſuæ Simplicitatis ſit impartibilis vel indiviſibilis; ſed non eſſet *Æqualitas* paternitatis in Deitate cujuslibet, quia quilibet eorum eſſet totus tota una Deitas infinita & indiſtincta iſtius & illius, ſed non eſſet paternitas iſtius nec illius, & ſic eſſet infinitus in Deitate, ſed finitus in paternitate, & ita neceſſariò eſſet inæqualitas Deitatis & Paternitatis in Divinis, quod eſt impoſſibile, cùm ipſa Deitas & Paternitas convertantur; nam, in quantum eſt una ſimplex & infinita Deitas, in tantum eſt una ſimplex & infinita Paternitas, & per conſequens unus ſimplex & infinitus DEUS Pater, quem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quem eſt impoſſibile generare plures filios, quàm Unum, ut, cùm ipſe ſit tota Converſio unius Deitatis in unam Paternitatem & è converſo, non generet inæqualitatem Filiationis & Deitatis, ſed potiùs Converſionem totius Filiationis in totam Deitatem; eſt igitur neceſſarium, quòd ſit tantùm unus DEUS Filius unius DEI Patris, quem Filium impoſſibile eſt in Deitate generare alium filium vel alios filios, ut non ſit inæqualis Patri, habens duas proprietates, ſcilicet paternitatem & filiationem, cùm Pater habeat tantùm Paternitatem; eſt igitur unus DEUS Pater, & unus DEUS Filius, quos etiam impoſſibile eſt ſpirare plures ſanctos ſpiritus, ut ſimiliter non ſpirent inæqualitatem Deitatis & Spirationis, ſed potiùs converſionem ſuæ Spirationis & Deitatis; igitur eſt tantùm unus Sanctus Spiritus, ſicut una Deitas, quem impoſſibile eſt generare Filium, vel ſpirare alium ſanctum ſpiritum, ut non ſit inæqualitas inter Divina Suppoſita. Igitur eſt manifeſtum, quòd in Divinis ſit Unus Pater tantùm, & Unus Filius tantùm, & Unus Sanctus Spiritus tantùm, & impoſſibile eſt, quòd inter eos ſit aliud quartum ſuppoſitũ, quod non ſit Pater, nec Filius, nec Sanctus Spiritus, ut ſimiliter non ſit inæqualitas inter Divina Suppoſita; quia ſic conveniret, cùm nihil ſit in DEO ſinè Fine Generationis, quòd Sanctus Spiritus ratione ſuæ Minoritatis non eſſet ſufficiens Patri & Filio in Generatione Filii à Patre, in quantum ipſa Generatio requireret aliud quartum ſuppoſitum ad perfectionem ſuî; hoc autem eſt impoſſibile: igitur eſt impoſſibilis in DEO quaternitas ſuppoſitorum, ſed tantùm eſt in eo neceſſaria Una Trinitas, cùm in DEO ſit tantùm Unus Pater, Unus Filius & Unus Sanctus Spiritus.

9. Manifeſtum eſt, quòd omnis unitas creatæ ſubſtantiæ conſiſtat *in uno & in tribus*; nam unitas Mundi conſiſtit in uno & in tribus, de quibus ipſe conſtat unus, quæ ſunt ſenſualitas, animalitas & intellectualitas; & unitas Animæ in uno & in tribus, in memoria, intellectu & voluntate, de quibus eſt una Anima; & omnis ſubſtantia de ſubſtantiativo, ſubſtantiabili & ſubſtantiare, videlicet de forma & de materia & de conjunctione, de quibus eſt una ſubſtantia, & ſic de ſingulis aliis effectibus; ignis enim de uno ignitivo & de uno ignibili & de uno ignire conſtat unus; & ſic ſimiliter de quolibet elemento; & quodlibet elementatum vegetatum de uno vegetativo, de uno vegetabili & uno vegetare conſtat unum; & ſic de quolibet ſenſato ſuo modo; & ſic de aliis hujuſmodi. Igitur, cùm unuſquiſque effectus ipſius Summæ Cauſæ in ſua majori & univerſaliori bonitate &c. numeri ſit ſimilis ſuæ Summæ Cauſæ, convenit, quòd ipſa Unitas DEI ſecundùm Magnitudinem ſuæ Perfectionis ſit *in Uno*, ſcilicet in uno DEO, & *in Tribus*, & non ultrà, ſcilicet in Patre & Filio & Sancto Spiritu; & hoc in tantum ſupra ſuos effectus ratione Infinitatis ipſius Unitatis Deitatis, quòd ipſa Unitas exiſtens tota unus DEUS ſinè diſtinctione DEI ſit tota DEUS Pater & DEUS Filius & DEUS Sanctus Spiritus & Unus DEUS. Unde, ſi eſſent plura ſuppoſita, quàm Tria, in Uno DEO, unuſquiſque effectuum ipſius Sũmæ Cauſæ eſſet DEO diſſimilis in ſua majori & univerſaliori bonitate &c. numeri, & ſimilis in minori & minùs univerſali bonitate &c., quod eſt falſum, quia ſic ex hoc ultimo ratione infinitè Similabilîs, qui eſt ipſe DEUS, quantum eſt ratione ſuî, ſequeretur, quòd effectus eſſet ſimilis ſuæ Cauſæ in malo, & non in bono, quod eſt manifeſtè falſum. Igitur DEUS eſt in Unitate & Trinitate tantùm, in Unitate quidem Deitatis, in Trinitate autem, ſcilicet in Uno Patre, in Uno Filio, in Uno Sancto Spiritu tantùm, cùm conveniat, quòd iſta Suppoſita ſint in Divinis, ût per ſupradicta manifeſtè patet, videlicet Unus Pater, Unus Filius, Unus Sanctus Spiritus, qui ſunt Unus Solus DEUS Benedictus vivens per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

QUÆSTIO XXIII.

Utrùm Divina Suppoſita ſint æqualia?

1. SOlutio. Cùm in antecedentibus Quæſtionibus, videlicet in *decima*, *undecima*, *duodecima* probata ſit Æqualitas in Divinis Terminis, per eandem neceſſariò convenit, quòd Divina Suppoſita ſint æqualia, ſicut per Diſtinctionem ſunt diſtincta, & per Concordantiam concordantia, & per Bonitatem bona, & ſic de aliis; & licèt hoc ſit neceſſarium, tamen, ut vehementiùs exprimamus Æqualitatem ipſorum Divinorum Suppoſitorum, dicimus primò per *Diſtinctionem* Divinarum Perſonarum ſeu Suppoſitorum:

Cùm

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Cùm DEUS Pater diligat *Distinctionem* Personarum in Magnitudine, quia est impossibile, quòd ejus Dilectio sit defectiva, convenit, quòd ipse necessariò diligat Æqualitatem in Generatione & Processione, in Generatione quidem, ut ipse Pater sit æqualis Filio, & è converso, in Processione verò, ut Sanctus Spiritus sit æqualis Patri & Filio, cùm Distinctio sit major & plùs distinguatur in Æqualitate, quàm in inæqualitate; & si Pater non sic diligeret ipsam Æqualitatem, ût dictum est, diligeret inæqualitatem inter Divina Supposita, & per consequens parvitatem Distinctionis Divinorum Suppositorum, & Contrarietatem inter eorum Distinctionem & eorum infinitam Bonitatem &c.; & sic diligere Patris esset in privatione Bonitatis &c., & per consequens tota Divina Essentia, cùm convertatur cum ipso infinito diligere Patris, quod est impossibile: igitur necessariò diligit prædictam Æqualitatem; & ita est necessariò, ut ipsum diligere non sit extra infinitum & æternum posse.

2. In DEO est infinita *Concordantia* Divinorum Suppositorum, ut ipsa Supposita sive Personæ ratione suæ infinitæ Concordantiæ in infinitum sint remotæ à Contrarietate; sed cùm Concordantia sit major ratione Æqualitatis, quàm ratione inæqualitatis, ut nihil deficiat Perfectioni Bonitatis &c. Concordantiæ ipsorum Suppositorum: igitur Divina Supposita ratione suæ infinitæ Concordantiæ sunt infinitè æqualia.

3. Ratione infinitæ Concordantiæ Divinæ Existentiæ & Agentiæ Divina Agentia est tanta in Deitate, quanta Divina Existentia, ut ipsa Deitas in suî Existentia & Agentia sit tantum remota à *Contrarietate*, quanta ipsa est; igitur de necessitate convenit, quòd DEUS Pater generet Filium tantum in Deitate, quantus ipse Pater existit in ipsa Deitate, & convenit, quòd DEUS Pater & Filius spirent Sanctum Spiritum tantum in Deitate, quanti ipsi existûnt in Deitate. Quare de necessitate convenit, quòd Divinæ Personæ in totalitate sint æquales Deitati.

4. Cùm Divinus Intellectus sit perfectus in Magnitudine Summi *Principii*, quia aliter non esset DEUS, necessariò convenit, quòd sit in Æqualitate intellectivi, intelligere & intelligibilîs; sed, cùm DEUS Pater sit ipse Intellectus intelligendo principians generativè Filium intelligibilem, & DEUS Pater & Filius sint unum Principium spirativum intelligendo Sanctum Spiritum, necessariò convenit, quòd Gignens & Genitus & ab illis Spiratus, videlicet Pater & Filius & Sanctus Spiritus sint æquales, cùm quilibet ipsorum sit totus Divinus Intellectus; quia ratione Magnitudinis Summi Principii convenit, quòd sint in Æqualitate Intellectivi, Intelligere & Intelligibilîs.

5. Nullum Suppositum est in omni Perfectione summum sinè Æqualitate suæ Existentiæ & Agentiæ per omnes extremitates existendi & agendi in omni Perfectione Bonitatis, Magnitudinis &c.; sed, cùm DEUS Pater sit Suppositum in omni Perfectione summum, aliter non esset DEUS, igitur convenit, quòd ipse necessariò sit in Æqualitate suæ Existentiæ & Agentiæ. Igitur, in quantum ejus Existentia facit, quòd sit Pater, in tantum ejus Agentia facit, quòd ejus Filius sit Filius; sed ejus Existentia facit, quòd ipse sit DEUS, igitur ejus Agentia facit, quòd ejus Filius sit DEUS, & similiter Agentia Patris & Filii facit, quòd Sanctus Spiritus sit DEUS in tantum, quant[a] est eorum [Exist]entia; & sic est Æqualitas Existentiæ & Agentiæ per omnes extremitates existendi & agendi in Deitate. Quare de necessitate convenit, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus sint æquales in Deitate.

6. In DEO Virtus est Magnitudo, & è converso, & in DEO Virtus existens Magnitudo, & è converso, est Summus *Finis;* & iste Finis, cùm sit Virtus & Magnitudo, est in DEO Summum Principium & Summum Medium ratione ipsius Finîs convertibilîs cum Principio & Medio. Unde, cùm in Divinis Pater sit ipsa Virtus & Magnitudo in ratione Patris, & Filius ipsa Virtus & Magnitudo in ratione Filii, & sic de Sancto Spiritu, necessariò convenit, quòd sint æquales in Magnitudine & Virtute; quod si non, Virtus & Magnitudo deficerent Patri & Filio & Sancto Spiritui, ita quòd Pater ratione defectûs Virtutis & Magnitudinis non esset in tantum Principium Filii per Sanctum Spiritum, quantum Filius est Finis ipsius Patris per ipsum Sanctum Spiritum, vel Filius non esset in tantum Principium principiabile ipsius Patris per Sanctum Spiritum, ut sit Pater, quantum Pater est Finis Filii per Sanctum Spiritum; aut Pater non esset in tantum Principium Sancti Spiritûs per ipsum Filium, quantum Sanctus Spiritus est Finis ipsius Patris per ipsum Filium, vel

(c) 2006 Ministerio de Cultura

vel Sanctus Spiritus non eſſet in tantum Principium procedens ex Patre per ipſum Filium, ut ſit Pater, quantum Pater eſt Finis ipſius Sancti Spiritûs per Filium; & hoc idem ſequeretur de Filio & Sancto Spiritu per ipſum Patrem: & ſic Virtus exiſtens Magnitudo non converteretur cum Summo Principio, Medio & Fine in DEO, nec per conſequens Virtus eſſet Magnitudo, nec è converſo; & ſic ratione privationis Magnitudinis & Virtutis in Deitate non eſſet DEUS; quod eſt falſum: ergo ſequitur, quòd Divina Suppoſita ſint æqualia.

7. Similitudo eſt major in Æqualitate, quàm in inæqualitate; in DEO autem Filius & Sanctus Spiritus ſunt ſimilitudines Patris in Deitate, Unitate, Eſſentia, Natura, Bonitate &c., & è converſo: ideo convenit, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus neceſſariò ſint æquales; quia, ſi non ſunt æquales, ſunt inæquales; & ſic neceſſariò ſequeretur, cùm Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint ad invicem inter ſe majores Similitudines, quæ ſint vel poſſint eſſe, quòd Similitudo eſſet major in inæqualitate, quàm in Æqualitate, & per conſequens diſſimilitudo major in Æqualitate, quàm in inæqualitate; quod eſt manifeſtè falſum: ergo in DEO eſt Æqualitas Suppoſitorum.

8. *Æqualitas* eſt major in Differentia & Concordantia, quàm in Concordantia tantùm, vel in Differentia tantùm; unde, cùm in DEO ſit infinita Magnitudo Differentiæ & Concordantiæ Bonitatis, Veritatis &c. & Actuum earum, ita, quòd Magnitudo Bonitatis & Veritatis &c. & Actuum earum infinitè convertantur cum Magnitudine Differentiæ & Concordantiæ, & è converſo, ne Magnitudo Bonitatis & Veritatis & actuum earum deficiat Magnitudini Divini Intellectûs & Voluntatis & Actuum eorum: neceſſariò ſequitur, quòd ſit infinita Æqualitas Suppoſitorum in Divinis; quod, ſi non, Divinus Intellectus & Voluntas & Actus eorum non haberent ſe æqualiter infinitè ad infinitam Differentiam & Concordantiam Divinæ Bonitatis & Veritatis & Actuum earum, quod eſt impoſſibile; ne ſequatur major Æqualitas ex Concordantia Divini Intellectûs & Divinæ Veritatis & actuum eorum tantùm, & ex Concordantia Divinæ Voluntatis & Bonitatis & actuum earum tantùm, quàm ex Differentia & Concordantia eorundem inſimul, quod ſimiliter eſt impoſſibile. Igitur Divina Suppoſita ſunt æqualia.

9. In DEO eſt Diſtinctio Patris & Filii & Sancti Spiritus, ût probatum eſt, & per conſequens diſtinguere, diſtinguente Patre Filium à ſe ipſo, & Patre & Filio diſtinguentibus Sanctum Spiritum à ſe ipſis; unde Filius eſt tantus in Filiatione; quantus diſtinguitur à Patre, & in quantum Filiatio eſt diſtincta à Paternitate, in tantum eſt Filius remotus à Minoritate Filiationis; & ſimiliter Sanctus Spiritus eſt tantus in Spiratione, quantus ſpiratur diſtinctus à Patre & Filio, & in quantum Spiratio eſt diſtincta à Paternitate & Filiatione, tantum Sanctus Spiritus eſt remotus à Minoritate Spirationis: unde, cùm in DEO ſit impoſſibilis Majoritas & Minoritas, cùm in illo ſit omnis Perfectio in Magnitudine Bonitatis &c., convenit, quòd Filius in tantum ſit diſtinctus à Patre, quantus Pater eſt, & quòd Sanctus Spiritus in tantum ſit diſtinctus à Patre & Filio, quanti ſunt Pater & Filius; & ideo neceſſariò convenit, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint diſtincti æquales, vel in æqualitate ſuî diſtincti; quod ſi non, Magnitudo Bonitatis Patris & Filii & Sancti Spiritûs in ſua Diſtinctione non eſſet infinitè remota à Minoritate; quod eſt falſum: ergo Divina Suppoſita ſunt æqualia.

QUÆSTIO XXIV.

Utrùm ipſâmet Eſſentia DEI & Divina Suppoſita ſint idem numero?

1. SOlutio. Cùm Divina Eſſentia ſit bona in Magnitudine Poteſtatis &c., requirit ejus Magnitudo bonitatis in Poteſtate &c., quòd ipſa Divina Eſſentia indiviſibilis & ſimplex ſit tota indiſtincta in Suppoſita in tantum *diſtincta* ad invicem, quantum ipſa eſt in ſe indiſtincta, ut ſub ratione bonificantis, magnificantis, bonificati, magnificati &c. ſit in tantum bona, magna, &c., quantum ipſa eſt; & ideo de neceſſitate convenit, quòd Divina Suppoſita & ipſa Eſſentia DEI ſint idem numero, iſtis exiſtentibus ad invicem diſtinctis in tantum, quantum ipſa eſt indiſtincta, & illâ exiſtente in tantum indiſtinctâ, quantum ipſa Suppoſita ſunt ad invicem diſtincta; aliter enim Divina Eſſentia non eſſet in tantum bonificativa, magnificativa &c. bonificabilis, magnificabilis &c., quantum ipſa exiſtit; & ſic non eſſet bona in Magnitudine Poteſtatis &c.; quod eſt falſum:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

sum: ergo Divina Essentia & Divina Suppositа sunt idem numero.

2. Necessarium est, quòd Divina Essentia indistincta tota sit distincta Suppositа, ut in ea sit concordare in ipso concordanti & concordabili in se ipsa in Magnitudine Bonitatis &c.; quod non posset esse, nisi tota Essentia DEI indistincta esset distincta Suppositа, & è converso; cùm sit impossibile, quòd *Concordantia* sit sinè Distinctione; & si sic: igitur est DEI Essentia indistincta & Suppositа distincta unum idem numero.

3. Cùm Essentia DEI sit Bonitas, Magnitudo &c., distat à malitia ût bona, & à parvitate ût magna, & sic de aliis hujusmodi; & ideo convenit, quòd illa, licèt sit indistincta, sit idem, quod distincta Suppositа; quia, si ipsa non esset idem, quod bonificans distinctus à bonificabili ratione Producentis, & non idem, quod bonificabilis distinctus à bonificante ratione Producti, & sic de aliis, non distaret tantum à malitia, parvitate &c., nec bonificans ipsius essentiæ esset essentians, nec bonificabilis essentiatus distinctimodè in summa distantia ipsius Divinæ Essentiæ ab accidente & *non esse*. Igitur ipsa Divina Essentia indistincta est tota idem, quod ipsa Divina Suppositа distincta, & è converso, ut Magnitudo non *contradicat* Magnitudini supradictæ distantiæ.

4. Quoniam Divina Essentia est magna in Bonitate &c., convenit, quòd ipsa sit *Principium* in Magnitudine Bonitatis &c.; quod autem non posset esse, nisi ipsa esset Principium principians, quod est Pater, & Principium principiabile, quod est Filius, & Principium principiare, quod est Sanctus Spiritus, qui scilicet Pater & Filius & Sanctus Spiritus suprà sunt probati, quia, si Essentia DEI indistincta in principiare non esset id, quod sunt isti duo distincti, & è converso, DEUS Pater non posset principiare in Magnitudine Bonitatis &c. suum Filium & suum Sanctum Spiritum, nec Filius eundem suum Sanctum Spiritum; & sic Magnitudo Divinæ Essentiæ deficeret suæmet Bonitati, & è converso; quod est impossibile: ergo Divina Essentia & Divina Suppositа sunt idem numero.

5. Necessarium est, quòd Essentia DEI sit *Medium* Principii & Finîs, videlicet quòd sit bonificare, magnificare &c. de se ipsa tota in tantum, in quantum ipsa est Bonitas &c.; quia extra istud Medium esset defectiva in Principio & Fine Magnitudinis Bonitatis &c.: igitur ipsa tota est bonificans &c. totus distinctus à suo bonificato, & est ipse bonificatus totus distinctus à suo bonificante in ratione dantis & dati existentium ipsamet Essentia DEI indistincta. Igitur ipsa Essentia est idem, quod ipsa distincta Suppositа, & è converso, & sic sunt necessariò idem numero.

6. Nisi Divina Essentia esset idem numero, quod Divina Suppositа, ipsa esset *Finis* materialis, non autem formalis; quia Pater generando Filium divideret suam Essentiam convertendo eam in suum Filium, & inter Patrem & Filium esset vacuum Medium non copulans utrumque sub una numero indivisibili Essentiâ utriusque; & sic non esset Sanctus Spiritus in Deitate, quia Divina Essentia esset limitata in Patre & Filio; & sic non esset DEUS; quod est falsum: unde necessariò convenit, quòd Finis omnino formalis sit ipsa indistincta Essentia DEI & Pater & Filius & Sanctus Spiritus; & sic ipsa Divina Suppositа & ipsa Essentia DEI sunt unum idem numero.

7. Si Divina Essentia est idem numero, quod ipsa Suppositа, & è converso, *Majoritas* significat Magnitudinem Bonitatis &c. ipsius Essentiæ & ipsorum Suppositorum; si autem non est idem numero, quod ipsa Suppositа, & è converso, Minoritas significat Magnitudinem ipsius Essentiæ & suorum Suppositorum, quod est impossibile: quare, cùm necessariò conveniat, quòd sit ipsa Magnitudo Bonitatis &c. ipsius Divinæ Essentiæ & suorum Suppositorum, est manifestum, quòd Essentia DEI sit idem numero, quod Divina Suppositа, & è converso; & sic sunt unum idem numero.

8. Illud est necessarium Divinæ Essentiæ, per quod ipsa distat ab inæqualitate in Magnitudine Bonitatis &c.; sed per suam Existentiam in *Æqualitate* Bonitatis, Magnitudinis &c. Suppositorum distat Essentia DEI ab inæqualitate in Bonitate, Magnitudine &c.; quod per se patet: igitur est necessarium, quòd Essentia DEI sit in Æqualitate Bonitatis, Magnitudinis &c. Suppositorum: quare necessariò convenit, quòd ipsa sit idem numero, quod sua Divina Suppositа, & è converso; nam, cùm ipsa sit una indivisibilis, non posset esse in Æqualitate, nec converti cum Æqualitate in Magnitudine Bonitatis &c., nisi ipsa esset idem numero, quod ipsa Divina Suppositа, & è converso. Quare necessariò Divina Essentia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tia & ejus Suppoſita ſunt unum idem in numero.

9. Divina Eſſentia eſt ſuámet Bonitas, Magnitudo &c., & è converſo; & ideo ipſa eſt bona, magna &c.; ſed, ſi Eſſentia non eſſet idem numero, quod ipſa Suppoſita, ipſa quidem eſt magna in Bonitate &c. in illa non identitate, ſed Suppoſita in illa ſunt in *Minoritate* Bonitatis &c. in illa non identitate; & ſic non identitas eſt Majoritas & Minoritas in DEO; quod eſt impoſſibile: quare neceſſariò convenit, quòd Eſſentia DEI ſit idem, quod ipſa Divina Suppoſita, & è converſo; & ſic ſunt neceſſariò unum idem numero.

QUÆSTIO XXV.

Quomodo Divina Suppoſita exiſtentia eadem numero Divina Eſſentia ſint diſtincta ratione Divinarum Similitudinum?

1. SOlutio. Bonum eſt, quòd in Divinis ſit Diſtinctio Suppoſitorum, ut ratione ipſius Diſtinctionis in illis ſit Similitudo in Concordantia, eò quòd habeant Similitudinem in Bonitate, Magnitudine &c., exiſtente Patre bono, & Filio bono, & Sancto Spiritu bono, & ſic de Magnitudine &c. in Patre & Filio & Sancto Spiritu, exiſtente unoquoque ipſorum & ipſis tribus ſimul Uno DEO, & unâ Bonitate, Magnitudine &c., & uno bonificare, magnificare &c.; ſed cùm Similitudo ſinè Diſtinctione non poſſit eſſe in ipſis: igitur Suppoſitis exiſtentibus eâdem numero Eſſentiâ Diſtinctio eſt bona, cùm prædicta Similitudo ſit bona; & convenit, quòd hoc ita ſit, ut Magnitudo ratione Similitudinis ſufficiat Diſtinctioni, & ratione unius Eſſentiæ ſufficiat Identitati convertibili cum ipſa Diſtinctione, aliter *Differentia* non eſſet in Majoritate cum Bonitate &c., ſed cum malitia &c.; quod eſt impoſſibile.

2. Convenit, quòd in Divinis *Concordantia* ſit in tanta Magnitudine, quòd ipſa ſit Magnitudo remanens Concordantia; & ideo eſt neceſſarium, quòd Divina Suppoſita ad invicem ſint ſimilia & exiſtentia eſſentialiter unum idem numero ratione converſionis Concordantiæ cum Magnitudine permanentis illud, quod ipſa eſt ratione ſuî, & illud, quod eſt Magnitudo ratione Magnitudinis: quare neceſſariò convenit, quòd Pater ſit ſimilis Filio, & è converſo, & quòd Pater ſit ſimilis Sancto Spiritui, & è converſo, & Filius Sancto Spiritui, & è converſo, in eo, quòd ipſa Concordantia inconfusè permaneat illud, quod ipſa eſt ratione ſuî, & illud, quod eſt Magnitudo ratione Magnitudinis; quod eſſet impoſſibile, ſi non eſſet infinita Similitudo Patris & Filii & Sancti Spiritûs, & non ſint idem numero eſſentialiter; quia ipſa Concordantia totaliter eſt ipſa Magnitudo, & è converſo, & ſic de aliis Dignitatibus DEI, cùm Summa Concordantia non repugnet Æternitati in æternificante & æternificabili, & conveniat, quòd ipſa Summa Concordantia ſit in Divinis ratione infinitæ remotionis à Contrarietate.

3. In DEO eſt ſimilitudo Divinorum Suppoſitorum ratione infinitæ Concordantiæ, quæ concordat Similitudinem, ut ſit remota à diſſimilitudine Bonitatis &c., quæ concordat cum *Contrarietate*; igitur, in quantum eſt infinita & æterna Concordantia inter Patrem & Filium & Sanctum Spiritum, in tantum eſt infinita Similitudo inter illos, totâ Æternitate & Infinitate convertente ſe in Concordantia & Similitudine iſtorum, illis ſe ad invicem convertentibus in una tota Bonitate, Magnitudine &c., ſcilicet in una tota Divina Eſſentia.

4. DEUS Pater exiſtens *Principium* principians in tantum principiat infinitam & æternam Bonitatem &c. Sancti Spiritûs ſpirando de toto ſe ipſo, quantum principiat in eodem infinitam & æternam Bonitatem &c. generando Filium, & è converſo; & ideo totus Filius eſt infinitè & æternaliter diſtinctus à Sancto Spiritu ratione generandi & ſpirandi infinitè & æternaliter, & ſunt ſimiles, quia quilibet infinitè & æternaliter eſt principiatus in Bonitate, Magnitudine &c. unius ejuſdem numero Eſſentiæ; atque Pater & Filius tanquam Generans & Genitus infinitè & æternaliter ſunt infinitè & æternaliter diſtincti, ſunt autem infinitè & æternaliter ſimiles, quia Sanctus Spiritus æternaliter & infinitè fruitur in eadem Bonitate &c. utroque; & Pater & Sanctus Spiritus ſunt infinitè & æternaliter diſtincti in ratione Spirantis cum ipſo Filio & Spirati ab utroque, ſed in iſta Diſtinctione ſunt infinitè & æternaliter ſimiles, quia Pater cum Filio unum Principium ſcilicet unus DEUS bonus, magnus &c. ſpirat Sanctum Spiritum exiſtentem cum Filio unum Principium, ſcilicet unus DEUS bonus, magnus &c., ita quòd ipſi tres æqualiter diſtincti in tantum, quantum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tum sunt unum Summum Principium, videlicet unus DEUS, sint in tantum similes ad invicem, in quantum sunt unum Principium, videlicet unus DEUS.

5. Ut DEUS sit magìs remotus ab omni *extremitate* dissimilitudinis, habet in se infinitam Similitudinem, ita quòd Divinus Intellectus habeat in se in infinita Similitudine omnes istas extremitates, (ût ita loquar) scilicet intellectivum, intelligibile & intelligere intellectum, quia mensurat eas in infinitum & æternum æqualiter in una Bonitate, Magnitudine &c. Patris & Filii & Sancti Spiritûs, conjungens eas insimul in unum infinitum & æternum Intellectum, Voluntatem, Bonitatem &c., videlicet in unam eandem numero Divinam Essentiam; & sic in Trinitate Divini intellectûs est Similitudo infinita & æterna intellectualitatis Differentiæ & Identitatis Divinæ Essentiæ & Naturæ infinitorum & æternorum Similium ejusdem numero Deitatis.

6. Quia Divina Voluntas diligit Magnitudinem sui Finîs, convenit, quòd in illa sit Similitudo ipsius Voluntatis in tanta Magnitudine Finîs, quanta existit ipsa Voluntas, existente Patre volente simili Filio volito & Sancto Spiritui volito ab utroque in tanto Fine ipsius Filii & ipsius Sancti Spiritûs, quantus est ipse Pater, & è converso, existente ipso Patre totâ Divinâ Essentiâ, & Filio totâ eâdem numero, & Sancto Spiritu totâ eâdem numero; quoniam ita requirit Magnitudo unius Finîs ipsius Voluntatis, quem Voluntas diligit.

7. Cùm sit impossibile, quòd Divina Virtus sit in DEO *major* existendo, quàm agendo, habet Divina Virtus suam similitudinem tantam agendo, quanta ipsa existit, habente Patre activè suam Similitudinem, quæ est Filius existens tantus in Deitate, quantus Pater, & habente Patre & Filio activè suam Similitudinem, quæ est Sanctus Spiritus existens tantus in Deitate, quantus Pater & Filius, existente unâ numero cujuslibet istorum omnium Deitate.

8. Cùm Pater & Filius & Sanctus Spiritus in una eadem numero Deitate sint infinitè & æternaliter æquales, ut Magnitudo Bonitatis &c. *Æqualitatis* non sit defectiva in DEO, est necessarium, quòd quilibet eorum sit infinita & æterna Similitudo cujuslibet alterius eorum; & ideo sunt in tanta Æqualitate similes, sive in tanta Similitudine æquales, quòd eis existentibus æternaliter & infinitè distinctis quilibet eorum sit tota eadem numero Essentia cujuslibet eorum.

9. In *Minoritatem* Æqualitatis cadit Minoritas Similitudinis & Majoritas dissimilitudinis ad significandum, quòd infinita & æterna Æqualitas Patris & Filii & Sancti Spiritûs sit infinita & æterna Similitudo Patris & Filii & Sancti Spiritûs; & ideo convenit, quòd, sicut Pater est ipsa infinita & æterna Æqualitas Filii & Sancti Spiritûs, & Filius ipsa eadem Patris & Sancti Spiritûs, & Sanctus Spiritus ipsa eadem Patris & Filii, ita necessariò conveniat, quòd Pater sit infinita & æterna Similitudo DEI Filii & Sancti Spiritûs, & Filius ipsa eadem Patris & Sancti Spiritûs, & Sanctus Spiritus ipsa eadem Patris & Filii, existentibus eis similibus & æqualibus quolibet eorum toto in una numero infinita & æterna Essentia Bonitatis, Magnitudinis &c., quam convenit in DEO esse necessariò Unum DEUM in Unitate immensæ & æternæ Essentiæ, & Trinum in Trinitate prædictorum Suppositorum.

QUÆSTIO XXVI.

Utrùm in DEO sit Compositio ratione Distinctionis Suppositorum?

1. Solutio. Quoniam Magnitudo & Æternitas DEI sunt idem, quod infinita Potestas DEI & infinita Virtus ejus, est ipsa Magnitudo DEI simplex in extensione sinè aliqua quantitate potentiali vel actuali, & ipsa Æternitas simplex in duratione sinè aliqua successione potentiali vel actuali, quæ scilicet Magnitudo & Æternitas agunt magnificando & æternificando de se ipsis tantum, quantæ ipsæ sunt, Patre generante Filium tantum in Magnitudine & Æternitate, quantus ipse est, & Patre & Filio spirantibus Sanctum Spiritum tantum, quanti ipsi sunt, ut, quanta est ipsa Magnitudo & Æternitas existendo, tantum agendo distent à quantitate & successione ratione suæ infinitæ Potestatis & Virtutis existendi & agendi in Simplicitate: igitur est impossibile, quòd in DEO sit compositio ratione *Distinctionis* Patris & Filii & Sancti Spiritûs, cùm sinè Distinctione ipsorum Divina Essentia esset magìs propinqua compositioni.

2. Cùm Divinus Intellectus sit totus infinitè simplex in infinita Virtute intelligendi suam Essentiam illimitatam in Bonitate, Magni-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Magnitudine &c., eſt impoſſibile, quòd ipſe intelligendo in Divina Eſſentia limitetur à parvitate bonitatis &c.; ſed, ſi non intelligeret, quòd in Divina Eſſentia infinita *Concordantia* Patris & Filii & Sancti Spiritûs convertatur cum infinita Simplicitate Deitatis, ita, quòd Suppoſita permaneant adeò infinitè ſimplicia ratione infinitæ Concordantiæ, ſicut ſunt infinitè concordantia ratione ſuæ infinitæ Diſtinctionis, limitaretur à parvitate bonitatis &c. intelligendo in Divina Eſſentia: ergo neceſſariò convenit, quòd in Divina Eſſentia ſit infinita Concordantia prædictorum Suppoſitorum, quæ convertatur cum infinita Simplicitate DEI, quam Concordantiam eſſet impoſſibile in DEO ſinè infinita Diſtinctione Divinorum Suppoſitorum converti cum ipſa infinita Simplicitate DEI; quare eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit compoſitio ratione Diſtinctionis Suppoſitorum, cùm ipſius Diſtinctionis Virtute ponatur neceſſaria ratione infinitæ Concordantiæ infinita Simplicitas in Divinis.

3. Eſt impoſſibile, quòd Divina Voluntas non diligat, quòd Eſſentia DEI ſit infinitè remota à *Contrarietate;* ſed ſi in Divina Eſſentia eſt tanta Simplicitas ratione Actionis Divinorum Suppoſitorum, quanta eſt ratione totius Divinæ Eſſentiæ, ipsâ exiſtente tantâ in extenſione ratione Suppoſitorum, quanta eſt in intenſione ratione Divinæ Quidditatis, hoc eſt, quòd ad tantum ſe extendat, quantum ipſa eſt; ipsâ intenſione totâ ſe convertente cum extenſione, & è converſo, eſt Divina Eſſentia magìs remota à Contrarietate compoſitionis & ſimplicitatis, quia ſic Divina Simplicitas eſt magìs remota à compoſitione: unde eſt manifeſtum, quòd Diſtinctio Divinorum Suppoſitorum concordet cum Magnitudine Divinæ Simplicitatis, quia Magnitudo Simplicitatis contrariatur compoſitioni prædictorum Suppoſitorum: ergo eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit compoſitio ratione Divinorum Suppoſitorum, cùm Divina Simplicitas per Diſtinctionem contrarietur compoſitioni, ut Voluntas DEI non diligat, quòd divina Eſſentia non ſit infinitè remota à Contrarietate, & ſua Simplicitas infinitè non ſit remota à compoſitione; quod eſt impoſſibile.

4. Convenit, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint unus DEUS & diſtincta Suppoſita in tantum, quantum ſunt unus DEUS, ût ſuprà probatum eſt; nec ratione Diſtinctionis eorum ſequitur in DEO compoſitio, nam, cùm Pater ſit ipſe infinitus DEUS totus diſtans à parvitate, quantitate, tempore &c. ratione Virtutis ſuæ infinitæ Magnitudinis & Æternitatis, & principiet ſuum Filium in tantum infinitum in Virtute infinitæ Magnitudinis & Æternitatis, quantus eſt ipſe Pater, & ſimiliter Sanctum Spiritum, & Filius eodem modo Sanctum Spiritum, eſt impoſſibile, quòd in DEO implicetur compoſitio in eorum Diſtinctione; cùm compoſitio non poſſit eſſe ſinè parvitate, tempore & quantitate: quare concluditur, quòd in DEO non ſit compoſitio ratione Diſtinctionis Suppoſitorum.

5. Ubi non eſt *Medium* compoſitionis inter Principium & Finem, eſt impoſſibilis compoſitio; ſed in Divinis Patre producente Filium & Sanctum Spiritum, & Filio producente Sanctum Spiritum non eſt Medium, in quo producatur compoſitum, cùm illud Productio Divinorum Suppoſitorum ratione infinitæ Magnitudinis & Æternitatis, in quibus eſt, non poſſet ſapere menſurationibus exiſtentibus limitatis, ſinè quibus non poteſt eſſe compoſitio: igitur eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit compoſitio ratione Diſtinctionis Suppoſitorum, cùm non habeant in ſua Diſtinctione limitatas menſurationes & extremitates.

6. Si DEUS eſſet compoſitus ex Patre & Filio & Sancto Spiritu, ſicut ſubſtantia ex forma & materia & conjunctione utriuſque, DEUS eſſet *Finis* ratione compoſitionis, & Pater exiſtens æternus & infinitus in Simplicitate, & Filius & Sanctus Spiritus eodem modo non exiſtentes Finis ſe haberent ad illum Finem tanquam ad ſuum, & non è converſo, & eſſet tantùm unum Suppoſitum DEUS, & ſic eſſet compoſitio in Majoritate in DEO, & Simplicitas in Minoritate; quod eſt impoſſibile: igitur DEUS totus conſiſtit DEUS Pater diſtinctus à Filio, & conſiſtit totus Filius diſtinctus à Patre, & conſiſtit totus Sanctus Spiritus diſtinctus à Patre & Filio ſinè compoſitione, ut totus Pater ſit totus ipſe Finis, ſicut eſt totus DEUS, & Filius totus ipſe Finis, ſicut eſt totus DEUS, & Sanctus Spiritus totus ipſe Finis, ſicut eſt totus DEUS, & hoc in Infinitate & Æternitate Virtutis Simplicitatis: Quare in DEO eſt impoſſibilis compoſitio ratione Diſtinctionis Suppoſitorum.

7. In DEO eſt una Magnitudo, una Æternitas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nitas &c. & una Paternitas & una Filiatio & una Spiratio, ût probatum est; quare, cùm ipsa Unitas convertatur cum ipsa Distinctione Divinorum Suppositorum, ût suprà patet, ipsa Divina Unitas, cùm sit infinitè & æternaliter una, concordat cum Simplicitate, & contrariatur compositioni, cùm conveniat, quòd in compositione sint plures unitates, videlicet unitates componentes & unitas composita, quæ major est, quàm suæ unitates componentes: igitur est impossibile, quòd in DEO sit compositio, ne in illo sint *Majoritas* & Minoritas, quamvìs in illo sit Distinctio Suppositorum convertibilis cum Unitate DEI, non implicans plures unitates, quamvìs implicet plures Unos convertibiles cum ipsa Unitate, & quemlibet eorum cum ipsa Unitate sinè Majoritate & Minoritate; quod convenit ita esse, ut Unitas DEI non consistat otiosa in tantum, quantum ipsa consistit.

8. Extra *Æqualitatem* non potest esse infinita Magnitudo & Æternitas, quia non distarent per se ipsas infinitè ab inæqualitate, nec possunt esse in Æqualitate sinè Distinctione; cùm autem compositio non possit esse sinè inæqualitate Bonitatis, Magnitudinis &c., est manifestum, quòd non possit esse compositio ratione dictorum Suppositorum; nam ex hoc, quòd compositio implicet inæqualitatem Bonitatis, Magnitudinis &c., Simplicitas DEI debet in DEO implicare Æqualitatẽ, ut per illam habeat majorem distantiam à compositione, Patre producente Filium, & Patre & Filio producentibus Sanctum Spiritum ratione Magnitudinis Æternitatis in infinita Virtute in tantum, quòd eorum Æqualitas sit in infinita & æterna Simplicitate; nam ex hoc, quòd Pater de sua Simplicitate producat Filium æqualem sibi in Simplicitate, & Pater & Filius Sanctum Spiritum æqualem sibi in Simplicitate, est essentialiter & naturaliter in DEO Simplicitas in producendo. Quare est impossibile, quòd ratione Distinctionis istorum in DEO sit compositio.

9. Cùm in DEO sint infinita Magnitudo & Æternitas, est necessarium, quòd ejus Simplicitas infinitè & æternaliter distet à *Minoritate;* sed si Divina Simplicitas est Simplicitas tantum agendo, quantum existendo, Patre producente in Simplicitate tantum, quantus ipse est, scilicet Filium, & Patre & Filio producentibus Sanctum Spiritum in Simplicitate tantum, quanti ipsi sunt, sinè divisione vel diversitate unius ejusdem in numero Simplicitatis in his infinitè & æternaliter Simplicibus, est manifestum, quòd sic Simplicitas summè distet à Minoritate sui, & per consequens à compositione; unde sequitur, quòd sinè Distinctione prædictorum Suppositorum Simplicitas non posset esse in summa distantia sui à Minoritate & compositione; nam, cùm Distinctio Suppositorum sit illud, per quod in DEO Simplicitas summè distat à Minoritate & compositione, est impossibile, quòd Distinctio sit causa compositionis in DEO.

QUÆSTIO XXVII.

Utrùm DEUS sit Incarnatus?

1. SOlutio. *Differentia* est major ratione Concordantiæ, quàm ratione Contrarietatis, & hoc sequitur ratione causæ, in qua est Distinctio & Concordantia sinè Contrarietate, ût probatum est: igitur de conditionibus Magnitudinis Differentiæ est, quòd magìs possit distingui ratione Concordantiæ, quàm ratione Contrarietatis; sed, cùm inter DEUM & hominem sit Differentia, convenit, quòd illa ratione Magnitudinis Bonitatis &c. sit in majori Concordantia, quâ possit esse, cùm Contrarietas hoc non posset, quia Differentia non est major ratione Contrarietatis, quàm ratione Concordantiæ, imò minor; major autem Concordantia, quæ possit esse inter DEUM & hominem in Unitate Bonitatis, Magnitudinis &c. est, si DEUS sit incarnatus in homine: igitur ipse est incarnatus in homine; quod, si non, sequeretur, quòd Contrarietas inter DEUM & hominem, & Minoritas Bonitatis &c. impediret, quòd incarnaretur in homine: unde sequeretur, quòd Differentia inter DEUM & hominem esset major in Contrarietate, quàm in Concordantia; & si esset major, plùs posset distingui secundùm Majoritatem ratione Contrarietatis, quàm ratione Concordantiæ, quia Differentia esset Major ratione Contrarietatis, quàm ratione Concordantiæ; quod est falsum & impossibile propter destructionem universalium Principiorum: igitur sequitur, quòd DEUS sit incarnatus in homine.

2. DEUS creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, ita, quòd increata Boni-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Bonitas creavit ſuam ſimilem creatam bonitatem, & Magnitudo magnitudinem &c., inter ſimilem & ſimilem autem, qui ſimilantur in Magnitudine Bonitatis &c., ſtat *Concordantia* Magnitudinis Bonitatis &c. ratione Similitudinis Magnitudinis Bonitatis &c.; unde ſequitur, quòd DEUS ſit incarnatus in homine; nam, ſi eſt incarnatus in homine, conſiſtit imago & ſimilitudo DEI in Magnitudine Bonitatis &c. Concordantiæ in illa Incarnatione; quod ſi non, conſiſtit in parvitate & privatione Magnitudinis Bonitatis; & ſic unaquæque Divina Dignitas deficit cuilibet alteri Dignitati in ſua ſimilitudine effectûs, quod eſt impoſſibile: igitur DEUS eſt incarnatus in homine, ut unaquæque Divina Dignitas cuilibet alteri Divinæ Dignitati ſuppleat in effectu.

3. Divina Sapientia attingit illam majorem Magnitudinem Unitatis Bonitatis, Magnitudinis &c., per quam DEUS plùs poteſt elevare hominem; & hoc idem attingit Divina Poteſtas, quod attingit ipſa Divina Sapientia; igitur, ſi DEUS eſt incarnatus, Bonitas DEI, Magnitudo, Voluntas, Virtus &c. attingunt hoc idem, quod ipſa Sapientia & Poteſtas attingunt de illa exaltatione; ſi autem non eſt incarnatus, attingunt è *contrario*; & ſic Divina Sapientia & Poteſtas plùs menſurant illam exaltationem in Bonitate, Magnitudine &c.; quàm Bonitas, Magnitudo, Voluntas, Virtus &c., & plùs potentialiter & habitualiter, quàm actualiter; quod eſt impoſſibile & malum, cùm omnes actus Divinarum Dignitatum ſint æquales, ût probatum eſt: igitur DEUS eſt incarnatus.

4. DEUS Pater eſt *Principium* principians in ſe ipſo principiatum Filium in majori Magnitudine Bonitatis &c. Principii, quæ ſit, ût ſuprà patet, & hoc ratione Magnitudinis Bonitatis Poteſtatis &c. Intrinſecæ Actionis; igitur, ſicut DEUS eſt Principium principians in ſe ipſo in majori Magnitudine Bonitatis Principii, in qua poteſt eſſe, ita convenit, quòd ſit principians extrinſecè in majori Magnitudine Bonitatis &c. Actionis, quam effectus poſſit recipere, ut Magnitudo Bonitatis &c. DEI principiantis ambiat omnes majores extremitates eſſendi in Bonitate &c.; ſed, ſi DEUS eſt incarnatus in homine, DEUS eſt principians extrinſecè in majori Magnitudine Bonitatis &c. Actionis &c., quam effectus poſſit recipere; & ſic Magnitudo Bonitatis &c. ipſius principiantis in ſe ipſo & extra ſe ipſum ambit omnes majores extremitates eſſendi in Bonitate &c.: igitur DEUS eſt incarnatus; quod ſi non, eſt Magnitudo Bonitatis &c. ipſius principiantis extrinſecè limitata non ambiens omnes extremitates eſſendi Bonitatis &c., quia plus eſt extrinſecum principiabile, quàm DEUS principians, quòd eſt impoſſibile: igitur DEUS eſt incarnatus.

5. Quidquid DEUS principiat in ſuo effectu, principiat ratione Majoritatis Finîs, non autem ratione Minoritatis, cùm Finis plùs concordet cum Magnitudine Bonitatis &c. ratione Majoritatis, quàm ratione Minoritatis; unde in effectu ſequitur Majoritas *Medii* ratione prædictæ Majoritatis Finîs; majus Medium autem, quod poteſt eſſe inter Finem & Principium, quare DEUS creavit Mundum, eſt Ens exiſtens DEUS & Homo in Identitate & Unitate Perſonæ, ut per ſe manifeſtè patet: igitur DEUS eſt incarnatus in Homine, ut Finis non contradicat Majoritati Medii ratione Bonitatis &c., nec è converſo.

6. Si DEUS non eſt incarnatus, ipſe non participat cum ſuo effectu in identitate numeri in intima unitate ſuppoſiti, ſed extra identitatem & unitatem ſuppoſiti; & ita *Finis* effectûs attingitur extra illam identitatẽ & participationem unitatis: unde ſequitur, quòd influentia Summæ Cauſæ & Finis ſui effectûs conſiſtat in Minoritate Bonitatis &c. concordante cum *eſſe*, quia ejus oppoſita Majoritas conſiſtit in *non eſſe*; ex quo ſequitur, quòd Finis effectûs attingatur in Minoritate, non autem in Majoritate; aut quòd nunquam attingatur, quod eſt impoſſibile: ex quo impoſſibili ſequitur, quòd DEUS ſit incarnatus.

7. DEUS creavit humano intellectui Imaginem, in qua intellectus ſpecularetur Similitudines DEI, quæ ſunt Bonitas, Magnitudo &c.; hanc Imaginem autem creavit DEUS in majori Magnitudine Bonitatis &c., in qua potuit creari ab ipſo DEO, ut illa ſpeculatio fieret major in bonitate &c., quæ poteſt fieri; quam Imaginem autem convenit eſſe Incarnationem DEI in Homine; nam nulla alia poteſt eſſe major in Magnitudine Bonitatis, in qua DEUS ſe meliùs poſſit manifeſtare humano intellectui in Unitate, Magnitudine, Bonitate &c., ût per ſe patet: igitur DEUS eſt incarnatus; quod, ſi non, deficit prædicta major imago

&

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& major ſpeculatio, & deficit manifeſtatio, quam DEUS potuit dare humano intellectui, & ſic *Majoritas* hujus Imaginis & ſpeculationis & manifeſtationis eſt in *non eſſe*, & ejus oppoſita Minoritas in *eſſe*, ex quo ſequitur, quòd Majoritas & *non eſſe* concordent, & Minoritas & *eſſe*, quod eſt impoſſibile: igitur eſt prædicta Imago, & per conſequens DEUS eſt incarnatus in Homine.

8. Magnitudo eſt major in *Æqualitate*, quàm in inæqualitate, quia in Æqualitate poteſt eſſe ſinè Minoritate, non autem in inæqualitate; unde convenit, quòd ſit id, per quod ſit Æqualitas inter DEUM & ſuum effectum, ſcilicet quòd effectus non poſſit magìs ratione ſuî recipere, quàm ipſa Summa Cauſa influere in eundem: ergo convenit, quòd DEUS ſit incarnatus in homine; nam, ſi non eſt incarnatus, non eſt prædicta Æqualitas Summæ Cauſæ & ſuî effectûs, ſed potiùs ejus oppoſita inæqualitas; & ſic eſt illud, in quo Magnitudo Summæ Cauſæ poteſt influere minus Unitatis Bonitatis, Magnitudinis &c., & effectus minus recipere ratione ipſius; & eſt illud, in quo effectus poteſt recipere plus Unitatis Bonitatis &c. ratione ſuî, quàm Cauſa influere, quod eſt impoſſibile, ut Magnitudo Summæ Cauſæ habeat ſubjectum, in quod magìs poſſit influere: igitur DEUS eſt incarnatus in Homine, cujus Incarnatio eſt ipſum ſubjectum, in quo proportionaliter coæquantur Cauſa & Effectus, eò quòd ipſa Cauſa non poteſt plùs elevare ſuum Effectum ratione Principii, Medii & Finîs Bonitatis, Magnitudinis &c. & ratione Differentiæ, Concordantiæ & Æqualitatis, nec effectus plus recipere; imò etiam, niſi eſſet ipſa Incarnatio DEI in Homine, ipſa Cauſa non poſſet ſufficere Dignitatibus DEI, quia ſinè Incarnatione non eſſet effectus reductus ad unum Finem, & ſic ipſæ Dignitates ſemper cauſarent, & nunquam actu perducerent ſuos effectus ad Finem, & ſic eſſet inæqualitas ratione effectuum inter bonificare, magnificare &c. in Divinis, quod eſt impoſſibile; ergo DEUS eſt incarnatus.

9. DEUS cauſavit vel creavit omnia ad ſe ipſum; ergo omnis effectus ipſius Summæ Cauſæ eſt creatus ratione Majoritatis, non autem ratione *Minoritatis*; unde ſequitur, quòd DEUS creaverit hoc in ſuo effectu, per quod eſt magìs recolibilis & magìs intelligibilis & magìs amabilis, quia creavit omnia ad ſe ipſum; aliter enim creâſſet omnia ad ſe ipſum ratione Minoritatis recolendi, intelligendi & diligendi eum, quod eſt impoſſibile; ſed illud Ens, ratione cujus ipſe magìs eſt recolibilis &c. in effectu, eſt illa major Exiſtentia & Operatio, quam ipſe habet in ſuo effectu ratione Majoritatis Bonitatis &c. exiſtendi & agendi, quæ nihil eſſet, ſi ipſe DEUS non ſit incarnatus in Homine, quam nihil eſſe eſt impoſſibile, ut Majoritas recolibilitatis & intelligibilitatis & amabilitatis non ſit in falſitate, ne ipſa ſit Minoritas, & ut ejus oppoſita Minoritas non ſit in veritate, ne ipſa ſit Majoritas: igitur DEUS eſt incarnatus in Homine, cujus glorioſa Incarnatio ſit benedicta. Amen.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare DEUS non eſt incarnatus in pluribus hominibus?

1. SOlutio. In DEO eſt Trinitas & Unitas, ût ſuprà probatum eſt, cùm autem Incarnatio DEI ſit major Extrinſeca Operatio, quam DEUS habeat ſupra effectum, convenit, quòd ipſa ſit ſimillima Intrinſecæ Operationi DEI, ut, ſicut ex Intrinſeca Operatione DEI eſt Trinitas ^in Unitate, ita conveniat, quòd ex hac Extrinſeca Operatione DEI magìs ſimili Intrinſecæ Operationi DEI ſit Trinitas in Unitate, ut ſit in altiori gradu *Diſtinctionis*, quam potuerit habere, videlicet Divinitas Filii DEI & Anima & Corpus unius Hominis, ſcilicet JESU Chriſti; & ideo, ſi DEUS eſſet incarnatus in pluribus hominibus, Unitas eſſet in ipſo defectiva in Incarnatione ratione diverſitatis perſonarum & naturarum plurium hominum, cùm plures homines non poſſint eſſe unum, nec una perſona cum Filio DEI, imò eſſent plures perſonæ: unde ratione Magnitudinis Bonitatis &c. Unitatis Perſonæ DEUS noluit ſumere Carnem: niſi ratione Unitatis Suppoſiti conſiſtentis in Trinitate, ut ſit Imago, in qua humanus intellectus contempletur & voluntas diligat Divinam Unitatem in Trinitate.

2. In DEO eſt una Bonitas, una Magnitudo &c., & de conditionibus Bonitatis &c. eſt, quòd ipſa ſit magna, quia eſt una, & quòd ipſa eſſet parva, ſi eſſent plures bonitates diverſæ ſeu diſtinctæ eſſentiâ & naturâ; ſic à ſimili, ſi ſit Una Incarnatio DEI in Uno Homine, ejus Bonitas magìs *concordat*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dat cum Divina Bonitate, & ejus Magnitudo cum Divina Magnitudine, quàm ſi Divina Incarnatio eſſet in pluribus hominibus, quia Dignitates DEI plùs concordant cum Una Incarnatione, cùm unaquæque ſit una, quàm cum pluribus Incarnationibus.

3. Si DEUS eſſet incarnatus in pluribus hominibus, eſſet *contrarium* ipſi, quòd incarnaretur in uno homine tantùm, & non eſt contrarium ipſi, quòd ſit Unus DEUS; & ſic non eſſet contrariũ ipſi, quòd aſſumpſiſſet ſuam diſſimilitudinem, ſed eſſet concordans ei aſſumere ſuam diſſimilitudinem, & non ſuam ſimilitudinem, quod eſt manifeſtè falſum & impoſſibile: quia ſic ſua Bonitas aſſumpſiſſet parvitatem, & ſua Magnitudo malitiam, & ſic de aliis; quare convenit, quòd ipſe ſit incarnatus in ſua majori extrinſeca Similitudine: unde ſequitur, quòd potiùs ſit incarnatus in Uno Homine tantùm, quàm in pluribus hominibus.

4. DEUS Pater principiat, & ratione Unius Filiationis principiat Unum Filium, & non plures filios in una numero Deitate principiantis & principiati; & ſic illa Perſona Filii retinens illam Similitudinem principiandi in Unitate principiativè ſibi univit unum Hominem tantùm totum principiabilem in eadem numero Unitate Deitatis ſapiens naturam principiandi ipſius Patris; quare potiùs convénit, quòd ipſe incarnaretur in uno homine tantùm, quàm in pluribus.

5. In *Conjunctione* Deitatis & Humanitatis eſt Magnitudo Bonitatis, Æternitatis & Poteſtatis, cùm ipſa Deitas ſit ipsámet Magnitudo Bonitatis &c.; & ideo ratione Magnitudinis Deitas ſupplet in ſua Unitate omnes perfectiones & menſurationes Magnitudinis Bonitatis &c., ita quòd DEUS Unus de toto ſe ipſo perficiat & menſuret in ſumma Magnitudine Bonitatis &c. omnes extremitates Humanitatis in Uno, quod tamen non poſſet fieri, ſi eſſet incarnatus in pluribus hominibus, quia eſſet impoſſibile, quòd plures eſſentialiter diverſi perficerentur & menſurarentur in Unum, ita, quòd tota humanitas iſtius ſit illius, & è converſo, ſed tota Humanitas Unius eſt unius Deitatis, ſcilicet Filii per aſſumptionem, & tota Deitas Unius Filii eſt tota aſſumptæ Humanitatis Unius Hominis, ſi in Uno Homine ſit incarnatus: quare convenit, quòd in Uno Homine tantùm ſit incarnatus.

6. DEUS Filius eſt Unus *Finis*; igitur ipſe de Uno ſuo Fine perficit Humanitatem, quam aſſumpſit, & ſic de Uno Fine perficit Unum Finem, quem aſſumpſit, & non plures: igitur tantùm in uno Homine aſſumpſit Carnem, ut ipſe Finis non perficeret oppoſitum ſuæmet Unitatis, ſcilicet pluralitates finium in pluribus hominibus, quod eſt impoſſibile, quia ratione hujus Ultimi Finîs ſtat Perfectio Finîs, aliter ſequeretur, quòd Unus Ultimus Finis perficeret plures ultimos fines, quod eſt impoſſibile: quare ſequitur, quòd DEUS non ſit incarnatus in pluribus hominibus.

7. Si DEUS ratione *Majoritatis* debuiſſet incarnari in pluribus hominibus, ratione ipſius Majoritatis eſſet plus, quòd incarnaretur in tribus hominibus, quàm in duobus, & in quatuor, quàm in tribus, & ſic uſque ad infinitum numerum, quouſque Magnitudo deficeret Majoritati Incarnationis DEI, cùm ſit impoſſibile Magnitudini ipſius Incarnationis, quòd implicet infinitum numernm infinitarum unitatum hominum: quare, ut ipſa Incarnatio ſit magìs remota ab iſta impoſſibilitate, & magìs propinqua Unitati DEI, convenit, quòd DEUS in Uno Homine ſit incarnatus.

8. Si conveniſſet, quòd DEUS in pluribus hominibus eſſet incarnatus, conveniſſet ratione Majoritatis Incarnationis, quòd æqualiter eſſent aſſumpti; & ſic ratione Magnitudinis Bonitatis omnes eſſent aſſumpti eodem tempore in *Æqualitate* Bonitatis &c., & omnes fuiſſent ad Honorificationem Deitatis & propter noſtram Redemptionem, quia omnes eſſent viatores & comprehenſores æqualiter ſuſtinentes æquales paſſiones, & ſic unusquisque non eſſet per ſe ſufficiens noſtræ Redemptioni, ſed omnes æqualiter, quod eſt impoſſibile, ut noſtra Redemptio non ſit in Minoritate, & aſſumptio uniuscujusque per ſe in Minoritate: ergo ſequitur, quòd DEUS non ſit incarnatus in pluribus hominibus.

9. Si conveniſſet, quòd DEUS aſſumpſiſſet Carnem in pluribus hominibus, conveniſſet, quòd quilibet illorum eſſet minùs adorabilis & minùs nolibis, intelligibilis & amabilis, eo modo, ſicut ſi eſſent plures Dii, ût per ſe manifeſtè patet; ſed, ſicut DEUS exiſtens Unus eſt multùm adorabilis & multùm intelligibilis & multùm amabilis ratione ſuæ Unitatis Bonitatis &c., ſic etiam, ſi DEUS in uno homine ſit incarnatus, eſt multùm adorabilis &c.; & ideo ratione majoris diſtantiæ Magnitudinis Bonitatis &c.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Adorationis ab ejus opposita *Minoritate*. esset summum inconveniens, quòd DEUS esset incarnatus in pluribus hominibus. 4.

QUÆSTIO XXIX.

Utrùm in Incarnatione DEI fuerit principalis Divina Ostensio & Dilectio, vel nostra Redemptio?

1. SOlutio. In Divina Incarnatione est *Differentia* inter Bonitatem DEI &c. & Bonitatem Hominis in Unitate Personæ; sed Finis est nobilior in Majoritate, quàm in Minoritate: unde, si nostra Redemptio est principalior Finis in Incarnatione, quàm Divina Ostensio & Dilectio, prædicta Differentia & Unitas DEI & Hominis est in Minoritate Finîs, & nostra Redemptio in Majoritate; ex quo sequeretur, quòd Differentia, quæ est inter DEUM & nos, sit in Majoritate Unitatis Bonitatis &c., & illa, quæ est inter Divinam & Humanam Naturam in DEO Homine, esset in Minoritate, quod est impossibile: quare oppositum est necessarium.

2. Bonitas & Magnitudo ex Majoritate *Concordantiæ* in Unitate naturaliter implicant Majoritatem Finîs, & ex Minoritate Concordantiæ in non unitate implicant Minoritatem Finîs; unde manifestum est, quòd Deitas & Humanitas habeant majorem Concordantiam existentes unum Suppositum, quod sit DEUS Homo bonus & magnus, quàm quòd in illo Supposito sint Recreator humani generis, quod per se manifestè patet: igitur earum Concordantia implicat in Unitate Suppositi Majoritatem Finîs, & earum Concordantia in Recreatione Minoritatem Finîs: quare sequitur, quòd in Incarnatione DEI principalior fuerit Divina Ostensio & Dilectio, quàm nostra Redemptio.

3. Si Redemptio humani generis fuisset principalior Finis, quàm Divina Ostensio & Dilectio, sequeretur, quòd, si originale peccatum non fuisset, DEUS non esset incarnatus, sed, quia originale peccatum fuit, oportuerit, quòd ipse incarnaretur ad redimendum humanum genus: unde sequitur, quòd *Contrarietas*, quæ est inter DEUM & lapsum hominem, fuerit necessitas Incarnationis DEI; & sic Finis Incarnationis est constitutus de contrario Principio, quod est impossibile & contra Majoritatem Finîs Bonitatis &c. Incarnationis DEI: igitur nostra Redemptio non fuit principalior Finis Incarnationis, sed Ostensio & Dilectio DEI.

4. DEUS Filius assumendo Carnem *principiavit* Hominem in suámet Bonitate, Magnitudine &c. de bonitate, magnitudine &c. Beatæ Virginis, substantians illum Hominem in suo Divino *Esse*, existente illo Homine DEO in DEO ratione DEI, & existente DEO Homine in illo Homine ratione Hominis; & sic Finis hujus beatissimæ Incarnationis non potuit transire in nobiliorem gradum, postquam fuit ex ipso Fine in terminis ipsius Incarnationis. Unde, si nostra Recreatio fuisset principalis Finis ipsius Incarnationis, superaret in Altitudine & Nobilitate Finis extrà, existens extrà in Majoritate, & intrà in Minoritate; quod est impossibile & contra Naturam & Nobilitatem Bonitatis &c. Deitatis, & bonitatis &c. materiæ maternæ: igitur nostra Redemptio non fuit principalior Finis Incarnationis, sed Ostensio & Dilectio DEI.

5. DEUS propter Magnitudinem & Bonitatem &c. Creationis creavit nos ad se ipsum principaliter, non autem principaliter ad nósmet ipsos, ut nostra Creatio esset in Majoritate Bonitatis &c.; eodem modo DEUS assumendo Carnem principaliter creavit ad se ipsum illum Hominem, quem assumpsit, & hoc in tantum principaliter, quòd ratione principalitatis Finis uniens eum in se ipso univit eum ad se ipsum; quare manifestè sequitur, quòd DEUS propter se principaliter sit incarnatus. Unde manifestè sequeretur, si ipse esset incarnatus principaliter propter nos, quòd ratione majoris & principalioris Finîs creaverit nos ad nósmet ipsos; & sic ipsa Conjunctio sive Unio Deitatis & Humanitatis est in Majoritate & Minoritate, in Minoritate & Majoritate, quod est impossibile, & contra Conditionem *Medii* DEI & hominum, quia contra Principium & Finem illius Medii: quare sequitur, quòd principalior Finis Incarnationis fuerit Ostensio & Dilectio DEI, quàm nostra Redemptio.

6. Divina Potestas potest plùs ratione Majoritatis *Finîs*, quàm ratione Minoritatis, eò quòd major Finis plus potest recipere, quàm minor Finis: unde sequitur, quòd, cùm Potestas agat ratione minoritatis Finîs, illa actio sit ratione alterius majoris Finîs; & ideo patet, quòd DEUS fuerit Recreator in Minoritate Finîs, sed incarnatus in Majoritate Finîs; cùm Divina Potestas plus possit exi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

exiſtendo Homo, & plus influat Finis in illum Hominem, ipſo exiſtente Fine, & Poteſtate homine, & è converſo, quàm exiſtente ipsâ Poteſtate Fine noſtræ Recreationis; igitur noſtra Recreatio eſt per ſecundam intentionem, & Incarnatio DEI per primam. Quare ſequitur, quòd principalior Finis Incarnationis fuerit Oſtenſio & Dilectio DEI, quàm noſtra Redemptio.

7. *Majoritas* Bonitatis &c. eſt major in Fine, qui eſt DEUS, quàm in Fine, qui non eſt DEUS; igitur, cùm Homo DEUS ſit ita Finis, qui eſt DEUS, ſicut Bonitas &c. eſt Finis, qui eſt DEUS, eſt manifeſtum, quòd Majoritas Bonitatis &c. ſit major in hoc, quòd DEUS ſit Homo, quod *eſſe* eſt eſſe DEUM, cùm ipſe Homo ſit DEUS in Perſona DEI, quàm quòd DEUS Homo ſit Recreator, cùm eum eſſe Recreatorem non ſit Finis, qui eſt ipſe DEUS; non enim eſt in tantum Recreator, quantum DEUS Homo; & ideo, ſi noſtra Redemptio fuiſſet Finis Incarnationis DEI, fuiſſet quidem Homo DEUS, ſed non Finis, qui eſt DEUS; & ſic fuiſſet DEUS, & non DEUS, quod eſt contradictio.

8. Divina Poteſtas potuit plùs coæquare actus Dignitatum aſſumendo Carnem, quàm recreando humanum genus; cùm ſit major operatio, quòd ex Homine fiat DEUS, & è converſo, quàm nos recreare; & ſic ratione Majoritatis *Æqualitatis* ipſorum bonificare, magnificare &c. Finis fuit major in incarnando, quàm recreando: unde ſequitur ratione Majoritatis Finis, quòd DEUS principaliter fuerit incarnatus propter Divinam Oſtenſionem & Dilectionem, non autem principaliter propter noſtram Recreationem.

9. Si DEUS eſt Homo principaliter propter noſtram Recreationem, & non propter ſe ipſum, ille Homo unitus DEO, cùm ſit DEUS, habet majorem Gloriam in Recreatione, quàm in ipſa Incarnatione, ratione cujus eſt DEUS; & ſic habet majorem Gloriam propter nos, quàm propter ſe eſſe DEUM; & ita Finis eſt minor ratione Majoritatis Gloriæ, & eſt major ratione *Minoritatis* Gloriæ, quod eſt impoſſibile & contra Magnitudinem Bonitatis &c.: unde ſequitur neceſſariò, quòd in Incarnatione DEI fuerit principalis Divina Oſtenſio & Dilectio, non autem noſtra Redemptio.

QUÆSTIO XXX.

Utrùm DEUS potuiſſet creare Mundum æternum?

1. SOlutio. Nulla *Differentia* eſt eſſentialiter & naturaliter inter Divinam Poteſtatem & cæteras Dignitates DEI, cùm ſint idem numero, ût probatum eſt; unde ſequitur, quòd, ſi Divina Poteſtas potuiſſet creare Mundum æternum, potuiſſet creare illum infinitum in duratione, ſed non infinitum in bonitate, magnitudine, poteſtate &c.; nam iſto modo creâſſet illum DEUM; quod eſt impoſſibile: igitur, ſi Poteſtas potuiſſet creare Mundum æternum, potuiſſet plùs creare ratione Æternitatis, quàm ratione ſuî ipſius, & quàm ratione Bonitatis, Magnitudinis &c.; & ſic Poteſtas eſſet magìs potens ratione Æternitatis, quàm ratione ſuî, & quàm ratione Bonitatis &c.; & ſic Æternitas eſſet eſſentialiter diſtincta à Poteſtate &c., quia Poteſtas non poſſet illud ratione ſuî & Bonitatis &c., quod poſſet ratione Æternitatis; nam, ſi convertantur ita, quòd ſit nulla diſtinctio inter eas, poteſt tantum ratione ſuî &c., quantum ratione Æternitatis; ſed eſt impoſſibile, quòd Æternitas ſit eſſentialiter diſtincta à Poteſtate &c.: quare, ſicut Poteſtas non potuit Mundum creâſſe infinitum in poteſtate, bonitate &c., nec per conſequens potuit illum creâſſe infinitum in duratione.

2. Generatio & *eſſe* concordant, & per oppoſitum corruptio & *non eſſe*; & corruptio habet ſe ad generationem, ſicut ſecunda intentio ad ſuam primam, & non è converſo; unde, ſi DEUS potuit produxiſſe Mundum æternum, potuit totum contrarium hujus, quod de generatione & corruptione nunc dictum eſt; nam, ſi Mundus eſt æternus, generatio ſe habet ad corruptionem, & non è converſo, & corruptio & *eſſe* concordant, & generatio & *non eſſe*, quia entia generabilia plùs eſſent in *non eſſe* ſuî ratione corruptionis, quàm in *eſſe* ſuî ratione generationis, quod eſt magnum inconveniens Divinæ Poteſtati in Bonitate &c.: unde patet, quòd Divina Poteſtas non potuerit nec etiam voluerit creare Mundum æternum, quia ſic eſſet contra ſe, & contra ſuam Bonitatem &c.; quod eſt impoſſibile & contra ſupradicta Principia.

3. Cùm Divina Poteſtas ſit idem, quod Divina Magnitudo, non poteſt facere, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

accidens concordet cum majori Bonitate, Magnitudine, Virtute &c., quàm ſubſtantia ; cùm accidens producatur in ipſa ſubſtantia de virtute ipſius ſubſtantiæ,& ſuſtentetur ab eadem, habens ratione ſubſtantiæ non autem ratione ſuî ſuas perfectiones: unde, ſi Divina Poteſtas creavit Mundum æternum, ſic eſſet accidens majus in bonitate &c., quàm ſubſtantia ; quod patet in hoc, quia ſubſtantia Cœli, & ſubſtantia elementorum & omne incorruptibile eſſet creatum propter corruptibile, ſicut Sol propter illuminare & generare, & homo propter homificare, & intellectus propter intelligere, & ignis propter ignire, & caliditas propter calefacere, & ſic de aliis hujuſmodi; & ſic accidentia eſſent finis, & ſubſtantiæ ſe haberent ad illum; quod eſt impoſſibile, & contra prædicta Principia : ergo DEUS non potuit Mundum creare æternum.

4. Neceſſariò eſt priùs *tempore* potentia & habitus in naturalibus, quàm ſit actus procedens de ipſa potentia ratione materiæ, & de habitu ratione formæ; unde ſignificatur, quòd Divina Poteſtas non potuerit creare Mundum æternum, cùm ratione Veritatis, quæ eſt ipſa Poteſtas, non poſſit facere,quòd contradictoria ſtent ſimul & ſemel; nam, ſi Poteſtas creavit Mundum æternum, creavit quidem ipſum durabilem in infinitum à parte pòſt ratione infinitæ potentiæ & infiniti habitûs durandi, quod per ſe manifeſtum eſt; ſed non creavit ipſum durare infinitum, quia ipſe exiſtens & durans actu in nunc præſenti non eſt actu nec durat in nunc futuro, quia ſic eſſet futurum, antequam eſſet, quod eſt contradictio : ergo Mundus exiſtens & durans actu in nunc præſenti, non eſt actu durans in nunc futuro: igitur habitus & potentia Mundi ab æterno, videlicet à parte antè, præcedunt actum Mundi, ſicut à parte pòſt in æternum: undeſequitur,aut quòd aliquid ſit ante æternum, & ſic æternum eſt non æternum, aut, quòd actus Mundi, ut non ſit non æternus, ſimul & ſemel ſit cum ſuámet potentia & habitu; & ſic Mundus eſt actu, antequam ſit, quod eſt manifeſta contradictio, quam Poteſtas non poteſt facere ratione Veritatis in Æternitate : igitur Poteſtas non potuit creâſſe Mundum æternum.

5. Inter infinitum & finitum eſt nulla proportio; ſed, ſi Divina Poteſtas creâſſet Mundum æternum, eſſet Mundus *Medium*, ratione cujus eſſet proportio inter infinitum & finitum, exiſtente Mundo limitato in omnibus ſuis extremitatibus exceptâ ſuâ infinitâ duratione, ita, quòd ſubjectum ſuæ æternitatis eſſet finitum in bonitate, magnitudine & poteſtate &c., ſolùm autem infinitum duratione quoad rationem temporis; & ſic eſſet inter infinitum & finitum naturaliter proportio, quam Medium naturaliter non poteſt ſuſtinere: quare ſequitur, quòd DEUS non potuerit Mundum creare æternum.

6. Cauſa non poteſt quidquam agere in ſuo effectu ſinè *Fine* ; ſed, ſi Divina Poteſtas creavit Mundum æternum, potuit eum creare ſinè Fine, quia illo exiſtente æterno ejus Finis nunquam eſſet actu æternus, quia ab æterno & in æternum ſe haberet ad Finem; imò, quantò magìs ſe haberet ad Finem, tantò magìs diſtaret ab ipſo Fine; & ſic in infinitum durationis diſtaret ejus Finis ab eo, quia ſic Finis Mundi eſſet magìs propinquus privationi & corruptioni in ſe ipſo, quàm in Medio,& in Medio, quàm in Principio; & ſic Mundus eſſet naturaliter creatus ad privationem Finîs ; quare conveniret, quòd ipſe actu eſſet ſinè Fine, quod eſt impoſſibile : ergo DEUS non potuit Mundum creare æternum.

7. Si Divina Poteſtas creavit Mundum æternum, creavit illum contra ſémet ipſam & contra ſuam Bonitatem, Juſtitiam &c., quia æternitas Mundi eſſet imago Summæ Æternitatis DEI; ſed Summa Bonitas, Sapientia, Poteſtas &c. haberent nullas infinitas ſimilitudines ſuî in Mundo,ſicut Æternitas; unde ſequeretur ratione Infinitatis, quòd Imago Divinæ Æternitatis eſſet Finis illarum imaginum, quas cæteræ Dignitates DEI habent in Mundo; & ſic imago Divinæ Æternitatis eſſet in *Majoritate*, & cæteræ imagines aliarum Dignitatum eſſent in Minoritate, quod eſt contra Magnitudinem Juſtitiæ Poteſtatis, Bonitatis &c.: quare ſequitur, quòd DEUS non potuerit Mundum creare æternum.

8. In DEO ſunt æqualia bonificare, magnificare &c., ût ſuprà probatum eſt; unde, ſicut iſti Divini Actus in Eſſentia ſunt æquales, ſic retinent *Æqualitatem* ſuî in effectu, ut Magnitudo Bonitatis &c. non deficiat Magnitudini Æqualitatis; & ſic ſequitur, quòd,ſi Poteſtas potuit creâſſe Mundum æternum, potuerit coæquare illi æternitati Mundi immenſam bonitatem, poteſtatem &c.,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

&c., quam coæquationem Mundus non poteſt recipere ; & ſic non poſſunt coæquari immenſum bonificare, magnificare, poſſe &c. ipſi immenſo durare Mundi, & eſt neceſſarium, quòd ipſi actus coæquentur, ût dictum eſt; igitur Poteſtas non poteſt creare Mundum æternum, ſed finitum in duratione, ſicut finitum in bonitate, poteſtate &c.

9. Eſt impoſſibile, quòd Divina Poteſtas ratione ſui effectûs ſit ens circa nihil in aliquo, hoc eſt, quòd ratione ſui effectûs habeat *Minoritatem;* ſed ſi ipſa creavitMundum æternum, poſtquam eſt æternus, eſt æqualis ipſi Poteſtati in Æternitate ; unde ſequitur, quòd ipſa Poteſtas debeat pati Minoritatem in ſe ipſa, ſcilicet, quòd non poſſit reducere Mundum in nihilum; ſi autem creavit ipſum non æternum, fecit eum eſſe, cùm non eſſet, & poteſt eum facere non eſſe, quia non erat: unde patet, quòd Divina Poteſtas non potuerit creâſſe Mundum æternum, ne in aliquo Deitatis faciat ſuum effectum ſibi æqualem.

QUÆSTIO XXXI.

Quare DEUS non creavit tantum Bonum, quantum poteſt creare?

1. SOlutio. Divina Poteſtas eſt idem, quod ejus Bonitas, Magnitudo &c., ût probatum eſt; Divina Sapientia eſt idem, quod Divina Voluntas, Poteſtas &c., & quælibet idem, quod alia, ût probatum eſt; unde Divina Sapientia ſcit, quantum bonum DEUS potuit creare ratione ſuæ Voluntatis volentis, quòd DEUS tantum crearet, & nolentis, quòd crearet plus; & ideo DEUS creavit tantum bonum, quantum potuit ratione Sapientiæ & Voluntatis, ultra quarum intelligere & velle Poteſtas non poteſt aliquid, quia ſi poſſet, eſſet *Differentia* inter Divinam Poteſtatem & ejus Sapientiam & Voluntatem, quod eſt impoſſibile : DEUS autem poteſt plus creare, quàm creavit, reſpectu hujus, quod creavit, & ſimiliter reſpectu ſuî, ſed hoc noluit, quod nolle eſt ſuúmmet poſſe, cùm Poteſtas ſit idem, quod Voluntas; & ſic Poteſtas noluit ampliùs creare, quod nolle eſt poſſe non ampliùs creare.

2. Divina Poteſtas tantum concordat cum Bonitate, Magnitudine &c., quantum cum Æternitate, Sapientia & Voluntate,& è converſo: unde,ſicut debuit creare bonam creaturam ratione Bonitatis,& magnam ratione Magnitudinis, ſic etiam durantem ratione Æternitatis,& intellectam& dilectam ratioeSapientiæ &Voluntatis;igitur ratione hujus *Concordantiæ* Dignitatum Divina Poteſtas creavit tantum bonum, quantum potuit, & ſinè iſta Concordantia non poteſt creare aliquid; nam,ſi ſinè illa Concordantia poſſet creare aliquid, poſſet in Contrarietate Bonitatis &c., & contra ſuum velle, ſcire, bonificare &c., quod eſt impoſſibile.

3. Si Divina Poteſtas contradixit Magnitudini Bonitatis, quia non creavit majus bonum, quàm creavit, non contradixit Magnitudini Voluntatis, quæ noluit creari majus, quæ eſt idem cum Bonitate &c.; vel, ſi Poteſtas ratione Magnitudinis Bonitatis poteſt creare majus bonum, quàm ipſa Voluntas velit, poteſt contra Voluntatem; vel, ſi Poteſtas non poteſt creare ultrà,quàm Voluntas velit, Voluntas contradicit Magnitudini Libertatis Poteſtatis; ſed,quia omnes Divinæ Dignitates ſunt unũ idem numero, & quælibet earum eſt idem, quod quælibet ipſarum, eſt impoſſibile, quòd aliqua ipſarum contradicat alicui ipſarum. „Quare neceſſariò concludendum „eſt, quòd Divina Poteſtas potuerit & non „potuerit creare majus bonum, quàm crea„vit; & inde ſequitur nulla realis *Contra„dictio*, quamvìs noſtra ratio inde impli„cet Contradictionem non realem ex hoc, „quia non attingimus tantum de Divinis „Dignitatibus, quanta eſt earum Realitas.

4. Divina Poteſtas eſt Una Bonitas & Una Magnitudo &c.; & ſic eſt Unum *Principium* bonum, magnum &c., quod eſt infinitum Principium creativum formativum ratione Bonitatis &c.; Mundus verò, cùm principiaretur, fuit Principium principiabile materiale temporale naturale in unitate, in bonitate, magnitudine, duratione &c., ita quòd Poteſtas creando principiavit creatum bonum tantum, quantum potuit ratione Unitatis prædictæ Cauſæ & unitatis effectûs, contra quas Unitates Poteſtas non potuit implicare Majoritatem, recipiente cauſato totam perfectionem ſuæ unitatis in bonitate &c. ab Unitate ſuæ Cauſæ in Bonitate &c.; *ſed hoc attingitur per punctum tranſcendentem.*

5. In creatione Mundi fuit bonificare, magnificare,durare, poſſe, ſcire,velle &c.; & omnes iſti Actus fuerunt conjuncti ad creandum, & omnes æqualiter menſuraverunt effectum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

fectum ſub propriis extremitatibus, & comprehenſibiliter terminaverunt illum; & ideo ratione hujus *Medii* ſic æqualiter à Divinis Actibus conſtituti Poteſtas creavit tantum bonum, quantum potuit creare, cùm ſuum poſſe æqualiter ſe habuerit cum cæteris Actibus Dignitatum ad illam conjunctionem & menſurationem extremitatum effectûs, quas fecerunt bonificare in bono, & magnificare in quantitate, & Æternitas in tempore; & ſic de aliis.

6. Quando DEUS creavit Univerſum, creavit ipſum ratione *Finîs* & imaginis ipſius Finîs, quæ ſcilicet imago eſt bonitas creata, magnitudo creata, duratio creata &c.; nam ex omnibus iſtis imaginibus fuit totus Mundus creando conſtitutus, ut Finis Bonitatis &c. haberet ſubjectum, in quo omnis intellectus tam ſeparatus, quàm conjunctus poſſet extrinſecè ſpeculari Divinas Dignitates, & tunc convénit, quòd Divina Poteſtas crearet tantum bonum, quantum potuit creare ſecundùm magnitudinem bonitatis &c. prædictarum imaginum, quam habent ipſæ imagines in ſuî proportione ad ipſas Dignitates, ultra quam proportionem Poteſtas non potuit creare, ut non crearet ſinè Fine.

7. In creatione Mundi fuit Magnitudo DEI; Magnitudo autem & Poteſtas magìs concordant ratione *Majoritatis*, quàm ratione Minoritatis, cùm Minoritas & parvitas concordent; & ideo, quando Poteſtas creavit bonum, creavit illud tantum, quantum potuit ratione Majoritatis, non autem ratione Minoritatis, & per conſequens ratione Magnitudinis, non autem ratione parvitatis, ut ejus actus creandi, quantum poſſet, diſtaret à parvitate & Minoritate: unde, ſi poſſet plus creare, poſſet plùs, quàm poſſet, & majus bonum poſſet eſſe plus, quàm majus bonum; quod eſt impoſſibile.

8. Quando DEUS creavit, tunc æqualiter potuit & voluit; & in hac *Æqualitate* fuerunt creatæ æquales bonitas, magnitudo &c. in ſuis actibus; unde, ſicut omnes Dignitates in Creatione habuerunt omnes ſuos Actus æquales, ita Poteſtas in Creatione habuit ſuum poſſe æquale eiſdem Actibus; unde, ſi tunc creâſſet majus bonum, quàm tunc creavit, tunc inadæquâſſet ſuum poſſe prædictis Actibus in Bonitate, Magnitudine &c.; quod eſt impoſſibile.

9. In poteſtate, quæ poteſt ſinè bonitate, eſt malitia, & quæ poteſt ſinè magnitudine, eſt parvitas, & ſic de aliis; quare manifeſtè patet, quòd, ſi Poteſtas DEI creâſſet majus bonum, quàm creavit, non eſſet bonum, ſed potiùs malum Poteſtati DEI, poſtquam increata Bonitas determinavit creatam bonitatem, & increata Magnitudo creatam magnitudinem, & ſic de aliis: unde patet, quòd hoc, quod in Quæſtione denominatum eſt bonum Poteſtati creare, eſſet malum; quod malum Divina Poteſtas non potuit creare, nec Divina Voluntas voluit, quia Bonitas hoc non potuit bonificare, nec Magnitudo magnificare.

INCIPIUNT QUÆSTIONES Alterius Vitæ.

QUÆSTIO XXXII.

Utrùm erit Reſurrectio?

AD evidentiam Alterius Vitæ proponimus in præſenti Opere declarare *Decem Quæſtiones*, ut habeamus manifeſtam cognitionem de æterna Vita, ita, quòd per eoſdem terminos, per quos jam ſolvimus præhabitas Quæſtiones, in *his decem Quæſtionibus* intendamus proſequi deducentes ſimili modo per *Differentiam, Concordantiam* &c. *novem Rationes* ad quamlibet Quæſtionem; & primò principaliter quæritur.

1. SOlutio. Eſt *Differentia* inter corpus & Animam hominis; nam Anima eſt incorruptibilis, corpus verò corruptibile; ſed incorruptibile eſt imago Æternitatis, & corruptibile imago oppoſiti Æternitatis, ſcilicet privationis; convenit autem, quòd illud ſit futurum, in quo conſervabitur major Differentia imaginum Æternitatis, ut Æternitas ſit major in ſuis ſimilitudinibus: igitur

(c) 2006 Ministerio de Cultura

igitur conveniet, quòd ſit Reſurrectio, ut illa Differentia, quæ eſt inter corpus & animam, ſit major in Æternitate, exiſtente humano corpore glorificato incorruptibili cum ſua anima; & ſicut illa Differentia erit major imago Æternitatis, ſi Reſurrectio eſt, quàm ſi non eſt, ſic erit major imago Divinæ Bonitatis &c.; igitur erit Reſurrectio, ut Divina Voluntas magìs diligat ſuam imaginem & imaginem Æternitatis &c., ut Bonitas magìs bonificet ſuam imaginem & imaginem Æternitatis, & è converſo; quod ſi non, quælibet Divina Dignitas erit defectiva Majoritati ſuæ imaginis & imagini aliarum Dignitatum, quod eſt impoſſibile: igitur erit Reſurrectio.

2. Divinæ Dignitates habent *Concordantiam* in creando Concordantiam, quæ eſt inter animam & corpus hominis, quam anima & corpus hominis habent, cùm ſimul ſint homo, & homo de illa Concordantia, quam recipit à Divinis Dignitatibus, ſervit DEO & unicuique Dignitati ejus; ſed illud ſervitium conſiſtit in tempore, cùm homo ſit in Via: unde, ſi erit Reſurrectio, ſic Divinæ Dignitates concordant ad producendũ hominem in Mundo, & juſtus homo in Mundo habet Concordantiam ſpiritualiter & corporaliter in ſervitio DEI, & conſiſtit illa Concordantia ratione perpetuitatis in æternum, ut ipſæ Dignitates habeant Magnitudinem Concordantiæ ſui uſûs in homine; & ſic Divinæ Dignitates influunt Concordantiam bonam magnam durantem &c. in mundo extra Æternitatem, & refluunt eam extra Viam in Æternitatem; & ita reſpectu Majoritatis Concordantiæ Cauſæ & effectûs patet, quòd Reſurrectio hominum ſit futura, ut Magnitudo Bonitatis &c. non deficiat Majoritati Concordantiæ, nec habeat majorem Concordantiam cum Minoritate Concordantiæ, quàm cum Majoritate.

3. Quando injuſtus homo cum ſua injuſtitia contrariatur DEO, tunc anima & corpus illius hominis ſunt contra DEUM, & Divina Juſtitia, Bonitas &c. contra illum hominem; cùm autem finitum contradicat infinito, videlicet homo DEO, etiam DEUS ex infinita & æterna Juſtitia contradicit finito & novo; unde ſequitur, quòd infinita *Contrarietas* convertat finitam Contrarietatem in infinitam, videlicet in perpetuum exiſtere corporis & animæ injuſti hominis; & convenit, quòd hæc Contrarietas injuſti hominis ſit, ut Juſtitia DEI habeat ſubjectum, in quo agat in æternum puniendo hominem, qui in Mundo fuit contrarius infinitæ Bonitati &c.; aliàs Juſtitia DEI injuriaret ſémet & Divinam Bonitatem &c., quod eſt impoſſibile: igitur conveniet, quòd ſit Reſurrectio, quia Juſtitia ſinè Reſurrectione non haberet prædictum ſubjectum.

4. Quoniam DEUS eſt recolibilis, intelligibilis & amabilis in æternum, ideo principiavit humanam animam, in qua creavit recolitivum, intellectivum & volitivum incorruptibile, ut anima recoleret, intelligeret & diligeret DEUM in æternum; unde, ſicut DEUS ratione ſuæ Æternitatis principiavit incorruptibile, ſic etiam ratione ſuæ Bonitatis, Magnitudinis, Poteſtatis &c. principiavit recolitivum, intellectivum & volitivum humanum in Magnitudine Bonitatis &c.; ut DEUS ſit multùm recolitus & intellectus & dilectus: igitur ratione hujus Bonitatis, Magnitudinis, Poteſtatis &c. multùm recolendi, intelligendi & diligendi DEUM convenit, quòd Reſurrectio ſit futura, cùm totus homo plus poſſit recolere, intelligere & diligere DEUM, quàm ſua anima.

5. Quamvìs DEUS ex ſua natura ſit inſenſibilis, tamen creavit ſenſualitatem in Magnitudine Bonitatis &c. propter illum majorem Finem, quem potuit facere in Magnitudine Bonitatis &c. ſenſualibus, qui Finis eſt ipſe DEUS incarnatus in Homine, ût ſuprà probatum eſt; unde convenit, quòd Reſurrectio ſit futura, ut Finis ſenſualium humanorum ſit in Magnitudine Bonitatis in ſuo effectu; & hoc, ut ipſe Finis exiſtens DEO unitivè conjunctus ſit *Medium* conjunctionis inter ultimum Finem inſenſualem ex natura ſuî & inter omnia ſenſualia humana principiata ad illum Finem; igitur convenit, quòd Reſurrectio ſit futura; quod, ſi non, ſenſualia habent ſuum finem extra DEUM in ſe ipſis; & ſic eorum Finis eſt in Minoritate bonitatis &c., & per conſequens DEUS per Majoritatem Medii non creavit omnia ad ſeipſum in Majoritate Finîs; quod eſt falſum: igitur erit Reſurrectio.

6. Si non erit Reſurrectio, naturalia principia aut nunquam invenient quietem ſui ultimi *Finîs*, & ſic erunt principia ſinè ſuo principali Fine, aut, ſi invenient finem quietis ceſſante generatione & corruptione, invenient finem privationis; & ſic convenit, quòd DEUS exiſtens Summum Principium influxerit creando naturalia principia aut ſinè Fine, quia non ceſſante generatione & cor-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

corruptione nunquam invenient Finem, aut ad finem privationis principiârit ea per cessationem generationis & corruptionis; quod utrumque est falsum ratione Bonitatis &c. Causæ: igitur convenit, quòd sit Resurrectio, ut naturalia principia in glorificatis corporibus Beatorum inveniant Finem æternæ Quietis erepta à continua confusione generandi & corrumpendi: ergo erit Resurrectio.

7. Convenit, quòd illud sit futurum omni homini, per quod homo plus potest recipere de Judicio DEI, existente Divino Judicio in Magnitudine Bonitatis &c. Divinæ Justitiæ; sed, si Resurrectio est futura omni homini, homo potest plus recipere de Judicio DEI, cùm plus possint judicari ad bonum & ad malum anima & corpus partes integrantes hominem, quàm altera ipsarum partium tantùm, ut totus homo judicetur ad præmium magnitudinis vel gloriæ vel pœnæ, quare necessariò conveniet, quòd Resurrectio sit, ut non deficiat subjectum Magnitudini Judicii DEI, & ut *Majoritas* Divini Judicii in privatione non sit imago, in qua humanus intellectus speculetur parvitatem Bonitatis &c. DEI: quare erit Resurrectio.

8. Quantò magìs Causa deducit *Æqualitatem* sui effectûs in Æternitatem, tantò magìs Æternitas est conservativa sui effectûs; unde patet, quòd Resurrectio sit futura; nam, si Resurrectio est futura, bonitas &c. animæ & bonitas &c. corporis hominis in duratione coæquantur in æternum, & sic deducitur in æternum plus de entitate effectûs; si autem Resurrectio non est futura, est per oppositum; & sic erit privatio effectûs boni, magni &c.; quod erit magnum malum & malus effectus à nihilo, non quidem ratione ipsius effectûs, sed potiùs ratione Causæ diligentis in æternum minùs de bono &c. effectûs, quàm magìs: igitur erit Resurrectio.

9. *Minoritas* est ens circa *non esse*, & per oppositum Majoritas est ens circa *esse*; igitur ratione Majoritatis, non autem Minoritatis producit DEUS hominem ex *non esse*, & ratione hujus convenit, quòd faciat hominem distare à *non esse* in Majoritate durationis, non autem in Minoritate; & sic convenit, quòd Resurrectio sit futura; quia, si Resurrectio est futura, homo distat â Minoritate & nihilo in Majoritate durationis, videlicet in Æternitate à parte pòst; si verò Resurrectio non sit futura, DEUS scit, quòd homo distet ab *esse* & à Majoritate durationis, quia non scit, quòd duret, nisi tantùm durationepræsentis vitæ,& post absentiam hujus vitæ consistat in privatione Æternitatis à parte pòst, quia nunquam erit; & sic supradicta principia sunt confusa & destructa, quod est Minoritas bonitatis, & Majoritas malitiæ, quæ essent causabiles ab ipsa Summa Bonitate &c.; quod est impossibile: quare conveniet, quòd sit Resurrectio hominum.

QUÆSTIO XXXIII.

Quomodo Beata Anima in Patria habeat Gloriam?

1. SOlutio. In Divina Essentia, quæ est ipsamet Bonitas, Magnitudo, Potestas &c. DEI, est Distinctio Patris & Filii & Sancti Spiritûs, ût probatum est, essentia verò Animæ ex bonitate, magnitudine &c. constat, in qua scilicet essentia est distinctio seu *Differentia* memoriæ, intellectûs & voluntatis; attingente igitur in Patria totâ essentiâ Animæ Divinam Essentiam, quæ est tota Gloria, communicat se Distinctio, quæ est Causa, de suámet Bonitate &c. distinctioni, quæ est in effectu, ipso effectu illam communicationem ex Bonitate &c. Causæ influxam recipiente in totam suam bonitatem, magnitudinem &c.; & sic Beata Anima in Patria habet gloriam in Divina Essentia & in se ipsa recolendo, intelligendo & volendo de tota sua memoria, intellectu & voluntate illam Distinctionem Patris & Filii & Sancti Spiritûs in Divina Essentia, quæ Distinctio est Pura Gloria, quam tota essentia Animæ de DEO in se ipsa attingit glorificantem totam distinctionem memoriæ, intellectûs & voluntatis ipsius Beatæ Animæ.

2. Beata Anima attingit in Divina Essentia illam *Concordantiam*, quam habet Divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c., esse unam Essentiam, unum Patrem, unum Filium, unum Sanctum Spiritum, unum bonificare, magnificare &c., quam Concordantiam etiam attingit habere Patrem cum Filio & Sancto Spiritu (& è converso) in tota Bonitate &c., Patre producente Filium, atque Patre & Filio producentibus Sanctum Spiritum, & Sancto Spiritu fruente Patre & Filio, & è converso; & eo ipso, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd attingat, quòd hoc ita ſit, attingit, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus ratione ipſius infinitæ Concordantiæ ſint unus DEUS, una Deitas, una Eſſentia, una Natura, una Bonitas &c.; cùm autem iſta Concordantia ſit ipſa infinita Gloria DEI, & recolendo, intelligendo & diligendo attingatur ex ipſa Eſſentia DEI per totam eſſentiam Animæ, illuminatur & inflammatur tota eſſentialis concordantia, quam habet ipſa Anima in ſua memoria, intellectu & voluntate & in ſua tota bonitate &c. ad ſimilitudinem ſuæ Cauſæ in tantum, quòd per omnes ſuas extremitates eſſendi (ût ita loquar) repleatur gloriâ in tota Concordantia, quæ eſt inter Cauſam & effectum.

3. Beata Anima, dum fuit in Via, fuit ſubjecta *Contrarietati* memoriæ, intellectûs & voluntatis potentialiter & habitualiter, quia poterat peccare; hanc autem Contrarietatem habuit ratione ſuî ipſius, quia fuit de nihilo, cum quo prædicta Contrarietas concordat ita, ſicut *eſſe* & Concordantia concordant in oppoſito, quibus ſcilicet *eſſe* & Concordantiâ receptis ab ipſa Anima ex Gratia DEI habuit ipſa Anima habitum & potentiam bene agendi; ſed in Patria DEUS omnino ab ea facit diſtare Contrarietatem, dans illi Concordantiam actu æternam: unde, cùm attingit ex hoc, quòd mala Contrarietas ſit illi impoſſibilis in æternum, ex qua poſſet peccare contra ſuum DEUM, quieſcit & delectatur ex æternali Gloria.

4. Beata Anima attingit in Patria illum modum, per quem Pater generat Filium in Divinis, & illum modum, per quem Pater & Filius ſpirant Sanctum Spiritum, & per quem Sanctus Spiritus fruitur utroque; & ſic attingit illum modum, per quem Pater eſt *Principium* Filio & Sancto Spiritui, & per quem Pater & Filius ſunt Principium Sancto Spiritui, ita quòd attingendo Principium attingat principiativum, principiabilem & principiatum in Bonitate, Magnitudine &c.; & quia attingit hoc in Infinitate & Æternitate, attingit in inſtanti & ſinè ſucceſſione; unde, ſcilicet ex hac viſione, recipit Gloriam in inſtanti ſinè ſucceſſione recolendi, intelligendi, diligendi, bonificandi, magnificandi ſubſtantialiter; unde nullus mortalium poteſt æſtimare in Via Magnitudinem Gloriæ & ipſius gloriari ipſius Animæ in ſuo Principio in ſe ipſa.

5. Cùm DEUS ſit recolibilis, intelligibilis & amabilis, eſt multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis ab Anima; & ideo DEUS creavit recolitivum, intellectivum & volitivum in magnitudine bonitatis &c. ipſorum ſcilicet recolitivi &c.; & ſic, „quando Beata Anima in Patria attingit „DEUM, venit DEUS Recolibilis ad reco„litivum Animæ, & Intelligibilis ad ejus „intellectivum, & Volibilis ad ejus voliti„vum, & hoc cum Magnitudine Bonitatis „&c., ita, quòd recolitivum, intellecti„vum & volitivum recipiant Recolibilem, „Intelligibilem & Amabilem cum magni„tudine bonitatis, & ſic conjungunt ſe adeò „vehementer & menſurant per omnes ex„tremitates Animæ (ût ita loquamur) quòd „Objectum veniens eſt in tantum ipſa ſpe„cies fixa Animæ, quòd ſinè aliquo extraneo „*Medio* habeat ſuum objectum deſideratû; „& ſic Anima *ſubſtantialiter* habet & at„tingit ſuum Supremum Objectum; „nam, ſi non haberet ipſum cum ſuis principiis ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, non eſſet plena Gloriâ, nec DEUS eſſet recolibilis, intelligibilis & amabilis à Beata Anima in magnitudine bonitatis &c., quod eſt impoſſibile: igitur recolere, intelligere & velle, cum quibus Beata Anima attingit DEUM in Patria, ſunt eſſentialis entitas ipſius Animæ, ut tota entitas ſeu ſubſtantia ipſius Animæ ſit plena Gloriâ; ad alia objecta tamen influunt potentiæ Beatæ Animæ ſuos *actus accidentales*, & inde conſequitur accidentalem gloriam.

6. In Patria venit DEUS ad Animam ût ejus perfectiſſimus *Finis*, & Anima venit ad eum ût ad ſuam Ultimam Quietem & Plenitudinem Bonitatis &c., ipſe Finis autem venit infiniendo ſuum effectum, & perficiendo illum, communicando ſe illi toti ût Finem plenæ Bonitatis, Magnitudinis &c. ipſius Animæ & potentiarum ejus; & ſic Beata Anima attingens ſuum Ultimum Finem quieſcit in eodem, plena & contenta Gloriâ ipſius Finîs, quam Plenitudinem ipſe Finis influit per omnes terminos ipſius Beatæ Animæ, ut ipſa Beata Anima quieſcat inceſſanter recolendo, intelligendo & diligendo, tota plena inceſſabili Beatitudine, cujus Magnitudo eſt incomprehenſibilis à noſtris mentibus in hoc Mundo.

7. In Patria venit DEUS ad Beatam Animam in agendo, videlicet influendo Gloriam, ut ipſa inceſſanter ſit agens non otioſa in recipere Gloriam; unde Anima habens Gloriam in Magnitudine Æternitatis Boni-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tatis &c. habet totum DEUM in ſe exiſtendo, ſic, ut Gloria Beatæ Animæ ſit in majori Magnitudine, in qua poſſit eſſe, & ita habet quidem Anima Gloriam exiſtendo & agendo in æternum, hæc autem major Gloria ejus, quæ poſſit eſſe, eſt contemplari de tota ſe ipſa DEUM, & frui illo, qui eſt ipſa pura & ſimplex Gloria, quam fruendo attingit per totam ſe ipſam ſinè aliquo medio: unde ratione ipſius ſimplicis Gloriæ, quæ eſt ipſémet DEUS per totam Beatam Animam ſinè Medio, ſapit ipſa tota Anima ratione ipſius æternæ Gloriæ Æternitatem ſinè aliqua ſucceſſione; & ſic in æternum in inſtanti gloriatur.

8. Divina Sapientia attingit totam Beatam Animam tanquam Comprehenſivum, quod comprehendit ſuum totum comprehenſibile; & quia Divina Voluntas æqualiter comprehendit cum ſua Sapientia, & Bonitas æqualiter cum ſua Sapientia, & Gloria æqualiter cum ſua Sapientia, ſicut ipſa Sapientia illam totam attingens facit eam totam illuminatam Scientiâ Deitatis, quæ eſt immenſa Gloria, ſic etiam in tantum Voluntas facit eam totam inflammatam amore immenſæ amabilis Gloriæ, & Bonitas replet eam totam Beatitudine ipſius immenſæ Gloriæ, & Gloria facit eam totam delectari in immenſo Lumine Sapientiæ & in Ardore Dilectionis DEI, & in Beatitudine plena inceſſante dulcedine Vitæ DEI; & hoc, quia, quanta ipſa Gloria eſt, in tantum Sapientia influit eidem intelligere totum plenum Divino Lumine, & Voluntas in tantum influit illi diligere totum plenum Ardore Deitatis, & Gloria gloriari totum plenum Amœnitate & Delectatione immenſæ Beatitudinis; unde ratione prædictæ *Æqualitatis* nemo vivens in præſenti vita poteſt conſiderare Gloriam Beatæ Animæ.

9 Beata Anima, cùm fuit in Via unita cum carne, attingebat DEUM cum ſuis *Minoritatibus*, & ſic per accidens attingebat illum, videlicet per illud medium, quod eſt verbum phantaſticum imaginabile & intelligibile; ſed in Patria omnes & totæ illæ Minoritates convertuntur in ſubſtantiales Majoritates, ut ipſa Beata Anima habeat DEUM ſibi fixum ſubſtantialiter, ipſis Minoritatibus quieſcentibus in ſuis Majoritatibus operantibus; & ſic Beata Anima de ſuis Minoritatibus aſcendit ad ſuas Majoritates in æternum quieſcens in illis, habens in eiſdem Plenitudinem ſuæ Gloriæ, videlicet DEUM, qui, cùm ſit benedicens ei immensè & æternaliter, noſtræ Minoritates non ſufficiunt ad attingendum illam ineffabilem Gloriam, quâ in æternum Anima Beata conſiſtit.

QUÆSTIO XXXIV.

Quomodo damnata Anima patiatur Pœnam?

1. SOlutio. Eſt contrarietas inter Diſtinctionem, quæ eſt in Divinis, & illam diſtinctionem ſeu *differentiam*, quæ eſt in damnata Anima, quia Divina Diſtinctio eſt recolibilis, intelligibilis & amabilis, ſed damnata Anima recolit, intelligit & odit illam Diſtinctionem de tota Differentia ſuæ memoriæ, intellectûs & voluntatis; & ſic Divina Juſtitia affligit eam, quia ipſa Anima odit de tota ſe ipſa illud, quod eſt ſummè diligibile, eò quòd ipſa ponit de ſe ipſa tantum malum, quantum poteſt, contra Summum Bonum, & quàm magnum malum poteſt contra immenſum Bonum; & hoc totum redundat illi in tantum damnum, quantum ipſa malificat; & quantum ad oppoſitum Beatæ Animæ ipſa eſt tota perverſa ad diffruendum DEO, in tantum ponit totum ſuum intelligere contra DEUM & ſuum diligere contra DEUM, ita, quòd ſuum totum bonificare pervertit in malificare, & ſuum totum magnificare in parvificare, & ſuum totum virtuificare in vitiosè agere, & ſuum totum verificare in falſificare; & ſic Divinum Objectum totum pervertitur illi in contrarium gloriandi, & ſic patitur Pœnam in tota ſe ipſa; nam, in quantum ejus differentia diſtinguit eam totam, in tantum Summa Diſtinctio DEI, quam ipſa recipit in totam ſe ipſam diſtinctam, eſt ei Pœna affligens eam totam, in quantum tota diſtincta conſiſtit recipiens in totam ſe ipſam Divinam Diſtinctionem.

2. In damnata Anima eſt Concordantia inter illas radices principales, de quibus ipſa eſt conſtituta, quæ ſunt Bonitas, Magnitudo, Duratio, &c., quæ conſtituendo ejus memoriam, intellectum & voluntatem concordant; unde, in quantum concordant exiſtendo, in tantum etiam contrariantur in agendo, ita, quòd bonitas, in quantum ipſa eſt in memoria, in tantum producit malificare recolendo, & ejus magnitudo magnum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

magnum malificare recolendo, & poteſtas contrahit ſuum totum poſſe ad illud magnum malum, & hoc etiam ſequitur in ſuo intelligere & velle, quod fit in ſuo recolere; & ſic tota pervertitur in contrarium hujus, quod ipſa exiſtit, pro eo, quòd deberet ſe totam convertere in tantum, quanta ipſa exiſtit, in contrarium illius contrarii, quia eſt creata ad tantum recolendum, intelligendum & diligendum DEUM in magnitudine bonitatis, quanta ipſa exiſtit in magnitudine bonitatis &c.; & ſic tota principalis Concordantia ipſius Animæ convertit ſe in contrarietatem tantum, quanta eſt ipſa Concordantia, quod eſt ipſi damnatæ Animæ malum & pœna in tantum, quantum ipſa Concordantia exiſtit.

3. Memoria damnatæ Animæ contrariatur ejus intellectui & voluntati, & è converſo, quia recolit, quòd ipſa Anima perdiderit Gloriam Paradiſi, & recolit, quòd nunquam in æternum rehabebit illam, ſed recolit, quòd Anima in æternum per totam ſe ipſam ſubſtantialiter & accidentaliter habebit Pœnam; & hoc idem intelligit intellectus, quod memoria recolit; & hoc idem odit voluntas: unde, quantò plùs memoria recolit iſta, tantò plùs eſt cauſa Pœnæ intellectûs & voluntatis; & quantò plùs intellectus intelligit iſta, tantò plùs eſt cauſa Pœnæ memoriæ & voluntatis; & quantò plùs voluntas odit iſta, tantò plùs eſt cauſa Pœnæ memoriæ & intellectûs, ita, quòd inter memoriam, intellectum & voluntatem damnatæ Animæ eſt æternus circulus æternæ Pœnæ; nam, ſi memoria obliviſceretur iſta, vel intellectus ignoraret illa, vel voluntas ſaltem non odiret illa, ipſa Anima non haberet ſufferre tantos labores æternæ Pœnæ; ſed quia quælibet potentia de tota ſe ipſa conſiſtit perpetuò in totum damnum ſuî & cujuslibet aliarum, nullus vivens in Mundo poteſt cogitare cruciamina hujus anguſtiæ.

4. Intellectus damnatæ Animæ totus eſt intellectivus, & totus eſt intelligibilis in malitia, ita, quòd totus intellectivus ſit malitia, & totus intelligibilis malitia; & ſic ipſe intellectus, ût forma, eſt malus principiativus mali intelligere, & ipſum ſuum intelligere eſt malum principiabile & principiatum inceſſanter; & quod eſt de intellectu ipſius damnatæ Animæ, idem eſt ſuo modo de memoria & de voluntate illius; & ſic ſunt, quantum poſſunt, iſtæ potentiæ in contraria ſimilitudine Divinorum Suppoſitorum, quæ principiaverunt ipſas ad ſuam ſimilitudinem: unde iſta eſt pœna damnatæ Animæ, quia ejus tota *Principia* pervertuntur in contrarium hujus, quod exiſtunt, ſunt enim in ſimilitudine Deitatis & Divinæ Gloriæ, & pervertuntur in tantum, in quantum ſunt, in oppoſitum.

5. Quando bonitas, quam DEUS creavit ad bonum, tota eſt perverſa in malitiam, convenit, quòd Divina Bonitas contradicat illi ratione malitiæ; bonitas verò ſic damnata nunquam perdit nec perdet ſuam ſpeciem, ſed ſemper eſt & erit bonitas tamen tota perverſa in malitiam, & ſic tota ût bonitas contradicit ſibi ipſi de tota ſe ipſa ratione malitiæ, in quantum tota eſt perverſa, ita, quòd ipſa malitia, in quam eſt tota converſa, ſit illi *Medium*, per quod illi advenit contradictio Divinæ Bonitatis in tantum, quantum ipſa bonitas tota eſt perverſa in malitiam, & per quod etiam advenit ei contradictio ſui ipſius ex tota ſe ipſa bonitate, & ex omni alia ſpirituali bonitate, quam attingit; & iſte eſt ſpiritualis ignis; imò etiam omnis bonitas materialîs ignîs, quam attingit (& omnium elementorum & corporum) contradicit eidem; &, cùm tota ſit perverſa in malitiam, attingit bonitatem materialîs ignîs & aliorum elementorum & corporum ſubſtantialiter & accidentaliter, ut ſit nulla bonitas ſpiritualis & corporalis, quæ non affligat eam per illam malitiam, in qua eſt tota involuta.

6. Damnata Anima fuit creata ad *Finem*, qui eſt DEUS; DEUS enim creavit illam ad ſe ipſum, damnata autem non habet DEUM, & ſic eſt ſinè Fine; ſed DEUS habet illam ſuo Jure, ita, quòd DEUS quoad ſe eſt Finis illius in tantum, in quantum ipſa eſt ſubſtantialiter & accidentaliter, & in quantum ipſa agit ſubſtantialiter & accidentaliter; ſed iſte totus Finis, qui eſt ex parte DEI, eſt totus ipſi damnatæ Animæ Finis privationis, ita, quòd attingat totam ſe ipſam ſibi in ſummam privationem ſuî ipſius, & ſuum totum recolere in ſummum ſuî oblivîſci, & ſuum totum intelligere in ſummum ſuî ignorare, & ſuum totum diligere in ſummum ſuî odire, & ſuum totum affirmare in ſummum ſuî negare; quare eſt mirabile, cur poſſit fieri peccatum, ex quo tanta privatio ſortiatur.

7. Intellectus damnatæ Animæ intelligit, quòd ſua memoria habeat majorem pœ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nam, quam possit habere recolendo, & quòd sua voluntas habeat majorem pœnam, quam possit habere odiendo & diligendo, quia memoria illius recolit & recolet in æternum, quòd voluntas illius in æternum diligit & diliget Gloriam, & nunquam habebit Gloriam, & in æternum odit & odiet Pœnam & Gloriam DEI & Beatorum, & in æternum habebit pœnam, quam habet, & odit, quantò magìs potest, illud recolere memoriæ, & illud intelligere intellectûs; & sic memoria recolens, & intellectus intelligens & voluntas odiens has prædictas *Majoritates* recolendi, intelligendi & volendi sunt afflicti in Minoritate suorum actuum: unde, sicut Anima in Via & in Patria in Majoritate recolendi, intelligendi & diligendi maximè delectatur, sic in Inferno in Majoritate summè recolendi, intelligendi & odiendi summè cruciatur, & ille cruciatus est tantus, quantum est ejus recolere, intelligere & odire.

8. Divina Sapientia attingit totam damnatam Animam injustam; & quia Divina Voluntas, Justitia, Bonitas &c. sunt *æquales* ipsi Divinæ Sapientiæ, attingit Voluntas DEI odiendo illam, & Bonitas DEI affligendo illam malificantem, & Justitia DEI puniendo illam in tantum, quantum ipsa Divina Sapientia privat eam Lumine Deitatis & Gloriæ; igitur damnata Anima æqualiter ex Divinis Actibus cruciatur etiam æqualiter in suo recolere, intelligere & diligere & odire &c., & æqualiter in suo malificare, parvificare, privari &c., secundùm quòd ista æqualiter commiserunt peccatum in Via.

9. In damnata Anima est una pœnarum minor, quàm alia, secundùm quòd una potentiarum ejus acquisivit majorem pœnam, & alia minorem; veruntamen non est ita, quasi in *Minoritate* pœnæ alicujus potentiæ quiescat, acsi in aliquo sui esset vacua pœnâ, imò quælibet potentia ejus, quanta est, in tantum cruciatur, attamen magìs intensè cruciatur illa potentia ejus, quæ in Via patravit majus peccatum.

QUÆSTIO XXXV.

Quomodo Beatum Corpus habebit Gloriam?

SOlutio. Ratione Divinorum Suppositorum consistit in DEO Distinctio, in glorificato Corpore autem est *Differentia* elementorum, & distinctio formæ & materiæ & conjunctionis totius ipsius glorificati Corporis; nam Distinctio in Divinis est Causa Differentiæ & distinctionis humani corporis: unde Gloria Causæ, sicut ipsa est, ita glorificabit suum effectum; igitur modus glorificandi Beati Corporis consistit in modo Causæ, secundùm quòd Differentia utriusque, scilicet Causæ & effectûs requirit; ista Gloria autem formatur in similitudinem Distinctionis Divinorum Suppositorum: nam, sicut Pater & Filius & Sanctus Spiritus sunt distincti ût suppositа, non autem ût Deitas, sic in ipso Beato Corpore forma & materia & conjunctio earum sunt distinctæ ût partes essentiales corporeïtatis, non autem ût corporeïtas; unde ex hac similitudine Corpus attingit magnam Gloriam ratione magnitudinis similitudinis Magnitudinis Bonitatis &c. DEI.

2. Inter Divinam Naturam & illam Humanam Naturam, quam DEUS assumpsit, est in corporalibus *Concordantia* in Magnitudine Bonitatis &c.; & quia Beatum Corpus participat in natura cum illo Corpore, habet cum illo concordantiam in natura, & illa concordantia est subjectum Divinæ & Humanæ Naturæ assumptæ, in quo per Concordantiam, quam habet cum ipsa Humana Natura assumpta, ipsum Beatum Corpus attingit Gloriam, existente illâ attinctione tantâ in magnitudine bonitatis &c., quanta est ipsa concordantia nostri Beati Corporis & Corporis uniti DEO.

3. In Humano Corpore, dum est in Via, est *Contrarietas* inter ignem & aquam, & aërem & terram; atque inter ignem & aërem ratione terræ; & inter aërem & aquam ratione ignîs; & inter aquam & terram ratione aëris; & inter terram & ignem ratione aquæ; & ideo ratione hujus Contrarietatis est ipsum corpus passibile famîs, sitîs, caliditatis &c., & etiam grave & mortale; sed in Patria Divina Bonitas, Magnitudo, Justitia &c. removebit omnem Contrarietatem à glorificabili Corpore; & in quantum ab eo removebitur Contrarietas, in tantum etiam plus Concordantiæ elementorum & qualitatum eorum addetur eidem; & sic Corpus Glorificatum habebit in remotione omnis Contrarietatis & multiplicatione Concordantiæ sempiternam Gloriam.

4. Humanum Corpus sentit in Via secundùm

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dùm naturam ipſorum *Principiorum*, de quibus eſt conſtitutum, ita, quòd in ſentiendo per viſum, auditum, guſtum, tactum & odoratum ſentit bonam delectationem ratione bonitatis, & magnam ratione magnitudinis, & ſic de aliis Principiis, de quibus ipſum corpus eſt conſtitutum; ſed, cùm erit in Patria, attinget Gloriam in prædictis Principiis, ita, quòd tota bonitas erit glorificata & ſimiliter ejus magnitudo in toto viſu, auditu &c. glorificatis, & etiam in Glorificatione cujuslibet ſenſuum multiplicabitur Gloria cujuslibet alterius eorum.

5. In Patria erunt Anima & Corpus conjunctim & omnes partes Animæ & Corporis ita ſimul unum, quòd quælibet earum tota erit in tota alia; & ſic anima recolendo, intelligendo & diligendo attinget & menſurabit omnes partes corporis & extremitates ejus, quas habebit in bonitate, magnitudine, duratione, poteſtate, appetitu, virtute & veritate, ita, quòd ipſum Corpus in tantum, in quantum anima attingit illas partes & extremitates, conſequatur Gloriam; nam, ſicut Corpus in Via delectatur bibendo, cùm ſitit, & quantò magìs ſitit & bibit, tantò magìs bibendo delectatur, & quantò melior eſt potus, tantò majorem delectationem invenit, quia guſtus plus attingit, ſic & multò meliùs omnes partes Corporis delectabuntur in Gloria & in attinctione & participatione, quam Anima cum illis habebit recolendo, intelligendo & volendo earum bonitates & magnitudines &c.

6. Dum Corpus eſt in Via, habet quidem delectationem in Principio & Medio, ſed magìs in *Fine;* in Patria verò Finis ejus erit vivere in bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate &c. videndo Hominem DEUM, videlicet JESUM Chriſtum, & videndo Beatam glorioſam ejus Genitricem MARIAM cum omnibus Sanctis, & audiendo ineffabilem Laudem & Gloriam DEI & Humanitatis, quam aſſumpſit, nec aliquid erit ei impedimentum ratione bonitatis, Magnitudinis &c.; & ratione Finîs, in quo erit in æternum, nihil aliud appetet, niſi diligere illud, quod habebit; nam aliter non eſſet in Fine Gloriæ, ſi haberet carentiam alicujus; & conveniet, quòd hæc omnia ita ſint in Glorificato Corpore, ſecundùm quòd patet in Magnitudine Bonitatis Finîs Cauſæ & effectûs; & iſta Gloria non poteſt æſtimari in præſenti vita.

7. In Via delectatur homo in pulchritudine rerum viſibilium applaudendarum, & etiam in ſonitu & voce melodioſis, quæ cum multa dulcedine percutiunt auditum; & quantò magìs objectum visûs in colore vel nitore intenditur, vel in ſitu & habitu jucundâ varietate figuratur, & quantò magìs euphonia intenditur vel in conſonantiis varietate conformatur, tantò magìs delectatio corporis augmentatur; quia ſenſus delectantur in multiplicatione eorum, quæ pertinent ad ſuam naturam; ſed in Patria, cùm ſenſus erit in ſumma diſpoſitione, & Objectum in Summa repræſentatione, anima attinget, quòd totum illud, quod erit in diſpoſitione ſummæ pulchritudinis, ſic ſit ratione Magnitudinis Bonitatis Juſtitiæ &c. mirabiliter glorificantium Corpus in prædicta *Majoritate.*

8. In Patria omnis homo habebit Charitatem, Juſtitiam & Sapientiam, quas conveniet inter homines eſſe proportionatas; & ideo illa Majoritas, quam unum corpus acquiſivit ſuper aliud corpus, erit in æquali proportione reſpectu Charitatis, Juſtitiæ & Sapientiæ; & ſic inter Glorificata Corpora erit *Æqualitas*, videlicet proportio debitè gradata ſecundùm Divinam Juſtitiam & Retributionem, in qua Beatum Corpus conſiſtit glorificatum.

9. Corpus in Via eſt ſubjectum pluribus *Minoritatibus* ratione diverſarum indigentiarum, quas patitur ipſum corpus; indiget enim laborare manibus, ambulare pedibus, comedere, induere, dormire ad ſuî ſuſtentationem; eſt etiam grave, tenebroſum, immundum ratione ſuæ appetitivæ, retentivæ, digeſtivæ & expulſivæ; & etiam facit multa alia his ſimilia ratione ſuarum indigentiarum, dum eſt in Via: ſed omnes iſtæ Minoritates ſeparabuntur à Glorificato Corpore ratione ſufficientiæ & plenitudinis ſuæ Gloriæ, nec ampliùs habebit ſua membra ſubjecta labori, ſed potiùs in diſpoſitione & habitu ſuæ ſummæ Gloriæ, converſis omnibus ſuis Minoritatibus in Majoritates glorificatas in magnitudine corporalis gloriæ, ad quam nos perducat Gratia & Miſericordia infiniti Glorioſi. Amen.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO XXXVI.

Quomodo damnatum Corpus patietur Pœnam?

1. SOlutio. Illa *Differentia*, quæ in Inferno erit inter radicalem bonitatem corporis & radicalem magnitudinem ejus, & ſic de aliis radicalibus principiis, quæ conſtituunt Corpus, tota pervertetur in Contrarietatem, ita, quòd corporalis bonitas ratione malitiæ erit contra corporalem magnitudinem, & è converſo, ita, quòd totum Corpus ratione ſuarum radicalium partium affligetur.

2. In Via eſt naturalis *Concordantia* inter Animam & Corpus hominis, ut inſimul ſint unum, videlicet unus homo, ita quòd omnes partes Corporis & Animæ mutuò exiſtant concordes, in Inferno autem fiet è contrario, quia Anima odiet Corpus, & Corpus abhorrebit Animam, & omnes partes hujus omnes partes illius, & è converſo, nec poterit fieri mutua ſeparatio eorum ab invicem; unde oportebit, quòd affligatur utrumque, Corpus quidem, quia à ſua Anima torquebitur in æternum, Anima verò, quia recolet & intelliget, quòd ſuum Corpus ſemper in æternum torqueatur, quod naturaliter diligit habere Gloriam, quam ipſum nunquam habebit.

3. In damnato Corpore unumquodque elementorum erit contra aliud, ita, quòd tota Concordantia, quam ignis habet cum aëre, & aër cum aqua, & aqua cum terra, & terra cum igne in corpore modò exiſtente in Via, tota pervertetur in *Contrarietatem*; unde neceſſarium erit tali corpori, quòd tunc totum ſit in pœna, quia quælibet pars tota elementorum affliget totam quamlibet partem eorum, & ſinè corruptione corrumpet in æternum.

4. Forma Corporis in Inferno patietur pœnam agendo, & materia patiendo, ita, quòd, ſicut forma in Via naturaliter appetit agere, & materia pati, in Inferno forma appetet pati, & materia agere, ut per oppoſitum tota operatio naturæ illius corporis pervertatur in contrarium, & ita *Principia* illius Corporis erunt in tanta contrarietate, quòd ſibi ipſis & ſuæmet naturæ & aliud alteri inceſſanter contrariabuntur, ut pœna illius Corporis ſit in Majoritate, & ut Juſtitia DEI magìs poſſit agere in punibili ſubjecto; nec propter iſtam Contrarietatem ſeparabuntur ipſa Principia à ſe ipſis, ſed in æternum habebunt contrarietatem, ut ratione Magnitudinis punientis Juſtitiæ permaneat pœna damnati Corporis æviterna flamma infernalis ignîs, in quo damnatum Corpus erit concluſum.

5. Ille ignis, quem cum aliis elementis illud Corpus continet, fortificabit ſuas vires ratione conjunctionis flammæ infernalîs ignîs & Corporis, & hæc fortificatio erit contra aquam & contra aërem & contra terram, de quibus ipſum Corpus conſtabit; & quia aër, terra & aqua non poterunt conſumi ſub igne, ut corpus habeat permanentiam, multiplicabitur pœna Corporis; & quod dictum eſt de igne, ita etiam erit de aqua, in qua damnatum Corpus totum erit ſubmerſum; & quia unaquæque pars Corporis conſiſtit in alia ratione conjunctionis Corporis ex ſuis partibus, iſte cruciatus erit ſummus.

6. In Inferno omnes partes Corporis alia contra aliam appetent juvamentum; & ſic homo habebit appetitum comedendi & bibendi, infrigidandi, calefaciendi, quieſcendi, ita, quòd pars, in quantum erit frigefacta, appetet calefieri, & humefacta deſiccari, & è converſo, & iſte appetitus erit mutuus ſinè *Fine*, videlicet in æternum, ita, quòd Finis ſemper erit appetibilis, & nunquam attingibilis; & iſte erit ſummus languor Corpori appetere in æternum quieſcere in Fine, & nunquam habere Finem.

7. In Via nullum corpus poteſt pati languores in *Majoritate*; nam, ſi ſit calidum, adhuc poteſt eſſe magìs calidum; & ſi ſit ægrum, adhuc poteſt eſſe magìs ægrum, & ſic de cæteris paſſionibus; in Inferno autem pœna Corporis conſtabit de Majoritatibus caliditatis, frigiditatis, famîs, ſitîs, ægritudinis, & ſic de aliis hujusmodi, ita, quòd omnes Majoritates, quas elementa poſſunt habere ad cruciandum Corpus, torquebunt ipſum, & etiam Anima unita illi Corpori adjunget ipſi Corpori alios cruciatus in Majoritate ſentiendi pœnas ipſius Corporis & miniſtrandi pœnas eidem de intellectualibus pœnis, quas ipſa Anima ſentit.

8. In præſenti vita eſt plus caliditatis in uno loco corporis hominis, quàm in alio, ſicut in corde plus, quàm in cerebro, & ſimiliter plus frigiditatis in uno loco, quàm in alio, ſicut in cerebro plus, quàm in corde, & ſic de cæteris membris; ſed in Inferno *æqualiter* erunt caliditas & frigiditas per omnia membra ratione flammæ ignîs, quæ circumda-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cumdabit totum damnatum Corpus, & ratione fluctûs frigidæ aquæ, in qua totum ſubmergetur; & ratio hujus eſt, ut pœna ſit in Majoritate activitatis.

9. Elementa, cum quibus participamus in Via, ſunt magìs compoſita, quàm elementa, cum quibus damnati homines participabunt, quod eſt, ut pœna damnatorum non ſit in *Minoritate*, ſed potiùs in Majoritate; nam, quantò magìs elementa componuntur, tantò magìs remittuntur, & quia aliud digerit aliud eorum ad generationem, non poteſt tantum aliud reſiſtere alteri; ſed in Inferno ignis & unumquodque aliorum elementorum ratione ſuæ cruditatis & reſiſtivitatis & reſiſtibilitatis permanet in ſuo vigore ad affligendum Corpus, unde erit ipſi Corpori ſumma pœna, quia ipſa elementa, de quibus ipſum damnatum Corpus conſtabit, ſapientia illam naturam elementorum, in quibus illud corpus erit convolutum, erunt incorruptibilia & permanentia; & ſicut infernalia elementa non generant ratione minoritatis compoſitionis, in qua ſunt, ſic nec corrumpent damnatum Corpus, quamvìs crucient illud.

QUÆSTIO XXXVII.

Utrùm Potentiæ Animæ in Patria habeant æqualem Gloriam?

1. SOlutio. Gloria Beatæ Animæ eſt, quòd ipſa cum ſuo toto recolere, intelligere & diligere attingat DEUM; unde, cùm ſit *Differentia* inter bonitatem, magnitudinem &c. ipſius Animæ, & inter ejus memoriam, intellectum & voluntatem, & etiam inter ejus recolere, intelligere & velle, ſi igitur Beata Anima tantum attingit DEUM de una ſuarum Potentiarum, quantum de alia, & è converſo, prædicta Differentia in ipſa Anima eſt in Majoritate bonitatis, magnitudinis, durationis &c., quod ſi non, eſt in ejus oppoſita Minoritate, & deficiunt Divina Bonitas, Magnitudo &c. Majoritati Differentiæ Animæ & Majoritati ſimilitudinis & imaginis Summæ Diſtinctionis & aſſimilationis in æqualitate; quod eſt impoſſibile & contra Conditiones Dignitatum DEI: igitur Anima attingit DEUM æqualiter in Patria de recolere, intelligere & velle: igitur Potentiæ Beatæ Animæ habent æqualem Gloriam in Patria.

2. *Concordantia* poteſt eſſe major in Æqualitate, quàm in inæqualitate, & hoc eſt ratione Divinæ Poteſtatis, quæ magìs poteſt concordare coæquando, quàm diſcoæquando, quia non diſcoæquando ſed coæquando poteſt concordare ſinè Minoritate; ſed cùm concordare coæquando ſit major actio Poteſtatis in effectu in Patria, quàm diſcoæquando, & conveniat, quòd illud ſit in Patria, per quod Poteſtas plus poteſt agere in effectu, & per quod Bonitas, Magnitudo &c. habent majorem Concordantiam in ipſo effectu, igitur convenit, quòd Potentiæ Animæ in Patria habeant æqualem Gloriam, ut prædicta major actio Poteſtatis & major Concordantia influendi Dignitatum in effectum & recipiendi effectûs non ſit in *non eſſe*, & ejus oppoſita Minoritas in *eſſe*.

3. Si Potentiæ Animæ habent æqualem Gloriam, magìs diſtant à *Contrarietate* ratione Æqualitatis Gloriæ, quàm ratione inæqualitatis ejus, quia in inæqualitate eſt Minoritas exiſtens ens circa *non eſſe*, & in Æqualitate eſt Majoritas exiſtens ens circa *eſſe*; unde ſequitur, quòd Æqualitas magìs contradicat ipſi *non eſſe*, quàm inæqualitas; & ideo, ut Divina Æqualitas poſſit magìs removere Potentias Animæ à Minoritate & à *non eſſe*, removet eas ab inæqualitate, ut non contradicat Majoritati prædictæ diſtantiæ: quare convenit, quòd Potentiæ Animæ in Patria habeant æqualem Gloriam.

4. In quantum Divina Bonitas eſt *Principium* bonitati Animæ, & Divina Magnitudo magnitudini Animæ, & ſic de aliis, in tantum etiam convenit, quòd Æqualitas Divinarum Perſonarum, quam habent in ſe ipſis & in Bonitate &c., ſit Principium Æqualitati Animæ: unde ſi Æqualitas Gloriæ non eſſet in Potentiis Animæ, Divina Æqualitas non haberet in ſuo effectu ſubjectum, in quo ageret de Gloria cum Magnitudine Bonitatis &c., & Bonitas, Magnitudo &c. DEI eſſent majora Principia agendo de Gloria in effectu, quàm Divina Æqualitas; quod eſt impoſſibile: igitur Potentiæ Animæ in Patria habent æqualem Gloriam.

5. In Patria eſt actus cujuslibet Potentiæ Animæ in actu cujuslibet alterius Potentiæ ipſius Animæ, & actus bonitatis ipſius Animæ eſt in actu magnitudinis ipſius animæ, & è converſo, & ſic de aliis; & ratio hujus eſt, ut conjunctio actuum ipſius Animæ ſit in Majoritate unitatis ratione Majoritatis bonitatis, magnitudinis &c.; unde, ſi illi actus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

actus ſe æqualiter menſurant in receptione Gloriæ à DEO, ſunt in Majoritate unionis & menſurationis & ſuarum extremitatum intenſivè, alio eorum exiſtente in alio; igitur æqualiter recipiunt ipſam, quod ſi non, Majoritas prædicti *Medii* plùs conſiſtit in privatione, quàm in *eſſe;* quod eſt impoſſibile: igitur Potentiæ Animæ in Patria habent æqualem Gloriam.

6. Si Potentiæ Animæ non haberent æqualem Gloriam in Patria, conveniret, quòd illa Potentia, quæ eſſet in minori gloria, haberet ſuam Gloriam extra *Finem,* & non in Fine, quod eſt impoſſibile: quia eſt impoſſibile, quòd quieſcat in parvitate Gloriæ, cùm quies ſit in Magnitudine Gloriæ: igitur, cùm Gloria attingatur in Fine, & non extra Finem, eſt neceſſarium, quòd Potentiæ Animæ ſint æquales in Gloria.

7. DEUS eſt recolibilis, intelligibilis & amabilis in majori Magnitudine, in qua Anima poteſt eum recolere, intelligere & diligere; nam aliter DEUS non eſſet tantum fruibilis, quantum Anima eo poteſt frui; quod eſt falſum: ſed Anima plùs poteſt in Magnitudine eum recolere, intelligere & diligere in Æqualitate Gloriæ ſuarum Potentiarum recolendo, intelligendo & diligendo eum æqualiter, cùm per hoc ſit magìs fruibilis: igitur Potentiæ Animæ in Patria habent æqualem Gloriam.

8. Illa Gloria, quæ conſiſtit in *Æqualitate* ipſorum glorificantis, gorificabilis, glorificare & glorificati, eſt major, quàm illa, quæ non eſt in hac prædicta Æqualitate; & ideo patet, quòd Gloria, quæ eſt Cauſa, magis poſſit attingere gloriam, quæ eſt effectus, in Æqualitate effectûs, quàm in inæqualitate, & hoc ratione ſimilitudinis, quæ poteſt eſſe major inter Cauſam & effectum in Æqualitate, quàm in inæqualitate: igitur Anima recipit æqualem Gloriam in ſuis Potentiis ratione majoris ſimilitudinis exiſtentis inter Æqualitatem & Æqualitatem, cujus ſcilicet Majoritatis Magnitudo cauſat prædictam Majoritatem cum Bonitate &c.

9. Sicut Anima æqualiter diſtat à privatione ratione æqualis exiſtentiæ ſuæ bonitatis, ſic etiam ratione æqualis exiſtentiæ ſuæ memoriæ, intellectûs & voluntatis, cùm ipſa ſit ens conſtitutum de ſuísmet Potentiis; & iterum, quia habet memoriam recolitivam ratione Recolibilitatis DEI, & intellectum intellectivum ratione Intelligibilitatis DEI, & voluntatem volitivam ratione Volibilitatis DEI, diſtat Anima tantum à *Minoritate* & privatione ratione agendi, quantum ratione exiſtendi, ut de toto exiſtere & agere recolendo, intelligendo & diligendo attingat DEUM; aliter non haberet principaliter memoriam, intellectum & voluntatem ratione Recolibilitatis, Intelligibilitatis & Diligibilitatis DEI, quod eſt falſum: quare per conſequens neceſſariò convenit, quòd Potentiæ Animæ in Patria habeant æqualem Gloriam.

QUÆSTIO XXXVIII.

Utrùm DEUS poſſit dare tantam Pœnam Dæmoni, quantam Gloriam Beato Angelo?

1. SOlutio. Divina Poteſtas eſt Ens, ratione cujus Gloria poteſt eſſe Bonitas, & è converſo; ſed Pœna, malitia & culpa non poſſunt converti; & quia Poteſtas plùs poteſt ratione prædictæ converſionis, quàm ratione inconverſionis, poteſt magìs dare Gloriam Angelo, quàm Pœnam Diabolo; aliàs non eſſet *Differentia* inter illud, in quo Poteſtas magìs poteſt, & illud, in quo minùs poteſt; quod eſt impoſſibile.

2. Divina Poteſtas eſt *Concordantia,* non autem Contrarietas; & ideo plùs poteſt ratione hujus, quod ipſa eſt, quàm ratione hujus, quod ipſa non eſt; ergo, cùm DEUS habeat Concordantiam cum Angelo, & Contrarietatem cum Dæmone, poteſt plus dare Angelo ratione Concordantiæ, quàm Dæmoni ratione Contrarietatis.

3. Divina Poteſtas eſt Gloria, non autem Pœna; ſed de hoc, quod ipſa eſt, poteſt plus dare, quàm de hoc, quod ipſa non eſt; quod ſi non, Eſſentia Poteſtatis *contradiceret* Magnitudini Largitatis Liberalitatis, quod eſt impoſſibile & contra Eſſentiam Bonitatis: igitur DEUS non poteſt dare tantam Pœnam Dæmoni, quantam Gloriam Angelo.

4. Divina Poteſtas eſt *Principium*, ratione cujus Angelus exiſtit & agit, & ratione cujus Gloria Angeli exiſtit & agit; ſed ipſa non eſt Principium, ratione cujus Dæmon agit malum & exiſtit malus, quamvìs ſit juſtum Principium puniens Dæmonem; ſed magìs poteſt dare id, cui ipſa eſt Principium, quàm id, cui ipſa non eſt Principium: igitur DEUS non poteſt dare tantam Pœnam Dæmoni, quantam Gloriam Angelo.

Bonus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

5. Bonus Angelus eſt aptus ad recipiendum bonitatem, magnitudinem, gloriam &c. à DEO, cùm eſſentialiter ſit conſtitutus de gloria cum bonitate, magnitudine &c.; Diabolus verò, licèt ſit eſſentialiter conſtitutus de bonitate &c., cùm tamen ſit perverſus in malitiam &c., non eſt aptus ad recipiendum gloriam à DEO, cùm ſuum agere ſit contra Divinam Gloriam, & contra gloriam, de qua eſſentialiter eſt conſtitutus, ſed eſt aptus ad recipiendum Pœnam & malum: unde, cùm *eſſe* magìs ſe habeat ad *eſſe*, videlicet eſſentialis gloria ad meritoriam gloriam, quàm *eſſe* ad privationem, videlicet eſſentialis gloria ad Pœnam culpæ, quia illa conjunguntur in Beato Angelo, iſta verò diſparantur in Dæmone, eſt manifeſtum, quòd DEUS magìs poſſit dare Gloriam Beato Angelo, quàm Pœnam Dæmoni.

6. Beatus Angelus attingit in Gloria ſuum *Finem*, Dæmon verò carens DEO ſibi ipſi conſiſtit in Pœna ſinè fine; & licèt Poteſtas DEI poſſit Dæmoni dare Pœnam in æternum, non dat illi finem in æternum, ſed potiùs privat eum fine in æternum; & quia ipſa Poteſtas plùs poteſt dando æternum Finem, quàm auferendo illum in æternum, DEUS poteſt plùs dare Gloriam Beato Angelo, quàm Pœnam Dæmoni: quòd autem DEUS plùs poſſit dando, quàm auferendo, patet in hoc, quia DEUS eſt Finis, non autem privatio finîs; quia, ſi eſſet privatio finîs, eſſet Finis & non finis; quod eſt contradictio.

7. Angelus ratione meriti non poteſt attingere Gloriam, quæ eſt DEUS, cùm illa Gloria ſit *major*, quàm meritum, ſed Dæmon poteſt acquirere meritum Pœnæ, cùm contradicat Æternitati DEI, & etiam Bonitati &c. ipſius Æternitatis, & è converſo: igitur, cùm DEUS plùs poſſit menſurare gloriam, quia ultra meritum, quàm Dæmon Pœnam, quia non ultra meritum Pœnæ: igitur ſequitur, quòd DEUS non poſſit dare tantam Pœnam Dæmoni, quantam Gloriam Angelo.

8. Bonus Angelus ſtatim, cùm fuit creatus, habuit DEUM recolendo, intelligendo & volendo; & Dæmon, cùm fuit creatus bonus, ſtatim fuit malus, habendo DEUM recolendo, intelligendo & odiendo; & quia diligere & odire ſunt inæqualia, ipſo diligere abſolutè exiſtente in Majoritate ratione exiſtendi, quia diligere, Majoritas & *eſſe* concordant, & ipſo odire abſolutè exiſtente in Minoritate ratione ipſius *non eſſe*, quia odire, Minoritas & *non eſſe* concordant, manifeſtè patet, quòd DEUS plùs poſſit influere Gloriam Beato Angelo, quàm Pœnam Dæmoni.

9. Omnia, quæ Bonus Angelus agit, agit ratione exiſtentiæ, quia juſtum eſt, quòd ſit illud, quod agit; Dæmon verò agit in oppoſitum, & ideo injuſtum eſt, quòd ſit illud, quod Dæmon agit, ita, quòd reſpectu eſſendi & non exiſtendi Bonus Angelus agit circa Majoritatem, malus verò circa *Minoritatem*; & quia Majoritas ratione ipſius *eſſe* magìs poteſt eſſe ſubjectum recipiendi, quàm Minoritas ratione ipſius *non eſſe*: igitur patet, quòd DEUS plùs poſſit dare Beato Angelo Gloriam, quàm Dæmoni Pœnam.

QUÆSTIO XXXIX.

Quomodo materialis Ignis attingat Dæmonem?

1. SOlutio. Illa *Differentia*, quæ eſt intellectualis & ſenſualis inter Dæmonem & ignem, non eſt in Concordantia; ſed potiùs in Contrarietate, cùm Dæmon ſit contra DEUM, & contra ejus effectum, odiendo DEUM & ejus effectum; ſed cùm iſta Contrarietas Dæmonis adversùs DEUM & ejus effectum ſit in Magnitudine, ut Juſtitia agat ſuper Dæmonem in Magnitudine, attingit ignis Dæmonem affligendo contrariativè ratione DEI & ſuî, quibus totus Dæmon tantum contrariatur, quantum poteſt.

2. Divinæ Dignitates habent *Concordantiam* affligendo Dæmonem, & hæc Concordantia eſt magna ratione Magnitudinis, & bona ratione Bonitatis, & durabilis ratione Æternitatis, & potens ratione Poteſtatis, & juſta ratione Juſtitiæ, & ſic de aliis ſuo modo; quare, ſi ignis affligit Dæmonem per modum prædictæ Magnitudinis in Juſtitia, Bonitate, Æternitate &c., ille modus, quem Divinæ Dignitates habent in Concordantia ſuî ad puniendum Dæmonem, concordat cum Magnitudine prædictæ Concordantiæ; ſi verò ignis non affligit Dæmonem per modum prædictæ Magnitudinis in Juſtitia, Bonitate, Magnitudine &c., eſt prædictus modus in Minoritate; & ſic Magnitudo Bonitatis &c. deficit Majoritati prædicti modi; quod eſt impoſſibile: igitur in modo, qui dictus eſt, affligitur Dæmon.

3. Ignis naturaliter per ſe non poteſt attingere

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gere Dæmonem, cùm sit omnino disparatæ naturæ in hoc, quòd iste est intellectualis & spiritualis simpliciter, scilicet Dæmon, & ille sensualis & corporalis simpliciter, videlicet ignis, sed attingit eum in natura *modi majoritatis Contrarietatis*; quia plùs simpliciter est contra corporalem & spiritualem naturam, quòd attingat illum, quàm si non attingat illum; & ideo attingit ipsum dæmonem, ut contrarietas importet Majoritatem pœnæ Dæmoni, supplente Divinâ Potestate illum modum, quem potest super utramque, scilicet naturam ignîs & Dæmonis.

4. Dæmon attingit objectivè ignem recolendo, intelligendo & odiendo ignem & omnes ejus conditiones, ita quòd Dæmon lædit se ipsum modo objectivo ignîs; & Divina Justitia est *Principium* punitivum ût forma, Diabolus verò est Principium punibile ût materia; unde Justitia movet ignem ût formam contra Dæmonem, & Dæmon resistit illi ût materia disparata à forma ignîs; & quia Divina Justitia plùs potest agere de igne in Dæmone congregativè, quàm Dæmon resistere disgregativè, potest ignis ût forma plùs agendo lædere Dæmonem, quàm Dæmon resistere eidem ût materia; & sic ignis hoc modo attingendo affligit Dæmonem, adjuvante ad illum affligendum illâ læsione, quam Dæmon facit sibi ipsi objectando, ût dictum est.

5. Dæmon „ut exspiret terribilem vocem, „& ut habeat calefactum corpus, induit cor„pus aëris & ignîs ad *sentiendum* vocem ra„tione aëris, & ardorem ratione ignîs„; unde per hoc *Medium* ignîs in Inferno affliget corpora damnatorum hominum, cùm erunt in Inferno, quia per istud Medium corporis, quod Dæmon potest assumere, affligetur corpus elementatum sensatum attactum ab illo corpore, quod Dæmon assumpsit.

6. Dæmon ratione *Finis* assumit corpus sapiens naturam Finîs, quia aliter non assumeret corpus; igitur per modum & Finem corporis attingit ignis Dæmonem, quia Dæmon ratione istius Finîs, quod est ardere & ardendo affligere ratione ignîs, sumit corpus, & sic, ut sentiat Finem, sentit sibi afflictionem ignîs in supradicto corpore; & sicut Finis est ens, in quo bonus Angelus delectando quiescit, sic est ens, in quo malignus Angelus cruciatus laborat, sive ipse Finis sit intellectualis, sive sensualis.

7. *Majoritas* attinctionis ignîs est imago, in qua humanus intellectus speculatur Magnitudinem Divinæ Potestatis & Justitiæ; unde, si ignis attingit dæmonem non ratione potestatis ipsius ignîs tantùm, imò potiùs ratione Potestatis Divinæ Justitiæ, plùs potest speculari Magnitudo Potestatis Divinæ Justitiæ, quàm si ignis non potest affligere Dæmonem: quare oportet, quòd ignis attingat illum affligendo.

8. Divina Bonitas in tantum malificat Dæmonem, in quantum Justitia punit illum; & Magnitudo in tantum etiam parvificat illum magnificans pœnam & malitiam ejus, & sic similiter de aliis Dignitatibus DEI; & ratio hujus est, ut ipsæ Dignitates puniendo & affligendo Dæmonem habeant æquales actus; & quia Magnitudo magnificat afflictionem Dæmonis, & Bonitas malificat ei pœnam, & sic de aliis Dignitatibus, si ignis affligat Dæmonem: igitur ratione majoris actionis *Æqualitatis* Divinarum Dignitatum in Dæmonem ignis affligit eum.

9. Ut Pœna Dæmonis distet à *Minoritate*, ignis affligit dæmonem, ut affligendo ipsum ejus pœna sit major; nam, quantò major est illius pœna, tantò magìs distat à Minoritate; unde ratione majoris distantiæ Majoritatis pœnæ à Minoritate potest ignis attingere Dæmonem. Per prædicta igitur patet, quomodo materialis ignis Dæmonem attingat.

QUÆSTIO XL.

Utrùm Corpora Beatorum habebunt majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam?

1. SOlutio. *Differentia*, quæ est inter Christum & Corpora Beatorum, consistit in Gloria, & Differentia, quæ est inter Christum & Animas damnatorum, consistit ipsis damnatis Animabus in Pœna, DEO puniente illas; & quia Differentia est melior, major, durabilior, potentior &c. in Gloria, quàm in Pœna: igitur Gloriá Beatorum Corporum est major, quàm Pœna damnatarum Animarum, ut Majoritas magìs concordet cum Bonitate, Magnitudine &c. Gloriæ, quàm cum malitia &c. Pœnæ.

2. Gloria, quæ est inter Christum & Beata Corpora, est in *Concordantia*, & Gloria Christi & pœna damnatarum Animarum est

in

(c) 2006 Ministerio de Cultura

inContrarietate; & quiaConcordantia concordat cum Gloria & Majoritate,& Contrarietas cum pœna & Minoritate, igitur Corpora Beatorum habent majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam.

3. Corpus Christi est objectum sensuum Beatorum, ut ab eo recipiant Gloriam videndo, audiendo &c. & etiam naturaliter similando ; & ita beati sensus ratione sui summi Objecti distant à *Contrarietate* elementorum; & quia illa distantia est major, quæ potest esse, in summa distantia sensûs à suaContrarietate ratione Summi sensualis Objecti est major Gloria Beatorum Corporum, quàm Pœna damnatarum Animarum, quia major est prædicta distantia Beatorum Corporum à Contrarietate & Pœna, cùm sit ratione Concordantiæ Corporis Christi & Corporum Beatorum,quàm sit distantia damnatarum Animarum à Pœna, cùm sit ratione Contrarietatis Christi, & ipsarum damnatarum Animarum.

4. *Principium* sensualisGloriæ Beatorum est videre & audire &c. Christum, & hoc formale Principium est informans Gloriam BeatorumCorporum; sed è contrario ipsum Corpus Christi est Principium Pœnæ damnatarum Animarum ratione carentiæ objecti, quam oculi damnatorum habent, ad quod objectum visivitas oculorum damnatorum finaliter fuit creata; unde recipiunt difformitatem Pœnæ videndo & audiendo &c.; & quia Gloria plùs se extendit ratione formalium principiorum Gloriæ,quàmPœna ratione difformalium principiorum Pœnæ: igitur Corpora Beatorum habent majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam.

5. Corpus Christi est *Medium*, ratione cujus est illa major conjunctio,quam DEUS & ejus effectus ad invicem possunt habere bonificando, magnificando &c. effectum; & è contrario Pœna damnatarum Animarum est major disparatio & disjunctio,quam DEUS & ejus effectus adinvicem possunt habere; sed quia conjunctio ratione Unionis Deitatis & Humanitatis in Christo se habet ad plus in Gloria,quàm disjunctio ipsius effectûs ab ipso DEO ratione culpæ ipsius effectûs in Pœna; igitur Corpora Beatorum habent majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam.

6. Corpora Beatorum sunt in *Fine*, quare sunt creata, & sic quiescunt in Fine; sed Animæ damnatorum sunt extra Finem, ad quem sunt creatæ; & quia *esse* Finîs potest continere plus Gloriæ, quàm *non esse* Finîs possit continere Pœnæ, igitur manifestè patet, quòd Corpora Beatorum habebunt majorem Gloriam,quàm Animæ damnatorum Pœnam.

7. Quoniam Gloria Beatorum est in majori magnitudine, quam Beati possunt habere, & quamvis Pœna damnatorum sit major, quam ipsi damnati possunt habere, adhuc tamen *Majoritas* Gloriæ Beatorum sive corporaliter sive spiritualiter est major, quàm Majoritas Pœnæ damnatorum; & ratio hujus est, quia bona Majoritas plùs concordat cum magnitudine, duratione &c., quàm mala Majoritas: igitur Corpora Beatorum habent majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam.

8. *Æqualitas* Bonitatis, Magnitudinis, Durationis &c. habet majorem Concordantiam cum Majoritate, quàm Æqualitas malitiæ, parvitatis, privationis &c. cum Minoritate ; sed cùm in Gloria Beatorum sit Æqualitas Bonitatis, Magnitudinis, Durationis &c., & in Pœna damnatorum Æqualitas malitiæ, parvitatis, privationis &c.: igitur Corpora Beatorum habent majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam.

9. Beati cum Majoritate bonitatis, magnitudinis &c. acquisiverunt Gloriam, damnati verò cum *Minoritate* bonitatis &c. incurrerunt Pœnam; & quia acquisitio Gloriæ major est in Gloria ratione Majoritatis bonitatis &c.,quàm acquisitio Pœnæ in Pœna ratione Minoritatis bonitatis &c.; igitur est manifestum, quòd Corpora Beatorum possint habere majorem Gloriam, quàm Animæ damnatorum Pœnam.

QUÆSTIO XLI.

Utrùm Alia Vita sit in æternum?

1. SOlutio. Est *Differentia* inter Vitam DEI & vitam ejus effectûs; quæ Differentia, si sit æterna, est major in Bonitate, Magnitudine &c., &, si non est æterna, est minor; sed cùm Magnitudo Bonitatis &c. Æternitatis habeat majorem Concordantiam cum Majoritate Bonitatis Differentiæ Summæ Causæ & effectûs, quàm cum Minoritate, convenit, quòd Alia Vita sit in æternum, quam exspectamus; quod si non: Magnitudo Bonitatis &c. Æternitatis habet majo-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

majorem Concordantiam cum Minoritate Differentiæ Summæ Causæ & effectûs, quod est impossibile: igitur Alia Vita est in æternum.

2. Cùm majus bonum sit existendo & agendo, quàm existendo tantùm in æternum, bonum est, quòd in æternum sit *Concordantia* inter existere & agere Summæ Causæ; & ideo convenit, quòd Alia Vita sit in æternum, ut DEUS existendo & agendo in æternum concordet cum suo effectu, repræsentante DEO in æternum suo effectui Concordantiam, quam habet in se ipso, & recipiente ipso effectu ab illa Concordantia Beatitudinem reçolendo, intelligendo & diligendo illam Concordantiam; si autem non est Alia Vita, non est in æternum prædictum existere & agere Causæ & effectûs; & sic est melius existere tantùm Causæ in æternum, quàm existere & agere, quod est falsum: igitur Alia Vita est in æternum.

3. Cùm Bonitas & Æternitas nullam *Contrarietatem* possint inter se sustinere, est impossibile, quòd sit Contrarietas inter illas; & ideo necessariò convenit, quòd sit Alia Vita in æternum; nam, si non est: Bonitas contrariatur Æternitati ratione effectûs, & è converso; quia malum est in æternum, si æterna Bonitas non remuneraret æterno Bono diligentem æternum Bonum, & æterno cruciatu odientem æternum Bonum; quod malum est impossibile inter Divinam Bonitatem & Æternitatem: igitur Alia Vita est in æternum.

4. Vita Beatorum est principiata ratione Bonitatis, cùm sit bona, & ratione Magnitudinis, cùm sit magna, nam magnum bonum est intelligere & diligere DEUM: igitur, cùm sit principiata ratione Magnitudinis Bonitatis, convenit, quòd sit principiata ratione Magnitudinis Æternitatis; quare convenit, quòd sit in æternum; quod si non, est principiata ratione parvitatis Bonitatis & Æternitatis, & Magnitudo deficit Principio suæ Bonitatis & Æternitatis in effectum & *Principio* ipsius effectûs, qui in confusione formæ & materiæ esset sinè fine; igitur Alia Vita consistit in æternum, ut prædicta inconvenientia non sequantur.

5. Est impossibile, quòd Principium sinè *Medio* attingat Finem; unde, si Alia Vita non est in æternum, deficit Medium in æternum ad attingendum Finem in æterna Bonitate, Magnitudine &c., & sufficit ad attingendum Finem extra æternam Bonitatem &c., & ita, si alia Vita non est in æternum, Medium non est aptum, quòd sit inter Principium & Finem cum Majoritate Bonitatis &c. Principii & Finîs, sed potiùs cum privatione bonitatis principii & finîs, quod est impossibile: igitur Alia Vita est in æternum.

6. DEUS est bonus, magnus &c. existens Summus *Finis*; unde patet, quòd DEUS non produxerit aliquid sinè aliquo fine, cùm ipse sit Summus Finis summè bonus &c.; & ideo necessariò convenit, quòd produxerit Aliam Vitam in æternum; quod si non: nullum finem produxit extra se tantum in magnitudine bonitatis, quantum in magnitudine malitiæ, nec tantum in *esse* ratione Æternitatis, quantum in privatione ratione temporis, & sic de aliis, quod per se patet, & sic est aptus, quòd agat sinè fine in suo effectu, & per consequens sinè bonitate &c., quod est impossibile: igitur Alia Vita est in æternum.

7. DEUS non agit sinè Fine, ut non agat sinè Magnitudine Bonitatis &c.; unde, si Alia Vita non est in æternum, ista vita, in qua sumus, est, ut ipse sit in æternum Finis; & sic ratione Finîs DEUS agit in æternum cum Minoritate ipsius Finîs in Bonitate, Magnitudine &c., & necessariò fruitur *Majoritate* Finîs Bonitatis &c. Vitæ in æternum; & sic agit & non agit in suo effectu cum Majoritate Bonitatis &c. Finîs; quod est impossibile & contradictio: igitur Alia Vita est in æternum.

8. Si Alia Vita non est in æternum, Divina Sapientia tamen sciret, quòd esset bonum, quòd ipsa esset, cùm magnum bonum sit ratione Majoritatis Finîs existere & agere Summæ Causæ & effectûs in æternum; quare necessariò convenit, quòd Alia Vita sit in æternum, postquam Divina Sapientia ita scit; cùm inter scire, posse & velle & cæteros actus Dignitatum sit *Æqualitas*, sicut etiam inter ipsas Dignitates DEI, ût suprà probatum est; nam, si Alia Vita non esset in æternum, sciret quidem Sapientia, quòd bonum esset, quòd ipsa esset, ût dictum est, & Potestas bene posset facere, quòd ipsa esset, sed Voluntas nollet, quòd ipsa esset, & sic esset inæqualitas & contrarietas inter Divinos Actus, quod est impossibile: igitur convenit, quòd Voluntas ipsam velit cum scire Sapientiæ & cum posse Potestatis & aliis actibus, cùm sit bonum, ût dictum est, igitur est; quod si non, ipsi actus non sunt infiniti,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

finiti, ſed potiùs limitati extrà; quod eſt impoſſibile: igitur eſt neceſſariò Alia Vita in æternum.

9. Divina Veritas non permittit, quòd *Minoritas* Finîs convertatur cum ſua Majoritate ſibi contradictoria; unde increata Veritas ſic influxit creatam veritatem ſibi ſimilem, quòd ſit impoſſibilis converſio contradictoriorum; & inde ſurgit veritas, quòd ſit Alia Vita in æternum, & hoc patet per ſe, ſcilicet, ſi alia Vita eſt, eſt Majoritas Finîs inter Summam Cauſam & effectum, quia ſic ipſe DEUS, cùm ſit plenus Fine intra ſe, ſic extra ſe producit majorem Finem, quem poteſt, ut in plenitudine Finîs diſtet à privatione & Minoritate Finîs; & ſi prædicta Vita non eſt, eſt Minoritas Finîs inter Summam Cauſam & ſuum effectum, quod eſt impoſſibile, aut convenit, quòd Minoritas Finîs ſit Majoritas ſibi contradictoria, quod eſt contradictio: quare neceſſariò convenit, quòd ſit Alia Vita in æternum. Et ſic finitur iſta Quæſtio cum aliis antedictis Quæſtionibus.

Modò volumus procedere ad alias conſequentes Quæſtiones, & ſicut ſolvimus antecedentes Quæſtiones *per novem Paragraphos vel Rationes*, ſic & iſtæ conſequentes Quæſtiones poſſent ſolvi: veruntamen, quia ipſæ ſunt multæ, & evitamus prolixitatem, ût meliùs poſſumus, volumus, quòd ſolutio cujuslibet earum ſit contenta in *quatuor Rationibus* vel *Paragraphis* tantùm.

INCIPIUNT QUÆSTIONES De Angelis.

QUÆSTIO XLII.

Utrùm ſint Angeli?

1. Solutio. Divina Simplicitas in creando meliùs produxit ſuum ſimile, ſi ſunt Angeli, quàm ſi non ſunt; quia, ſi non ſunt, minùs aſſimilavit ſuum effectum ſibi ipſi; ſed Simplicitas, Sapientia & Voluntas DEI per modum Similitudinis in Majoritate actualiter concordant cum ſuo effectu, ſi Angeli ſunt, nam eſſentia, quam intelligimus angelicam, eſt in majori ſimplicitate, quàm cæteræ creatæ eſſentiæ, quæ eſſentia, ſi non eſt, prædictæ Dignitates DEI habent majorem Concordantiam cum effectu in potentia, quàm in actu, quod eſt inconveniens DEO: ergo patet, quòd Angeli ſint, ut Magnitudo Bonitatis &c. non deficiat Divinæ Voluntati, Sapientiæ & Simplicitati in ſuo effectu; quod deficere eſt impoſſibile.

2. DEUS eſt purè recolibilis, intelligibilis & amabilis à creatura, non autem ſenſibilis, & ideo Poteſtas vehementiùs poteſt influere magnitudinem bonitatis nobilitatis &c. in intellectualem creaturam, quàm in ſenſualem; igitur, ſi Angeli non ſunt, conſiſtit in privatione illud, in quo Divina Poteſtas eſt magìs potens extrinſecè in Bonitate, Nobilitate &c., & eſt in *eſſe* id, in quo minùs, & ſic Juſtitia deficit Perfectioni Poteſtatis in Bonitate, Nobilitate &c. in tali extrinſeco opere, quod eſt impoſſibile: igitur ſunt Angeli.

3. Quoniam DEUS Pater immediatè generat DEUM Filium, & cum Filio producit DEUM Sanctum Spiritum, Divina Voluntas voluit creare ſeparatas ſubſtantias, quæ immediatè, id eſt, ſinè ſenſualitate haberent cognitionem de ipſo Intrinſeco Opere DEI, cùm ſit purè intelligibile; ſed ſi Angeli non ſunt, nullum ens creatum ita ſimpliciter & immediatè poteſt cognoſcere DEUM, & per conſequens deficit Pater & Filius & Sanctus Spiritus in aſſimilando creativè id, quod ipſis eſt magìs ſimile; ſed eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit defectus: igitur ſunt Angeli.

4. Quoniam DEUS eſt Summus Finis, creatura ſe habet ad Finem; & quantò magìs creatura ſe habet ad Finem, tantò majorem Finem conſequitur; igitur, ſi Angeli ſunt, cùm ſint ſimpliciores, quàm cæteræ creaturæ, poſſunt ipſi vehementiùs ſe habere per modum Concordantiæ ad Finem, quàm cæteræ creaturæ; & per conſequens poteſt eſſe major Concordantia inter Finem & id, quod ſe habet ad Finem; ſi autem Angeli

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non ſunt, illud Medium, per quod Finis & id, quod ſe habet ad Finem, habent majorem Concordantiam, eſt in privatione, ita, quòd DEUS non poteſt eſſe Finis creaturis per modum Majoritatis, ſed per modum Minoritatis, & hoc modo Poteſtas ejus deficit Majoritati Finîs, & Majoritati illius effectûs, qui poſſet tendere ad majorem Finem, ſed iſto modo privatio bonitatis &c. attingeret Divinam Poteſtatem; quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO XLIII.

Utrùm ſint Dæmones?

1. SOlutio. Quantò plus Differentiæ & Contrarietatis eſt inter bonitatem & malitiam, magnitudinem & parvitatem, & ſic de aliis; tantò plùs proportionatur intellectus ad cognoſcendum bonitatem &c., & voluntas ad diligendum ipſas, ſcilicet bonitatem &c., & ad odiendum malitiam &c.; ũnde, ſi dæmones ſunt, ita tamen, quòd DEUS non ſit cauſa malitiæ & defectûs illorum, boni Angeli poſſunt plùs cognoſcere & diligere DEUM, & plùs odire malitiam & defectum: ſed, quia boni Angeli ſunt, ut DEUS cognoſcatur & diligatur in Majoritate Bonitatis &c., neceſſariò convenit, quòd Dæmones ſint, aliter Magnitudo deficeret Majoritati primæ Intentionis privando ſecundam, quod eſt impoſſibile.

2. Si Dæmones ſunt, boni Angeli poſſunt habere majorem notitiam Gratiæ ſuæ Creationis & ſuæ Conſervationis in Gratia, quam DEUS confirmavit illis, quod de ſe patet; ſi autem Dæmones non ſunt, boni Angeli non habent tantam notitiam ipſius Gratiæ nec ſuæ Gloriæ: ſed, quia malum eſt, ut ſit bonum, non autem è converſo, nec tamen bonum eſt cauſa vel occaſio mali; ergo, ſi maximum malum non eſſet, ſcilicet culpa & pœna Dæmonum, Divina Juſtitia eſſet defectiva Majoritati Gratiæ & Gloriæ Angelorum; quod eſt impoſſibile: ergo Dæmones ſunt.

3. Suppoſito, quòd Dæmones ſint, poteſt homo plùs reſiſtere malo, & diligere bonum, repugnando tentationibus Dæmonum, & per conſequens vehementiùs conſequi virtutes, & fortiùs repugnare vitiis: ergo, ſi Dæmones non ſunt, hominibus eſt diminutum præmium in eorum privatione, & per conſequens Magnitudo DEI deficit magnitudini bonitatis virtutis & charitatis hominum; quod eſt impoſſibile: ergo ſunt Dæmones.

4. Si Dæmones non ſunt, necromantia non eſt, quia in invocatione malignorum ſpirituum nullus eſſet, qui necromanticis obediret, nec illa experimenta, quæ fiunt necromanticâ arte, eſſent manifeſta ſenſibus: ergo, quia necromantia eſt, ſunt Dæmones.

QUÆSTIO XLIV.

Quomodo Angeli ſint conſiderabiles?

1. SOlutio. Dictum eſt ſuprà, quomodo DEUS ſit conſiderabilis, & ſecundùm ſimilitudinem conſiderabilitatis, quam declaravimus de DEO, dicimus Angelos conſiderabiles, ſed convenit, quòd hoc tali modo ſit, ut cauſa cognoſcatur per effectum reflectendo, & ideo reflectendo effectus, ſcilicet Angeli, ſic ſunt conſiderandi, ut eſſe illorum intelligatur nobilius & melius, quàm cætera creata *eſſe*, cùm propter ſimilitudinem DEI ſint DEO propinquiores, quàm cæteræ creaturæ.

2. Sicut DEUS Pater de ſe & in ſe ſimilem ſuum Filium & Sanctum Spiritum producit in excellentiori Bonitate, Magnitudine &c., in qua poſſit producere, ita convenit, quòd DEUS extra ſe, id eſt, in eſſentia & natura alia à DEO producat, quantum poteſt, ordinatâ Poteſtate ſuum ſimile in magnitudine bonitatis, durationis &c., ut Magnitudo Bonitatis &c. non deficiat DEO in ſuo ſimili, quod eſt impoſſibile: igitur eſt conſiderandum, quòd Ens angelicum ſit quid conſtitutum & aggregatum de ſimilitudinibus DEI, ſcilicet de bonitate, magnitudine, duratione &c., ita, quòd eorum eſſe ſit in majoritate bonitatis &c.; nam, niſi ſic eſſet, Magnitudo increatæ Bonitatis &c. deficeret magnitudini creatæ bonitatis &c. in creatione majoris aſſimilationis, quod eſt impoſſibile: igitur Angeli ſunt conſiderabiles in majoritate bonitatis &c.

3. Quia omnes Dignitates DEI ſunt in tribus Perſonalibus Proprietatibus, videlicet in Patre & Filio & Sancto Spiritu, ſic ſimili modo omnes ſimilitudines Angeli, de quibus ipſe eſt conſtitutus, reflectuntur in tres proprietates, videlicet in recolentiam, intelligentiam & volentiam, ita ſcilicet, quòd reco-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

recolentia eſt creata bonitas, magnitudo, duratio &c., ita, quòd ipſa recolentia recolendo DEUM ſit bona & agens de bono, ſit magna & agens de magno &c.; & quod ſequitur de recolentia, id idem ſuo modo ſequitur de intelligentia & volentia; & quia convenit, quòd DEUS, ſcilicet Prima & Summa Cauſa ſibi aſſimilet ſuum effectum in tantum, in quantum ipſe effectus poteſt recipere ſimilitudinem illius: ideo hoc modo declaratur modus eſſendi Angelorum.

4. Bonitas &c. DEI Patris producit de ſua Eſſentia cum Libertate & Ordinatione bonum, ſcilicet Filium & Sanctum Spiritum, ita, quòd ipſa Libertas infinitè & æternaliter ſit bona, & in bono magna & in magno &c., ut Magnitudo Bonitatis &c. non deficiat Libertati; ſimili modo declaratur, quòd bonitas &c. Angeli, quæ eſt eſſentia ipſius Angeli, habeat in ſe habituatum agere cum libertate & ordinatione bonum magnum &c., ita, quòd boni Angeli conſtituti in modo ſimili DEO ſemper conſequantur ſimilitudinem DEI, maligni Angeli autem pervertunt ſe in contrarium, qui, licèt per modum eſſentiæ ſint facti ſimiles DEO, tamen per modum operationis ſuæ eſſentiæ omnino contrariantur DEO.

QUÆSTIO XLV.

Quare ſunt Angeli?

1. SOlutio. DEI Bonitas &c. eſt excellentiſſimè recolibilis, intelligibilis & amabilis, quia quælibet Dignitas DEI eſt immenſa & æterna in Bonitate &c.; & ideo effectus ipſarum Dignitatum, ſcilicet ens recolitivum, intellectivum & volitivum eſt excellenter magnificabile, ut excellenter, id eſt, ſinè medio poſſit recolere & *intelligere* diligere Bonitatem &c. DEI; & propter hoc convenit, quòd ſint Angeli, quorum eſſe & entitas eſt talis, quòd quilibet eorum de tota & in tota ſua entitate & natura poſſit excellentiùs intelligere Entitatem & Naturam DEI, quàm cæteræ creaturæ.

2. Quia Sol eſt clarus & fulgidus, producitur ex ejus claritate clara dies; ſimiliter, quia DEUS eſt bonus, magnus &c., ideo à DEO ſunt creati Angeli boni, magni, durantes &c., ut DEI Bonitas &c. produceret bonum magnum &c.; & ſicut Sol in ſe lucidus extra ſe influit ſuam luciditatem, dum illuminat aërem, ita & multò melius, quia DEUS in ſe & de ſe eſt bonus & magnus &c., influit ſuam Bonitatem & Magnitudinem &c. volendo, quòd Angeli ſint boni magni &c.; & ſicut Sol plùs poteſt illuminare aërem, quàm terram, cùm aër ſit illi magis proportionabilis, ita DEUS plùs poteſt in Angelos influere ſuam ſimilitudinem, quàm in alias creaturas, cùm Angeli ſint magis proportionabiles DEO in natura; & propter hoc DEUS creavit Angelos, ut vehementiùs & ſimpliciùs infunderet ſuam ſimilitudinem in illos, quàm in cæteras creaturas.

3. Ad ſignificandum, quòd DEUS agat de bono & magno &c. in ſe ipſo, ſunt Angeli, ut agant de bono magno &c. in ſe ipſis; & ſicut Exiſtentia Divinæ Bonitatis creativè produxit exiſtentiam Angeli, ut Angelus exiſteret, ita Operatio Bonitatis DEI produxit operationem bonitatis Angeli, ut Angelus bonificaret; & ſic patet, quod Angelus ſit, ut ipſe Angelus recolendo, intelligendo & diligendo ſe, agat de bonitate &c. in ſe ipſo, in cujus recolere ſit bonificare, magnificare &c., in quantum eſt bonum, magnum &c. recolere recolibile, & ſic de aliis.

4. Ad ſignificandum, quòd DEUS agat de bono in creaturis, ſunt Angeli, ut ſimili modo agant de bono in nobis hominibus adjuvantes nos facere bonum magnum &c., & evitare malum & cætera adverſa, protegentes nos à perverſitate & malitia Diaboli; & ita Angeli in nobis ſunt bonificantes, magnificantes &c.

QUÆSTIO XLVI.

Quomodo benigni Angeli fruantur DEO?

1. SOlutio. Angelus eſt Ens aggregatum de ſimilitudinibus DEI, id eſt, de bonitate, magnitudine &c.; igitur Angelus ût bonus fruitur Divinâ Bonitate, ût magnus Divinâ Magnitudine, & ſic de aliis, & ita quælibet dignitas Angeli fruitur Dignitate DEI ſibi ſimili & toto DEO, & convenit, quòd hoc ita ſit, aliter Magnitudo Largitatis deficeret Magnitudini Gloriæ & Perfectionis DEI in effectu; quod eſt impoſſibile: ergo Angeli fruuntur DEO & Dignitatibus ejus cum ſuis dignitatibus ſimilibus illis.

2. Angelus cum ſua bonitate &c. immediatè fruitur DEO, ût dictum eſt, mediatè autem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

autem fruitur illo, id eſt, mediantibus ſimilitudinibus, quas habet à DEO, & hoc iſto modo: ſcilicet, quia bonitas Angeli habet Concordantiam cum magnitudine, duratione &c. ipſius Angeli, fruitur Divinâ Magnitudine, Æternitate &c., & hoc patet in Magnitudine Concordantiæ, quam habent Divinæ Dignitates influendo in Angelum Concordantiam ſuarum ſimilitudinum.

3. Angelus intelligit in Divina Eſſentia immenſam Generationem & immenſam Proceſſionem, & in quantum intelligit in DEO intrinſecam Operationem, tantum etiam diligit illam; & quantum eſt ſuum intelligere & diligere & etiam recolere, tantum eſt ſuum bonum agere, ſuum magnum agere, & ſic de aliis, in intelligendo, recolendo & diligendo, ſic, quòd tota memoria eſt recolens, totus intellectus eſt intelligens, tota voluntas diligens Paternitatem, Filiationem & Spirationem DEI: unde, cùm hoc ita ſit, quis igitur poteſt æſtimare, quanta ſit illa fruitio & gloria, quam Beati Angeli habent à DEO.

4. Quoniam Angelus, in quantum bonus &c., fruitur DEO bono &c., etiam fruitur ipſo, in quantum attingit divinum effectum, videlicet creaturas, ita, quòd Angelus intelligens & diligens, quòd totæ ſimilitudines ſuî ipſius & totæ ſimilitudines creaturæ ſint DEI, attingat, quòd totus divinus effectus, ſcilicet ipſe & cætera creata ſint ad Laudem & Gloriam DEI.

QUÆSTIO XLVII.

Quomodo Dæmones odiant DEUM?

1. SOlutio. Divinæ ſimilitudines ſunt in maligno Angelo, in quantum ens illius creatum eſt bonum, magnum, durans &c., & illæ ſimilitudines fuerunt creatæ in Minoritate reſpectu Dignitatum Creantis, ad cujus ſimilitudinem Dæmon, in quantum bonus, eſt factus; & quia Diabolus ex immenſis Dignitatibus DEI, & ex ſimilitudinibus illis, de quibus Diabolus eſt ens aggregatum, diligit fieri Æqualitatem, eſt ipſa voluntas Diaboli odiens ſubſtantialiter, cùm totus Dæmon ſit converſus in malum.

2. Voluntas Dæmonis exiſtens una pars unita cum cæteris partibus, ſcilicet bonitate &c., de quibus ſubſtantia Dæmonis eſt unita, pervertit totam iſtam bonitatem &c. per modum injuſtæ & inordinatæ operationis in malitiam, & ita voluntas eſt cauſa, quare bonitas agendo eſt mala, & magnitudo magna in malitia voluntatis &c., & duratio in corruptione finîs voluntatis &c., & poteſtas poteſt & intellectus intelligit malum, & virtus pervertitur in vitium, veritas in falſitatem, juſtitia in injuriam, gloria in pœnam &c.

3. In quantum intellectus Dæmonis eſt ſimplex, ſimpliciter attingit Divinam Bonitatem &c., nam in hoc eſt valde ſimilis DEO; ſed quia voluntas Dæmonis eſt perverſa & deviata ab illo Fine, propter quem eſt creata, ideo pervertit intellectum in contrarium finem ipſius Finîs, ita, quòd intellectus intelligit in malitia voluntatis &c. & è converſo, ita, quòd voluntas deſtruit intellectum, & è converſo, & quælibet pars Dæmonis ſimili modo alteram, ſicut in elementatis ſubditis corruptioni una pars corrumpit alteram.

4. Quia Dæmon ſecundùm omnes ſuas partes odiendo DEUM eſt perverſus in malitiam, ideo pervertitur ad malum odiendo omnes creatas ſimilitudines DEI, ita, quòd odit nos, & quidquid in nobis eſt creatum ad ſimilitudinem DEI, & omne bonum, quod facimus pro DEO & ad honorem DEI: unde, cùm hoc ita ſit, quis poteſt æſtimare illud odium, quod Dæmon habet in ſuum Creatorem, & pœnam, quam Dæmon pro illo odio patitur.

QUÆSTIO XLVIII.

Quomodo Angelus intelligat & diligat Angelum?

1. SOlutio. Quoniam DEUS eſt intelligibilis & amabilis, creavit Angelum, ut ipſe intelligeret & diligeret DEUM; & ita Angelus conſequitur ſuum Finem in intelligendo & diligendo DEUM; ex quo maximo Fine influuntur Virtus, Bonitas, Veritas, Magnitudo, Poteſtas, Perfectio &c., per quas Angelus intelligit & diligit Angelum.

2. Angelus, ût prædictum eſt, eſt factus ad ſimilitudinem ſui Creatoris, unde naturaliter quilibet illorum intelligit & diligit alterum; nam, in quantum DEUS eſt bonus &c., eſt quilibet benignus Angelus bonus &c., quia eſt ſimilis DEO; & ita ſecundùm illas ſimilitudines, quas habent in DEO, intelli-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

telligunt & diligunt ſe ad invicem, aliàs ſimilitudines DEI & Angelorum deficerent in Magnitudine Bonitatis &c.,quod eſt impoſſibile: ergo Angelus hoc modo intelligit & diligit Angelum.

3. Quoniam quilibet Angeli per ſe ſunt intellectivi & intelligibiles, volitivi & volibiles, ſequitur, quòd Angelorum alter alterum poſſit intelligere & diligere, ut bonitas, poteſtas, virtus &c. in gloria, juſtitia & perfectione non deficiant magnitudini intellectivi & volitivi, ſed perficiant ambo, ita, quòd quilibet Angelorum de ſuo proprio intellectivo & volitivo in ſuo proprio intelligibili & volibili naturaliter attingat alterum Angelum, in quantum eſt intelligibilis & volibilis; aliter non eſſet Concordantia inter intelligibile & volibile proprium & remotum, & una partium Angeli contrariaretur alteri, & Angelus non eſſet creatus ad ſimilitudinem DEI; quod eſt impoſſibile.

4. Una bonitatum Angelorum &c.eſt ſpeculum alterius, ita, quòd quilibet Angelus in ſuámet bonitate &c. intelligit & diligit bonitatem alterius Angeli, vel quæ eſt in altero Angelo; & ita naturaliter & per ſe & mediante bonitate &c. unus intellectus intelligit alterum intellectum, & una voluntas diligit alteram voluntatem; & etiam ſicut viſus potentiæ viſivæ per modum videndi in illa extrema parte aëris, quæ cum oculis participat, attingit alias partes continuas aëris usque ad objectum viſibile, ita intellectus & voluntas Angeli ſimiliter per modum intelligendi & diligendi in bonitate, magnitudine &c. attingunt adeò, quòd una bonitas &c. Angeli ſit intellecta & dilecta ab altera bonitate; & ſic iſto modo manifeſtè patet modus intelligendi & diligendi Angelorum.

QUÆSTIO XLIX.

Quomodo moveantur Angeli?

1. SOlutio. Angelus movet ſe ſecundùm id, quod eſt, id eſt ſecundùm illas ſimilitudines, de quibus eſt unitus; igitur Angelus movet ſe bonificando, magnificando &c. ſuum recolere, intelligere & velle ſecundùm ordinem & virtutem, quam habet recolendo, intelligendo & diligendo DEUM; & talis motus eſt intellectualis & virtualis, & non localis ſecundùm ipſum nec ſenſualis; & hoc eſt ad ſignificandum, quòd DEUS habeat in ſe Intrinſecam Operationem generativè & proceſſivè ſinè omni locali motu.

2. Angelus eſt ita in loco, quòd non ubique, cùm intellectualiter & virtualiter ſit quantus; & ſic eſt poſſibile, quòd Angelus attingat unumquodque corpus unitum de pluribus corporalibus partibus, ita, quòd Angelus eſt in loco, & non ubique; Angelus verò movendo ſe de loco in locum attingit corpus ſinè motu locali, temporali & quanto, id eſt, ſinè velocitate & tarditate, ita, quòd non tranſit per medium ſecundùm naturam loci & corporalis medii, ſed ſecundùm ſuam voluntatem, bonitatem, poteſtatem &c., aliter Angelus eſſet corporeus, nec in movendo ſe per Medium attingeret ſuum Finem, donec veniſſet ad terminum; hoc autem eſt impoſſibile & contra illam ſignificationem, quam motus Angeli debet dare de DEO; nam DEUS creando locum attingit ubique locum, tempus, quantitatem &c., ita, quòd in ſe non habeat locum, motum &c.

3. Convenit, quòd Angelus ita ſe moveat de loco in locum, quòd *poſt* & *antè* non ſint in ipſius motu, ne ipſe motus ſit diviſibilis; nam, ſi eſſet diviſibilis, conveniret, quòd in illo motu eſſet tempus, quantitas &c., & per conſequens, quòd Angelus eſſet corporeus, quod eſt impoſſibile: ſed humanus intellectus ſequens imaginationem non poteſt iſta intelligere; nam imaginativa ſecundùm diſtinctionem loci, id eſt, medii de loco ad locum imaginatur; igitur, ſi humanus intellectus velit intelligere Angelicum motum, denudet ſe ab imaginatione, & intelligat Angelicum motum reſpectu entitatis, proprietatis & naturæ Angeli, non autem reſpectu naturæ loci, nec temporis, nec quantitatis, nec cæterorum, quæ ſunt de natura & entitate corporeïtatis.

4. Sicut in Sacramento Altaris Corpus Chriſti ſuperativè attingit locum, tempus, quantitatem & motum, ita Angelus movendo ſe ſuperativè attingit tempus, locum, medium &c.; nam, ſecundùm quòd vult & intelligit, movet ſe de loco in locum: unde, ſicut eſt inimaginabile, quòd Corpus Chriſti ſit in ipſo Sacramento, cùm non poſſit attingi per imaginationem, ſed ſolùm per intellectum mediantibus Divinis Dignitatibus, ita eſt inimaginabile, quòd Angelus moveatur, eſt tamen intelligibile mediante angelicâ naturâ.

(c) 2008 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO L.

Quomodo Angelus intelligat Inferiora?

1. SOlutio. Intellectus Angeli intelligens Divinam Bonitatem, Magnitudinem &c.,intelligit similitudinem bonitatum,magnitudinum, durationum &c. in creaturis, id est, in hominibus, brutis, plantis & metallis; & secundùm quòd Angelus intelligit istas similitudines in DEO, diligit eas in Justitia DEI.

2. Angelus intelligit in Bonitate, Magnitudine &c. DEI inferiorem bonitatem, magnitudinem &c.; & secundùm quòd quælibet istarum inferiorum proprietatum est intelligenda in una Similitudine DEI, similiter & alia, ut Angelus intelligat, quòd sit Unitas Divinæ Essentiæ in suis Dignitatibus; etiam istæ inferiores proprietates ita sunt intelligendæ, quòd quælibet illarum in Voluntate DEI ab Angelo est diligenda, prout secundùm Divinam Voluntatem patet mediante Bonitate, Magnitudine &c.

3. Angelus naturaliter in suámet bonitate &c. intelligit similitudinem suæmet bonitatis &c.,id est,inferiorem bonitatem &c.;nam sicut homo videt suam similitudinem in speculo, vel anima in suo verbo similitudines DEI, ita intellectus Angeli intelligit alias similitudines in suis similitudinibus, & voluntas ipsius diligit eas, prout secundùm justitiam, bonitatem &c. Angeli possunt intrare in voluntatem ipsius.

4. Sicut oculus mediante colorato videt, sic Angelus mediante assimilato intelligit; & sicut in obliquo speculo repræsentatur falsa similitudo, sic Angelus, quando suæ similitudines sunt obliquæ, id est, contra finem, quare sunt, odit eas, scilicet inferiores, quæ sunt contra finem, & diligit illas, quæ prosequuntur suum finem, assimilans se tunc homini, qui videt suam faciem in recto speculo.

QUÆSTIO LI.

Quomodo Angeli moveant Inferiora?

1. SOlutio. Sicut in sensualibus una similitudo movet aliam, id est, pulchritudo delectabile, ita bonitas Angeli movet inferiorem bonitatem sibi similem, & sic de aliis; „hic motus autem est *per virtutem „similationis*„.

2. Præterea Angelus per modum imperationis movet inferiora, sicut voluntas Domini imperativè movet voluntatem servi; hic autem motus Angelorum ad inferiora est secundùm dominium, quod habent super ipsa inferiora, quia imperativè movent illa, & unâ inferiori similitudine motâ moventur cæteræ, sicut voluntas servi mota à voluntate Domini movet totum corpus.

3. Sicut intellectus de pluribus similitudinibus generat verbum, ut habeat objectum, sic Angelus aggregat & repræsentat plures similitudines intellectui, ut eas attingat & agat intelligendo, & sic de memoria & voluntate, ut se convertant ad objectum bonum, magnum,verum &c., ita,quòd anima recolendo & intelligendo per virtutes moveat corpus ad agendum bonum contra vitia; dæmones autem se habent ad oppositum, salvo semper libero arbitrio humano.

4. Bonitas &c. Angeli attingit bonitatem &c. corporis, & induit illam; & ita Angelus artificialiter indutus corpore tactivè movet aliud corpus eodem modo, sicut alia forma tactiva motiva & sensitiva movet aliam tactivam motivam & sensitivam; & ita Angelus tangendo & transmutando de loco in locum, & de operatione in operationem, sensualiter movet inferiora apparens res sensualis, salvo tamen libero arbitrio in hominibus, ut possint acquirere meritum virtutum.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

INCIPIUNT
QUÆSTIONES
De Anima.

QUÆSTIO LII.
Utrùm intellectiva Anima sit?

1. SOlutio. Quoniam DEUS eſt recolibilis, intelligibilis & amabilis, ideo eſt Anima in homine, ut homo multùm recolat, intelligat & diligat DEUM; & ſi Anima non eſſet in homine, DEUS non eſſet intelligibilis, recolibilis & amabilis ab homine, homo autem ſinè anima eſſet multùm recolens, intelligens & volens, quod eſt impoſſibile: ergo intellectiva Anima eſt, ut DEUS ſit Finis ipſorum recolere, intelligere & velle illius.

2. Si illa Anima, quam nos rationalem & immortalem inveſtigamus, non eſt, non eſt Alia Vita, & ita DEUS non eſt recolibilis, nec intelligibilis nec amabilis ab homine, niſi in hac vita tantùm; & hoc modo DEUS non eſt multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis in Bonitate, Magnitudine &c., quia Magnitudo Divinæ Bonitatis &c. deficit magnitudini bonitatis &c. ſui effectûs; quod eſt impoſſibile: ergo intellectiva Anima eſt.

3. Manifeſtum eſt, quòd recolere, intelligere & velle non ſint de eſſentia nec de natura corporis, cùm conſtringant naturam & appetitum corporis per virtutes reſiſtendo vitiis; ergo recolere, intelligere & amare ſunt aliquid, quod non eſt de eſſentia & natura corporis; ſubjectum autem iſtorum eſt Anima habens memoriam recolentem, intellectum intelligentem, & voluntatem amantem.

4. Manifeſtum eſt, quòd in homine ſint plures qualitates, ût caliditas, frigiditas &c., bonitas, magnitudo &c., & etiam in homine ſit intelligere, recolere & velle habentia bonitatem, magnitudinem &c.; & hæ qualitates, ſcilicet bonitas &c. ſcilicet ipſorum intelligere, recolere & velle ſunt nobiliores, quàm qualitates corporis, ût per ſe patet: ergo ex his manifeſtatur, quòd Anima ſit in homine exiſtens ſubjectum qualitatum ipſorum recolere, intelligere & velle; aliàs qualitates, quæ ſunt cum Majoritate, cùm ſint magìs ſimiles DEO, eſſent ſinè proprio ſubjecto, minores autem & minùs ſimiles DEO haberent proprium ſubjectum, quod eſt corpus; & hoc eſt inconveniens; ergo intellectiva Anima eſt.

QUÆSTIO LIII.
Quomodo Anima ſit conſiderabilis?

1. SOlutio. Anima quoad modum eſſendi & modum agendi eſt conſiderabilis in majori magnitudine, per quam ſit magìs ſimilis DEO, ita tamen, quòd nullum inconveniens ſequatur contra Divinam Bonitatem, Magnitudinem &c.; igitur ens ipſius Animæ eſt conſiderabile, quòd ſit aliquid conſtitutum ex Similitudinibus DEI, ſcilicet de Bonitate &c., ut in ſuo effectu Cauſa clariùs & meliùs eluceſcat; nam aliter Cauſa deficeret ſuo effectui in Magnitudine Bonitatis &c.; quod eſt impoſſibile: ergo Anima eſt conſiderabilis in majori magnitudine ſimilitudinum DEI.

2. Bonitas, magnitudo &c. conſtituentes Animam, conſtituunt tres res proprias & diſtinctas, ſcilicet intelligentiam, recolentiam & volentiam, & ex his tribus eſt Anima conſtituta, & in qualibet illarum ſunt bonitas, magnitudo &c., ita quòd intelligentia, in quantum eſt bona, eſt ſuámet bonitas, in quantum eſt magna, eſt ſuámet magnitudo, & ſic de aliis; hoc idem eſt de recolentia & volentia; veruntamen Anima non habet ſuam bonitatem &c. à ſe, nec propter ſe, ſed à ſolo DEO, & propter DEUM; eſt enim bona, ut recolendo, intelligendo & diligendo habeat DEUM pro objecto; hoc autem convenit, ut Anima in ſua propria bonitate &c. DEO ſerviat; quæ, ſi non eſſet ipſa ſuámet bonitas &c., non poſſet tantum recolere, intelligere & amare DEUM, & Magnitudo DEI deficeret magnitudini Animæ, & per conſe-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quens ſuis ſimilitudinibus, quod eſt impoſſibile.

3. Anima eſt exiſtens, in quantum bona, magna &c., & in quantum recolitiva, intellectiva & volitiva; & in hoc *eſſe* Animæ ſunt habituati ſecundi actus, ita, quòd Anima ſit ſubjectum, in quantum eſt ſubſtantia unita de recolentia & cæteris, & prædicamenta ipſius ſint in recolendo, intelligendo & volendo bonificare, magnificare &c., ita, quòd recolere bonum, magnum &c., intelligere bonum, magnum &c., & diligere bonum, magnum &c. ſint creaturæ & accidentia, quæ ſunt in potentia, ut Anima illa reducat in actum recolendo, intelligendo & diligendo, ſic, quòd habeat DEUM & præmium per virtutes.

4. Bonitas, magnitudo &c., ût dictum eſt, conſtituunt Animam, & hæc conſtitutio eſt naturalis & eſſentialis; ſed illa conſtitutio, quam bonitas bonificando, & magnitudo magnificando & cæteræ faciunt conſtituentes recolere, intelligere & velle mediante recolentiâ, intelligentiâ & volentiâ, & è converſo, quam recolentia, intelligentia & volentia &c. faciunt mediante bonitate &c. recolendo, intelligendo & volendo, eſt accidentalis; hæc accidentalis conſtitutio autem vel operatio fit per Libertatem Animæ, id eſt, mediante libertate bonitatis &c. recolentiæ, intelligentiæ & volentiæ, quæ ſimul ſunt una ſubſtantia Animæ, quæ poteſt diligere vel odire, obliviſci vel recolere, intelligere vel ignorare, prout ſignificatur *in Figura Animæ.*

2. In Anima ſunt una bonitas, una magnitudo, una duratio &c. ita, quòd ipſa bonitas, & ſic de aliis, quælibet individua in ſe diſtinguat in memoriam, in intellectum & in voluntatem: unde, quando Anima vult attingere aliquod objectum, ſive ſit ſpirituale, ſive corporale, tunc, ſi ſit ſpirituale, attrahit de bonitate (& ſic de aliis) ſpiritualem ſimilitudinem, reducens eam individuatam in memoriam, intellectum & voluntatem, & ita generat ſpirituale verbum de illis ſimilitudinibus, de quibus recolere, intelligere & velle ſunt aggregata; hoc ipſum etiam verbum eſt conſtitutum de recolere, intelligere & velle vel nolle, quæ ſunt eſſentia ipſius verbi.

3. Quando Anima generat corporale verbum, quod eſt reſultatum de corporalibus ſimilitudinibus, tunc ipſum dicitur corporale Verbum, quia eſt conſtitutum de corporalibus ſimilitudinibus, & ex parte ſimiliter de ſpiritualibus rebus, quia de recolere, intelligere & velle vel nolle; igitur hoc verbum ſic compoſitum de corporalibus & ſpiritualibus ſimilitudinibus generatur à tribus potentiis Animæ unà cum imaginatione; materia autem ſunt ſupradictæ ſimilitudines.

4. Niſi Anima generaret verbum, non poſſet attingere præterita & futura, & hoc patet per ſe; & ideo generat ipſum verbum, ut attingat id, quod eſt in abſentia ſenſuum; quia illud, quod non poteſt immediatè attingere propter objectum, tamen attingit illud mediante verbo; hoc verbum autem producitur de potentia in actum, dum creatæ ſimilitudines rerum, quæ ſunt in potentia eſſendi materia verbi, reducuntur per phantaſias in actus potentiarum Animæ, & ipſi actus, ſcilicet recolere, intelligere & velle ſunt in potentia eſſendi realiter & accidentaliter forma verbi.

QUÆSTIO LIV.

Quomodo Anima generet Verbum?

1. SOlutio. Anima alio modo generat intellectuale verbum, alio modo ſenſuale; intellectuale quidem verbum generat, quando attrahit intellectuales phantaſias, ſcilicet bonitatem & cæteras, de quibus generat verbum, quo mediante attingit intellectuale objectum, ſicut aut DEUM aut Angelum aut Animam aut memoriam &c., aut etiam bonitatem DEI vel Angeli vel Animæ, & ſic de aliis; ſed quando de ſenſibilibus attrahit phantaſias, quæ ſunt ſimilitudines rerum ſenſibilium, tunc Anima generat ſenſuale verbum attingens ſenſuales res ſinè ſenſu.

QUÆSTIO LV.

Quomodo Anima intelligat DEUM?

1. SOlutio. Dum Anima eſt in Via, ratiocinatur de DEO per unum modum, quando autem eſt in Patria, per alium videt illum; etiam, quando eſt in Via, intelligit eum, prout ſuprà dictum eſt in illa Quæſtione, in qua quæritur: *Quomodo Anima ſit conſiderabilis?* dum enim Anima eſt in Via, intelli-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

intelligit DEUM mediante verbo concepto & aggregato in reali ratione de ſimilitudinibus DEI, ita, quòd non poteſt immediatè attingere DEUM, ſed attingit ejus ſimilitudines, ût ſuprà dictum eſt; nam, ſi ipſum attingeret ſinè medio, ipſa non exiſtens in Fine conſequeretur ſuum Finem in Via; quod eſt manifeſtè impoſſibile.

2. Dum Beata Anima eſt in Patria, intelligendo, recolendo & diligendo, ita immediatè attingit DEUM, quòd non per aliquam ſpeciem vel medium; ſi enim attingeret eum per medium, attingeret eum in medio, non in Fine; & per conſequens nec in Via nec in Patria eſſet Finis, quod eſt inconveniens dicere: ergo attingit ipſum ſinè medio, id eſt, ſinè aliqua ſpecie media vel ſimilitudine; & ita intellectus ſimpliciter & immediatè in ratione ſuæ bonitatis intelligit Divinam Bonitatem; & in ratione ſuæ magnitudinis Divinam Magnitudinem, & ſic de aliis, ut Divina Magnitudo in Bonitate &c. non deficiat bonitati &c. Animæ.

3. Intellectus Animæ immediatè attingit Divinam Eſſentiam & *eſſe* illius, Divinas Dignitates & Actus illarum, Divinas Perſonas & Generationem & Spirationem, quæ in illis eſt, tamen auxiliante Gratiâ DEI in tantum, quantum poteſt recipi in totum intellectum, in totam memoriam & in totam voluntatem & in illorum totam bonitatem &c.; nam, niſi Anima ita attingeret DEUM, ejus intellectus, memoria & voluntas non eſſent repleti, nec etiam bonitas &c. ipſarum potentiarum, quod eſt valde inconveniens; nam eſſet inconveniens dicere, quòd Finis in Patria ſit in vacuitate & in imperfectione; præterea, ſi totaliter attingeret DEUM in Infinitate, Anima & ſua bonitas eſſet infinita, & ſimiliter ſuus intellectus, memoria & voluntas eſſent infiniti, quia totaliter comprehenderet DEUM, & per conſequens Anima eſſet DEUS, quod eſt impoſſibile.

4. Intellectus Animæ & etiam memoria & voluntas attingit DEUM de ſua propria bonitate &c. ſinè accidentali intelligere, recolere & diligere, ne ſit accidens inter DEUM & animam, hoc eſt, inter ſubſtantiam & ſubſtantiam; nam, ſic prædictum attingere DEUM eſſet in minoritate fruitionis & bonitatis ipſius Animæ, nec Anima conſequeretur ſuum Finem, cùm non haberet ſubſtantialiter ſinè medio DEUM ſibi fixum, nec DEUS eſſet intellectus ab ipſa in majoritate, intelligeretur enim mediantibus accidentibus; ſic igitur Magnitudo Bonitatis &c. DEI deficeret bonitati, magnitudini &c. Animæ, quod eſt impoſſibile: ergo reſtat, quòd intellectus attingat DEUM ſinè aliquo accidentali intelligere, & intelligat ipſum cum ſubſtantiali intelligere, quia totus intellectus eſt intelligens, DEUS autem eſt Intelligibilis, & intelligere eſt actus intellectûs convertentis ſe totum in ſubſtantialem operationem, materia verò eſt ſubſtantialis bonitas, magnitudo &c. ipſius intellectûs, de quibus ipſe intellectus eſt aggregatus, ita, quòd tota bonitas ipſius intellectûs adeò bonificet ſuum intelligere, & tota ſua magnitudo adeò magnificet ipſum (& ſic de aliis) quòd intellectus ſit idem, quod ſuum intelligere, & è converſo, quia de ſuámet ſubſtantiali bonitate, de ſuámet ſubſtantiali magnitudine, & ſic de aliis, eſt generatum ipſum intelligere formaliter & materialiter, & hoc multò meliùs, quàm ignis & cætera elementa mediante agente naturali de ſuámet ſubſtantiali eſſentia producant generare & generatum, eſſentiare & eſſentiatum, & ſubſtantiare & ſubſtantiatum.

QUÆSTIO LVI.

Utrùm ſit Differentia inter Eſſentiam Animæ & ſuum Eſſe?

1. SOlutio. *Eſſe* Animæ eſt ens aggregatum de ſimilitudinibus DEI, ût jam dictum eſt, & eſſentia intelligentiæ eſt bonitas, magnitudo &c. Animæ, quæ conſtituunt intelligentiam bonam, magnam &c., & ita intelligentia eſt quid aggregatum & unitum de pluribus ſimplicibus partibus; hæ partes autem ſunt una eadem eſſentia ipſius intelligentiæ; & hoc ſimiliter ſequitur de recolentia & volentia; & per conſequens recolentia, intelligentia & volentia ſunt una eſſentia Animæ, quæ eſt *eſſe*, habens in ſe diverſimodè bonitatem &c. ſecundùm diverſitatem recolentiæ, intelligentiæ & volentiæ; unde ex hoc patet manifeſta differentia inter eſſentiam Animæ & ſuum *eſſe*.

2. Bonitas, magnitudo &c. Animæ ſe habent ad finem, *eſſe* autem Animæ eſt ipſe finis, videlicet quid conſtitutum de bonitate & cæteris; & quia eſt differentia inter finem & id, quod ſe habet ad ipſum finem, ideo eſt differentia inter eſſentiam & *eſſe* Amimæ, id enim,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

enim, quod ſe habet ad finem, eſt *eſſe* eſſentiæ, & ipſe finis eſt *eſſe* Animæ; quia niſi ſic eſſet, plures res non haberent ſe ad finem in Anima, & in Anima deficeret magnitudo bonitatis ſimplicitati perfectionis &c, quod eſt impoſſibile: ergo eſt differentia inter eſſentiam Animæ & ſuum *eſſe*.

3. Inter bonitatem intellectûs, & bonitatem voluntatis, & bonitatem memoriæ in genere videlicet in radice eſt nulla differentia, niſi in quantum bonitas per alium modum eſt in intellectu, & per alium in voluntate, & per alium in memoria; ita ſimili modo inter eſſentiam Animæ & ſuum *eſſe* non eſt differentia in radice nec in genere, ſed in quantum eſſentia conſtituit *eſſe* Animæ, ita, quòd plura ſe habeant ad *eſſe* ipſius conſtituti; & quia inter partem & partem ipſius *eſſe* eſt differentia ſuî, ſicut inter bonitatem, magnitudinem &c., in quantum reſpectivè alia non eſt alia, ideo eſt differentia inter eſſentiam & *eſſe* Animæ.

4. Quoniam *eſſe* Animæ diverſimodè eſt conſtitutum, ût dictum eſt, poteſt diverſimodè agere, ſcilicet bonificare, magnificare &c. recolendo, intelligendo & volendo; hoc autem non poſſet, niſi, quia in ipſa Anima eſt differentia, ût per prædicta patet; hæc differentia autem non poteſt eſſe in illa, niſi ſit diſtinctio inter *eſſe* & eſſentiam illius.

QUÆSTIO LVII.

Ad quem finem Anima eſt creata?

1. SOlutio. Fines, ad quos Anima eſt creata, ſunt multi, ſed ſuper illos eſt unus Finis tantùm, id eſt, quòd Anima ſit, quia DEUS in ſe, & in hoc, quod de ſe ipſo in ſe ipſum agit, eſt recolibilis, intelligibilis & amabilis; Anima etiam eſt creata, ut recolendo, intelligendo & diligendo DEUM bonificet, magnificet &c. ſuum recolere, intelligere & diligere; cùm enim DEUS ſit ſummè bonus, eſt bonum, quòd Anima ipſum recolat, intelligat & diligat; & quia eſt magnus, convenit, quòd Anima habeat magnum recolere, intelligere & diligere ad DEUM; & ſic de aliis.

2. Sub illo fine, qui nunc dictus eſt, ſequitur alius finis, ſcilicet, quòd Anima ſit, ut recolat, intelligat & diligat DEUM in illa Operatione, quam DEUS habet extra ſe in Majoritate, ſcilicet in aſſumendo Carnem, ita, quòd omnis humana Anima eſt, ut recolat, intelligat & diligat JESUM Chriſtum; & hic finis eſt, quia DEUS Humanitatem Chriſti in ſe aſſumptam diligit præ cæteris creaturis, cùm ſuper omnes creaturas nobilitaverit & exaltaverit illam, ût ſuprà dictum eſt.

3. Sub iſto Fine Incarnationis DEI eſt alius finis, quare Anima eſt, ſcilicet ut ſit homo, in quo participent omnes creaturæ, in quantum Rationes DEI de valde diſtincta bonitate, magnitudine &c. agunt in unum; & ſub iſto fine etiam eſt Anima, ut det vitam corpori, & moveat & regat ipſum, quia eſt impoſſibile, quòd humanum corpus ſinè Anima poſſit habere actum.

4. Præterea Anima eſt, ut ipſa habens bonitatem &c. agat de bono &c. in ſe & in alio, & ut à creatura conjuncta ſenſualitati cognoſcantur multa bona, quæ DEUS creavit, quæ ſinè Anima non poſſent imaginari. Et ſi quis bene voluerit inquirere, etiam ſunt multi fines ſub iſtis prædictis finibus, quare Anima habet *eſſe*.

QUÆSTIO LVIII.

Quomodo Anima ſit Similitudo DEI?

1. SOlutio. Debemus affirmare majorem Similitudinem, quam inter DEUM & Animam poſſumus conſiderare, ita tamen, quòd inde nullum inconveniens ſequatur in Dignitatibus DEI, quod eſt, quia quantò ſimilior effectus eſt ſuæ Cauſæ, tantò magìs manifeſtabilis eſt Cauſa, & magìs diligibilis per effectum; unde debemus affirmare, quòd Anima ſit immortalis & per ſe exiſtens, & quòd ipſius *eſſe* ſit conſtitutum de divinis ſimilitudinibus, ſcilicet de bonitate Magnitudine &c., & quòd bonitas, magnitudo &c. Animæ in Anima conſtituant memoriam, intellectum & voluntatem, ad ſignificandum, quòd Bonitas, Magnitudo &c. DEI ſint in DEO una Paternitas, una Filiatio & una Spiratio, & quòd memoria, intellectus & voluntas eſſentialiter ſint una rationalis Anima reſultans de ipſis tribus, ſicut tres Divinæ Perſonales Proprietates eſſentialiter ſunt una Deitas, ſcilicet unus DEUS.

2. Divinæ Dignitates non ceſſant agere, id eſt, producere, ſpirare & frui, ità, quòd Pater

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Pater, qui eſt Bonitas &c., immensè & æternaliter producat Filium, & ſpiret Sanctum Spiritum ; & Filius, qui eſt Bonitas &c., immensè & æternaliter ſpiret Sanctum Spiritum, & Sanctus Spiritus, qui eſt Bonitas &c., inceſſanter & immensè fruatur ipſis, ſcilicet Patre & Filio; ſimili modo Anima eſt creata & proportionata, ut in Patria de tota ſua bonitate inceſſanter recolens, intelligens & diligens DEUM inceſſanter fruatur ipſo ; & ſicut Bonitas Patris bonificat magnificare Magnitudinis, & è converſo, in generando Filium & ſpirando Sanctum Spiritum, ſimili modo Anima, in quantum bona, debet bonificare actum ſuæ magnitudinis, & è converſo, recolendo, intelligendo & diligendo DEUM, ita, quòd recolere, intelligere & diligere ipſius ſint bonificata, magnificata &c.

3. Sicut Deitas Filii aſſumpſit Humanam Naturam, ût ſuprà probatum eſt, ita DEUS, quia voluit, quòd rationalis Anima ipſi ſit ſimilis, fecit, quòd ipſa aſſumeret ſenſualem naturam, ut ipſa & corpus fierent unus homo, ad ſignificandum, quòd Chriſtus ſit unum Suppoſitum unitum ex duabus Naturis, ſcilicet Deitatis & Humanitatis, in cujus ſignificationem DEUS voluit, quòd homo ſit unum ſuppoſitum unitum ex duabus naturis, ſcilicet ſpiritualitatis & corporalitatis.

4. DEUS dat *eſſe* creaturæ, Anima verò dat eſſe corpori tamen ſub influentia DEI; etiam DEUS producit non de ſe, ſed de nihilo extra ſe, ſic Anima, ſecundùm quòd poteſt dici, non de ſe, id eſt, extra ſuam eſſentiam recolendo &c. creaturas, producit & generat recolere &c.; & ſicut DEUS Pater generat Divinum Verbum, quod eſt Filius, ſimiliter Anima recolendo &c. Species generat verbum; & ſicut DEUS Pater generat Divinum Verbum de ſuámet Bonitate &c., ſimili modo Anima generat verbum de pluribus phantaſticis rebus: unde per has & per multas alias ſimilitudines declaratur modus, per quem Anima eſt ſimilis ſuo Creatori.

QUÆSTIO LIX.

Quomodo Anima agat in ſe & extra ſe?

1. SOlutio. Primò & principaliter debemus dicere, cùm DEUS ſit recolibilis, intelligibilis & amabilis, quòd Anima extra ſe agat in DEUM objectivè, cùm Anima ſit creata, ut recolat, intelligat & diligat DEUM; & ſic Anima, in quantum eſt recolitiva, intellectiva & volitiva, agit de ſe tota extra ſe, videlicet in DEUM, qui eſt ejus propriiſſimus Reſpectus & ultimus Finis recolibilis, intelligibilis & amabilis; & hoc modo dicimus, quòd beata Anima in Patria agat extra ſe ipſã.

2. Iterum Anima agit in ſe ipſa in hoc, quòd recolitivum in ſuo proprio & naturali recolibili recolat ſe & ſuum proprium & naturale recolibile, in quo recolibili eſt intellectivum & volitivum, & ſicut recolitivum ſe habet ad ſuum naturale recolibile, & per conſequens ad intelligibile & volibile, ſicut jam dictum eſt, ſic intellectivum ſe habet ad ſuum proprium & naturale intelligibile, & volitivum ad ſuum proprium & naturale volibile, ita, quòd recolitivum, dum agit ſupra ſuum proprium recolibile, recolat ſe & ſuum recolibile, & ipſum intellectivum & intelligibile, & volitivum & volibile, & è converſo ſimiliter ſequitur de intellectivo & volitivo ſuo modo. Etiam Anima agit in ſe bonificando ſuum magnificare, & ſic de aliis; & agit ſimiliter magnificante ipsâ memoriâ ſuum recolere &c., & ſic de aliis; & ipſum recolere &c. quandoque eſt accidentale, quandoque ſubſtantiale: eſt accidentale, quando recolit cætera præter DEUM; dum verò recolit DEUM, eſt ipſum recolere ſubſtantiale, cùm DEUS ſit ultimus Finis Animæ ; unde beata Anima in Patria recolit DEUM ſubſtantialiter, cætera verò per accidens.

3. Præterea Anima agit in ſe producens de potentia ad actum hoc tale recolere, intelligere & diligere & Virtutes, ſcilicet Fidem, Spem &c., vel vitia, ſcilicet gulam &c., ita tamen, quòd ex parte inclinationis ipſius Animæ reducit illa in ſe de potentia ad actum; & præter iſta agit Anima alio modo, ſcilicet affirmando, negando, volendo, odiendo, recolendo, obliviſcendo, & ſic de ſimilibus iſtis.

4. Rationalis Anima in ſe & extra ſe de vegetativa, ſenſitiva, imaginativa & motiva agit in corpore ſuam virtutem influens in ipſas potentias, ut ipſæ potentiæ in ipſo *eſſe* Animæ habeant actum; & mediante intrinſecâ operatione, cum qua anima agit in ſe de potentiis, agit etiam extra ſe, dans eis perfectionem & vitam; igitur Anima movet vegetativam ad vegetandum, ſenſitivam ad ſen-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

sentiendum,& imaginativam ad imaginandum, & ex hoc, quod Anima de sua virtute transmittit in suas potentias ipsi Animæ conjunctas & unitas, attrahit ad se sensibilia, quæ per sensum sunt intelligibilia &c. ipsi Animæ; & sic Anima judicat de colore, de sapore, de calore & sic de aliis, & etiam habet cognitionem de operationibus alterius Animæ in corpore mediantibus sensibus, quod patet in hoc, quia homines ad invicem alii cognoscunt alios in recolere, intelligere & velle, & homo cognoscit hominem virtuosum vel injuriosum.

QUÆSTIO LX.

Utrùm Potentiæ Animæ sint de Essentia ipsius Animæ?

1. SOlutio. Quia DEUS in magnitudine bonitatis &c. Animæ est multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis, convenit, quòd recolitivum, intellectivum & volitivum &c. Animæ sint de Essentia ipsius Animæ; aliter DEUS non esset multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis, & per consequens Magnitudo Divinæ Bonitatis &c. esset defectiva magnitudini bonitatis &c. Animæ; quod est inconveniens in DEO: ergo Potentiæ Animæ sunt de Essentia Animæ.

2. Essentia Animæ est substantiale ens; igitur, si Potentiæ Animæ non sunt de Essentia ipsius Animæ, essent accidentia, & ita DEUS ab Anima non intelligeretur nec diligeretur nec etiam recoleretur substantialiter, sed accidentaliter, & per consequens Substantia sive Essentia DEI magis concordaret cum suo effectu in accidentibus, quàm in substantia, & haberet etiam ipsa Anima majorem gloriam in suis potentiis, quàm in se ipsa; & ipsa etiam consequeretur majorem gloriam accidentaliter, quàm substantialiter, quod est inconveniens: ergo Potentiæ Animæ sunt de Essentia Animæ.

3. Probatum est superiùs, quòd DEUS substantialiter influat suas similitudines in Animam, ut illa influentia sit in majori magnitudine & similitudine, quæ possit esse inter DEUM & creaturas: unde patet, quòd Potentiæ Animæ sint de Essentia ipsius Animæ, ut non sint accidentia, sed potiùs divinæ similitudines, scilicet bonitas, magnitudo &c. sint in ipsa Anima res substantiales, ut ipsæ potentiæ nobiliùs fruantur DEO, & meliùs utantur suis virtutibus & proprietatibus, acquirentes majores virtutes & præmia in ipsa Anima constituta de divinis similitudinibus.

4. Si Potentiæ Animæ non sunt de Essentia ipsius Animæ, ipsa Anima non recolit nec intelligit nec diligit de suámet bonitate, magnitudine, potestate, sapientia &c., id est, de bonitate, magnitudine &c., de quibus ipsa Anima substantialiter est constituta, nec est per operationem excellentior, quàm ignis, sed in eodem gradu similis, qui calefacit de caliditate non suæ substantialis entitatis & essentiæ, quod calefacere non est ita magnum, sicut ignire ipsius ignîs, sic etiam simili modo sequeretur in Anima, nam, si illius Potentiæ non essent de Essentia ipsius Animæ, Anima esset major in bonitate &c. per modum essendi, quàm agendi, quod est falsum; nam sic illius finis non esset in recolere, intelligere & diligere, dum recolit, intelligit & diligit DEUM, nec per consequens bonitas, magnitudo &c. Animæ consequeretur suum finem, sed potiùs Anima haberet suum finem in se ipsa, non autem in DEO, quod est impossibile: ergo Potentiæ Animæ sunt de Essentia ipsius Animæ, ut in Patria attingant DEUM, ita, quòd sit eis objectum fixum & immediatum, toto recolitivo se convertente in recolere, & intellectivo in intelligere, & volitivo in velle sic, quòd Anima propter magnam propinquitatem, quam habet fruendo DEO, illa tota habeat DEUM, sicut lux ignîs, & multò meliùs, quæ immediatè attingit lucem Solis, & ita tota Anima convertit se totam ad recolendum, intelligendum & diligendum DEUM, & tota remanet imbuta ab illo.

QUÆSTIO LXI.

Utrùm Accidentia Animæ sint de Essentia Potentiarum Animæ?

1. SOlutio. Jam probatum est, quòd potentiæ Animæ sint de Essentia ipsius Animæ; & quia accidentia Potentiarum, scilicet recolere, intelligere & velle sunt corruptibilia, & in numero transmutabilia, ita, quòd unum recolere &c. non est aliud, & quia accidentia de potentia reducuntur ad actum, est manifestum, quòd Accidentia Potentiarum non sint de earum entitate, nam aliter ipsa essent corruptibiles potentiæ, & non semper actu; hoc idem similiter sequeretur de Potentiis; quod est impossibile:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſibile: ergo Accidentia Animæ non ſunt de Eſſentia Potentiarum Animæ.

2. Alia bonitas, magnitudo, duratio &c. eſt illa, quæ eſt in Recolentia, Intelligentia & Volentia, & alia eſt illa, quæ eſt in recolere, intelligere & velle; & hoc modo eſt Differentia inter Eſſentiam Potentiarum & illarum Accidentia; nam illa bonitas, magnitudo &c., quæ ſunt in Recolentia, Intelligentia & Volentia, conſtituunt Recolentiam, Intelligentiam & Volentiam; illa bonitas verò, magnitudo &c., quæ ſunt in recolere, intelligere & velle, ſunt formæ accidentales creatæ in Recolentia, Intelligentia & Volentia, ut ipſæ tres poſſint agere, ſcilicet recolere, intelligere & velle bonum, magnum &c., & illud bonum, magnum &c., producere ad actum: ergo Accidentia Animæ non ſunt de Eſſentia Potentiarum Animæ.

3. Si recolere eſſet de Eſſentia Recolentiæ, & ſic de aliis, bonitas ipſius recolere eſſet de Eſſentia bonitatis ipſius Recolentiæ; & ita recolere ſemper eſſet bonum & virtuoſum, nunquam autem vitioſum, quia non eſſet Liberum Arbitrium, & per conſequens Actus Divinæ Juſtitiæ nihil haberet in Anima, quod eſt impoſſibile: igitur recolere non eſt de Eſſentia Potentiæ, ſed eſt alia creatura accidentalis ipſi Recolentiæ; & ideo poteſt Recolentia ſuum recolere in bono vel in malo de potentia producere ad actum, & conſervatur *eſſe* liberi arbitrii.

4. In Anima ſunt paſſiones, id eſt, gaudium, triſtitia &c.; in Anima etiam ſunt habitus, id eſt, Fides, Spes &c., & Anima patitur ignorantiam & cætera vitia; ergo Anima eſt ſubjecta pluribus accidentibus: unde eſt manifeſtum, quòd Accidentia Potentiarum non ſint de Eſſentia illarum, quia ſequeretur, quòd prædicta accidentia eſſent naturaliter in Anima, ita, quòd Anima exiſtens idem cum ſuis Potentiis haberet in ſe naturaliter ſupradicta accidentia, quod eſt impoſſibile & inconveniens: ergo Accidentia Animæ non ſunt de Eſſentia Potentiarum Animæ.

QUÆSTIO LXII.

Utrùm alia Potentiarum Animæ habeat aliam?

1. SOlutio. DEUS creavit rationalem Animam ad ſuam ſimilitudinem; in DEO autem alia Dignitas habet aliam, ſicut Bonitas DEI Patris habet Bonitatem DEI Filii; etiam alia Perſona in Divinis habet aliam, ſicut Bonitas ipſius Patris habet Bonitatem ipſius Filii; unde eſt manifeſtum propter majorem ſimilitudinem DEI, quòd alia Potentiarum Animæ habeat aliam fruendo DEO; & hoc etiam eſt ita, ut ipſa fruitio ſit in magna bonitate &c., ita, quòd, ſi memoria recolendo DEUM habeat intellectum & voluntatem objectivè & in objectando DEUM ad ipſum recolere, poſſit plùs recolere DEUM, quàm ſi non haberet illas: ergo alia Potentiarum Animæ habet aliam,

2. In Anima eſt una bonitas &c. abſolutè, & illa bonitas eſt diſtincta, ita, quòd alia eſt magnitudine, alia durationis, & ſic de aliis; etiam bonitas alia eſt in memoria, alia in intellectu, alia in voluntate; igitur cùm iſtæ ſint unum, & alia ſit in alia, ût prædictum eſt: ergo eſt manifeſtum, quòd alia bonitas habeat aliam bonitatem in Anima, & magnitudinem, ut ſit magna, & ipſa magnitudo bona; nam bonitas memoriæ habet bonitatem intellectûs & voluntatis, in quantum bonum eſt, quòd ipſa ſit intelligibilis & volibilis, & hoc idem ſimiliter ſequitur de aliis duabus Potentiis: ergo, ſicut prædictum eſt, memoria habet intellectum & voluntatem, & è converſo.

3. Si memoria recolat virtutem, & ad intelligendum & diligendum illam inducat intellectum & voluntatem, tunc memoria habet ſuum recolere perfectum; ſed talis perfectio, cùm ſit neceſſaria, non poſſet haberi, niſi Potentiarum alia haberet aliam: ergo alia Potentiarum Animæ habet aliam.

4. Dum Anima generans verbum concipit objectum intellectu attrahente phantaſias, & memoriâ conſervante illas, & voluntate diligente vel odiente illas, eſt neceſſariũ, quòd recolere habeat intelligere & velle ad ſuum finem, & è converſo; nam aliter eſſet impoſſibile, quòd ipſum verbum generaretur & produceretur ab anima: ergo eſt manifeſtum in actu agendi Potentiarum, quòd per modum exiſtendi alia illarum habeat aliam; nam, niſi ita eſſet, non eſſent in agere Potentiarum, quæ jam dicta ſunt, quod eſt impoſſibile: ergo alia Potentiarum Animæ habet aliam.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LXIII.

Utrùm rationalis Anima ſit immortalis?

1. SOlutio. Secundùm quòd intelligimus finalem cauſam, quare Anima eſt creata, debemus conſiderare durationem; igitur, quia DEUS eſt multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis ſinè fine, convenit ſecundùm Juſtitiam & Magnitudinem DEI, quòd Anima duret ſinè fine, id eſt, in ævum, ut DEUS multùm recolatur, intelligatur & ametur; ergo eſt manifeſtum ſecundùm operationes animæ, quòd Anima ſit immortalis; aliter Dignitates DEI deficerent fini Animæ in Magnitudine Bonitatis &c.; quod eſt impoſſibile.

2. Manifeſtum eſt, quòd Anima nullam proprietatem & nullam naturam habeat, quare ſubſtantiale *eſſe* illius ſit corruptibile vel privabile; nam ipſa non eſt conſtituta de contrariis principiis, ſed potiùs de ſimilitudinibus DEI, ût dictum eſt; ergo eſt manifeſtum, quòd Anima naturaliter ſit incorruptibilis & immortalis; quæ ſi ſubſtantialiter eſſet corruptibilis & mortalis, hoc fieret per accidens, & Dignitates DEI deficerent Animæ in aſſimilatione illius ad DEUM, quod eſt impoſſibile: ergo rationalis Anima eſt immortalis. Veruntamen non dicimus, quòd Anima ſit immortalis reſpectu ſuorum vitiorum; quòd autem ſubjectum rationalis Animæ pereat in nihilum, hoc eſt impoſſibile.

3. Si Anima eſt mortalis, id eſt, quòd mortuo homine ſubſtantialiter moriatur, Juſtitia DEI deficit magnitudini virtutum vel vitiorum Animæ, & per conſequens Miſericordia, Largitas &c. DEI deficiunt illi, quod eſt impoſſibile: ergo eſt neceſſarium, quòd Anima diligens Infinitum Bonum &c. conſequatur ſuum finem in infinito bono infinitæ durationis, & per oppoſitum Anima odiens Infinitum Bonum patiatur pœnam infinitæ durationis; aliter Magnitudo Juſtitiæ DEI non eſſet perfecta in extrinſeca operatione; quod eſt impoſſibile: ergo rationalis Anima eſt immortalis.

4. DEUS poteſt influere plus bonitatis, magnitudinis, durationis &c. in intellectualem creaturam, quàm in ſenſualem, nam in ſenſuali creatura non poteſt recipi tantum ſimilitudinum DEI, quantum in intellectuali: igitur patet, quòd rationalis Anima ſit durabilis ſinè finè; nam, ſi poſt mortem hominis Anima nihil eſſet, cùm tamen materia corporis, quæ dudum fuit hominis, remanens ſub alia forma vel formis, de forma in formam remaneat incorruptibilis, & Sol, Luna &c. ſint incorruptibiles, ſequeretur, quòd ſenſualia entia haberent majorem ſimilitudinem Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis DEI, quàm intellectualia entia, quod eſt impoſſibile: ergo rationalis Anima eſt immortalis.

QUÆSTIO LXIV.

Utrùm Intellectus ſit omnibus Hominibus unus numero?

SOlutio. In hac Quæſtione quæritur: utrùm omnes homines habeant unum Intellectum numero, vel, utrùm omnes humani Intellectus ſint de *eſſe* unius Intellectûs numero? & tenemus, quòd non, ſed quòd quilibet homo habeat ſuum proprium Intellectum, quem impoſſibile eſt, eſſe alterius; & quot ſunt homines, tot ſunt præcisè unitates Intellectûs; hoc autem poſſumus probare multis Rationibus, de quibus hæc eſt prima.

1. Si eſt unus intellectus omnibus hominibus, eſt impoſſibile, quòd ſit Reſurrectio & alia Vita præter iſtam; quia, ſi eſſent, conveniret, quòd Juſtitia DEI æqualiter præmiaret vel puniret omnes homines & animas eorum, cùm eſſent æquales in Intellectu, & per conſequens in memoria & voluntate; nam, ſi unus Intellectus eſt omnibus hominibus, erit illis una memoria & una voluntas, cùm jam probatum ſit, quòd Anima ſit conſtituta de memoria, intellectu & voluntate, & per conſequens de bonitate &c., ſed operationes hominum ad bonum & malum non ſunt æquales; ergo, ſi Reſurrectio ſit, Divina Juſtitia imperfectè poſſet judicare homines, quod eſt impoſſibile: ergo relinquitur, quòd non ſit omnibus hominibus idem numero Intellectus.

2. Materia in elementatis ſubeſt naturaliter quandoque alicui formæ, quandoque alteri; igitur, ſi omnes Intellectus eſſent unus numero, eſſet Intellectus aliquo tempore forma alicujus corporis, poſt mortem autem illius eſſet forma alterius in inſtanti ex parte Intellectûs, ſucceſſivè autem ex parte corporis; nam corpus ſucceſſivè producitur ad *eſſe*;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſe; & ſic Intellectus & corpus hominis non poſſent convenire in tempore; cùm ſit ſumma diſtantia inter inſtans & ſucceſſionem: ergo Intellectus non eſt omnibus hominibus idem numero.

3. Si eſt unus intellectus numero, ſicut ipſe eſt unus intellectus, in quantum intellectivus, ita eſt unus, in quantum intelligibilis, cùm intellectus, ut ſit activa & paſſiva potentia, ſit aggregatus de intellectivo & intelligibili; & ita eſſet unum intellectivum numero & unum intelligibile numero, & per conſequens nullus homo naturaliter haberet proprium intellectivum & proprium intelligibile; & ex hoc ſequeretur, quòd homo intelligens ſe ipſum intelligeret alterum, & quilibet homo intelligeret omnes homines & ſe ipſum in ſuo & eorum intelligibili, quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo Intellectus non eſt omnibus hominibus idem numero.

4. Iterum, ſi eſt unus Intellectus, bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, virtus, veritas &c. mei intellectûs & tui ſunt idem, ita, quòd ego intelligens intelligo cum bonitate &c. mei & tui intellectûs, & per conſequens, ſi bonitas tui intellectûs intelligendo deficit, & ignoras me, ego etiam ignoro te & quidquid ignoras; quod eſt impoſſibile: ergo Intellectus non eſt omnibus hominibus idem numero.

QUÆSTIO LXV.

Utrùm omnes Animæ ſint creatæ æquales?

SOlutio. Quòd Animæ non ſint creatæ æquales, hoc manifeſtis Rationibus patet, & primò ſic:

1. Si Animæ inæqualiter ſunt creatæ, beatæ Animæ in Patria ſunt ſubſtantialiter plenæ Gloriâ DEI, & DEUS perfectè in illis juſtificat adimplens eas divinâ gratiâ & benedictione; ſi autem eſſent æqualiter creatæ, ſequeretur, quòd quædam illarum habendo gloriam eſſent vacuæ, cùm earum operationes, per quas in Via acquirunt meritum & gloriam, non ſint æquales; nam Animarum, quæ ſunt in Via, alia habet plus virtutis operando, quàm alia, & hoc eſt per ſe manifeſtum; & quia eſt impoſſibile illarum operationes coæquari in Via, & in Patria ſunt plenæ gloriâ, non autem vacuæ: ergo omnes Animæ non ſunt creatæ æquales.

2. Sicut in Via humana Anima eſt forma corpori, ſic etiam erit in Patria poſt Reſurrectionem; igitur, ſi Animæ eſſent creatæ æquales, eſſent etiam æquales in agendo, & per conſequens in habendo gloriam, ût jam dictum eſt; & ſi Animæ eſſent æqualiter glorificatæ in Patria, ſequeretur, quòd in Patria gloria corporum eſſet æqualis, ita, quòd unumquodque corpus haberet tantam gloriam, quantam aliud; hoc autem eſt impoſſibile; quia unum corpus agit plus boni, quàm alterum, igitur unum corpus acquirit majorem gloriam, quàm aliud; ergo omnes Animæ non ſunt creatæ æquales.

3. Quia DEUS eſt multùm objectabilis, ſequitur, quòd in Patria beatæ Animæ habeant gloriam recolendo, intelligendo & diligendo ſuum fixum objectum, id eſt, DEUM; igitur, ſi omnes Animæ eſſent creatæ æquales, omnes vel haberent DEUM æqualiter pro objecto, vel eſſent vacuæ gloriâ, quod eſt inconveniens, & ſic DEUS non eſſet multùm objectatus; ſi autem ſunt inæqualiter creatæ, DEUS recolitur, intelligitur & diligitur ab illis magìs diverſo modo; nam quælibet illarum tota etiam diſtinctè habet eum pro objecto, & DEUS etiam magìs diſtinctè & pluribus modis ſe communicat & dat illis gloriam; & quia hoc, quod eſt majus & nobilius, eſt tenendum; ergo omnes Animæ non ſunt creatæ æquales.

4. Ubi eſt plus diſtinctionis in Concordantia, ibi eſt plus ordinis; ſi autem Animæ ſunt creatæ inæqualiter, ſunt ibi Majoritas & Minoritas, unâ illarum exiſtente in Majoritate, & aliâ in Minoritate, Æqualitas autem illarum eſt in hoc, quòd una ipſarum poteſt eſſe major, quàm alia per aliquam virtutem vel ſimilitudinem DEI, & alia major, quàm illa, per aliam virtutem vel per aliam ſimilitudinem; nam una illarum poteſt eſſe major, quàm alia, in juſtitia & bonitate, & alia major, quàm illa, in juſtitia & magnitudine, & ſic de aliis, & hoc poteſt eſſe reſpectu intenſionis & extenſionis: igitur ſic poteſt eſſe ordo inter eas ſecundùm Majoritatem, Æqualitatem & Minoritatem; ſi autem æqualiter ſunt creatæ, non eſt tanta ordinatio inter eas; & hoc per ſe manifeſtum eſt: ergo non omnes Animæ ſunt creatæ æquales.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LXVI.

Utrùm Potentiæ Animæ ſint activæ & paſſivæ?

1. SOlutio. Quia DEUS eſt recolibilis, intelligibilis & amabilis, ſequitur, quòd Potentiæ Animæ ſint activæ, id eſt, quòd habeant activam naturam ad recolendum, intelligendum & diligendum DEUM; aliter DEUS non eſſet multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis, & ita deficeret Magnitudo Bonitatis &c. ex parte Cauſæ & effectûs, quod eſt impoſſibile: ergo Potentiæ Animæ ſunt activæ.

2. Si Potentiæ Animæ ſunt activæ, bonitas, magnitudo, duratio &c. Animæ ſunt in Majoritate eſſendi & agendi, & hoc per ſe manifeſtum eſt; nam eſſe & agere per modum actionis habent majorem Concordantiam, quàm per modum paſſionis; igitur, ſi Potentiæ non ſunt activæ, ſequitur oppoſitum, per quod increata Bonitas &c. eſt contra ſuam creatam ſimilitudinem, quod eſt impoſſibile: ergo Potentiæ Animæ ſunt activæ.

3. Divina Bonitas, Magnitudo &c. non contradicunt magnitudini liberi arbitrii & virtutum; ſi autem Potentiæ Animæ eſſent paſſivæ, & non activæ, contrariarentur illi magnitudini, hæc Contrarietas autem eſt impoſſibilis, quia Divina Juſtitia, Voluntas &c. eſſent contra magnitudinem recolendi, intelligendi & diligendi; quod eſt impoſſibile: ergo Potentiæ Animæ ſunt activæ.

4. Præterea, ſi Potentiæ Animæ non eſſent activæ, non haberent proprium ſubjectum de ſuámet entitate & natura, nec de ſuámet bonitate &c.; hoc autem eſt inconveniens: nec etiam memoria poſſet recolere ſe ipſam per ſe, nec per propriam bonitatem &c., ſed potiùs per aliud, quod nec eſt de ſuámet eſſentia, nec de ſuámet bonitate &c., hoc idem ſimiliter ſequeretur de intellectu & voluntate: nec memoria eſſet recolibilis, nec intellectus intelligibilis, nec etiam voluntas volibilis de ſe ſimpliciter, ſed eſſet major Concordantia naturaliter inter recolitivum & recolibile per diverſitatem & diſtantiam in pluribus numero, quàm per diverſitatem & propinquitatem in unitate eſſentiæ, quod eſt impoſſibile: ergo Potentiæ Animæ ſunt activæ.

Nunc probatum eſt, quòd Potentiæ Animæ ſint activæ, & per eaſdem rationes etiam poteſt probari, quòd ſint paſſivæ, eò quòd recolitivum habeat proprium recolibile de natura & eſſentia ſuî, hoc idem ſimiliter ſequitur de intellectivo & volitivo; aliter recolitivum eſſet defectivum in magnitudine ſuæ bonitatis &c., & intellectivum & volitivum ſimiliter; ſed hoc eſt inconveniens: igitur Potentiæ Animæ ſunt etiam paſſivæ.

Sunt etiam paſſivæ, ût patet in hoc, quòd intellectus in intelligendo non poteſt in uno tempore ſimul intelligere & non intelligere; & ſic de voluntate, quæ ſimul in uno tempore non poteſt velle & non velle: ſimili modo ſicut potentia viſiva, quæ ſimul in eodem tempore non poteſt videre & non videre.

Etiam Potentiæ Animæ ſunt paſſivæ per talem modum, videlicet, quòd ſimiliter ſint activæ, ita, quòd, dum agunt quoad activas, habeant paſſiones quoad paſſivas ſubſiſtentes actionibus activarum, ſicut propinquum intelligibile, quod patitur, quando propinquum intellectivum intelligit; & ita intellectivum non patitur, licèt non poſſit non intelligere, dum intelligibile intelligitur; & idem eſt de voluntate, unde talis paſſio non eſt propriè paſſio intellectivi, ſed intelligibilîs, quod, dum actu intelligitur, non poteſt non intelligi. Veruntamen quoad habitum intellectivi & potentiam intelligibilîs poteſt intellectus non intelligere in alio tempore, & ſic de voluntate; & ita per conſequens libertas conſiſtit in potentia & in habitu, ût prædictum eſt, & reducitur ad actum per modum potentiæ activæ, & non per modum paſſivæ.

QUÆSTIO LXVII.

Utrùm Intellectivum in ſuo proprio Intelligibili intelligat, quidquid intelligit?

1. SOlutio. Quia DEUS eſt intelligibilis, creavit intellectivum, & ſic DEUS eſt proprium intelligibile intellectivi; unde, quidquid creatum intellectivum intelligit in Patria, illud intelligit in DEO, qui eſt ſuum proprium Intelligibile; quia, niſi in ipſo omnia intelligeret, DEUS non eſſet perfectus Finis intellectivi; quod eſt impoſſibile.

2. Dictum eſt ſuperiùs, quòd intellectus ſit activa potentia, in quantum eſt intellectivus, & ſit paſſiva potentia, in quantum eſt intelligibilis, & ita intellectus eſt ens aggregatum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gatum de intellectivo & intelligibili; & ideo intellectivum naturaliter habet proprium intelligibile; igitur, ſi intellectivum intelligat in ſuo proprio intelligibili, quidquid intelligit, dum eſt in Via, poteſt plùs intelligere, quàm intelligat mediante remoto intelligibili, ſcilicet ſenſibili vel etiam volibili; & quia DEUS eſt multùm intelligibilis, igitur videtur, quòd creatus intellectus intelligat remotum intelligibile mediante ſuo proprio intelligibili, ut habeat majorem poteſtatem intelligendi divinum effectum, & ut per effectum meliùs poſſit intelligere ſuam Cauſam.

3. Quia color eſt viſibilis & imaginabilis, eſt intelligibilis per ſenſum & imaginationem; & per conſequens, quia intellectivum habet proprium intelligibile, quod eſt de eſſentia & natura ſuî, ideo mediante ipſo ſuo proprio intelligibili attingit remotum intelligibile, ita, quòd in virtute ſuî ipſius & in virtute ſui proprii intelligibilîs & mediante illâ ſimilitudine, quæ eſt inter proprium intelligibile & inter remotum intelligibile, attingat ipſum remotum intelligibile; nam aliter deficeret proportio & habitus inter intellectivum & intelligibile, & per conſequens concordantia conjunctionis & finîs; quod eſt inconveniens dicere: ergo intellectivum intelligit in ſuo proprio intelligibili, quidquid intelligit.

4. Sicut ignis calefaciens eſt calefactivus totus quoad ſuppoſitum, quod calefacit, licèt ſit tantùm calefactivus quoad formam, & non quoad materiam, & habeat hanc actionem quoad totum ſuppoſitum, ſcilicet ignem, qui habet actionem, calefactivo reflectente ſe ſuper ſuam propriam materiam, id eſt, ſuper ſuum calefactibile, per quam tranſit ad calefaciendum aërem, ſic & multò meliùs in Patria intellectivus in ſuo proprio intelligibili, id eſt, in DEO attingit, quidquid intelligit, attingens totus totum intellectum, & nihilominus intelligit quoad formam, & non quoad materiam: unde, ſi intellectus non quoad totum, ſed quoad partem, nec mediante ſuo proprio intelligibili intelligeret, ſuum intelligere eſſet in minoritate bonitatis, magnitudinis &c., quod eſt valde impoſſibile & inconveniens dicere: ergo Intellectivum intelligit in ſuo proprio intelligibili, quidquid intelligit.

QUÆSTIO LXVIII.

Utrùm una Potentiarum Animæ plùs poſſit mereri, quàm alia?

1. SOlutio. DEUS eſt æqualiter recolibilis, intelligibilis & amabilis, & propter hoc Juſtitia DEI debet creare Potentias Animæ æquales, ut æqualiter poſſint recolere, intelligere & diligere DEUM, & ſecundùm hoc principium una Potentia Animæ non poteſt acquirere majus meritum, quàm alia; per accidens autem poteſt una acquirere plus meriti, quàm alia, id eſt, per majoritatem & minoritatem ſuorum actuum, quod patet; nam, ſi voluntas plus diligit DEUM, quàm intellectus intelligat illum, tunc voluntas debet conſequi majus meritum; ſed quia omnes tres Potentiæ Animæ ſunt ipſa Anima: igitur in hoc, in quo intellectus deficit, ſupplet bonitas, magnitudo &c. ipſius intellectûs, quæ ſunt idem in eſſentia Animæ cum bonitate, magnitudine &c. voluntatis, & idem etiam ſupplet intellectui bonitas, magnitudo &c. voluntatis; hoc idem ſimiliter eſt de memoria; & convenit, quòd hoc ita ſit, ut ipſæ tres Potentiæ habeant æqualem gloriam, ne aliqua illarum in Patria ſit vacua gloriâ, & ut Miſericordia & Largitas DEI, quæ concordant cum Juſtitia in Magnitudine Bonitatis &c., ſuppleant defectum alterius Potentiæ in tantum, quantum altera non attingit.

2. Aliquando una Potentiarum habet majus meritum in principio ſumendi objectum, quàm altera, ſicut voluntas imperans, quòd memoria recolat & intellectus intelligat; dum autem fit inveſtigatio Potentiarum per objecta, memoria & intellectus habent majus meritum in medio & fortè in fine; quia inquirentes objectum ſucceſſivè fortiùs laborant, quàm voluntas; & ita diverſimodè acquirunt æquale meritum, ut conſequantur æqualem gloriam.

3. Quando intellectus intelligit verum, movet in inſtanti voluntatem ad diligendum illud verum; dum autem voluntas verum optat per Fidem, & diligit illud, movet intellectum ad diſcurrendum ſucceſſivè, ut diſcurrens per objecta acquirat ſcientiam, & intelligat illud verum; igitur hoc modo una Potentiarum per unum modum acquirit meritum, & alia per alium modum, ût ſatis patet.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

4. Secundùm illa, quæ modò diximus de æqualitate potentiarum circa meritum, intelligendum eſt ſimili modo de illarum æqualitate in culpa; nam una illarum incurrit culpam uno modo, & alia ſimiliter alio modo; ſicut voluntas, quæ odit verum, dum intellectus illud intelligit, & è converſo intellectus labitur in culpam, quia non intelligit tot circumſtantias circa illud verum, donec voluntas diligat veritatem, & odiat falſitatem; & hoc idem ſimiliter ſequitur de memoria: veruntamen, ſi aliqua Potentia ponatur in extremo puncto mortis, & fuerit inventa in majori culpa, quàm alia, ſemper affligetur in majoritate pœnæ; nam Juſtitia DEI non addet tantam pœnam Potentiæ minùs culpabili, quantam magìs culpabili, ita, quòd illa Potentia, quæ non tantum eſt culpabilis, in parte remaneat vacua pœnâ, alia verò plena.

QUÆSTIO LXIX.

Utrùm in Eſſentia Animæ ſit major Differentia, quàm in ſuis Accidentibus?

1. SOlutio. Sicut ſuprà dictum eſt, Eſſentia Animæ eſt de Similitudinibus DEI, ſcilicet de bonitate, magnitudine &c., & ſic eſt Differentia inter bonitatem, magnitudinem &c.; & hæc Differentia eſt ſubſtantialis, quia ipſæ ſimilitudines ſunt ſubſtantiales, cùm de ipſis conſtituatur ſubſtantia, videlicet Anima; accidentia verò Animæ, ſcilicet recolere, intelligere & velle & paſſiones & cætera accidentia Animæ non ſunt de Eſſentia ipſius Animæ; unde iſtorum Differentia eſt accidentalis: & quia ſubſtantia concordat cum Majoritate, accidentia verò cum Minoritate; ergo Differentia, quæ eſt in Eſſentia Animæ, eſt major, quàm illa, quæ eſt in ejus accidentibus, ût per ſe patet.

2. Ubi eſt major Concordantia, ibi convenit, quòd ſit major Differentia, nam eſt impoſſibile, quòd Concordantia ſit ſinè Differentia; ſed quia eſt major Concordantia inter bonitatem, magnitudinem &c. recolentiæ, intelligentiæ & volentiæ, quæ ſunt Eſſentia Animæ, quàm inter bonitatem, magnitudinem &c. ipſorum recolere, intelligere & velle, quæ non ſunt de Eſſentia ipſarum recolentiæ, intelligentiæ & volentiæ: ergo Differentia, quæ eſt in Eſſentia Animæ, eſt major, quàm illa, quæ eſt in ſuis accidentibus.

3. Differentia poteſt eſſe major in Eſſentia Animæ, quàm in ſuis accidentibus; nam Poteſtas poteſt plus per ſubſtantialem Differentiam, quàm per accidentalem; & convenit, quòd hoc ita ſit, ut Finis Differentiæ ſit major eſſentialiter, quàm accidentaliter; igitur patet, quòd ſit major Differentia in Eſſentia Animæ, quàm in ſuis accidentibus.

4. Beata Anima plùs attingit ſuam gloriam in Patria in DEO per eſſentialem Differentiam, quàm per accidentalem; nam habet majorem gloriam in DEO eſſentialiter, quàm accidentaliter, cùm ſit ſimilis DEO per ſubſtantiam, diſſimilis verò per accidentia; per quod declaratur, quòd ſit major Differentia in Eſſentia Animæ, quàm in ſuis accidentibus, ut Differentia in Eſſentia Animæ habeat majorem Concordantiam cum DEO ad glorificandum, quàm differentia in accidentibus ejus, ita, quòd tota Anima ſubſtantialiter & eſſentialiter quoad eſſentiam & quoad ſuppoſitum ſit recolitiva, intellectiva & amativa: ergo Differentia eſt major in Eſſentia Animæ, quàm in ſuis accidentibus.

QUÆSTIO LXX.

Utrùm Voluntas avari Hominis plùs diligat velle, quàm ipſe Avarus pecuniam?

1. SOlutio. Quoniam DEUS habet majorem ſimilitudinem cum velle, quàm cum pecunia, cùm pecunia ſit ſenſuale ens, DEUS autem & velle ſint entia intellectualia & non ſenſualia: igitur omnis voluntas plùs diligit ſuum velle, quàm ſenſibile objectum; nam aliter eſſet defectus in Cauſa & effectu reſpectu ſimilitudinis ſuî, quod eſt impoſſibile: ergo voluntas avari plus diligit ſuum velle, quàm pecuniam, per accidens verò, quia homo eſt lapſus in vitium, plùs diligit pecuniam, quàm ſuum velle; ergo ſic eſt contrarius DEO & naturæ ſuî ipſius.

2. Voluntas hominis avari eſt bona &c., in quantum eſt creatura; igitur naturaliter illa bonitas &c. ſecundùm juſtitiam plus deberet influere in velle, quàm in optare pecuniam; cùm velle plùs poſſit recipere influentiam bonitatis &c., quàm pecunia, quæ non eſt tam nobilis creatura, ſicut velle; ſed quia avarus frequentiùs recolit & intelligit

(c) 2006 Ministerio de Cultura

telligit bonitatem &c. pecuniæ, quàm bonitatem &c. ipſius velle: ideo voluntas illius plùs diligit pecuniam, quàm ſuum velle.

3. Voluntas naturaliter plùs diligit ſuum velle, quàm ſenſuale objectum, cùm velle ſit actus voluntatis, objectum autem non; ſed diligit objectum ſenſuale naturaliter, ut poſſit habere occaſionem volendi; igitur velle eſt per primam intentionem, & diligere ſenſuale objectum eſt per ſecundam intentionem; veruntamen avarus pervertit has duas intentiones in contrariam naturam, quia plùs diligit pecuniam, quàm velle, & ideo propter inanem gloriam, vel propter gulam, luxuriam &c., vel etiam propter filios vel parentes diligit fieri poſſeſſor multæ pecuniæ; & ita cadit in vitia pervertendo duas intentiones.

4. Secundùm Divinam Ordinationem naturaliter eſt ordinatum, quòd voluntas cum libero arbitrio habitualiter poſſideat virtutes, tamen mediantibus divitiis & ſuo velle, ſic, ut divitiæ ſe habeant ad finem, velle autem ſit finis divitiarum, ut voluntas in juſto velle lucrativo (charitarivo) &c. poſſit habere ſuum Finem, ſcilicet DEUM; ſed avarus pervertit ſe in totum oppoſitum, quia plùs diligit divitias, quàm juſtum velle lucrativum (charitativum) &c.; & quia totaliter operatur contra naturam, & cùm natura requirat ſuum finem & ſuam ordinationem, ſequitur, quòd, quantò plùs avarus diligit divitias, tantò plùs ardeat habere, & credit, quòd hoc ardens velle habere divitias generetur ex multiplicatione ipſarum divitiarum, ſed fallitur, quia eſt naturalis appetitus, quem voluntas habet ad ſuum velle; hoc autem ignorat avarus; & ſic neſcit judicare de ſuo appetitu, ſicut cæcus neſcit judicare de coloribus.

QUÆSTIO LXXI.

Utrùm Anima intelligat per ſubſtantialem Poteſtatem, Bonitatem & Magnitudinem, vel accidentalem?

1. SOlutio. Quia DEUS eſt intelligibilis, eſt Anima intellectiva; & quia ipſe eſt intelligibilis per magnitudinem poteſtatis & bonitatis, eſt Anima intellectiva per magnitudinem poteſtatis & bonitatis; & quia poteſtas, bonitas & magnitudo Animæ ſunt ſubſtantialiter majores, quàm accidentaliter: ergo Anima intelligit per ſubſtantialem bonitatem, magnitudinem, poteſtatem; aliter DEUS non eſſet multùm intelligibilis ab illa; quod eſt impoſſibile: ergo Anima intelligit per ſubſtantialem Poteſtatem, Bonitatem & Magnitudinem.

2. Sicut Anima ſubſtantialiter eſt conſtituta de divinis ſimilitudinibus, ût dictum eſt, ita convenit, quòd illa ſubſtantialiter intelligat DEUM, ut Finis ipſarum ſimilitudinum, de quibus Anima eſt conſtituta, habeat ſuum finem per ſubſtantialem operationem, & non per accidentalem, ſic, ut intellectus per ſubſtantialem operationem objectivè attingat DEUM tali modo, quòd inter DEUM & intellectum non ſit accidens agens nec medium; aliter enim res ſubſtantiales non haberent ſuum finem in objecto ſub ratione ſubſtantiæ, ſed potiùs ſub ratione accidentis; quod eſt inconveniens.

3. Dum Anima eſt in Via, tunc intellectus, quodcunque objectum vult, intelligit cum ſubſtantiali poteſtate, bonitate &c., ut acquirat majus meritum, & ut intelligere & meritum ſibi ſint propinquiora; veruntamen ſuum intelligere eſt compoſitum de accidentali poteſtate, bonitate & magnitudine, quæ moventur & influuntur à ſubſtantiali poteſtate, bonitate & magnitudine; quando autem Anima eſt in Patria, tunc ſuum intelligere eſt ſubſtantiale, ita, quòd ex maxima propinquitate & fixione, quam habet cum DEO, totus intellectus eſt converſus in ipſum ſubſtantiale intelligere, & è converſo, ita, qùòd intelligere & intellectus ſint unum idem numero, ut ipſum totum intelligere & gloria & finis ejus ſit in majoritate, & non in minoritate, ſic, ut DEUS ſit Finis ſubſtantialiter, & non accidentaliter. Iſte punctus autem eſt valde ſubtilis & tranſcendens & valde difficilis ad intelligendum.

4. Si intellectus intelligit, & memoria recolit, & voluntas vult per ſubſtantialem poteſtatem, bonitatem, magnitudinem, poſſunt plùs adhærere objecto, aliter verò minùs, ſcilicet cum accidentali poteſtate &c.: ergo ipſæ tres potentiæ agunt per ſubſtantialem poteſtatem &c.; nam aliter deficeret magnitudo poteſtatis &c. bonitati &c., & è converſo, ita, quòd DEUS non eſſet tantum objectabilis poteſtati &c.; quod eſt valde inconveniens dicere.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LXXII.

Quomodo Anima ſit conjuncta Corpori?

1. SOlutio. In conjunctione Animæ & Corporis debemus intelligere conjunctionem influxam ex ambobus, ut illo modo conjungantur, quòd ſint unum ſuppoſitum; nam hæc conjunctio oritur in unione bonitatis &c. Animæ & bonitatis &c. Corporis unâ ſimilitudine unitâ cum alia in eſſe unius ſuppoſiti aggregati de ipſis duabus, ut finis utriusque bonitatis &c. veniat ad complementum.

2. Bonitas &c. Animæ, id eſt, ipſa Anima, venit activa & formativa ad bonitatem &c. Corporis, id eſt, ad Corpus, quod eſt materiabile; Anima ergo & corpus veniunt ad conjunctionem, Anima tanquam forma informativa dans hoc eſſe Corpori, Corpus autem patitur & exiſtit ſub Anima & per Animam.

3. Bonitas &c. Animæ in parte eſt activa, & in parte paſſiva; nam bonitas intellectivi eſt activa, bonitas verò intelligibilîs eſt paſſiva; veruntamen bonitas Animæ quoad formam bonificat bonitatem Corporis, ſicut ignis calefacit totum aërem quoad ſuppoſitum, & bonitas Corporis (quæ in parte quoad bonitatem elementorum, de quibus Corpus eſt compoſitum, eſt activa) ſcilicet bonitas formæ ignîs, & bonitas materiæ ignîs, & ſic de aliis elementis quoad ſuppoſitum patitur ſub Anima, ita, quòd paſſio ipſius Corporis eſt quoad materiam; igitur per hoc eſt manifeſtum, quomodo fiat conjunctio inter Animam & Corpus.

4. In Anima ſunt forma & materia & conjunctio, forma, quia eſt intellectiva &c., materia, quia intelligibilis &c., ſed conjunctio, quia forma & materia conjunctæ ſunt unum ens aggregatum de ipsísmet; hoc etiam ſimili modo ſequitur de Corpore, quia Corpus eſt unum ens in ſe abſolutè habens formam & materiam & conjunctionem: formam habet in hoc, quòd ignis (& ſic de cæteris) eſt formans in hoc, quia eſt ignitivus, materiam etiam habet in hoc, quia ignis, & ſic de cæteris, eſt patiens, in quantum ignibilis, habet conjunctionem autem, quia ipſæ, ſcilicet forma & materia Corporis conjunctæ de ſe ipſis conſtituunt unum ens, quod eſt Corpus; omne ſimile autem appetit ſuum ſimile, ita, quòd forma Animæ venit ad conjungendum ſe cum forma Corporis, & materia cum materia, & conjunctio cum conjunctione, & mediante conjunctione formæ Animæ & materiæ Animæ conjunguntur forma Animæ & materia corporis, & è converſo: & ſicut de conjunctione potentiæ rationativæ & ſenſitivæ dictum eſt, ſimili modo eſt intelligendum de conjunctione rationativæ & vegetativæ, ſenſitivæ & vegetativæ, rationativæ & imaginativæ, & ſic de aliis; & ſciendum eſt, quòd, ſicut rationativa & ſenſitiva uniuntur, ſimiliter conjungantur bonificare &c. rationativæ & bonificare ſenſitivæ, id eſt, ratiocinari & ſentire; & ſic de aliis potentiis.

QUÆSTIO LXXIII.

Quomodo Anima tentetur à Diabolo?

1. SOlutio. Diabolus, in quantum creatura, eſt bonus, magnus, & ſic de aliis; & ideo habet ſimilitudinem Animæ, in quantum eſt bona, & ſic de aliis; unde bonitas Diaboli tentat bonitatem Animæ per modum aſſimilationis; tentatur ergo Anima ſub ratione boni, magni &c., diabolus autem falſo modo nititur, ut id, quod eſt malum, appareat bonum, & è converſo, ita, quòd Animæ appareat id, quod eſt malum, eſſe bonum, & è converſo, ſicut infirmo bibere videtur bonum, poſito etiam, quòd ſit malum.

2. Diabolus tentat Animam in prima & ſecunda intentione; nam facit illi apparere, quòd ſecunda intentio ſit multùm bona, multùm magna, & ſic de aliis, & quòd prima intentio non ſit tam bona &c., appetens illam deviare ab illo fine, ad quem eſt creata, & inducit illam usque ad liberum arbitrium, quod Anima habet quoad electionem alterius intentionis; ſed ultra liberum arbitrium Animæ non poteſt illam tentare, quia coacta illi conſentiret; nam ubi eſt neceſſaria coactio boni vel mali, ibi non poteſt eſſe retributio.

3. Diabolus tentator repræſentat bonitati &c. vegetativæ, ſenſitivæ & imaginativæ ſuam bonitatem &c. *ſpeculando* per ſimile, ut corporalis bonitas, magnitudo &c. ſe moveant ad ſpiritualem bonitatem, magnitudinem &c., & per illum motum Anima diligat corporalia placita, & ut corpus ſub ratione alicujus ſenſûs delectetur contra habitum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bitum virtutum; & quia Anima quandoque per unum ſenſum, quandoque per alium, vel per imaginationem cupit recipere objecta, ideo diabolus quandoque per unum modum, quandoque per alium illi infert tentationes.

4. Diabolus quandoque tentat Animam per potentiam, quandoque per habitum, quandoque per actum, quandoque vigilando, & quandoque dormiendo, & ſic de ſimilibus iſtis; tentat autem illam per potentiam, dum diſponit Animam, ut peccatum, quod eſt in potentia, deveniat ad actum; etiam tentat ipſam per habitum, dum habitus virtutum fruſtra permanet in Anima, nec Anima vult illum pervenire ad actum; ſimiliter tentat per actum, ut id, quod bonum eſt actu, reducatur in potentiam vel ſaltem in habitum; in vigilando tentat per contingentiam & neceſſitatem; dormiendo tentat per ſomnia, ut id, quod per ſomnium apparuit, vigilando reducatur ad actum.

QUÆSTIO LXXIV.

Quomodo Corpus & Anima peccent?

1. SOlutio. Anima & Corpus ſunt unum idem ſuppoſitum, id eſt, homo, peccans quoad ſuppoſitum ſub ratione Animæ, non autem ſub ratione Corporis; ſicut ignis ſub ratione formæ calefacit, & non ſub ratione materiæ; tamen mediante Animâ & Corpore totum ſuppoſitum peccat, quia totum agit, dum Anima peccat.

2. In quantum Anima eſt creatura bona, magna &c., ut bonificet, magnificet &c., eſt illi naturaliter habituatum bonificare, magnificare &c. ad virtutes mediante Libero Arbitrio; & ideo Anima agens de malo, parvificat, cùm deberet magnificare, ita, quòd ſuum agere eſt contra ſuum eſſe, & contra ſuos habitus & prædictos actus, dum peccat, ût prædictum eſt.

3. Humanum Corpus, in quantum creatura, eſt bonum, magnum &c., ut agat de bono, magno &c.; nam, ſicut habet oculos, ut videat, manus, ut palpet, & ſic de aliis, ita habet ipſam bonitatem &c., ut faciat bonum; & iſte finis, ſcilicet Corpus agere de bono per habitum virtutum eſt ordinatus in Corpore, ſicut in Anima, ita, quòd totum ſuppoſitum agat de bono virtualiter ſub ratione bonitatis &c. Animæ & Corporis; quando autem agit de malo, tunc Corpus peccat mediante ſuppoſito, quia eſt pars ſuppoſiti.

4. Quandoque Corpus excitat Animam ad malam actionem, & tunc eſt occaſio peccati, dum ſenſualitas movet Animam ad inhoneſtum deſiderium, & ſic de aliis; hæc eadem vel ſimilis occaſio peccandi eſt in Anima, quando Anima movet Corpus ad illicita; & ita alterum iſtorum eſt contra alterum, & è converſo, & per conſequens contra ſémet ipſum, dum peccat, & quodlibet tendit contra finem.

QUÆSTIO LXXV.

Quomodo Anima intelligat ſeparatas Subſtantias?

1. SOlutio. Ad hoc, ut Anima intelligens in Via attingat ſeparatas Subſtantias, generat de intellectualibus phantaſmatibus verbum iſto modo: ſecundùm quòd Anima eſt conſtituta de bonitate, magnitudine &c., aggregat & attrahit de bonitate &c. phantaſias, reducens eas ad memoriam, intellectum & voluntatem, & de his tribus conſtituit unum eſſe, videlicet ſeparatam Subſtantiam; igitur cum iſto phantaſtico verbo denudato ab imaginatione ſpeculatur intellectus in ſpeculo rationativæ Animæ ſeparatas Subſtantias, ſcilicet Angelum vel Animam Petri; & ſic de aliis.

2. Anima abſolutè aſſumit & attingit bonitatem &c. intellectûs, memoriæ & voluntatis, & per conſequens totius animæ, ût dictum eſt; deinde ſpecificat vel particulat illam huic Angelo vel huic Animæ, quem vel quam audivit proprio nomine nuncupari, ût Michaël vel Anima Petri; & iſto modo intelligit hunc Angelum vel hanc Animam, ſpeculans in verbo, quod produxit, ut poſſit ſpeculari hanc ſeparatam Subſtantiam.

3. Anima in Via intelligit ſeparatas Subſtantias per earum modum eſſendi, ût dictum eſt; earundem operationes autem ſpeculatur ſimili modo, ſcilicet bonificare, magnificare &c.; nam Anima ſpeculans aliud, ſecundùm quòd ipſámet eſt, & ſecundùm quòd agit, influit verbum ſibi ſimile, in quo ſpeculatur, quidquid de ſeparatis Subſtantiis intendit intelligere, vel quantum ad earum modum eſſendi, vel agendi.

4. Sicut Anima in imaginabili verbo ſpeculatur aliquod ſenſibile, ſic in intelligibili verbo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

verbo ſpeculatur ſeparatam Subſtantiam; nam, ſicut Anima producit imaginabile verbum ſubjectum imaginativo de ſimilitudinibus objecti ſenſibilîs, intelligibilîs, recolibilîs, amabilîs vel odibilîs, ita ſimili modo producit intelligibile verbum ſubjectum intellectivo, ſecundùm quòd verbum attingit ſeparatas Subſtantias, id eſt, ſimilitudines earum & propriam naturam ſubſtantiarum; veruntamen non attingit illas, ſicut ſenſus attingit ſenſibile in Via, ſed in Patria attingit eas immediatè ſinè verbo, tamen mediante Viſione & Gloriâ DEI; aliter Magnitudo DEI deficeret ſuæ Viſioni & Gloriæ in Bonitate & Poteſtate; quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO LXXVI.

Quomodo Habitus Scientiæ conſiſtat inter Potentiam & Actum?

1. SOlutio. Habitus Potentiæ intelligitur *duobus modis*, quorum *primus* eſt, quando habitus eſt in potentia, priuſquam ſit in actu; *ſecundus* eſt, quando habitus exiſtens in potentia eſt in actu, unde reducitur in potentiam; & de iſtis duobus modis fit quæſtio; & ad primum dicimus, quòd DEUS creaverit habitum in potentia, & ſubjectum illius eſt Anima mediante recolentiâ, intelligentiâ & volentiâ; illa verò, de quibus habitus eſt aggregatus & compoſitus, ſunt ſpecies & phantaſiæ & ſimilitudines, ſive ſint intellectuales, ſive ſint ſenſuales, de quibus Anima poteſt formare verbum vel ſenſuale & imaginabile, vel ſpirituale; & hoc eſt manifeſtum ſecundùm virtutem potentiæ ſenſitivæ, imaginativæ & intellectivæ, quæ ſunt formæ, & ſecundùm virtutem paſſionis & impreſſionis ſenſibilîs, imaginabilîs & rationabilîs.

2. Dum Habitus eſt in potentia, ſicut primo modo dictum eſt, reducitur duobus modis ad actum, quorum unus eſt per influentiam DEI ſinè acquiſitione & ſucceſſione, alius verò eſt, quando habitus reducitur ad actum per acquiſitam ſcientiam, ita, quòd Anima inveſtigat rerum ſpecies & ſimilitudines ſenſuales & intellectuales, & format phantaſticè quoddam verbum exiſtens in actu, & poſtea reducens illud in habitualem potentiam format aliud verbum, deinde ſimiliter declinat illud, & format aliud, & ſic generativè procedit de verbo in verbum, donec habitus ſcientiæ ſit completus, & ſit perfectus in potentia Animæ; & cùm de habituali potentia iterum ducitur ad actum, individuatur aliqua pars illius, influens in actum ſimilitudinem illius habitûs, qui eſt in habituali potentia: unde, quando habitus ſcientiæ eſt perfectus, conſiſtit quoad univerſale in habituali potentia, & particulariter reducitur ad actum; nam potentiæ animæ in uno tempore non poſſunt habere omnes phantaſias & verba, de quibus per particulares acquiſitiones univerſalis habitus eſt compoſitus.

3. Rationativum conſervat in ſuo proprio rationabili habitum univerſaliter conſiſtentem in habituali potentia vel id, quod de pluribus particularibus reductis ad actum confectum eſt in habituali potentia; dum autem aliqua pars illius habitûs de potentia reducitur ad actum, tunc extrahitur de rationabili, ita, quòd rationativum formet aliquod particulare verbum de univerſali habitu producto exiſtente in proprio ſubjecto ipſius rationativi; & ſi illud particulare ſit ſenſibile, reducitur vel per imaginativum vel ſenſitivum in actum; ſi autem ſit ſimpliciter intelligibile vel ſpirituale, ſinè omni imaginabili vel ſenſibili phantaſia reducitur in purum intellectum.

4. Sicut in imaginativa potentia remanet ſenſibilis imago, ſic in habitu ſcientiæ remanent ſpecies verborum & ſimilitudines phantaſiarum, de quibus ille habitus in anima eſt confectus; & ideo, quando aliqua pars ipſius habitûs reducitur ad actum, tunc ſimilitudo illius primæ partis, de qua unà cum cæteris partibus ille habitus eſt conſtitutus, reducit ſimilitudinem alterius in actum, ita videlicet, quòd tranſmutetur & alteretur numerus cujuslibet particularîs actûs, ita, quòd quidam de ſimilitudinibus venit in actum altero revertente in privationem; quod etiam quaſi ſimiliter patet in ſpeculis, quia una imago hujus numero ſpeculi non eſt imago, quæ eſt in alio ſpeculo, licèt illæ duæ imagines ſint faciei unius hominis.

QUÆ.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LXXVII.

Quomodo Intellectus, cùm ſit Univerſalis, poſſit intelligere Particularia?

1. SOlutio. Humanus Intellectus eſt Ens aggregatum de intellectivo & intelligibili & de divinis ſimilitudinibus, ût dictum eſt, igitur intellectus in principio format & conſtituit habitum ſcientiæ de pluribus ſimilitudinibus, ût dictum eſt, & attrahens particulariter illas ſimilitudines attrahendo modò hanc phantaſiam, modò illam generat verbum, & reducit illud ad habitum; & hoc modo intellectus eſt univerſalis, in quantum format habitum ſcientiæ, qui eſt univerſalis; & ſicut illum de pluribus particularibus ſucceſſivè multiplicavit, ita per ipſum ſucceſſivè deſcendit ad plura particularia.

2. Bonitas habet ſe multis modis in intellectu, nam alia bonitas eſt illa, per quam intellectus eſt bonus, & alia bonitas eſt illa, per quam magnitudo intellectûs eſt bona; hoc idem ſimiliter eſt de duratione, poteſtate &c. intellectûs; ſic igitur bonitas intellectûs eſt una in ſe, id eſt, in radice, particulata tamen in plures formas; & quod dicimus de bonitate intellectûs, id idem eſt intelligendum ſuo modo de ipſius magnitudine &c.; & ideo intellectus eſt ens naturaliter conſtitutum univerſale, in quo ſimilitudines plurimorum particularium clauſæ exiſtunt: unde ex his manifeſtatur modus, quo intellectus exiſtens univerſalis habet naturalem inclinationem ad particularia ſucceſſivè diſcernenda.

3. Quando intellectus intelligit aliquod univerſale, convenit, quòd memoria recolat illud univerſale, & ita intellectus intelligens univerſale intelligit particulare, ſcilicet actum memoriæ & ſuum actum, qui ſunt particularia; hoc autem intelligere eſt valde ſecretum & difficile intellectu, ſicut difficile eſt intellectu, quòd actus aquæ ſit infrigidans, dum ignis per calorem eam facit fervere in olla: eſt quidem manifeſtum, quòd aqua infrigidet, quamvis ſ~~ervet~~ *erveat* calida, aliter enim eſſet impoſſibile, quòd reſiſteret igni, quod eſt falſum; veruntamen illa frigiditas & infrigidare non ſunt nobis per ſenſum nota: ita ſimiliter nec actus memoriæ & intellectûs ſunt nobis noti, quando ſeſe particulariter accipiunt pro objectis, accipientes particularia exteriora objecta, ût prædictum eſt.

4. Intellectivum in ſuo proprio intelligibili attingit remotum intelligibile, & per illud attingendo conſequitur aliud magìs remotum intelligibile; & ita intellectivum in ſuo proprio & univerſali intelligibili naturaliter univerſaliter & particulariter per remotum intelligibile ſucceſſivè attingit magìs remotum intelligibile; ſicut viſivum in ſuo proprio viſibili attingit remotum viſibile, nam una pars in aëre immediatè participat cum oculo & cum altera parte in aëre, & illa altera pars cum altera parte, & ſic ſucceſſivè, id eſt, particulariter continuatur videre de parte in partem, ſed univerſaliter per continuam lineam uſque ad objectum.

QUÆSTIO LXXVIII.

Utrùm Anima poſſit intelligere ſinè Phantaſmate?

1. SOlutio. Anima alio modo intelligit in Via, & alio modo in Patria; nam in Via Anima nunquam poteſt intelligere remotum intelligibile ſinè vel ſenſuali vel intellectuali phantaſmate; in Patria verò attinget DEUM intelligibiliter ſinè ullo phantaſmate, ut DEUS ſit magìs objectabilis Animæ; nam DEUS eſt ſinè comparatione magìs fixum Objectum & magìs immediatè apprehenſum ab Anima, quàm color à viſu, quem viſus attingit ſinè phantaſmate; aliàs color eſſet magìs objectabilis, quàm DEUS; quod eſt impoſſibile.

2. Intellectivum Animæ attingens ſuum proprium intelligibile intelligit bonitatem, magnitudinem &c., de quibus ſuus intellectus eſt compoſitus; & ideo, dum eſt in Via, attingit in ſe cum phantaſmate, ut illud ſit medium inter actus, de quibus ſuum intelligere eſt conſtitutum, quâlibet formâ influente ſuum ſimile, ſcilicet bonitate bonificare, & ſic de aliis: nam iſto modo formar intellectus verbum aggregatum de ſimilitudinibus per intellectualem modum phantaſticum, ſinè quo verbo Anima in Via non poſſet intelligere DEUM.

3. Anima in Gloria intelligit ſinè phantaſmate, nam ipſa intelligendo DEUM ſinè phantaſmate intelligit ſe ſinè phantaſmate, ut influentia DEI & exemplar Eſſentiæ & Dignitatum DEI non deficiant magnitudini intellectûs; aliàs ipſa magnitudo deficeret

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ret magnitudini Gloriæ Animæ, & per conſequens Magnitudo Gloriæ DEI Magnitudini Juſtitiæ Gloriæ Animæ; quod eſt manifeſtè impoſſibile.

4. Sicut ſenſibilis imago remoto ſenſitivo remanet habituata in imaginativa, ſic in Patria imaginabilis imago remanet habituata in intellectu; igitur Anima in Patria mediante illâ retentâ imagine, quæ eſt phantaſia, attingit inferiora, licèt non importet imaginativam, quæ eſt de natura ſenſibilium rerum; nam intellectiva Anima derelinquit imaginativam, dum ſeparatur à mortuo corpore, quod probatur in ſequenti Quæſtione.

QUÆSTIO LXXIX.

Utrùm mortuo Homine Imaginativa remaneat in Anima?

1. SOlutio. Imaginativa eſt ſubjectum, in quo ſenſibilia objecta habituantur in abſentia ſenſitivi, & intellectus, dum eſt in Via, ab imaginativa abſtrahit & memoria conſervat ſenſibilia imaginabilia & phantaſiabilia objecta; quando autem intellectus eſt in Patria, imaginatio remanet habituata in intellectu, quam habituavit ipſe intellectus, dum fuit in Via; unde, quando intellectus ſeparatur à corpore, non indiget recedere cum imaginativa potentia, quia illi ſufficit, quòd illam habeat in habitu; nam, ſicut per habitum ſcientiæ poteſt intelligere præterita, ſimiliter per habitum imaginationis poteſt deſcendere ad intelligendum ſenſibilia.

2. Si rationalis Anima, dum ſeparatur à corpore, ſimul recederet cum imaginativa potentia, non omnino ſe denudaret à natura corporis, cùm imaginativa ſit potentia conſtituta de bonitate corporeïtatis &c., nam ejus finis ad hoc eſt datus, ut imaginetur res ſenſibiles, quæ ſunt de natura corporeïtatis: ergo mortuo homine Imaginativa non remanet in Anima.

3. Dum Anima in Patria eſt in ſuo Fine, qui eſt DEUS, intelligit intelligibilia & ſenſibilia objecta, ad hoc enim eſt creata; & ita in virtute illius finîs, quare Anima eſt creata, intelligit ſpiritualia & corporalia; igitur in Patria non indiget corporeo inſtrumento vel corporeæ naturæ, quia illi deficeret virtus prædicti finîs; quod eſt impoſſibile: ergo mortuo homine Imaginativa non remanet in Anima.

4. Sicut humanus viſus ſinè imaginativa attingit imaginem pictam in pariete vel faciem repræſentatam in ſpeculo, ſic & multò meliùs in Sapientia DEI intellectus attingit in Patria ſenſibilem imaginem ſinè imaginativa; hoc idem ſimiliter ſequitur de bonitate &c., quas intellectus habet in Patria; nam aliter inter viſum & viſibile eſſet major proportio & propinquitas, quàm inter Bonitatem &c. DEI, & bonitatem &c. Animæ.

QUÆSTIO LXXX.

Utrùm poſſit fieri major Affirmatio & Demonſtratio de intellectualibus Rebus, quàm de ſenſualibus Rebus?

1. SOlutio. Quia DEUS eſt Ens intelligibile, & non ſenſibile, poteſt fieri major affirmatio & demonſtratio de intellectuali Ente, quàm de ſenſuali; & hoc eſt per ſe manifeſtum, ut intelligibile affirmativè & demonſtrativè habeat Concondantiam cum Majoritate, ſenſibile verò cum Minoritate; ſed quoad receptionem illius affirmationis & demonſtrationis ſenſibile faciliùs capitur, quàm intelligibile, ſed hoc eſt per accidens, id eſt, per ſenſum, quia ſenſus habet majorem concordantiam cum minori receptione, quàm cum majori, cùm ipſe ſenſus ſit conſtitutus de minoribus reſpectu intellectivæ potentiæ.

2. Sunt *tres Modi* Demonſtrationis, quorum primus eſt *per Æquiparantiam*, ſecundus *per Quid*, tertius *per Quia*, Majoritas autem Bonitatis, Magnitudinis &c. eſt demonſtrabilior per Æquiparantiam, quàm per alios duos modos, quia fit per Æqualitatem Bonitatis, Magnitudinis &c. ſinè Majoritate & Minoritate; ſed quia potiſſimè in DEO eſt Æqualitas, & non inæqualitas, & quia æqualitas etiam in rebus ſenſualibus & intellectualibus eſt major, quàm inæqualitas: ergo poteſt fieri major affirmatio & demonſtratio de intellectuali, quàm de ſenſuali.

3. Veritas eſt Major in intellectuali ſubjecto, quàm in ſenſuali; ſed veritas eſt objectum intellectûs, atque etiam bonitas &c. ipſius veritatis: ergo bonitas intellectûs & magnitudo &c. illius habent majorem Concordantiam cum bonitate intellectualîs objecti, quàm ſenſualîs; & ideo intellectus naturali-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

turaliter meliùs poteſt recipere & invenire & etiam attingere verum ſecundùm ſuam naturam, quàm ſecundùm alienam naturam : ergo poteſt fieri major affirmatio & demonſtratio de intellectuali re, quàm de ſenſuali.

4. Quia, ſicut prædictum eſt, DEUS eſt intelligibilis, eſt creatum intellectivum, & ſunt creata omnia intelligibilia entia; & ideo reſpectu Principii, Medii & Finîs, quare eſt intellectivum Animæ, & quare ſunt intelligibilia, manifeſtatur, quòd poſſit & debeat fieri major affirmatio & demonſtratio de intellectualibus rebus, quàm de ſenſualibus; aliàs Divina Juſtitia & Sapientia eſſent contra magnitudinem prædicti Finîs Medii & Principii ; quod eſt impoſſibile: ergo poteſt fieri major affirmatio & demonſtratio de intellectuali re, quàm de ſenſuali.

QUÆSTIO LXXXI.

Quomodo Anima appetat ſuum Finem intra ſe & extra?

1. SOlutio. Dum Anima eſt in Via, appetit ſuum Finem per alium modum, & per alium, quando eſt in Patria; nam, quando eſt in Via, appetit naturaliter priùs ſuum finem in ſe, quàm extra ſe; ſicut intellectus citiùs & priùs appetit intelligere ſuum proprium intelligibile, quàm remotum; nam, ſicut intellectus per ſenſum attrahit remotum intelligibile, ſcilicet ſenſibile ad ſuum propinquum intelligibile, ita, quòd remotum intelligibile ſe habeat ad finem, & propinquum intelligere ſit finis, ita anima incipit ſuum appetitum à ſe ipſa ad perfectionem ſuæ bonitatis, magnitudinis &c., attrahens remotum perfectibile ad ſe, ut ſe perficiat, ſicut per ſe manifeſtè patet.

2. Dum Anima eſt in Patria, appetit naturaliter priùs ſuum finem extra ſe, ſcilicet in DEO, quàm in ſe; cùm DEUS ſit Finis illius; ſic igitur in Bonitate &c. DEI appetit habere Finem ſuæmet bonitatis &c., & ex illo Fine deinde habet in ſe perfectionem; nam priùs debet appetere majorem Finem, quàm minorem, ne ſit contra Magnitudinem Juſtitiæ Bonitatis &c.; quod eſt impoſſibile.

3. Anima, dum eſt in Via, appetit ſuum finem in virtutibus, quæ non ſunt de eſſentia illius, ſcilicet in Fide &c., atque in ſenſu, ût in viſu &c., & ſic de cæteris appetibilibus, quæ non ſunt de eſſentia illius; iſte appetitus autem reſpectu finîs incipit extrà, & reducitur intrà, quia finaliter intrà incipit naturalis appetitus, qui eſt, ut Anima habeat perfectum ratiocinari, & corpus perfectum ſentire in juſtitia ad hoc, ut in ſe ſit perfecta agendo ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.

4. Dum Anima eſt peccatrix in Via, agit plùs in contrarium ſui appetitûs, quàm, ſi eſſet virtuoſa, id eſt, ſinè peccato; nam ipſa appetit ſuum finem extra ſe, videlicet divitias, delectationes corporis, honores & hujusmodi, & talia optat mediantibus divitiis, nec poteſt & nunquam poterit in Via ſatiari, quia ejus appetitus eſt inordinatus, & contrarius naturæ ejuſdem; & ideo, quantò plus habet, tantò plus appetit, & quantò plus appetit, tantò magìs eſt vacua fine & perfectione; id idem ſimili modo eſt in illa & multò fortiùs in Inferno, nam appetit contrarium, videlicet ſuum finem in ſe, & non extra ſe, videlicet in DEO; & ita nunquam habet & nunquam habebit, quod appetit, & nunquam poterit ſaturari.

QUÆSTIO LXXXII.

Quomodo Intellectus attingat Sacramentum Altaris.

1. SOlutio. Eſt Manifeſtum, quòd intellectus in imaginatione, ubi conſiſtunt phantaſiæ, attingat ſenſibile objectum in tempore præterito; igitur multò meliùs poteſt attingere Sacramentum Altaris in Dignitatibus DEI, videlicet in Bonitate, Magnitudine &c.; & quia etiam Bonitas, Magnitudo &c. in ſumma Majoritate ſunt recolibiles, intelligibiles & amabiles: ideo attingit intellectus magnum bonificare, magnum durare, magnum poſſe, & ſic de aliis in Sacramento Altaris, ita, quòd non poſſit attingere Actus, ſcilicet Bonitatis, Magnitudinis &c. JESU Chriſti excellentiores ſuper naturalem operationem.

2. Intellectus naturaliter attingit formam & materiam & accidentia Panîs mediante ſenſu, Tranſubſtantiationem verò illius Panîs in Carnem Chriſti attingit mediante Divinâ Voluntate volente illum ſic tranſubſtantiari ad hoc, ut humano intellectui magìs manifeſtentur Actus Divinarum Dignitatum, cùm Voluntas DEI diligat illos in majori Magnitudine, quam creatura poſſit

(c) 2006 Ministerio de Cultura

recipere & ſub illis pati; nam, niſi Divina Voluntas diligeret ſuos actus adeò magnos, ût dictum eſt, deficeret illi Magnitudo Bonitatis &c. in diligendo; quod eſt impoſſibile: igitur patet modus, per quem intellectus in Divina Voluntate & Magnitudine volendi attingat Sacramentum Altaris, ita, quòd ſenſus attingat accidentia panîs, cùm ſint ſenſibilia, in quo ſenſu permanent, ſicut præterito tempore coloratum permanet in imaginativa; nam illa accidentia non habent ſubjectum Pane tranſmutato in Carnem, ſed potiùs, cùm ſint ſenſibilia, ſubjectum, in quo remanent, eſt humanus ſenſus; præterea intellectus attingit formam & materiam tranſubſtantiati Panîs in imaginatione in præterito tempore, cùm ſint imaginabiles, attingit autem quoad Finem Sacramenti formam & materiam Carnis Chriſti ſecundùm Divinam Voluntatem, ût dictum eſt.

3. Intellectus in Pane Hoſtiæ attingit creatam bonitatem, magnitudinem &c., & in Carne Chriſti ſimiliter creatam bonitatem, magnitudinem &c.: unde attingit ſimilitudines iſtarum duarum ſubſtantiarum; & ideo attingit, quòd una ſimilitudo tranſubſtantietur in aliam, ſcilicet bonitas &c. Panîs in bonitatem &c. Carnis; & attingit, quòd tempus, quantitas, locus, motus quoad ſimilitudines Panîs pertineant ad ſenſum & imaginationem, in quibus rationaliter permanent, dum attingit Corpus Chriſti in realitate actuum Dignitatum DEI, ita, quòd Immenſitas DEI vincat quantitatem & locum, atque Æternitas tempus & motum, & ſic de bonitate &c., quæ vincit quantitatem bonitatis loci &c.; nam infinitum poteſt attingere & vincere finitum.

4. Intellectus attingit *tres gradus* Operationis, in quibus DEUS agit, quorum primus eſt in Operatione, quam DEUS habet in ſe, Patre generante Filium &c.; alius gradus verò & præ cæteris infimus eſt in operatione, quam DEUS habet in creaturis, dans eis eſſe & naturam operandi, in qua illas regit & conſervat; alius gradus verò eſt minor, quàm primus, tamen major, quàm infimus, & hic eſt in illa operatione, quæ non eſt adeò nobilis, ſicut prima, eſt tamen nobilior, quàm ſecunda ſcilicet naturalis; quia hæc eſt miraculoſa, in qua actus Divinarum Dignitatum ſuperattingunt & devincunt actus naturæ: unde in hac media operatione, videlicet in bonitate &c. reſpectu ipſius operationis atque in majoritate ſui principii, medii & finîs & concordantiæ attingit intellectus Sacramentum Altaris, ſinè quo intellectus non poſſet intelligere majorem magnitudinem operationis in prædictis terminis.

QUÆSTIO LXXXIII.

Utrùm Liberum Arbitrium ſit de Eſſentia Animæ individuatum in Potentiis Animæ?

1. SOlutio. DEUS Pater cum libertate ſuæ Bonitatis, Magnitudinis &c. producit Filium, & ſpirat Sanctum Spiritum de ſuâmet libertate ſubſtantialiter, non autem accidentaliter, ita, ut Magnitudo libertatis non deficiat Bonitati, Magnitudini &c.; & ex hoc declaratur, quòd Liberum Arbitrium Animæ ſit de Eſſentia Animæ, ut Anima habeat majorem ſimilitudinem DEI & Dignitatum ejus, & ut meliùs de ſua libertate poſſit illo frui; nam aliter DEUS deficeret bonitati, magnitudini &c. ſui effectûs & ſuarum ſimilitudinum, quod eſt impoſſibile: ergo Liberum Arbitrium eſt de Eſſentia Animæ individuatum in Potentiis Animæ.

2. Sicut ſuperiùs dictum eſt de Anima & de potentiis ejus, eſt manifeſtum, quòd liberum Arbitrium, ſicut cæteræ formæ vel eſſentiæ potentiarum, videlicet bonitas, magnitudo &c., individuetur in potentiis Animæ; nam divinæ ſimilitudines, ſcilicet bonitas, magnitudo &c. Animæ conſtituunt eſſe Animæ, & diſtinguunt in potentias, ita, quòd bonitas &c. Animæ individuata in magnitudine, & è converſo, conſtituat memoriam & alias duas potentias; atque memoria & cæteræ duæ conſtituentes ſubſtantiam Animæ ſunt liberæ ſpirituales naturæ, ut ipſa tota Anima ſit in libertate eſſendi & agendi, & ut, ſicut Anima eſt libera, ita ſit libera unaquæque ſuarum potentiarum per ſe; nam aliter Anima eſſendo & agendo non poſſet habere perfectam libertatem: igitur per hæc manifeſtatur, quòd liberum Arbitrium ſit diſtinctum per potentias Animæ.

3. DEUS eſt æqualiter recolibilis, intelligibilis & amabilis; & ideo convenit, quòd Anima in ſuis potentiis habeat liberum Arbitrium; ut liberè poſſit DEUM recolere, intelligere & amare; hoc autem non poſſet Anima de tota ſua entitate & natura, nec de totis ſuis potentiis & virtutibus earum, niſi Anima unà cum ſuis potentiis eſſentialiter eſſet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſſet conſtituta de libertâte, & illa libertas eſſet diſtincta in potentias Animæ, ſicut quælibet ſimilitudinum DEI, ût ſuprà dictum eſt; nam aliter deficeret magnitudo libertatis in bonitate, magnitudine &c. recolitivi & recolibilîs, intellectivi & intelligibilîs, & volitivi & volibilîs; quod eſt impoſſibile & contra Magnitudinem Divinæ Bonitatis &c.: ergo Liberum Arbitrium eſt diſtinctum per potentias Animæ.

4. Memoria ita indiget habere meritum recolendo, & intellectus intelligendo, ſicut voluntas volendo, & è converſo; unde, ſi Liberum Arbitrium tantùm conſiſteret in una potentiarum, ita, quòd non in altera, deſtrueretur meritum in illa potentia, in qua non eſſet Liberum Arbitrium; & per conſequens Juſtitia DEI non poſſet æqualiter juſtificare, nec eſſet perfecta, nec æqualiter recolibilis, intelligibilis & amabilis, quod eſt impoſſibile: ergo manifeſtum eſt, quòd Libertas æqualiter ſit in qualibet potentiarum, quamvis noſtra ratio plùs apprehendat libertatem ex voluntate, quàm ex intellectu vel memoria.

QUÆSTIO LXXXIV.

Utrùm Liberum Arbitrium poſſit cogi?

1. SOlutio. Quia DEUS eſt in Summitate recolibilis, intelligibilis & amabilis ſuper omne ens, non vult Poteſtas illius, quæ eſt idem cum Juſtitia & Nobilitate ejusdem, quòd Liberum Arbitrium Animæ poſſit cogi; & hoc per ſe manifeſtè patet: veruntamen Anima, cùm Liberum Arbitrium illius in ſe ſit particulatum, ût prædictum eſt, particulariter poteſt illud cogere, non autem abſolutè; ſicut apparebit in ſequentibus Rationibus.

2. Quando memoria plùs utitur ſuo officio, quàm cæteræ potentiæ, tunc plùs inducit ad actum illas ſimilitudines, de quibus ipſa eſt conſtituta, quàm cæteræ potentiæ, ita, quòd ſuum recolere ſit in majori magnitudine, quàm intelligere & velle; & ita memoria cogit intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad diligendum objectum magìs memoratum, quàm intellectum & dilectum, ſicut manifeſtè patet in ſuperbo, qui plùs recolit ſuum honorem, quàm intelligat & diligat illum; nam, ſi æqualiter recoleret, intelligeret & diligeret illum, non eſſet ſuperbus, & magìs diligeret Honorem DEI, quàm proprium honorem, quia intellectus eſſet liber ad intelligendum, & voluntas ad diligendum magìs Honorem DEI, quàm hominum.

3. Quando avarus plùs recolit bonitatem, magnitudinem &c. pecuniæ, quàm bonitatem, magnitudinem &c. DEI, tunc intellectus plùs eſt coactus ad intelligendum pecuniam, & plùs ad ignorandum DEUM; inſuper memoria cogit intellectum ad intelligendum vel ignorandum, dum cogit voluntatem ad frequenter diligendum pecuniam, quod eſt, quia memoria plùs recolit illud objectum & ejus circumſtantias, quàm aliud; hoc idem ſimiliter eſt intelligendum circa alia objecta, ſicut in memoria recolente plùs filium vel uxorem vel epulas vel inimicum, & ſic de aliis. Igitur ex hoc exemplo patet modus, per quem memoria cogit intellectum & voluntatem; hoc idem ſimiliter è converſo eſt intelligendum; nam quandoque intellectus vel voluntas cogunt cæteras potentias à ſe victas.

4. In homine obſtinato in erroribus memoria & voluntas devincunt intellectum, ita, quòd intellectus non habeat libertatem inveſtigandi verum & falſum; nam homo obſtinatus in errore nec vult ſupponere verum nec falſum pro utraque parte; & hoc patet ſecundùm *Artem Demonſtrativam* ſeu *Inventivam;* nam recolens falſum & odiens verum in contrario recolit & diligit tantùm objectum, quod ſuus intellectus nec verum nec falſum realiter intelligit, niſi fortè intentionaliter tantùm. Intellectus ſimiliter cogit voluntatem, dum auxiliante memoriâ illam cogit, quòd ſupponat verum vel falſum; voluntas autem ſimiliter diligens vel odiens Fidem cogit & devincit memoriam & intellectum. Igitur altera potentiarum cogit & ſuperat alteram, prout communis Libertas Animæ plùs uni illarum, quàm alteri, ſe communicat in actione & paſſione propter activas & paſſivas formas ſimilitudinum, de quibus Anima & ejus potentiæ ſunt conſtitutæ.

QUÆSTIO LXXXV.

Utrùm Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium poſſint eſſe ſimul?

1. SOlutio. Dicendum eſt verum, quòd Sapientia DEI & Juſtitia ejus quælibet ſit perfecta,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

perfecta, quarum perfectio eſt una & eadem numero, & ideo ipſa Sapientia & ipſa Juſtitia & ipſa Perfectio ſunt quælibet æterna & immenſa & è converſo etiam una Æternitas & Immenſitas in Bonitate &c.; & ideo convenit, quòd Liberum Arbitrium & Prædeſtinatio vel Præſcientia ſimul ſint in homine prædeſtinato vel præſcito; aliter actus Scientiæ & Juſtitiæ DEI non eſſent æqualiter in earum effectibus, quod eſt impoſſibile & contra Magnitudinem Bonitatis &c. Juſtitiæ & Sapientiæ DEI: ergo Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium poſſunt eſſe ſimul.

2. In reali ratione hæc prædicatio eſt vera: Sapientia DEI eſt perfecta: igitur per conſequens, ſi Sortes eſt prædeſtinatus, ſalvabitur; aliter Sapientia DEI perfectè ignoraret ſalvationem Sortis, quod eſt impoſſibile; & ex hoc in rationali intentione ſinè re oritur quædam falſa negatio, quæ eſt: ſi Sortes ſalvatur, eſt impoſſibile, quòd damnetur, ergo non habet Liberum Arbitrium; ſed hæc negativa eſt contra actum perfectæ Juſtitiæ, ex cujus actûs perfectione hæc affirmativa verè neceſſariò ſequitur: ſi Juſtitia DEI eſt perfecta, Sortes poteſt damnari & ſalvari, aliter non haberet meritum gloriæ nec pœnam culpæ, naſm Juſtitia non poſſet perfectè in illo agere, quod eſt impoſſibile; ſed ex illa affirmatione neceſſariò vera facta de Juſtitia oritur ſecundùm intentionariam rationem, non autem realem, quædam falſa negativa contra perfectam Sapientiam DEI, & eſt hæc: Si Sortes habet Liberum Arbitrium ad ſalvationem & damnationem, Sapientia DEI ignorat, an ſequatur ſalvatio Sortis vel damnatio; ſic igitur Sapientia DEI eſt imperfecta, quod eſt impoſſibile: ergo duæ affirmativæ, quarum una propter perfectam Sapientiam DEI, & altera propter perfectam Juſtitiam DEI procedit, ſunt veræ, duæ autem negativæ ex illis duabus affirmativis ortæ ſunt falſæ; nam duæ affirmativæ concordant cum Dignitatibus DEI, duæ negativæ verò contrariantur illis; ergo neceſſariò iſta duo, ſcilicet Prædeſtinatio vel Præſcientia & Liberum Arbitrium, ſimul ambo ſunt vera in homine.

3. Si Sortes eſt prædeſtinatus, ſalvabitur, & habet libertatem ad damnationem: ſed hoc non intelligitur in verbo compoſito ex phantaſiis contrariis, ût nunc prædictum eſt, ſcilicet ex contrarietatibus duarum prædictarum affirmationum & duarum negationum, aliâ affirmativarum exiſtente contra aliam propter negativas, atque aliâ negativarum exiſtente contra aliam propter affirmativas; ſed ſubjectum vel objectum, in quo veritas hujus quæſtionis intelligitur, conſiſtit in vero verbo conſtituto de ſimilitudinibus duarum affirmativarum ſinè ſimilitudinibus negativarum; nam ſimilitudines affirmativarum ſunt veræ propter perfectam Juſtitiam & Sapientiam DEI, & ſimilitudines negativarum ſunt impoſſibiles propter imperfectam Juſtitiam & Sapientiam DEI.

4. Si Divina Sapientia ſcit Sortem prædeſtinatum, ſcit ipſum prædeſtinatum magìs, quia Voluntas Sapientiæ hoc vult *per modum Gratiæ* Magnitudinis Bonitatis & Largitatis &c. DEI, quàm *per modum bonæ operationis* ipſius Sortis, nam ſempiterna gloria eſt major, quàm meritum Sortis; unde ex hac vera poſitione declaratur, quòd, licèt DEUS elegerit Sortem ad Gloriam, nihilominùs ipſum poſſit revocare quoad liberam Voluntatem ipſius DEI; nam, ſicut illum liberaliter elegit, ita eundem liberaliter poteſt revocare; & ita Sortes eſt in libero Arbitrio vel ſalvationis vel damnationis: ſi eſt in libera via ſalvationis, habet Liberum Arbitrium ſalvationis, in quantum Sapientia DEI ſcit, quòd ſit prædeſtinatus, & in quantum ipſe Sortes agit de bono, ut Juſtitia ſatisfaciat illi pro bono; ſi autem Sortes eſt in libera via damnationis, poteſt damnari, quia Voluntas DEI eſt libera, & poteſt eum revocare à ſe, etiam, ſi ipſum revocat à ſe, Sortes poteſt tantum de malo agere, quòd eum remittat in poſſe damnari, & tunc damnatio ejus eſt, quia agit de malo; nam, ſi damnatio ejus eſſet, quia Voluntas DEI eum non eligit, ipſa Voluntas eſſet cauſa damnationis ipſius in dimittendo ipſum damnari, priusquam ageret de malo, & tunc Voluntas DEI eſſet ab æterno contra ſuámmet Juſtitiam, quod eſt impoſſibile. Igitur iſto modo manifeſtatur, quòd Sortes habeat Liberum Arbitrium Salvationis vel damnationis; ſed ipſum dividitur in potentiam & actum; dividitur in potentiam, in quantum Sapientia ſcit, quòd Sortes ſit prædeſtinatus, ſi vult, & ſic habet Liberum Arbitrium damnationis in potentia, quod reducitur ad actum, ſi Voluntas DEI illum vult derelinquere, & ſi Sortes agit de malo; Liberum Arbitrium autem ſalvationis, quod Sortes habet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

habet in potentia, non reducitur ad actum, ſi Sortes condemnatus liberè veniat ad damnationem, & liberè deducitur ad actum, quod Sortes habet in potentia; & iſto modo Juſtitia poteſt illum judicare. Hoc etiam in contrario ſequitur oppoſito modo, ſcilicet, ſi Sortes ſit in Libero Arbitrio ſalvationis; nam, ſi ſalvetur, venit ad actum id, quod erat in potentia, & hoc mediante Gratiâ DEI, & mediante bonâ operatione Sortis, nec illa potentia, quam habet damnationis, reducitur ad actum, ut ſequatur id, quod ſcit Sapientia DEI, & vult Voluntas DEI, & quod bona opera Sortis meruerunt. Quælibet potentia autem Liberi Arbitrii, & ea, quæ reducitur ad actum, & ea, quæ non pervenit ad actum, ſunt æquales, ut Divina Juſtitia poſſit juſtificare. „Sed hoc in„telligere eſt valde difficile, quia ad hoc in„telligere ſunt quædam puncta valde alta „& tranſcendentia, quæ per modum *Artis* „*Demonſtrativæ* ſeu *Inventivæ* leviter at„tinguntur.

QUÆSTIO LXXXVI.

Utrùm quinque Univerſalia & decem Prædicamenta ſint aliquid realiter extra Animam?

1. Solutio. In Divina Eſſentia eſt una Bonitas, una Magnitudo, & ſic de aliis; veruntamen in ipſa Eſſentia ſunt plures Perſonales Bonitates, plures Magnitudines, & ſic de aliis, ita, quòd Bonitas, quæ eſt Pater, ût Pater non eſt Bonitas, quæ eſt Filius ût Filius, hoc idem ſimiliter ſequitur de Bonitate, quæ eſt Sanctus Spiritus, ita, quòd in Bonitate Deitatis per alium modum Bonitas eſt Paternalis, per alium modum Bonitas Filialis, & per alium modum Bonitas eſt Proceſſionalis; & ex hoc ſignificatur, quòd in rebus naturæ ſint realiter quinque Univerſalia & decem Prædicamenta, ut effectus ſit magìs ſimilis ſuæ Cauſæ; nam aliter deficeret Magnitudo DEI ſuis ſimilitudinibus in Majoritate Bonitatis &c.; quod eſt valde inconveniens.

2. Si genus, ſubſtantia &c. ſunt realiter, una bonitas eſt principium, id eſt, genus, cui ſubſtant in naturalibus ſpecies, ſicut bonitas hominum, bonitas leonum, dactilorum & ſic de metallis; & unaquæque bonitas cujuslibet ſpeciei habet ſub ſe individuatas bonitates, ſicut bonitatem Sortis, bonitatem Platonis, & ſic de aliis; hoc idem ſequitur de genere & differentia; & propter hoc ſub una proprietate ſunt plures proprietates, & ſub uno accidente multa accidentia, & ſub una ſubſtantia multæ ſubſtantiæ, & ſub una quantitate multæ quantitates, & ſic de aliis; & ita, ſi ſunt quinque Univerſalia & decem Prædicamenta realiter, hoc, quod eſt ſuperius principium univerſale, regit individua ſub ſe, & inducit ea ad naturale agens ſub illis ſpeciebus & generibus, in quibus ipſa individua ſunt; & ſic Principium, Medium & Finis ipſorum individuorum conſequuntur in Majoritate bonitatis &c.: ergo quinque Univerſalia & decem Prædicamenta ſunt aliquid realiter extra Animam.

3. Anima generat verbum, ût jam dictum eſt, ita, quòd intentio naturaliter conſtituat genus, ſpeciem &c.; aliter non poſſet generare verbum, nec uti phantaſmatibus; & ideo, ſi prædicta Univerſalia & Prædicamenta ſunt in re, id eſt, ſecundùm rem, Anima attingit realiter ſimilitudines Univerſalium & Prædicamentorum; & hoc modo fit proportio inter realitatem & rationem in Majoritate Concordantiæ Principii, Medii & Finîs; ſi autem Prædicamenta & Univerſalia non ſunt realiter, id, quod non eſt in re, eſt occaſio formandi in intentione ſimilitudines, ita, quòd Anima, donec falſo modo habeat univerſale ſubjectum, non poſſit intelligere vero modo; ſed hoc eſt inconveniens & contra proportionem Principii & Finîs inter ſimile & ſimile: ergo quinque Univerſalia & decem Prædicamenta ſunt aliquid realiter extra Animam.

4. Si Univerſalia nihil ſunt extra Animam, ſequitur, quòd in mixto elementato non poſſit eſſe tam magna diſtinctio, tam magna concordantia, & tam magna contrarietas, ita, quòd ibi non erit aliquod univerſale, niſi naturale agens, quod ſinè univerſali regulat & diſponit mixtum; & ita particulares partes in mixto deficiunt in majoritate naturalis bonitatis, magnitudinis &c.; nec naturale agens habet adjutorium ad ordinandum ſuppoſitum naturæ, nec corruptibiles partes tranſmutabiles in aliud ſuppoſitum ſunt regulatæ à ſpecie realiter, ſed ſolùm intentionaliter; & hòc totum eſt valde inconveniens: ergo quinque Univerſalia & decem Prædicamenta ſunt aliquid realiter extra Animam.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LXXXVII.

Utrùm Anima lapſa in peccatum poſſit per ſe ſurgere?

1. SOlutio. In DEO eſt Bonitas, Magnitudo &c., quæ ſunt multùm recolibiles, intelligibiles & amabiles, & ad hoc eſt Anima creata, ût ſuprà dictum eſt; unde, quando Anima eſt lapſa in peccatum, ſua bonitas eſt contra Divinam Bonitatem, & ſic de aliis; & ideo Divina Juſtitia attingit Animam in tanta Magnitudine Judicii, quòd ipſa per ſe non habet poteſtatem ſurgendi, quia bonitas, poteſtas &c. illius ex parte finîs ſunt deſtructæ: ergo Anima per ſe non poteſt ſurgere de peccato, quia Juſtitia Divinæ Bonitatis &c. deficeret in Magnitudine Judicii; quod eſt impoſſibile.

2. In Anima eſt bonitas, magnitudo &c., nam ex his principiis ſive formis eſt Anima conſtituta, ût ſuprà dictum eſt; & in quolibet principio ſive forma illius eſt ejus libertas naturaliter & eſſentialiter, cùm liberum arbitrium ſit de ejus eſſentia, ût ſuprà dictum eſt; propter illud peccatum autem, in quo Anima jacet, attingit Divina Juſtitia illam libertatem, ita, quòd Anima per ſe non poteſt ſurgere; quia, ſi poſſet per ſe ſurgere, actus Divinæ Juſtitiæ non contradiceret libertati Animæ, quia libera Anima commiſit peccatum, ſed libertas Animæ eſſet major, quàm actus Juſtitiæ; quod eſt impoſſibile: ergo Anima per ſe non poteſt ſurgere à peccato.

3. Quia in Anima eſt libertas eſſentialiter, videtur, quòd poſſit uti ipsâ libertate ſurgendo per ſe de peccato; ſed quia eſt differentia inter libertatem & liberè agere, tunc non poteſt id, quod conſiſtit in libertate, reduci ad actum, quando libertas eſt perverſa in injuriam, in malitiam, in imperfectionem, & ſic de aliis, ita, quòd principiorum ipſius Animæ alterum eſt contra alterum, quia ſunt contra finem, quare ſunt creata; & ita Anima, cùm ejus principia propter peccatum ſint inordinata, non poteſt per ſe ſurgere de peccato, nec ſurgendo uti ſuâ libertate, & eſt, ſicut intellectus, qui propter maximam iram vel ſomnum vel infirmitatem non poteſt intelligere.

4. Quando DEUS propter ſuam Miſericordiam vult, quòd homo ſurgat de peccato, tunc permittit, quòd bonitas &c. Animæ utatur ſuâ libertate in recolendo & intelligendo peccatum, in quod cecidit, usque ad actum voluntatis; tunc, ſi voluntas liberè ſe diſponat ad odiendum illud peccatum, ſic, ut ſit apta uti libertate in bono, tunc DEUS permittit libertatem Animæ ire per omnes formas & potentias ipſius Animæ; & tunc, quia DEUS dimittit & diſponit libertatem in recolentia, intelligentia & in volentia ad actum libertatis ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c., tunc Anima propter auxilium DEI, & quia ſe habet liberam ad contritionem, & diligit bonum &c., habet in hoc meritum, & DEUS utitur ſuâ maximâ Miſericordiâ in parcendo.

QUÆSTIO LXXXVIII.

Quare DEUS dimittit unam Animam ad Damnationem, & eligit alteram ad Salvationem?

1. SOlutio. Divina Sapientia attingit ab æterno omne id, quod eſt: ergo attingit quamcunque Animam, ſive ſit ad damnationem, ſive ad ſalvationem, tamen diverſimodè; nam illam, quam eligit ad ſalvationem, attingit cum Voluntate volente eam ſalvari & cum Juſtitia propter merita bonorum operum ſalvandæ Animæ, maximè tamen attingit illam Voluntas volens eam liberè ſalvare, id eſt, potiùs ex Gratia, quàm propter meritum illius; nam propter merita non lucramur tantam Gloriam, quantam ex ſola Gratia ſupra meritum addit Divina Voluntas; veruntamen de damnata Anima non eſt ſic, quia, ſicut Voluntas DEI attigit eam ad ſalvationem, ad quam creavit eam, ita Sapientia & Juſtitia DEI attigerunt eam ad damnationem, quia Sapientia vidit peccata illius, & Juſtitia ſic dimiſit illam operari.

2. Voluntas DEI creavit liberam Animam, quæ eſt damnanda, non ad finem damnationis, ſed potiùs ad finem ſalvationis; libera Anima verò peccavit, & deviavit ab illo fine, quare fuit creata; ſi igitur Divina Voluntas cogeret illam Animam, reducens illam ad illum finem, quare creavit eam, cogeret ipſos actus Juſtitiæ DEI, & per conſequens ipſius Juſtitiam & Juſtitiæ ac etiam Animæ Libertatem; & hoc modo Voluntas accidentaliter eſſet contra ſémet ipſam, & contra Magnitudinem Bonitatis &c. Juſtitiæ DEI, quod eſt impoſſibile: unde patet, quare

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quare DEUS permittat aliquam Animam damnari, alteram verò eligat ad ſalvationem.

3. Divina Voluntas, tamen mediante Bonitate &c., eligit & permittit, aliter deficeret in Magnitudine Bonitatis &c., quod eſt impoſſibile; ex hoc ergo patet, quòd in Voluntate DEI plus poſſit ſuámet Bonitas, Magnitudo &c., quàm bonitas, magnitudo &c. ſui effectûs; nam, quando ejus effectus eſt illi rebellis & contrarius converſus in malitiam & odium adversùs ſuum Principium vel Præmium, tunc Voluntas permittit, quòd Juſtitia in illum agat cum Magnitudine Bonitatis &c. ſecundùm juſtam retributionem ſuorum operum; & ex hoc patet, quomodo DEUS perdat peccatricem Animam.

4. DEUS non eligit unam Animam, nec dimittit alteram, in quantum unaquæque Anima eſt bona, magna &c. quoad ſuum eſſe, ſed eligit unam illarum, & dimittit alteram, in quantum una agit de bono, alia verò agit de malo: unde, quòd una illarum eligatur, altera verò dimittatur à DEO, eſt per modum agendi Animæ, non autem per modum eſſendi; & hoc eſt manifeſtum per ſe in Magnitudine Divinæ Juſtitiæ Bonitatis &c.

QUÆSTIO LXXXIX.

Utrùm Anima poſſit tantum mereri, quantum demereri?

1. SOlutio. Anima, in quantum creatura, eſt bona, magna &c., & ſic tota eſt ordinata ad habendum meritum, nam ad hoc eſt creata; & ita ſecundùm actum eſſendi & finem, quare eſt creata, poteſt Anima plus mereri, quàm demereri, nam omnia principia Animæ, ſcilicet bonitas &c., ſunt ordinata ad agendum bonum, magnum &c.; igitur, quando Anima peccat, non poteſt omnia ſua principia pervertere in contrarium, niſi ſolùm per modum agendi, non autem per modum eſſendi; ſic ergo non poteſt tantum demereri, quantum mereri; nam Anima non poteſt vertere ſuam bonitatem eſſendi in malitiam, ita, quòd ſit malitia eſſendo: tamen poteſt actum bonitatis vertere in malitiam, & ita per accidens ipſa bonitas eſt mala; ſed quia eſt major concordantia in Anima inter ſuum actum eſſendi bonitatis & actum bonitatis, ſcilicet agere de bono, quàm inter accidentalem malitiam & malificare: ergo Anima poteſt plus mereri per hoc, quod eſt majus, quàm per hoc, quod eſt minus.

2. Anima poteſt per DEUM & per ſe ipſam mereri Gloriam, & per ſe ipſam tantùm, non autem per DEUM, poteſt demereri Gloriam, cùm DEUS ſit juſtus, bonus &c.; & ita Anima plus poteſt per DEUM & per ſe, quia DEUS auxiliatur illi, quàm per ſe tantùm; tamen plus poteſt demereri per ſe tantùm, quàm mereri; nam per ſe tantùm poteſt mereri pœnam, quod eſt demereri Gloriam; ſed per ſe tantùm nunquam poteſt mereri Gloriam, quia ſinè auxilio & Gratia DEI merita non attingunt Gloriam: ergo Anima per ſe poteſt cadere in culpam & pœnam, non autem ſurgere.

3. Omne agens plùs poteſt agere mediante Concordantiâ, quàm mediante Contrarietate; nam Concordantia eſt in Majoritate Finîs, ſed Contrarietas, in quantum mala, eſt contra Finem; & ideo, quando Anima agit de bono, Concordantia eſt inter bonitatem & bonificare, magnitudinem & magnificare, & ſic de aliis, & inter bonitatem & magnitudinem, bonitatem & magnificare, magnitudinem & bonificare, & ſic de aliis; ſed dum Anima agit de malo, totum eſt in oppoſitum, & ſic eſt Contrarietas inter alterum principium & alterum: & ex hoc patet, quòd poteſtas Animæ ſe non poſſit tantum communicare in demereri, quantum in mereri bonum,

4. Poteſtas Animæ poteſt plus de ſua bonitate, magnitudine &c. in recolere, intelligere & velle bono, magno &c., quàm malo, parvo &c.; poteſt etiam plus per virtutes, quàm per vitia, & per *eſſe* & perfectionem, quàm per privationem & defectum, & per verum, quàm per falſum, & ſic de aliis; ergo poteſt plus mereri bonum, quàm demereri. Igitur eſt mirandum, quare ſint plures homines, qui non merentur bonum, quàm qui merentur illud, cùm Majoritas & *eſſe* ſimul conveniant, Minoritas verò & *non eſſe*.

)✝(

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO XC.

Quomodo Ratio deficiat à Realitate?

1. SOlutio. Omne reale ens eſt ſubſtantialiter creatum & conſtitutum de ſimilitudinibus DEI, ſcilicet bonitate, magnitudine, duratione &c., ſicut homo, leo, planta &c.; Ratio autem conſtituit verbum de ſimilitudinibus realis entis, nec tamen Ratio poteſt attingere tantum Realitatis, quantum eſt in objecto: igitur iſto modo deficit Ratio, quia non poteſt judicare tantum de objecto, quantum objectum eſt.

2. Priuſquam Ratio poſſit judicare de re, intellectiva inveſtigat & attrahit phantaſmata in ſuum proprium intelligibile, recolitiva verò recipit illa in ſuum proprium recolibile, & recepta & in intellectu habituata miniſtrat intellectui, deinde volitiva recipit bene diſpoſitum & ordinatum judicium recolitivi & intellectivi in ſuum proprium volibile; ſed inter tot media, ſcilicet intellectivi, recolitivi &c. concurrunt multa accidentia, quæ impediunt plenum judicium, propter quod impedimentum Ratio non poteſt ita perfectè agere de Realitate rei, ſicut ipſa Realitas in re conſiſtit.

3. Rationativum Rationis non poteſt tantum ratiocinari de extrinſeco rationabili, quantum de intrinſeco; nam rationativum habet majorem proportionem cum ſuo proprio rationabili, quàm cum remoto rationabili; ſed quia rationativum agit ſuper ſuum proprium rationabile ſinè remoto rationabili, quia per ipſum aſſumit ſenſibile, & per ſenſibile imaginabile, ideo non poteſt de realitate tantum ratiocinari, quantum ipſa realitas eſt; quod eſt propter maximam diſparationem & diſtantiam, quæ eſt inter Realitatem & Rationem, id eſt, inter propinquum rationabile & remotum.

4. Ratio impeditur quandoque propter maximam vel minimam voluntatem vel memoriam, vel propter ignorantiam, vel propter modicam, vel nimiam imaginationem perturbantem quandoque intellectum, quando voluntas vult imaginari inimaginabilia, vel quando vult attingere imaginabilia ſecundùm actum imaginativi, vel quia intellectus ignorat de corpore, quid dicatur per nomen. Igitur ex his impedimentis & aliis his ſimilibus patet modus deficientis Rationis à Realitate.

QUÆSTIO XCI.

Quomodo rationalis Anima ſeparetur à Corpore?

1. SOlutio. Vegetabile, ſenſibile, imaginabile & rationabile ſunt conſtituta ſub fine, qui eſt homo; igitur homo eſt quid ab his quatuor compoſitum; quando autem id, quod in homine eſt rationale, videlicet Anima, ſeparatur ab aliis tribus, disjungitur ab illis in contrario modo, per quem illis fuit conjuncta; & ita Anima ſeparatur à corpore disjungendo & ſeparando ſuam bonitatem &c. à bonitate corporis &c.

2. Vegetativa, ſenſitiva & imaginativa ſucceſſivè generantur, aliter in earum generatione non eſſet motus, nec naturalis operatio, nec per conſequens ſucceſſivè tenderent ad corruptionem, nec earum corruptio eſſet ſucceſſiva, nec homo feneſceret, nec pateretur infirmitatem vel famem vel alia his ſimilia, quod eſt impoſſibile; ſed de intellectiva Anima non eſt ita, nam ipſa non creatur ſucceſſivè, ſed in inſtanti; & ſicut infunditur in corpus in inſtanti, ſic ſeparatur à corpore in inſtanti; & ſicut à corpore ſeparatur in inſtanti, ſic vegetativa, ſenſitiva & imaginativa corrumpuntur in inſtanti, poſtquam finis illarum, quare erant, & in quem exiſtebant, ſcilicet homo corrumpitur in inſtanti; nam hâc Animâ ſepatatâ privatus eſt hic homo, ſed Anima ſeparatur in inſtanti: ergo homo privatur in inſtanti; & ſi homo privatur in inſtanti, neceſſariò vegetativa & ſenſitiva & imaginativa illius hominis corrumpuntur in inſtanti; quæ, ſi remanerent, vel ſucceſſivè corrumperentur, attingerent in aliqua parte finem humanitatis, nec per conſequens humanitas eſſet corrupta in inſtanti; quod eſt impoſſibile.

3. Anima, quantum eſt de ſe, non eſt occaſio ſuæ ſeparationis à corpore, cùm ipſa ſit incorruptibilis, ſed corpus eſt occaſio ſeparationis illius, quia eſt corruptibile, cùm ipſum ſit compoſitum de contrariis qualitatibus, & per conſequens de contrariis elementis; & quia vegetativa eſt corruptibilis, ideo Anima per accidens eſt ſeparabilis à corpore.

4. Sicut ſenſitiva & imaginativa mediante vegetativâ ſunt generabiles, ſic mediante eâdem ſunt corruptibiles, & quando ſenſitiva & imaginativa ſunt corruptæ, ſeparatur Ani-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Anima in inſtanti à corpore; ergo ſenſitiva & imaginativa mediante vegetativâ ſunt occaſio & principium ſeparationis Animæ à corpore; & ita, quando Anima recedit, derelinquit, quidquid eſt corruptibile & corporale vel de natura corporis, recedens talis quoad ſuum eſſe, qualis fuit infuſa corpori, videlicet incorruptibilis & immortalis; corpus autem, quod ipsâ Animâ remanet privatum, ſucceſſivè corrumpitur; nam illius materia appetit aliam formam, ut per illam attingat aliquem finem, ut elementa, ubicunque ſint, non remaneant otioſa.

INCIPIUNT QUÆSTIONES Imaginativæ.

QUÆSTIO XCII.

Quomodo Imaginativa ſit conſiderabilis?

1. SOlutio. Imaginativa eſt imago Animæ Intellectivæ, Senſitivæ & Vegetativæ, habens in ſe *tres potentias* vel *ſpecies*, videlicet ſimilitudinem Intellectivæ, ſimilitudinem Senſitivæ & ſimilitudinem Vegetativæ. *Prima* habet *tres potentias*, ſcilicet *memorativam*, *æſtimativam* & *appetitivam*; memorativa eſt imago memoriæ, æſtimativa imago intellectûs, & appetitiva imago voluntatis. Similiter & *ſecunda ſpecies* habet *quinque potentias*, videlicet imaginem vel ſimilitudinem cujuslibet quinque ſenſuum, ſicut patet; nam Imaginativa habet imaginem viſibilis rei, & ſimilitudinem audibilis ſoni (& ſic de aliis hujusmodi) imaginando videlicet memorando, æſtimando, appetendo vel abhorrendo viſibile, audibile & ſic de aliis phantaſmatibus; phantaſma autem dicimus eſſe objectum cujuslibet potentiæ imaginationis, ſive ſit poſſibile ſive impoſſibile in re, ût niger vel albus corvus, hinniens vel loquens equus, olens vel fœtens moſchus, amarum vel dulce mare, calidus vel frigidus ignis, & ſic de aliis ſimilibus alicui iſtorum. Similiter etiam *tertia ſpecies* Imaginativæ habet imaginem vel ſimilitudinem cujuslibet potentiæ Vegetativæ animæ, quia *memorativa, æſtimativa & appetitiva* imaginando attingunt imagines potentiarum illius, ût *potentiæ nutritivæ, conſervativæ, augmentativæ & generativæ*, & ſic de aliis; & ût etiam imaginem figuræ & caliditatis, & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

2. Eſſentiæ Imaginativæ ſunt hæ ſimilitudines, videlicet bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas &c., quæ ſunt ſimilitudines Intellectivæ, Senſitivæ & Vegetativæ, ita videlicet, quòd bonitas, & ſimiliter unaquæque aliarum, alio modo ſit imago Intellectivæ, alio modo Senſitivæ, & alio modo Vegetativæ, ſecundùm quòd iſtæ potentiæ ſunt diverſæ in proprietatibus; & de his ſimilitudinibus ſunt ſecundæ intentiones, ſcilicet genus & ſpecies &c. & decem prædicamenta; & hæc, ſcilicet genus & ſpecies &c. & decem prædicamenta ſunt ſimilitudines primarum intentionum, videlicet realis bonitatis & realis magnitudinis &c. realis Intellectivæ & realis Senſitivæ & Vegetativæ, & quo modo iſtæ potentiæ ſunt reales eſſentiæ, ſic ſuo modo eſt intelligenda realis eſſentia in DEO & in Angelis, & in Firmamento, & omni, quod eſt.

3. In Rationali Imaginativa eſt imago, ut Rationativa in ea per ſimilitudinem attingat realia entia, de quibus ipſa eſt imago, & cætera, quæ per eam indiget attingere, ſicut Intellectiva, quæ attingit ſuam ſimilitudinem bonitatis, magnitudinis &c. in bonitate, magnitudine &c. Senſitivæ & Vegetativæ; ſicut oculus, qui attingit ſuam imaginem in ſpeculo; poſtea Rationativa attingit, quòd ſua bonitas ſit alia ab illa ſimilitudine, quæ ipſi eſt ibi imago ſuæ bonitatis, & ſic diſcernit, quòd ſit diverſa ab illa phantaſia eo modo, ſicut judicat, quòd imago oculi retenta in ſpeculo ſit ſimilitudo oculi, & non oculus; & iſto modo Rationativa facit, quòd generetur verbum per phantaſiam in ſua imagine; & hoc idem facit, dum attingit ſenſibilia & vegetabilia reflexa ſupra ſuâ imaginationem.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

4. In bruto est *Imaginatio* sive *communis sensus* judicativus, in quantum habet similitudinem Intellectivæ Animæ, per quam similitudinem movet Sensitivam & Vegetativam imaginando illa, quæ indiget sentire, ut nutriatur & conservetur vel generetur Vegetativa, ipsâ imaginatione retinente speciem per *memorativam*, & judicante illam per *æstimativam* & per *appetitivam* appetente vel abhorrente illam, sicut plantam vel animal vel calidum, & sic de aliis; hoc autem manifestè patet in cane investigante cervum vel leporem vel perdicem vel aliquod istorum similium. Sic igitur attrahit sibi brutum species, quibus indiget, de primis intentionibus in secundis imaginando locum, tempus, motum, figuram & cætera his similia, prout indiget suum esse conservare, sed ex eo, quòd non est aptum natum ad habendum Intellectivam Animam, non habet per modum habitûs scientiæ secundas intentiones, quas habet, sicut etiam Rationale, sed tantùm per modum vivendi.

Secundùm ea, quæ nunc de Imaginatione dicta sunt, manifestatur, quomodo ipsa Imaginatio sit considerabilis; hæc positio autem, quam de ipsa fecimus, etiam est probabilis & demonstrabilis secundùm discursum *Artis Demonstrativæ*, sicut & aliæ positiones, quæ sunt scriptæ sub rubricis hujus Libri.

QUÆSTIO XCIII.

Utrùm Imaginativa sit à Generante vel à Creante?

1. SOlutio. Quomodo Imaginativa sit imago & ens aggregatum de primis similitudinibus, dictum est superiùs; sed in animalibus rationalibus & brutis est Imaginativa, in quantum est imago creata & habituata in generante producente suas similitudines intentionales secundarias; sicut homo generans sensatum & vegetatum, videlicet prolem suæ speciei, generat suum simile imprimendo Sensitivam & Vegetativam in suum simile, & per consequens similitudines earum, de quibus Imaginativa est constituta; & etiam similitudines Rationativæ, videlicet bonitatem, magnitudinem &c., quæ sunt in Sensitiva & Vegetativa, de quibus Rationativa attrahit suas ingenitas similitudines; sicut intellectus de pulchritudine & bonitate illius imaginis oculi, quam ipse oculus videt in speculo, attrahit per phantasmata suas secundas intentiones; & hoc per se manifestè patet.

2. In Rationali generante rationalis Anima non producit suam imaginem, corpus autem vel totum suppositum generans per viam generationis producit imaginem rationalis Animæ, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. corporis generati; sed memorativa, æstimativa & appetitiva, quæ sunt primæ species Imaginationis, non sunt generatæ neque creatæ in ipso generato corpore, nam sufficit, quòd in illo sit una memoria, unus intellectus & una voluntas, quæ sunt una creata ingenita Anima; sed quia in generato rationali sunt similitudines rationalis Animæ, videlicet bonitas, magnitudo &c. sensibiles & vegetabiles, attrahit rationalis Anima de illis similitudinibus suas similitudines, videlicet bonitatem, magnitudinem &c., quas habet intellectuales, quas etiam ipsa Anima attingit in sua imagine, videlicet in bonitate, magnitudine &c. sensibili; & tunc ipsa Anima phantasticè attingit ipsam rationalem bonitatem, quam habet in se, in imagine illius bonitatis, generans intellectuale verbum; & similiter facit de sensuali verbo, sed sensuale verbum creatum est in habitu, & habitus generatur in generatione Imaginationis.

3. In bruto generans generat omnes supradictas species, de quibus Imaginatio est constituta & composita; nam in generando bonitatem, magnitudinem &c. sensatam & vegetatam induit de sua bonitate, magnitudine &c. memorativam, æstimativam & appetitivam bonitatem, magnitudinem &c. memorativæ, æstimativæ & appetitivæ, ita, quòd generans sub ratione primæ speciei Imaginationis generat primam speciem, & sub ratione secundæ secundam, & sic de tertia; sicut sub ratione visûs visum, & sub ratione auditûs auditum, & sic de aliis hujusmodi. Si autem in brutis prima species Imaginationis non esset à Generante, sed potiùs à Creante, brutum attingeret corporalia entia præter naturam suî ipsius & ipsorum entium; & prima species Imaginationis bruti permaneret post mortem ipsius bruti, quia esset incorruptilis, sinè merito & sinè culpa & sinè aliqua intentione finîs; quod est impossibile & contra Divinam Justitiam.

4. Intellectiva Anima, in quantum est activa & motiva, est Imaginativa, movens se in

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in ſua imaginatione attrahente de ſua imagine ſuas ſimilitudines, hæc Imaginativa autem ſic motiva & activa non eſt à generante, ſed potiùs à Creante, cùm ſit ipſa eadem Intellectiva Anima; ſed Imaginativa paſſiva aggregata ex ſupradictis tribus ſpeciebus eſt à generante; & hoc ideo dicimus, ne æquivocatio communis imaginationis nos inducat in confuſionem; nam dicimus, quòd Imaginativa brutorum omnino ſit à generante, ut omnino ſit corruptibilis, nihil permanens mortuo bruto.

QUÆSTIO XCIV.

Utrùm Imaginativa ſit activa & paſſiva Potentia?

1. SOlutio. Imaginativa eſt activa & eſt paſſiva, activa quidem, quando movet Senſitivam imaginans objectum, per quod Senſitiva movetur ad delectationem vel afflictionem, quod fit, dum homo imaginatur delectationem vel per tactum vel per guſtum, & ſic de aliis; quia tunc etiam Imaginativa movet Senſitivam, & Senſitiva Vegetativam ad illam delectationem; & è contrario, dum imaginatur pœnam, quam ſibi timet accidere, tunc etiam Imaginativa eſt cauſa, quare Senſitiva ſentit afflictionem affligens Vegetativam; ſed dum Intellectiva movet Imaginativam ad imaginandum vel delectationem vel pœnam, tunc etiam Imaginativa eſt paſſiva ſub Intellectiva.

2. Sicut ſuprà dictum eſt, Imaginativa eſt ens aggregatum de ſimilitudinibus; igitur in hoc, quòd Imaginativa eſt aggregata de ſimilitudinibus, eſt paſſiva, influentibus Intellectivâ, Senſitivâ & Vegetativâ ſuas ſimilitudines in eam, ſed objectivè eſt activa per ſimilitudines, ipsâ Imaginativâ movente ſuas ſimilitudines, videlicet entia differentia per primarias intentiones, & occaſionatas ad motum per ſecundarias intentiones; quod patet in homine imaginante ſuam entitatem vel ſuam eſſentiam, dum imaginatur ſecundarias cauſas, videlicet ſuas ſimilitudines influxas ad hoc, quod eſt; nam per has ſecundarias ſimilitudines movent ſe partes, de quibus totus homo eſt compoſitus.

3. Voluntas movet manum, manus martellum, martellus verò clavum; & iſto modo quædam agunt & patiuntur ſimul mediante motu ſecundùm varios reſpectus; ſic ſimiliter Imaginativa eſt paſſiva ſub Intellectiva, ſed activa ſuper Senſitivam, & per conſequens Senſitiva paſſiva ſub Imaginativa agit ſuper Vegetativam; contrario ordine autem habet eſſe reſpectu alicujus alterius actûs finîs; ſicut ſimiliter patet in clavo, quia neceſſitas eſſendi clavi movet clavum ad eſſe, eſſe autem clavi movet martellum ad ſe, & martellus ad ſe manum, & manus ad ſe voluntatem: unde ſimiliter iſto modo Imaginativa eſt paſſiva, quando Vegetativa indiget caliditate vel frigiditate vel aliquo alio per modum appetendi vel retinendi, vel digerendi vel expellendi; & ſic ipſa Vegetativa movet Senſitivam ad ſentiendum, & Senſitiva Imaginativam ad imaginandum; & quia Imaginativa in rationali animali non poſſet imaginari ſinè Intellectiva, eſt neceſſarium, quod Intellectiva vitaliter moveat ſuum velle.

4. In brutis Imaginativa eſt activa, quia movet Senſitivam & Vegetativam cum illis ſimilitudinibus, quas habet, & Intellectivę, videlicet cum memorativa, æſtimativa, appetitiva, & ideo, quando Senſitiva & Vegetativa eorum patiuntur indigentiam, tunc movet talis indigentia earum ſimilitudines, ſcilicet ſecundam & tertiam ſpeciem Imaginativæ, & tunc iſtæ duæ ſpecies vel potentiæ Imaginativæ occaſionant movere primam, in cujus motu movetur ipſum brutum per ſecundas intentiones ad hoc, quod indiget de primis intentionibus; & hoc manifeſtè patet in bruto, ſicut quando leo indiget comedere vel bibere, tunc patitur Vegetativa, & per conſequens Senſitiva, ex qua paſſione multiplicantur ſecundariæ ſimilitudines in imaginatione ipſius leonis imaginantis comeſtibilia & potabilem fontem vel torrentem & alia objecta ſibi competentia, nam hæc ſunt objectabilia & impreſſibilia in prima ſpecie imaginationis, & tunc leo mediante primâ ſpecie ſe movet, movens ſuam Senſitivam ad ſentiendum, quando comedit, & per conſequens Vegetativam ad vegetandum, & ita debet vivere leo per induſtriam, quam naturaliter habet, & ita debet uti potentiis ſuæ Imaginativæ; ſimiliter in pugnando cum aliis animalibus, & ſimiliter etiam in aliis, & in generando prolem.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO XCV.

Quomodo Intellectiva per Imaginativam sumat Objecta?

SOlutio. Objecta Intellectivæ Potentiæ sunt multa & diversa, ût DEUS & Operatio & suæ Proprietates, Angeli, Firmamentum & ea, quæ continentur ab illo, ût Sol, Luna, stellæ, elementa, sensitiva corpora & infinita accidentia; DEUM autem accipit pro objecto per Imaginativam isto modo:

1. Intellectiva movet Imaginativam ad imaginandum divérsas similitudines DEI, quæ sunt sensibiles & vegetabiles, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. sensibilium & vegetabilium rerum; & has attingit Intellectiva, secundùm quòd Imaginativa illas imaginatur; his intellectis autem statim ascendit ad Bonitatem, Magnitudinem &c. DEI & ad Operationes ejus, quæ sunt omnino inimagibiles; & hoc modo denudat se Intellectiva omnino ab Imaginativa, quia istæ purè & simpliciter sunt solùm intelligibiles, illæ verò sensibiles, & per phantasmata occurrunt Intellectivæ; hoc idem sequitur de cæteris substantiis vel essentiis separatis.

2. Intellectiva in absentia sensuum movet Imaginativam ad coloratum vel calefactum, in qua videlicet Imaginativâ objectivè remanet coloratum vel calefactum (quod sensus priùs attigerunt) similiter etiam alia hujusmodi objecta, quia Imaginativa est imago sensibilium objectorum; & ideo Intellectiva movens Imaginativam attingit sensibilia objecta, quæ sunt ejus similitudines, attingens eorum similitudines in imagine eorum, sicut oculus attingit suam similitudinem in speculo, ferens se ipsum in suam similitudinem, quæ est habituata in speculo.

3. Sicut Intellectiva movens per sensibilia Imaginativam, quæ est imago sensibilium, attingit sensibilia, ût jam dictum est, ita simili modo, quando Intellectiva attingit intelligibilia scilicet se ipsam vel Voluntatem vel Memoriam vel aliquid hujusmodi cum ipsa Imaginativa, cùm sit imago corporalium entium, attingit Intellectiva similitudines illorum corporalium entium, in quibus similitudinibus, eò quòd Imaginativa est speculum & imago, est habituatum, quòd Intellectiva inde extrahat suas similitudines, quæ sunt intellectualium entium, sicut de corporali bonitate & magnitudine &c. intellectualem bonitatem, magnitudinem &c., donec ex illis similitudinibus intellectualium rerum Intellectiva formet & generet verbum, videlicet intelligere vel velle vel similitudinem DEI vel similitudinem Animæ vel intellectûs; & sic de aliis hujusmodi: & sic in aliqua hujusmodi intellectuali similitudine abstracta ab Imaginativa, in qua priùs fuit habituata, Intellectiva denudata ab Imaginativa intelligit intellectualia.

4. Imaginativa ita est imago Volitivæ & Recolitivæ, ut in illa imagine Voluntas diligat suum simile, videlicet velle, vel bonitatem, magnitudinem &c. volendi, & Memoria recolat suum simile, videlicet recolere, vel bonitatem, magnitudinem &c. recolendi, sicut est imago Potentiæ Intellectivæ, sed diversimodè, quia ipsa est imago Voluntatis secundùm officium Voluntatis, & imago Memoriæ secundùm officium Memoriæ, & similiter imago Intellectûs secundùm officium Intellectûs, ipso Intellectu habente officium attrahendi ab Imaginativa species per modum phantasmatum, similiter etiam Voluntate habente officium eligendi, & Memoriâ retinendi & conservandi, ut in actum veniat scientificus habitus, qui est in potentia in Imaginativa, in qua phantasiæ sive similitudines, de quibus ille habitus constituitur, sunt habituatæ, & reducuntur ad actum, quando Anima habet ipsum habitum scientiæ in actu.

QUÆSTIO XCVI.

Utrùm Imaginativa sit in Re vel in Ratione?

1. SOlutio. Homo & existens rationale ens & existens pictum ens in pariete utroque modo est realiter ens, & hoc est sensibile, & per consequens cætera his similia; sed similitudo, quæ est inter verum hominem & figuram hominis pictam in pariete, est solùm ens in Ratione, & subjectum hujus similitudinis est Imaginativa existens imago, in qua remanet illa similitudo tunc, quando illa figura non videtur ab oculis, sed recolitur & intelligitur: unde ex his patet, quòd Imaginativa sit reale ens, videlicet imago similitudinum offerentium se sensibus; quia si nihil esset, nisi in Ratione, esset impossibile, quòd Intellectiva in absentia sensuum posset attingere sensibilia.

Homo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. Homo in ſpeculo Imaginationis ad placitum habituat & ſituat chimæram, & producit eam, in quamcunque ſpeciem vult; ſed illa chimæra nihil eſt realiter, quia ſimilitudines, de quibus eſt compoſita, & partium ejus, ſunt in Ratione, & ſubjectum illius eſt ipſa Imaginativa, in qua ſunt apparentes ſimilitudines realium entium, videlicet qualitas, quantitas, corporeïtas, triangularitas, & ſic de aliis hujusmodi, ſinè quibus Intellectus in Imaginativa in Ratione non poſſet formare chimæram nec conſtituere partes ejus, quia chimæra ſic non haberet, in quo eluceſceret, & apparerent partes ejus, nec per conſequens forma illius.

3. Homo mediante ſpeculo videt ſuam faciem, & poſt hanc ſpeculationem abſente ſpeculo eſt alia ſpeculatio animæ ipſius hominis, quæ in Imaginativa ſpeculatur eandem faciem recolendo, intelligendo & volendo vel nolendo illam ſpeculationem; & ideo imprimitur ſecunda ſpeculatio in Imaginativa, ut prima ſpeculatio non pereat, ſed remaneat in Imaginativa ſimilitudo illius, quam Intellectiva in ipſa Imaginativa attingit, ſed ſinè Imaginativa non poſſet Intellectiva attingere illam ſimilitudinem: ergo eſt manifeſtum, quòd Imaginativa ſit reale ens, licèt ſit de ſecundariis intentionibus, & ſe habeat ad ſecundarias intentiones.

4. Imaginativa eſt ens conſtitutum & generatum de ſimilitudinibus realium entium, ût ſuprà dictum eſt, & per conſequens eſt imago ſimilitudinum habituatarum in ſe ipſa, & reducuntur ad actum, dum verbum generatur in ratione, cujus ſubjectum eſt ipſa Imaginativa, in qua priùs fuit in habitu, quàm eſſet in actu; igitur per Imaginativam reducitur prædictum verbum in actum; ergo niſi Imaginativa eſſet aliquid realiter, eſſet impoſſibile, quòd prædictum verbum reduceretur in actum, ût prædictum eſt; hoc etiam ſimili modo habet eſſe in brutis, quia in Imaginativa reducunt phantaſticè de potentia ad actum per *memorativam, æſtimativam & appetitivam.*

QUÆSTIO XCVII.

Quomodo Intellectus denudet ſuum Intelligere ab Imaginari?

1. SOlutio. Quoniam DEUS eſt intelligibilis, eſt Intellectus intellectivus, ût ſuprà dictum eſt, & in Imaginativa aſſumit ſimilitudines corporalium entium, cùm ipſa ſit imago illarum, ſicut prædictum eſt, & etiam tunc Intellectus intelligit, & Imaginativa imaginatur, ita, quòd componantur intelligere & imaginari, intelligente Intellectu illas ſimilitudines, quæ imaginantur, videlicet bonitatem vel ſubſtantiam & cætera hujusmodi corporalium rerum; ſed quia finis eſt, quòd Intellectus intelligat DEUM, & imaginari ſe habeat ad finem, tunc Intellectus disjungit intelligere ab imaginari, cùm Bonitas & Subſtantia DEI ſint inimaginabiles, & intelligit Bonitatem & Subſtantiam DEI mediantibus intellectualibus inimaginabilibus ſimilitudinibus, videlicet intellectualibus ſimilitudinibus Bonitatis, Magnitudinis &c. DEI; & ſic Intellectus denudat ſuum intelligere ab imaginari, ut aſcendat ad ſuum finem, ad quem non poſſet aſcendere, niſi ſuum intelligere denudaret à ſuo imaginari.

2. Intellectus diſtinguit inter intelligere & imaginari, quia ſunt diverſæ operationes; nam intelligere eſt ſimilitudo Intellectûs, & imaginari eſt ſimilitudo Imaginationis, in qua Intellectus attingit ſimilitudines ſenſualium rerum, imaginante Imaginativâ phantaſmata, & Intellectivâ attrahente illa phantaſmata ab Imaginativa; & quia hæ duæ diverſæ operationes, ſcilicet imaginari & intelligere, ſunt ad unum inimaginabilem & intelligibilem Finem, ideo, quando Intellectus habet hoc, quare priùs imaginatum imaginatur, videlicet illum ſuum finem, tunc Memoria obliviſcitur imaginari, & Voluntas odit illud, retinente Memoriâ & diligente Voluntate illum finem, videlicet ſpiritualem ſimilitudinem, quæ eſt bonitas, magnitudo &c. in ſeparatis ſubſtantiis, vel in potentiis ipſius Animæ, vel in unoquoque ſimpliciter intellectuali: ergo ex his patet, quomodo Intellectus ſuper Imaginationem attingat ſeparatas ſubſtantias & cætera intellectualia.

3. Homo recolit duos homines, qui ſunt mortui, vel plures, quos priùs viderat, dum vivebant; & imaginando & intelligendo diſtinguit illos duos homines; & poſt hanc Imaginationem Memoria recolit alterum iſtorum charitativum, alterum invidum, & quia charitas & invidia ſunt inimaginabiles, ideo, quando Memoria recolit Charitatem vel invidiam, Intellectus intelligit ſine imaginari, cùm in tanta diſtantia, quæ eſt inter intellectuale & ſenſuale, non poſſit apprehendere diverſa objecta; quod per ſe patet.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

4. Virtus est major intra substantiam, quàm in extremitatibus ipsius substantiæ, & ideo plus agit intra substantiam, quàm extrà; ita similiter Intellectus habet majorem virtutem in suo intelligere, quàm in suo imaginari, cùm intelligere sit proprium Intellectûs, & imaginari illi adhæreat per accidens; & ideo, sicut Voluntas, cui magìs proprium est diligere suum velle, quàm diligere ipsum recolere & intelligere, extollit suum velle, quando diligit ultra recolere & intelligere, sic Intellectus extollit suum intelligere ultra imaginari, quando intelligit inimaginabilia, scilicet separatas substantias sinè recolere & velle, & ipsum suum intelligere, & similiter quodcunque aliud intellectuale.

QUÆSTIO XCVIII.

Utrùm Intellectus sinè Imaginatione possit intelligere Immensitatem DEI & Operationes ejus?

1. SOlutio. Nullus cæcus à nativitate potest judicare de coloribus, nec Intellectus de DEO sinè Imaginatione; sed si cæcus priùs fuerit videns, sic potest per accidens in sua Imaginatione discernere colores, ita similiter & multò meliùs post Imaginationem potest Intellectus judicare de Immensitate DEI & de Operationibus ejus denudatus ab Imaginativa, ût in præcedente Quæstione dictum est, ipso Intellectu intelligente suámmet magnitudinem & suum intelligere, & insuper de suámet magnitudine & de suo intelligere facit intellectualem imaginem, in qua intelligit similitudinem Immensitatis DEI & immensificare ipsius, deducendo illam similitudinem Immensitatis & immensificare DEI per similitudinem bonitatis & bonificare DEI, & sic de aliis, sinè Imaginativa existente imagine corporalium similitudinum.

2. Imaginativa repræsentat Intellectui figuram & quantitatem sensibilium rerum, & ex hac repræsentatione Intellectus attrahit intellectualem quantitatem, faciens ex illa objectum, in quo intelligit similitudinem Immensitatis DEI, ita, quòd intelligat, quòd DEUS sit immensus vel infinitus intra & extra Firmamentum; & quia illa spiritualis objectabilis & repræsentativa quantitas potest esse objectabilis Intellectui quantitativè & etiam bonificativè, durativè, & sic de aliis, ideo Intellectus attingit in illa quantitate similitudinem Bonitatis, Magnitudinis &c. DEI, ita, quòd intelligat Immensitatem DEI in Bonitate, Magnitudine, Duratione &c. sinè Imaginatione, quia Imaginativa non potest esse ibi, ubi non est corporalis quantitas & figura &c., quæ sunt limitata & finita; sicut per se patet.

3. Intellectus intelligit in verbo, quod producit de intellectualibus rebus, sinè Imaginatione Immensitatem, quam DEUS Pater habet in se & in generando Filium & in spirando Sanctum Spiritum; hoc autem intelligit Intellectus in illa similitudine, quæ est inter ipsum verbum & Patrem & Filium & Sanctum Spiritum, ipso verbo formato de Similitudinibus Paternitatis, Filiationis & Spirationis, in quibus similitudinibus Imaginativa non habet locum nec aliquid proportionabile suo imaginari. Hoc idem eodem modo sequitur de Incarnatione Filii DEI, nam Intellectus intelligit illam in Virtute Bonitatis, Magnitudinis &c. DEI, nam in hoc, quòd Voluntas & Potestas sunt unum & idem, Potestas potest, quia Voluntas vult; & Voluntas vult Incarnationem Filii DEI, quia Magnitudo vult, quòd Potestas habeat magnum posse, & quòd Voluntas habeat magnum velle in agendo de creatura & super creaturam bonificando, magnificando &c.. Unde ad intelligendum istud necessariò convenit, quòd Intellectus sit denudatus ab Imaginativa, quia Dignitates & Actus earum non sunt imaginabiles in Productione Divinorum Suppositorum, nec in Incarnatione Filii DEI de Sancto Spiritu in Utero Virginis.

4. Divinus Intellectus non indiget Imaginatione ad intelligendum; unde creatus intellectus ascendens super Imaginationem denudat se ab illa, ut denudatus ab illa possit assimilare suum intelligere ipsi Divino Intelligere, & per consequens se ipsum ipsi Divino Intellectui; nam creatus Intellectus potest se denudare ab Imaginatione, ut sit magìs similis DEO; *& hoc est mediante Gratiâ & Influentiâ Increati Intellectûs plùs diligentis creatum intellectum in sua similitudine, quàm in dissimilitudine:* unde, sicut Increatus Intellectus, quando creat creatum Intellectum, non indiget imaginari ipsum creatum Intellectum, nec etiam quidquam aliud, cùm sufficiat, quòd Voluntas velit creare, & Sapientia intelligat ipsum creare; ita

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ita ſimiliter creatus Intellectus non indiget imaginari modum creandi, cùm ipſi ſufficiat intelligere illum modum in Virtute Dignitatum DEI per inimaginabilem Similitudinem, videlicet per velle, poſſe &c. creandi. Hoc idem ſimiliter ſequitur de Euchariſtia, quia non convenit imaginari modum, quomodo Corpus Chriſti poſſit eſſe eodem tempore in diverſis locis, nec etiam, quomodo ſit ſub ſenſibilibus accidentibus Hoſtiæ; quia modus, habitus & ſitus illius conſiſtit in Virtute Divinæ Voluntatis volentis illud ita eſſe, & poteſt, quia vult, & vult, quia Magnitudo Bonitatis &c. ſe communicat in majori ſimilitudine ſuî ipſius & aliarum Dignitatum DEI.

QUÆSTIO XCIX.

Utrùm Intellectus veriùs intelligat intelligibilia Objecta ſinè Imaginatione, quàm ſenſibilia cum Imaginatione?

1. SOlutio. Intellectus veriùs intelligit caliditatem corporis, quando ſenſitiva per tactum ſentit caliditatem, quàm dum intelligit phantaſticam ſimilitudinem caliditatis per imaginationem ſubjectam illi ſimilitudini, ût per ſe patet: unde eſt manifeſtum, quòd, ſicut homo ſe habet ad Intellectum reſpectu corporeæ naturæ, ita ſimiliter reſpectu intellectualis naturæ Intellectus veraciùs poſſit intelligere intellectuale Objectum ſinè Imaginatione, quàm ſenſuale cum Imaginatione, cùm meliùs intelligat per Senſitivam ſentientem caliditatem, quàm per Imaginativam imaginantem caliditatem in abſentia Senſitivæ; nam aliter Intellectus haberet majorem virtutem accidentaliter, quàm ſubſtantialiter; quod eſt impoſſibile: igitur Intellectus veriùs intelligit intelligibilia Objecta ſinè Imaginatione, quàm ſenſibilia cum Imaginatione.

2. Sicut Intellectus dimittit imaginari, quando viſus videt ſenſibile Objectum, ita, quòd inter intelligere & videre illud Objectum non eſt imaginari, ita ſimiliter Intellectus dimittit imaginari, quando intelligit ſe vel aliquid inimaginabile; nam, ſi in videndo viſibile objectum non indiget imaginari, igitur multò minùs in intelligendo intellectuale verum, ût per ſe patet: & ex hoc declaratur, quòd verum & intelligere meliùs ſe habeant in intellectuali objecto ſinè Imaginatione, quàm verum & intelligere in ſenſuali objecto cum Imaginatione; cùm Imaginatio ſit ſolùm neceſſaria in abſentia ſenſuum ad accipiendum objecta; nam, niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd Intellectus nunquam poſſet intelligere intellectuale objectum in præſentia ipſius objecti, ſed tantùm in abſentia; quod eſt manifeſtè impoſſibile.

3. Voluntas plùs poteſt diligere intellectuale objectum, quàm ſenſuale, & Intellectus plùs intelligere, & Memoria memorari, cùm ſit major veritas in intellectuali, quàm in ſenſuali: ergo Intellectus poteſt veraciùs intelligere intellectuale ſinè Imaginatione, quàm ſenſuale cum Imaginatione; nam aliter Imaginativa eſſet cauſa, quòd ſenſibile & imaginabile eſſent magìs recolibilia & magìs intelligibilia & magìs amabilia, quàm DEUS, & quàm ſeparatæ ſubſtantiæ, & quàm virtutes, & ſic de aliis hujusmodi; quod eſt impoſſibile.

4. Dum Intellectus intelligit ſenſualia, intelligit illa per ſecundam intentionem, dum autem intelligit intellectualia, intelligit ea per primam intentionem; igitur veraciùs intelligit ſinè Imaginativa, dum intelligit intellectuale verum, quàm dum cum Imaginativa intelligit ſenſuale verum; ſed quia intellectualia ſunt magìs ſecreta, quàm ſenſualia, & quia in præſenti vita pluries utimur ſenſualibus, quàm intellectualibus, apparet, quòd Intellectus cum Imaginatione meliùs attingat ſenſualiá, quàm intellectualia ſinè Imaginatione; & quamvìs ſic appareat, non tamen propter hoc ita eſt, cùm attingere intellectualia ſit majus, quàm attingere ſenſualia; ût dictum eſt.

QUÆSTIO C.

Quomodo Imaginatio impediat Intellectum?

1. SOlutio. Per poſitionem, quæ eſt facta de Imaginatione in prima Quæſtione de Imaginatione, poteſt intelligi ſolutio hujus Quæſtionis, videlicet, quòd Imaginativa impediat Intellectum, ſi eſt magìs *intenſa* per *ſimilitudines* Senſitivæ vel Vegetativæ, quàm per ſimilitudines Intellectivæ, ita, quòd Intellectus ab ea non poteſt abſtrahere phantaſmata à ſe bene intelligibilia, quia non eſt bene diſpoſita; ſicut obliquum ſpeculum, in quo propter obliquitatem viſus non poteſt apprehendere rectam figuram faciei, & hoc idem ſimiliter ſequitur in oppoſito, quòd, quando Imaginativa eſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

magìs ostensiva similitudinum Vegetativæ, quàm Sensitivæ & Intellectivæ, ût quando infirmus homo appetit comedere vel bibere contra suam sanitatem, similiter & in aliis, tunc Intellectus non potest *ordinatè* agere de Imaginatione.

2. Quando Memoria non multùm recolit, nec Voluntas multùm diligit DEUM vel aliquid aliud, tunc propter defectum Memoriæ & Voluntatis est Intellectus impeditus abstrahere phantasias de Imaginatione, nec potest se denudare ab ea, quia est modicus in virtute suæ actionis; quod patet in controversia Infidelîs & Catholici, quando Infidelis non curat de salvatione; nam, dum Catholicus vult illi ostendere cogentes Rationes, quòd Catholica Lex sit vera, tunc Infidelis plùs imaginatur in operatione Sensitivæ & Vegetativæ, & per consequens in similitudinibus earum, quàm in Bonitate, Magnitudine &c. DEI, vel quàm in similitudinibus Intellectivæ Animæ; & ita decipitur Intellectus illius impediente Imaginatione Intellectum, sicut materia malè dispositа impedit formam.

3. Quandoque dispositio loci secundùm Imaginationem impedit Intellectum, ût, quando imaginamur, quòd antipodes debeant deorsum cadere, quod cadere potiùs est eis ascendere sursum; & similiter, quando imaginamur, si ignis haberet tot ligna vel tantam combustibilem materiam, quòd usque ad octavam sphæram combureret; & similiter, quòd sit impossibile, quòd DEUS essentialiter sit intra lapidem & ultra octavam sphæram Firmamenti; hoc autem ita contingit Imaginanti, quia Imaginativa repræsentat Intellectui similitudines Sensitivæ & Vegetativæ; & sic in hac repræsentatione stat Intellectus impeditus, donec recurrat ad intellectuales similitudines, & tunc de primis similitudinibus transmutat se in secundas, videlicet, quando intelligit, quòd antipodes ascendant, & quòd ignis non possit ardere ultra octavam sphæram, cùm ibi non sit illi dispositus locus, & quòd DEUS sit intra lapidem, quia est ubique essentialiter, cùm sit immensa intellectualis Res; similiter & extra vel ultra Firmamentum, ne sit finitus & impotens; & sic de aliis similibus istis.

4. Quando dicitur: Beata MARIA Virgo concepit & Virgo peperit Filium habentem Corpus, tunc Imaginativa ex parte Sensitivæ & Vegetativæ repræsentat Intellectui, quòd hoc sit impossibile; & hoc idem sequitur de Eucharistia & de omni Opere, quod est supra naturam, vel quod est miraculosum; igitur, si Intellectus tunc sistat in repræsentatione Imaginationis, nec ascendat ad intellectualia phantasmata, videlicet ad similitudines Divinæ Potestatis, Voluntatis, Immensitatis, Bonitatis &c., est impeditus, si verò ascendat, expeditur, & intelligit, quòd Virgo pariat & cætera miraculosa, in similitudine Divinæ Potestatis & aliarum Dignitatum, quia DEUS est potens in Immensitate Bonitatis, Magnitudinis &c., quod tamen esset impossibile, nisi DEUS posset supra naturalem repræsentationem Imaginationis, quam Intellectus recipit ex Sensitiva & Vegetativa.

QUÆSTIO CI.

Utrùm Intellectus possit intelligere Ævum sinè Imaginatione?

1. SOlutio. *Ævum* est à parte post similitudo Æternitatis, & à parte antè dissimilitudo illius, quia *Ævum* habet principium sinè fine, & Æternitas nec habet principium nec finem; & ideo Intellectus in similitudine DEI, videlicet in *Ævo*, potest intelligere sinè Imaginatione; quia ibi non est successio, sed purum & simplex instans, ut ipsum *Ævum* sit multùm magna similitudo Æternitatis, in qua est nulla successio; & ubi non est successio, non potest esse Imaginatio: igitur Intellectus sinè Imaginatione potest intelligere *Ævum* à parte post, intelligens illud abstractum super successionem in similitudine Æternitatis; veruntamen à parte antè, id est, in hac vita, in qua sumus, Intellectus intelligit tempus successivè, sed non sinè Imaginatione; simpliciter tamen bene potest in instanti intelligere tempus absolutè sinè Imaginatione, sicut habemus per experientiam.

2. Sicut Intellectus in præsenti vita potest intelligere Immensitatem sinè Imaginatione, videlicet similitudinem Immensitatis, cùm in Immensitate DEI non attingat tempus nec motum nec quantitatem nec simpliciter aliquid similitudinis Sensitivæ & Vegetativæ, sic similiter Intellectus in hac præsenti vita potest attingere sinè Imaginatione similitudinem Æternitatis, scilicet *Ævum*; aliàs Immensitas Bonitatis, Magnitudinis, Potestatis &c. DEI esset in Via magìs objectabilis & assimilabilis Intellectui, quàm Immen-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Immenſitas Æternitatis; & ſic Magnitudo Juſtitiæ Bonitatis & Æqualitatis deficeret Nobilitati Æternitatis; quod eſt impoſſibile: igitur eſt manifeſtum, quòd Intellectus poſſit & debeat attingere Ævum ſinè Imaginatione à parte poſt, & tunc attingit in Ævo ſimilitudinem Æternitatis, ſed à parte antè cum Imaginatione, & per conſequens cum ſucceſſione; & tunc attingit in Ævo diſſimilitudinem Æternitatis, ut per ſimilitudinem & diſſimilitudinem clariùs eluceſcat Intellectui Æternitas ſinè Principio & ſinè Fine.

3. In hoc, quod ſe habet ad Finem, non eſt ipſe Finis; eſt autem Finis, quando Medium eſt finitum, ſic, ut hoc, quod erat in Principio appetens Finem, attingat ſuum Finem; igitur convenit, quòd in Medio ſit ſucceſſio, ut Principium ſucceſſivè per Medium ſit in Fine; & ideo ſic conſtitutâ ſucceſſione non poteſt Intellectus intelligere ſinè ſucceſſione propter motum, tempus, materiam, & ſic de aliis: unde, ſi Intellectus non poſſet intelligere Ævum in Patria ſinè Imaginatione, eſſet impoſſibile, quòd poſſet attingere ſuum Finem, quia non intelligeret, quòd poſſet attingere ſuum Finem, quia ſucceſſivè intelligeret, & ſic in Patria non eſſet Finis; quod eſt impoſſibile & contra Divinam Magnitudinem Bonitatis &c.

4. Beatus Intellectus in Patria in inſtanti ſinè ſucceſſione intelligit, quòd DEUS Pater producat DEUM Filium, & ſpiret DEUM Sanctum Spiritum, & quòd Filius ſpiret Sanctum Spiritum; & etiam intelligit, quòd Sanctus Spiritus intelligat & diligat ipſum Patrem & ipſum Filium; quia, ſi hoc non intelligeret in inſtanti, eſſet defectivus; nam intelligeret ſucceſſionem, ubi non eſſet ſucceſſio, & ſic ſuum intelligere eſſet falſum & phantaſticum, nec haberet perfectam gloriam, imò etiam eſſet impoſſibile, quòd ipſe intelligens falſum ſit in Gloria, ubi nulla falſitas poteſt eſſe: reſtat igitur, quòd beatus Intellectus in Patria intelligat DEUM in inſtanti; & ita ſequitur, quòd Intellectus ſinè Imaginatione intelligat Ævum influxum ab illa ſimilitudine Æternitatis, quam ipſe Intellectus intelligit in Divinis, cujus Ævi ſubjectum ſunt Beati durantes ſinè fine; veruntamen aliqua ſucceſſio erit ibi ex parte vocis & visûs videndo Chriſtum, & audiendo laudare DEUM, quod tamen erit ex parte corporis & motûs illius; ſed hæc corporalis ſucceſſio non erit imaginabilis nec figurabilis, ne tempus ſit imaginabile in Ævo; quia erit ſic, imò & multò meliùs, ſicut viſus hominis nunc aperientis oculos, qui ſtatim attingit objectum; & quamvìs ibi ſit aliqua ſucceſſio, non tamẽ attingitur ab Imaginatione nec à figura.

INCIPIUNT QUÆSTIONES Senſitivæ.

QUÆSTIO CII.

Quomodo Senſitiva Potentia ſit conſiderabilis?

1. SOlutio. Senſitiva eſt una potentia habens in ſe quinque potentias, videlicet quinque particulares ſenſus, de quibus ipſa Senſitiva eſt aggregata, & unusquiſque iſtorum quinque ſenſuum eſt aggregatus de pluribus principiis, ſcilicet de ſimilitudinibus DEI, quæ ſunt bonitas, magnitudo &c., ita ſcilicet, quòd ſit una bonitas, una magnitudo &c. ipſius Senſitivæ, tamen diſtincta in quinque ſenſus, ita, quòd quædam ſit in viſu, quædam in auditu, & ſic de aliis, & tamen una bonitas, magnitudo &c. in radice: unde iſtæ formæ ſunt eſſentiæ cujuslibet ſensûs; quinque ſenſus autem ſunt eſſentiæ Senſitivæ, Senſitiva verò eſt ſubjectum aggregatum de prædictis principiis; iſta poſitio autem eſt vera & probabilis ſecundùm diſcurſum *Artis Demonſtrativæ.*

2. Senſitiva Potentia non eſt corpus, eſt tamen de natura corporeïtatis, Vegetativa autem, de qua corpus eſt conſtitutum, eſt ſubjectum Senſitivæ, quod corpus eſt ſenſatum, bonitas verò Vegetativæ & bonitas Senſitivæ, & ſic de magnitudine &c., ſunt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

una bonitas &c. in radice, ſed diſtinguuntur, quia eſt diſtinctio ſive Differentia in earum proprietatibus, ita, quòd bonitas Vegetativæ ſe habeat ad conſtituendum ſubjectum, id eſt, corpus, bonitas autem Senſitivæ ſe habeat ad ſenſandum illud, & quòd ſit forma ſpecialiter in brutis; aliter Finis in brutis non eſſet in Majoritate, nec eſſet major Concordantia inter formam & ſubjectum, ſed potiùs minor, ac etiam multa alia inconvenientia ſequerentur: ergo Senſitiva non eſt corpus, eſt tamen de natura corporeïtatis.

3. Vegetativa Potentia ſola principaliter habet quator elementa, de quibus eſt vegetatum corpus, quodlibet autem illorum elementorum eſt conſtitutum de ſimilitudinibus Dignitatum DEI, id eſt, de bonitate, magnitudine &c., & eſt una bonitas, magnitudo &c. illorum, ſed eſt diſtincta, quia ipſorum proprietates ſunt diſtinctæ; bonitas autem Vegetativæ eſt ſubjectum & potentia bonitati Senſitivæ, ita, quòd ſit in potentia in bonitate Vegetativæ, ita, quòd bonitas Vegetativæ ſit ſubjectum, de quo naturale agens per viam generationis producit ſenſatum, videlicet prolem, quod ſenſatum eſt aggregatum de bonitate &c. Vegetativæ & Senſitivæ; naturale agens verò, quod eſt ſemen plantæ, dum generat plantam, relinquit in potentia formam bonitatis Senſitivæ in ſubjecto plantæ, quæ generatur; quia, cùm ipſum agens non ſit ſenſatum, ſed ſolùm vegetatum, non reducit ad actum, niſi bonitatem Vegetativæ; & convenit, quòd hæc poſitio ſit vera, ut Senſitiva ſit in potentia, & ut habeat ſubjectum, in quo ſit, & in quo etiam principia ſive partes ipſius Senſitivæ ſint mixtæ cum partibus ipſius ſubjecti, quâlibet parte utriusque exiſtente in altera, ut ſit una ſubſtantia vegetata & ſenſata, habens unam continuam quantitatem & connexam de partibus utriusque.

4. Quemadmodum Senſitiva cum Vegetativa eſt conſiderabilis, ita ſimiliter in brutis eſt conſiderabilis cum Imaginativa; nam in bonitate &c. Senſitivæ eſt in potentia bonitas Imaginativæ, ita, quòd bonitas Senſitivæ eſt ſubjectum bonitati Imaginativæ, cùm ſit propinquior corporeïtati, & reducitur ad actum per naturale agens, quando ipſum agens generat ſenſatum & imaginatum, ut partium potentiarum aliæ ſint in aliis; veruntamen in ſenſato animato de rationali Anima non eſt ſic; nam bonitas Senſitivæ & ſimiliter aliarum potentiarum eſt diſtincta eſſentialiter à bonitate rationalis Animæ, cùm rationalis Anima ſit à Creante; ipſa rationalis Anima autem & Imaginativa & Senſitiva & Vegetativa concatenantur alia in alia *per modum & naturam aſſimilationis*, & quia omnes tendunt ad unum finem, videlicet, ut ſit homo vegetatus, ſenſatus, imaginatus, rationatus, ita tamen, quòd rationativa ſit forma & finis cæterarum potentiarum, cùm ſit magìs ſimilis DEO, & magìs diſparata à materia corporis.

QUÆSTIO CIII.

Utrùm Senſitiva ſit à Generante vel à Creante?

1. SOlutio. Generativa Potentia eſt tam in viro, quàm in muliere generans, vir quidem quoad formam, mulier verò quoad materiam generant; igitur filius eſt genitus ex duobus principiis, uno formali, altero materiali, & unumquodque illorum principiorum eſt bonitas, magnitudo &c. vegetata & ſenſata, quia corpus utriusque generantis eſt vegetatum & ſenſatum & aggregatum de ſimilitudinibus DEI, videlicet de bonitate &c., quæ ſunt Vegetativa & Senſitiva; igitur, ſi bonitas, quæ eſt Vegetativa & Senſitiva (& ſic de aliis) eſt generativa, generans vegetatam & ſenſatam bonitatem vegetando & ſenſando, eſt illius proprietas, & id, quod gignitur, & etiam generativa & appetitus & tactus eorum ſunt in majoritate bonitatis &c. Vegetativæ & Senſitivæ: ergo Senſitiva eſt à generante, aliter ſequeretur oppoſitum, quod eſt inconveniens & contra majoritatem bonitatis &c. proprietatis generativi & generabilîs, ſenſitivi & ſenſibilîs, appetitivi & appetibilîs ſimilativi & ſimilabilîs, atque contra proprietatem naturalis agentis, & etiam ſequerentur multa alia inconvenientia: ergo Senſitiva eſt à Generante.

2. Inter ſenſitivum & ſenſibile proportio, diſpoſitio, conjunctio (& ſic de aliis) ſunt in majori magnitudine Principii, Medii & Finîs, ſi Senſitiva eſt à Generante, quàm ſi ſit à Creante; bene quidem dicimus, quòd ipſa ſit à Creante ab origine Mundi per diverſa principia & media translata de potentia in actum per modum generationis & corruptionis; quod autem proportio, diſpo-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

poſitio &c. ſint in majori magnitudine &c., ſi Senſitiva eſt à generante, quàm ſi ſit à Creante, patet, quia Principium, Medium & Finis ſunt in Majoritate paternitatis, maternitatis & filiationis & operationis naturæ atque dilectionis inter parentes, filium & conſanguinitatem; aliter deficeret magnitudo bonitatis &c. Majoritati conveniens cum Minoritate; quod eſt multùm inconveniens: ergo Senſitiva eſt à Generante.

3. Truncus eſt de ſe propter Vegetativam, quæ in eo eſt, ut vegetet de ipſa Vegetativa (ût ita loquamur) fructum, generans ipſum, & hoc patet manifeſtè in omnibus plantis & ſeminibus plantarum; nam, ſicut ſub ratione ſuæ bonitatis, magnitudinis &c. planta generat aliam plantam, ita etiam generat eam ſub ratione ſuæ vegetationis; & ſicut ſe habet planta ad aliam plantam, ita ſe habet ſenſatum ad ſenſatum; ergo ſenſitivum generat ſenſibile ſenſatum de ſuámet bonitate &c., & per conſequens de ſuámet ſenſualitate; aliter generatio, concordantia, æqualitas & unitas eſſent majores in plantis, quàm in animalibus, quod eſt valde inconveniens, & per conſequens Vegetativa eſſet in Majoritate actionis & paſſionis, productionis, ſucceſſionis, & ſic de aliis, Senſitivâ autem in Minoritate, quod eſt ſimiliter inconveniens: ergo Senſitiva eſt à Generante.

4. Probatum fuit ſuperiùs, quòd Filius DEI ſumpſerit Carnem ex Utero Virginis; unde, ſi ipſe DEUS Filius ſumpſit ſuam vegetatam & ſenſatam Carnem & Sanguinem de vegetata & ſenſata Carne & Sanguine Virginis, non autem immediatè à Creante, eſt major participatio DEI in ſua Humanitate cum ſua Virgine Matre, quantum ad Humanitatem, atque etiam cum omnibus nobis participantibus in humana natura, quia eſt inde major participatio increatæ Bonitatis &c. cum bonitate &c. Virginis Genitricis Chriſti & cum bonitate &c. omnium hominum, quia eſt major Maternitas & Conſanguinitas; ergo eſt major Maternitas & Filiatio inter Beatam Virginem MARIAM & Chriſtum JESUM, atque conſanguinitas inter ipſum & nos, ſi DEUS Chriſtus ſumpſit Vegetativam & Senſitivam ſimul de ipſa Virgine, quàm ſi ipſam accepit à ſe ipſo Creante. Ergo Senſitiva eſt à Generante.

QUÆSTIO CIV.

Utrùm Senſitiva ſit activa & paſſiva Potentia?

1. SOlutio. Manifeſtum eſt, quòd omnis ſenſus Potentiæ Senſitivæ attingat ſenſibile, igitur in hoc, quòd attingat, videtur, quòd Potentia Senſitiva ſit activa, cùm omnes ſenſus illius ſint de eſſentia ejuſdem, & poteſtas ipſius Senſitivæ eſt in majori Fine ſuæ bonitatis, magnitudinis &c., ſi ipſa Senſitiva per ſuámmet poteſtatem attingat ſenſibile, quàm ſi attingeret illud per aliam poteſtatem, ita, quòd non per ſe; ergo Potentia Senſitiva eſt activa. Hoc idem ſimiliter ſequeretur, ſi non eſſet per ſe paſſiva: ergo Senſitiva eſt activa & paſſiva Potentia.

2. Si Senſitiva Potentia eſt paſſiva, ita, quòd non activa, vel activa, ita, quòd non paſſiva, eſt diſparatio inter ſenſitivum & ſenſibile, & per conſequens minor Concordantia, & Principium, Medium & Finis ſunt in illis minores; & ſic magnitudo bonitatis &c. deficit Senſitivæ, & per conſequens omnis Majoritas deficit principiis naturæ ipſius Senſitivæ Potentiæ; quod eſt valde inconveniens: ergo Senſitiva eſt activa & paſſiva Potentia.

3. Si Senſitiva Potentia non eſſet activa & paſſiva Potentia, ipſa haberet nihil entitatis formæ & materiæ, quod eſt impoſſibile; nec etiam bonitas, magnitudo &c., de quibus Senſitiva eſt conſtituta, haberent proprietatem influendi ſentire bonum, magnum &c., ita, quòd Senſitiva ſub ratione ſuæ bonitatis, magnitudinis &c. nihil ageret, ſed eſſet per ſe mera otioſitas, quod eſt impoſſibile, & contra finem bonitatis, magnitudinis &c.: ergo reſtat, quòd ſit activa & paſſiva, ita, quòd ſua bonitas ſit activa videndo, audiendo, & ſic de aliis; & eſt paſſiva, in quantum habet proprium ſubjectum, ſuper quod ſe reflectit ſentiens remota ſenſibilia objecta, ſicut intellectivum remota intelligibilia apprehendit ſuper ſuum proprium intelligibile.

4. Nullus ſenſus Senſitivæ Potentiæ eſt ſenſibilis de alio, vel per aliud, quod non ſit de eſſentia Senſitivæ, & hoc per ſe patet; nam Viſus, Auditus &c. non ſunt ſenſibiles de alio & per aliud, niſi à ſe ipſis & in ſe ipſis; & hoc eſt propter propinquum ſenſibile ſenſitivi, cum quo ſenſitivo compoſitum ambo exiſtunt unus ſenſus, ſicut Viſus vel

(c) 2006 Ministerio de Cultura

vel Auditus, & ſic de aliis; igitur ſenſitivum per ſuum proprium ſenſibile, quod eſt ſibi unitum, attingit objectum mediante aliquâ qualitate, ſicut album, aſperum, ponderoſum, calidum, dulce, redolens, ſonoroſum & ſic de aliis. Id, quod per ſenſum ſentit, eſt ſuppoſitum, ſcilicet homo vel leo, & ſic de aliis; id verò, quare ſentit, eſt coloratum vel calidum vel ſonoroſum, & ſic de aliis, quæ non ſunt de entitate ſenſuum: igitur ſuppoſitum ſentiens ſentit intra ſenſum, nam exteriora ſenſibilia reducuntur intra ſenſum, ita, quòd ſuppoſitum ſentiens ſentit, in quantum in parte eſt aggregatum de Senſitiva Potentia, & in parte non ſentit ſub ratione ſenſûs, & ita ipſum ſuppoſitum per accidens eſt ſenſitivum & ſenſibile, quia ſentit mediante ſenſu; ſed hoc eſſet impoſſibile, ſi Senſitiva Potentia non eſſet activa & paſſiva eſſentialiter & ſimpliciter: ergo Senſitiva eſt activa & paſſiva Potentia.

QUÆSTIO CV.

Utrùm Senſitiva ſentiat in ſe, vel extra ſe?

1. SOlutio. Senſitivum habet ſenſibile *duobus modis*: primus modus ſenſibilîs eſt *propinquus & intenſus*: ſecundus verò eſt *remotus & extenſus*; ſimiliter & Senſitivum conſiſtit *duobus modis*, videlicet *intensè & extensè*; intenſum & propinquum ſenſitivum eſt intra ſimplicem formam ſenſûs, remotum ſenſitivum verò eſt in toto extenſum per totum ſuppoſitum, ſcilicet per totum corpus hominis vel leonis, & ſic de aliis ſentientibus ſuppoſitis; unde ſenſus ſentit in ſe, ſuppoſitum autem ſentit ſentiente ſenſu. Præterea ſenſus ſentit extra ſe mediante ſuppoſito ſentiente coloratum, vocem &c., ſicut per ſe patet.

2. Intenſum ſenſitivum & intenſum ſenſibile producunt ſentire *generatum* & *influxum* à ſe ipſis, & individuatum in videre, audire, odorare, guſtare, tangere; remotum ſubjectum autem totius ſenſûs, ſcilicet ſenſitivi & ſenſibilîs, de quibus ſenſus eſt compoſitus & aggregatus, eſt remotum ſenſibile, ſicut eſt vel calidum vel ſapidum &c.; & hæc omnia attingit ſenſus ſentiendo in ſubjecto, in quo ſunt, ût colorem in lapide, calorem & lucem in igne, calorem quidem per Tactum, lucem verò per Viſum, & ſic de aliis; ſubjecta autem qualitatum ſunt remota & extenſa ſenſibilia, ſed ſenſus eſt intùs ſcilicet in ſe intenſum ſenſitivum ſentiens quoad formam remotum ſenſibile in ſuo proprio propinquo ſenſibili, attrahens in illud remotum ſenſibile.

3. Si ſenſitivum attingeret ſenſibile extra ſe, non autem in ſe, ſentire eſſet aggregatum ex influentia ſenſitivi & ſenſibilîs, & ſenſus eſſet tantùm ens quoad formam, non habens proprium propinquum ſubjectum de ſua eſſentia & natura, & ſuus actus eſſet generatus & compoſitus de ſenſitivo & de hoc, quod non eſt de natura ſenſitivi, ſcilicet de remoto objecto, quod eſt impoſſibile, & *contra naturalem operationem*: nam lapis vel ignis &c. immediatè non poſſunt eſſe objecta ſenſitivi, cùm non ſint de natura & eſſentia ſenſûs, poſſunt tamen eſſe ſenſibilia mediante intenſo & propinquo ſenſibili propter ſimilitudinem, aliter non; ergo ſenſitivum attrahit remotum ſenſibile in ſuum propinquum & proprium ſenſibile, ſicut intellectivum attrahit remota intelligibilia in ſuum proprium & propinquum intelligibile, ſicut ſuprà dictum eſt.

4. Sicut Senſitiva eſt ens aggregatum de ſimilitudinibus DEI, ita ſenſus de ſimilitudinibus Senſitivæ, ſic, quòd Viſus, Auditus &c. ſunt conſtituti de bonitate, magnitudine &c. Senſitivæ, ita, quòd bonitas, magnitudo &c. Visûs vel Auditûs &c., & ſic de aliis, plùs poteſt in ſe & in ſua bonitate, magnitudine &c., quàm in bonitate, magnitudine &c. lapidis vel alterius remoti objecti: ergo videtur, quòd ſenſitivum, id eſt, bonificativum, magnificativum &c. Senſitivæ ſentiens quoad bonum, quoad magnum &c. plùs poſſit & debeat ſentire in ſuómet proprio ſenſibili conſtituto de ſuámet bonitate, magnitudine &c., quàm in remoto ſenſibili conſtituto de alia bonitate &c., quæ non eſt de ſua eſſentia; & hoc per ſe patet: ergo eſt manifeſtum, quòd ſenſus naturaliter attingat objectum quoad ſuum ſenſitivum in ſe quoad ſuum proprium ſenſibile; ſuppoſitum autem, ût homo vel aquila &c., per accidens attingit remotum ſenſibile & per qualitates, ſicut per figuras, ſcilicet per quadrangularem vel triangularem vel circularem &c. vel per colores.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CVI.

Quomodo Senſitiva ſentiat?

1. SOlutio. Senſitiva ſentit per Viſum, Auditum &c., ût per ſe patet. Per Viſum ſentit, quia bonitas, magnitudo &c. Visûs appetunt agere & non eſſe otioſæ, nam omnes creaturæ tendunt ad unum finem, propter quem ſunt creatæ; & ita bonitas, quia eſt bonificativa & bonificabilis(& ſic de magnitudine &c.) videndo appetit bonificare, ut videre ſit bonum, magnum &c.; & quia videre eſt ſimilitudo & actus viſivi & viſibilîs, influunt ipſum videre per organum (ſcilicet per oculum) quod eſt conſtitutum de bonitate, magnitudine &c. ipſius Vegetativæ Potentiæ,& per Divinam Diſpoſitionem eſt inſtrumentale ſubjectum videndi: igitur Viſus movet ſuámmet bonitatem,magnitudinem &c. in partibus oculorum, in quibus ſunt bonitas, magnitudo &c. Vegetativæ, ita, quòd bonitas, magnitudo &c. Visûs moveat bonitatem, magnitudinem &c. Vegetativæ ad aliquid determinatè videndum, alterâ parte movente alteram, ſecundùm quòd illi ſimilis eſt & deputata ad videndum, & hoc eſt per totum ſenſum & per totum oculum; nam omnes prædictæ partes ſunt conjunctæ & mixtæ, ut oculus ſit ſenſatus & vegetatus; ſunt etiam determinatæ omnes ipſæ partes tam oculi, quàm ſensûs ad id, quod eſt videre, ſed cum extremitate oculi participant aliæ partes, quæ non ſunt ſenſatæ, veruntamen altera illarum ſunt mixtæ & unitæ cum altera, ita, quòd ſint una linea compoſita continua usque ad objectum viſibile per colorem; omnes illæ partes autem ſunt aggregatæ de ſimilitudinibus ſensûs & oculi, ſcilicet de bonitate, magnitudine &c., & ita viſivum de bonitate, magnitudine &c. attingit in ſuo proprio viſibili, per ipſum verò attingit bonitatem, magnitudinem &c. oculi, de quibus oculus eſt compoſitus, & per bonitatem, magnitudinem &c. oculi attingit primam partem lineæ participantem cum oculo, ſcilicet primam partem bonitatis, magnitudinis &c., deinde alias continuè & ſucceſſivè usque ad objectum coloratum ſpiſſum & impreſſum per totalem lineam,ipſo Viſu attrahente impreſſionem de parte in partem per totam lineam usque ad partem, cum qua participat extrema pars lineæ; omnes partes autem lineæ exiſtentes in aëre ſunt medium inter oculum & coloratum objectum, in quo ſcilicet medio eſt diaphanitas & luciditas, & ita in toto medio relucet coloratum,ſicut facies in ſpeculo, vel lux in aëre; nam objectum imprimitur in illa ultima parte, quæ participat cum ſua extremitate, deinde ſucceſſivè usque ad extremitatem oculi; nam bonitas, magnitudo &c. objecti, cùm ſit ſimilis bonitati medii, reluceſcit in bonitate illius partis, quæ ipſum attingit, deinde in bonitate conſequentis & continuæ partis, & per conſequens ſucceſſivè usque ad partem,quæ participat cum extremitate oculi, deinde intenſum viſivum participans cum organo & inſtrumento, ût dictum eſt, attingit illam partem, & ſic videt coloratum objectum. Igitur per hoc declaratur, quomodo Viſus naturaliter videat; & hæc poſitio eſt manifeſta per ſe, & maximè eſt demonſtrabilis per Principia *Artis Demonſtrativæ*; & *non ſolùm iſta, ſed etiam omnes in iſto Volumine traditæ poſitiones ſunt manifeſtè demonſtrabiles per Principia illius Artis.*

2. Auditus eſt ſenſus aggregatus ex auditivo & audibili ejusdem eſſentiæ Auditûs, audire verò eſt actus ſensûs ipſius Auditûs; modus autem, per quem Auditus audit, eſt in hoc,quòd attrahat ſuas ſimilitudines,quæ ſunt in remoto audibili,videlicet ſonum,qui eſt mobilis propter mobiles partes, de quibus remotum audibile eſt aggregatum; hæ partes autem ſunt bonitas, magnitudo &c. exiſtentes in percuſſo aëre, de quibus partibus aër cum aliis elementis eſt compoſitus; illud inſtrumentum verò, in quo ſive quo mediante attingitur remotum audibile, ſunt aures, & hoc inſtrumentum de bonitate, magnitudine &c. ita determinatè eſt conſtitutum, quòd vox vel ſonus, qui eſt audibile objectum, in ipſo inſtrumento, id eſt,in auribus,apprehendatur; in hoc inſtrumento etiam ſunt partes ſensûs compoſitæ cum partibus ipſius inſtrumenti, ſicut partes vegetativi & ſenſitivi: ſenſus igitur, cùm ſit ſenſatus & vegetatus, attingit partes vegetati ſenſati per ſimilitudinem &Concordantiam Principii, Medii & Finîs; mediatè igitur mediante vegetato & ſenſato attrahit vocem aggregatam de ſimilitudinibus ſenſati & vegetati organi, auditivo attrahente ſucceſſivè in ſuo proprio audibili ſibi ſubjecto tanquam materiâ ſimilitudines ſui organi, & per illas alias ſimilitudines exteriores percuſſas participantes cum ſimilitudinibus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bus organi, aliâ ipsarum partium exteriorum per modum continui existente in alia tanquam continua quantitas; respectu sensûs autem & organi est ibi contigua quantitas, quia termini sunt distincti & diversi specie.

3. Secundùm illum modum, per quem diximus de Visu & Auditu, intelligendum est de Odoratu; sed remotum odorabile est intelligendum alio modo; nam ipsum est aggregatum de partibus vaporabilibus progredientibus ex entitate substantiæ, in qua sunt pori, per quos egrediuntur vaporabiles odores, & anhelitus attrahit eas usque ad organum participans cum sensu, scilicet cum Odoratu, & tunc odorativum in suo proprio secreto odorabili attingit remotum odorabile conjunctum immediatè Vegetativæ, cui organum & attractus odor sunt conjuncti, in quo odore odorabile est habituatum; id autem, quod habitum reducit ad actum, est odorativum, id est, forma sensûs odorandi, odore intrante per nasum extensivè sensibiliter, sed attingitur intensè in extremitate nasi in superiori loco, ubi Odoratus foràs attingit suum objectum.

4. Gustus simili modo attingit, sicut Visus & Auditus & Odoratus; nam isti sensus habent formaliter in Sensitiva unam ordinationem; sed diversitas objectorum & organorum per accidens diversificat modum sentiendi; quia Gustus in gutture intensivè attingit saporem, sed in lingua & ore extensivè; quod est, quia intensitas influit in extensitatem; & sicut Visus attingit diversa colorata objecta, ita Gustus attingit diversa saporosa objecta, sensus autem est unus; impressio quidem saporis est in organo propter concordantiam vegetati & vegetati, videlicet organi & partium subjectarum sapori, quæ sunt vegetatæ; receptio autem impressionis fit in organo: nam partes organi & partes objecti sive subjecti receptæ in organo sunt mixtæ ad invicem, nam aliæ illarum sunt in aliis, & è converso: partes igitur organi recipiunt advenientes partes saporis, & ab ipsis partibus saporis fiunt saporabiles; id autem, quod attingit & attrahit saporem, est gustativum in suo gustabili per organum recipiens impressionem, quia cum ipso est unum, sicut vegetatum & sensatum sunt unum.

5. Tactus est sensus compositus ex tactivo & tangibili per totum corpus, habens remotum tangibile, sicut cæteri sensus habent remota sensibilia; hic sensus quidem attingit objectum, scilicet remotum tangibile, in extremitatibus membrorum vel corporis animalis; tactivum verò attingit remotum tangibile in suo proprio tangibili; quando etiam aliquod membrum per accidens est cæsum, tunc attingit in superficie illius læsionis, & etiam per totum attingit per accidens, quando patitur febrem vel dolorem; hoc similiter etiam sequitur, quando generans producit prolem, nam de omnibus partibus totius sensûs & organi sentiendo transmittitur; veruntamen plus sentit in loco, ubi omnes partes influuntur & congregantur, & similiter plus in quibusdam membris, quàm in aliis, sicut in corde & in oculis &c.; sed hoc est per accidens, scilicet per organum, quod meliùs est dispositum ad recipiendum impressiones in quodam membro, quàm in altero. Ratio, quare sensus plùs intenditur intra, quàm extra membra, est, quia *virtus est major intra substantiam, quàm in extremitatibus substantiæ;* & hoc est, quia *plùs sustentatur intra substantiam, quàm in superficie:* & ideo Tactus substantialiùs consistit in medullis, quàm in aliis partibus substantiæ, nam plùs est conservata & constituta substantia in medullis propter ossa, quàm in aliis membris substantiæ.

Dictum est, quomodo Sensitiva sentiat, modus autem illius sentiendi per qualitatem organorum est divisus in caliditatem, humiditatem &c., sed hoc est prolixum ad dicendum; quare quoad præsens omittimus; veruntamen faciliter poterit inveniri per *Artem Demonstrativam seu Inventivam,* per quam iste Liber discurrit.

QUÆSTIO CVII.

Utrùm Sensitiva sit major in agendo, quàm in patiendo?

1. SOlutio. Sensitiva est major per formam, quàm per materiam, nam forma est major, quàm materia, in intensitate bonitatis, magnitudinis &c., de quibus ipsa forma & materia Sensitivæ sunt aggregatæ; nam Sensitiva agit quoad formam, & patitur quoad materiam: ergo Sensitiva est major in agendo, quàm in patiendo.

2. Præterea actio est magìs similis DEO, quàm passio &c.; cùm sensitivum sit magìs intensum ens aggregatum de bonitate, magnitu-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gnitudine &c., quàm ſenſibile, ideo indiget duobus ſubjectis, ſcilicet duobus ſenſibilibus, uno ſibi propinquo, altero verò remoto, ut ambo poſſint illi ſufficere tanquam materia, ut paſſio ſit tanta in extenſione, quanta eſt actio in intenſione, aliàs tota intenſio formæ non poſſet reduci ad actum, & ſic eſſet in parte otioſa; igitur ex hoc patet, quòd in propinquo ſubjecto fiat impreſſio remoti ſubjecti venientis per modum attracti, eſſe ſenſitivo tanquam agente attrahente & imprimente ipſum in ſuum proprium ſubjectum, in quo attingit ipſum; & iſto modo manifeſtatur, quòd ſit æqualitas inter actionem & paſſionem Senſitivæ.

3. Senſitivum ſentiendo agit de bonitate, magnitudine &c., ſenſibile verò ratione ſuæ bonitatis, magnitudinis &c. patitur; & ſic ſenſibile eſt mobile, ſenſitivum verò eſt motivum vel motor; ergo Senſitiva eſt major, id eſt, eſt nobilior in bonitate, magnitudine &c. & in appetitu per motorem, quàm per mobile; ergo eſt major in actione, quàm in paſſione.

4. In Vegetativa Potentia ignis agit plùs per calidum, quàm ſit ſua paſſio, per quam recipit ſiccitatem à terra; nam ignis eſt major in caliditate, quàm in ſiccitate, cùm ſit calidus eſſentialiter, id eſt, à ſe, ſiccus verò per accidens, id eſt, à terra; & ſic ignis habet majorem appetitum agendi, quàm patiendi; & per hoc declaratur, quòd Senſitiva ſit major agendo, quàm patiendo, & per conſequens plùs appetat ſentire, quàm ſenſibile, cùm ſentire influatur de utroque, & ſenſibile ſit altera pars ſensûs, & ſentire plùs ſit ex parte formæ, quàm ex parte materiæ.

QUÆSTIO CVIII.

Quomodo Anima ſentiendo peccet?

1. SOlutio. Senſitiva ſentiendo perficit ſe ipſam, videlicet videndo, audiendo &c., & in tali ſuo perficere habet delectationem; & ideo, dum Senſitiva naturaliter delectatur ultra modum, nec ipſa Anima regulat ſuam delectationem ad ſe ipſam, videlicet quòd ipſa Anima habeat delectationem in perficiendo ſe, ſcilicet in recolendo, intelligendo & diligendo ſenſibile, habente Animâ juſtitiam in ſe & in actu ſenſitivi ſuper ſenſibile, tunc peccat Anima, cùm ſit motiva, ſenſitivum autem mobile ſub Ratione Animæ.

2. Dum Senſitiva ſive guſtando ſive videndo ſive calefaciendo, & ſic de aliis, naturaliter appetit ſentire propter indigentiam, ut poſſit conſervare ſuum ſubjectum, ſi tunc Anima in his, quibus corpus indiget, non deliberat ſentire, ne Vegetativa pereat, peccat Anima, quia non agit de Senſitiva & Vegetativa ſecundùm juſtitiam; & hoc per ſe manifeſtè patet.

3. Quando Anima fortuito caſu per ſenſibilia objecta recolendo & intelligendo per ipſa imaginabilia objecta diſcurrit, movens Imaginativam ad imaginandum illa objecta, ita, quòd propter imaginationem ſequatur aliqua delectatio in Senſitiva, & etiam ex influentia Senſitivæ ſequatur aliqua delectatio in eandem Senſitivam, ſicut dum Imaginativa imaginatur carnalem delectationem, tunc, ſi Anima non reducit tales delectationes vel in juſtitiam vel in privationem, peccat Anima, ſentiente Senſitivâ tales delectationes; hoc idem ſimiliter ſequitur de ira vel triſtitia, & de cæteris paſſionibus.

4. Sicut Senſitiva ſentiendo & Vegetativa vegetando & Imaginativa imaginando debent ſe perficere, ſic & multò meliùs rationalis Anima rationando debet ſe perficere, ut habeat virtutes, non autem vitia, dum facit Senſitivam ſentire, & Vegetativam vegetare, & Imaginativam imaginari; cùm autem Anima injuſtè & contra illum finem, quare eſt creata, movet omnes potentias, quas ad movendum habet ſibi ſubditas, tunc peccat, & deſtruit ſuum finem.

QUÆSTIO CIX.

Utrùm Senſitiva habeat majorem Concordantiam cum una Potentia Animæ, quàm cum alia?

1. SOlutio. Senſitiva naturaliter habet æqualiter concordantiam cum omnibus Potentiis Animæ, id eſt, cum Memoria, Intellectu & Voluntate, quia cum omnibus earum eſt conjuncta, ut ſit homo, qui eſt rationale & ſenſuale ſuppoſitum; ſed quia Senſitiva habet in ſe quinque proprietates, id eſt, quinque ſenſus, & Anima habet in ſe tres diverſas proprietates, videlicet tres prædictas potentias, ex hoc accidit, quòd quædam potentia Animæ habeat majorem concordantiam cum quadam potentia Senſitivæ, quàm cum alia, ut patet in videndo & dili-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diligendo, quia hi duo actus subitò habent esse, nam priùs delectatur Visus in videndo, & Voluntas in diligendo, quàm fiat deliberatio in recolendo & intelligendo finem, quare sit licitum, quòd visivum videat hoc objectum, & quare Voluntas debeat gaudere in ipso viso objecto.

2. Manifestum est, quòd visibile sit plùs imaginabile, quàm sint audibile, gustabile, odorabile & quàm tangibile, quia Imaginativa plùs potest reducere phantasias & imprimere & etiam intendere per hoc, quod est visum, quàm per hoc, quod est auditum & odoratum, & sic de aliis; unde patet ex hoc, quòd Imaginativa plùs sit apprehensiva Visûs, quàm alicujus alterius sensûs, & meliùs imprimat in Animam Visum, quàm alium sensum; & per istud medium accidit, quòd Sensitiva meliùs se communicet Animæ objectivè per unum sensum, quàm per alium; & per consequens accidit, quòd meliùs se communicet objectivè uni potentiæ Animæ, quàm alteri, sicut contristando, quando sentit passionem, se fortiùs communicat Memoriæ, quàm Voluntati, dum aliquis recolit injuriam sibi illatam, vel quam alteri intulit, & sic de aliis.

3. Intellectus est discursivus, & Memoria est retentiva, & Voluntas elective; igitur cùm Intellectus investigat phantasmata attrahens illa ad Memoriam & ad Voluntatem, tunc phantasia assumpta de similitudinibus Sensitivæ est causa movendi Sensitivam ad delectabile vel contristabile objectum, & per consequens ad gaudium vel tristitiam; & sic isto modo Intellectus in principio incipit concordare cum sensu, vel contradicere, adducens similitudines per phantasiam; & deinde sequitur actus Memoriæ, & deinde actus Voluntatis, & sic successivè, donec fiat celebratio (conjunctio) inter sensuale & spirituale, & tunc æqualiter & eodem tempore sunt in concordantia Sensitiva & tres potentiæ Animæ.

4. Unus sensuum in radice Sensitivæ est major, quàm alius, & hoc est propter organum, quod patet; nam Tactus est major, quàm Gustus, & Gustus, quàm Odoratus, & Visus, quàm Auditus, quia sentire est magìs necessarium vegetativis, quàm gustare, & gustare, quàm odorare &c.; etiam ex parte finîs audire est magìs necessarium Animæ, quàm videre & odorare, & videre etiam, quàm odorare; igitur magìs necessarium est Animæ audire, quàm cætera, quia audiendo potest attingere id, ad quod Anima est creata, videlicet ad recolendum, intelligendum & diligendum DEUM, audiendo loqui de DEO: & ideo ex tali indigentia patet, prout potentiæ Animæ sunt aptæ, quòd potentiæ quandoque cum uno sensu habeant majorem concordantiam, quàm cum alio, & per consequens una potentia habeat majorem proportionem præ alia cum uno sensu, quàm cum alio, ût suprà exemplificatum est.

QUÆSTIO CX.

Cum quo Sensu Imaginativa habeat majorem concordantiam?

1. SOlutio. Imaginativa simul est conjuncta & unita cum Sensitiva, ut sensatum, quod est sensitivum & sensibile, sit imaginatum, quod est imaginativum & imaginabile, & è converso, ut insimul sint unum aliud; & Imaginativa etiam est unita cum Sensitiva, ut unumquodque remotum sensibile objectum sit imaginabile, sicut Sol, planta, lapis, leo & hujusmodi: igitur ex hoc patet quoad prædictam conjunctionem, quòd Sensitiva & Imaginativa æqualiter se habeant; per accidens autem, quia sensus sunt distincti habentes diversa officia, quandoque Imaginativa meliùs se habet cum uno sensu, quàm cum alio; sicut in his sequentibus patet.

2. Visibile est magìs imaginabile in præterito tempore, quàm calefactibile vel odorabile vel audibile, quia imaginativum plùs imprimit remotum imaginabile in suum propinquum imaginabile per Visum, quàm per alios sensus, cùm visibile sit magìs distinguibile per phantasmata, quàm tangibile &c.; veruntamen in præsenti tempore imaginativum mediante phantasmate plùs imprimit sensibile per Tactum, quàm per Gustum, & plùs per Gustum, quàm per Odoratum, & plùs per Odoratum, quàm per Auditum; & plùs per Auditum, quàm per Visum; & hoc patet per sensibile experimentum; & ita, si Imaginativa quodam modo habet majorem concordantiam cum uno sensu, quàm cum alio, habet alio modo majorem concordantiam cum alio, sicut dictum est.

3. Sensitiva & Imaginativa habent majorem concordantiam in intensitate, quàm in

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in extenſitate, quia ſunt conjunctæ & unitæ in vegetato ſenſato mediante Senſitivâ, & in imaginato mediante Imaginativâ; veruntamen Imaginativa meliùs poteſt imaginari remotum ſenſibile, quàm propinquum, cùm ipſum propinquum ſit difficilius ad imaginandum; nam lapis eſt magìs imaginabilis, quàm propinquum viſibile, ſcilicet prima pars aëris participans cum oculo, & ſic de aliis hujusmodi; & ideo, quia in intenſitate imaginabile non ita fortiter attingitur, ſicut in extenſitate, & quia remotum viſibile eſt remotius à viſivo, quàm tangibile vel guſtabile vel odorabile vel audibile à ſenſu, propter hoc ſequitur, quòd Imaginativa in remoto viſibili magìs concordet cum Viſu, quàm cum alio ſenſu per modum extenſitatis & diſtantiæ, quia ibi eſt plus extenſitatis & diſtantiæ inter imaginativum & imaginabile mediante Viſu; veruntamen reſpectu intenſitatis & propinquitatis Imaginativa magìs concordat cum Tactu, quàm cum Guſtu, & cum Guſtu, quàm cum Odoratu, & ſic de aliis gradatim; quia Imaginativa & Senſitiva ſunt propinquiores ſibi ipſis ad invicem in unione intra ſubſtantiam, quàm extra, eò quòd id, quod Senſitiva plùs ſentit in ſuis imaginabilibus extremitatibus, eſt id, quod ipſa ſentit intrà in virtute ſubſtantiæ.

4. Præterea Imaginativa habet majorem concordantiam cum uno ſenſu in uno tempore, quàm cum alio, reſpectu habitûs & actûs; nam, quando Imaginativa imaginatur viſibile, habet majorem concordantiam cum Viſu, quàm cum Auditu, Odoratu &c., exiſtente objecto Visûs actu in Imaginativa, & etiam aliis objectis cæterorum ſenſuum habituatis in Imaginativa; & quod ſimiliter ſequitur de cæteris ſenſibus, id idem ſuo modo eſt intelligendum de Viſu.

QUÆSTIO CXI.

Quare Guſtus magìs ſentiat in bibendo, quàm in comedendo?

1. SOlutio. Guſtus eſt activa & paſſiva potentia, & in potu ſunt partes magìs mixtæ, quàm in cibo, & ideo partes ſunt in potu magìs attingibiles & magìs digeſtibiles, quàm in cibo; & ex hoc ſequitur, quòd Guſtus magìs ſentiat per potum, quàm per cibum; ſicut per ſe patet;

2. Guſtus, dum homo bibit & comedit, agendo perficit ſémet ipſum, fortiùs attingens ſuum perficere in continuis partibus, quàm in contiguis, cùm plus intenſitatis & mixtionis ſit in continuitate, quàm in contiguitate; & hoc patet per experimentum, cùm Guſtus plus ſentiat per potum, quàm per cibum.

3. Guſtus attingit in extremitate ſuî id, quod ſive comedendo ſive bibendo venit, deinde intrà recipitur illud ad Vegetativam per illam influentiam, quæ comedendo & bibendo advenit; & quia in Vegetativa partes ſunt continuæ, ita, quòd alia illarum eſt in alia, ut inſimul conſtituant corpus, id, quod de extrà venit, non poteſt intrare & converti in Vegetativam, donec ipſæ partes venientes ſint alteratæ & digeſtæ; poſtquam autem ſunt digeſtæ, ſicut convenit, convertuntur in vegetatum & ſenſatum, ſicut in ſanguinem & carnem & nervos & oſſa & medullas; & ideo, quia liquidæ partes ſunt ſubtiliores habentes minus de materia & rariores, delectatur Guſtus plùs in bibendo, quàm in comedendo, quia citiùs convertit liquidum, quàm ſolidum.

4. Guſtus naturaliter libentiùs appetit comodere, quàm bibere, licèt bibibile ſit faciliùs convertibile, quàm comeſtibile, & ita appetit id, quod eſt ſibi gravioris laboris; ſed, quia comedere eſt magìs neceſſarium, quàm bibere, cùm cibus ſit magìs ſubſtantialis, quàm potus, appetit Guſtus naturaliter ex parte neceſſitatis plùs comedere, quàm bibere; & ita, quòd Guſtus diverſimodè cibum & potum appetat, ſicut dictum eſt, plùs appetit cibum quidem, quia plùs eſt ipſi neceſſarius, potum verò plùs per alium modum, cùm faciliùs ſit guſtabilis, & citiùs adhæſivus Guſtui, ſicut jam dictum eſt.

QUÆSTIO CXII.

Quare Senſitiva non ſentit tantum per humidum & ſiccum, quantum per calidum & frigidum?

1. SOlutio. Senſitiva ſentiens Tactum plùs ſentit per calidum & frigidum, quàm per humidum & ſiccum, quia ignis eſt fortius elementum & magìs activum, quàm cætera elementa, & maximè, quia Sol eſt potior adjutor illius, quàm cæterorum, cùm ignis ſit magìs ſimilis illi in altitudine, mo-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tu & luciditate, quàm aliquod aliorum elementorum; & ideo ignis est sensibilior, quàm cætera elementa: aqua verò est sensibilior, quàm aër & terra, non eodem modo, sicut ignis, sed per accidens, quia magìs potest resistere actioni ignîs, quàm aër & terra; nisi autem in Sensitiva aqua tantum resisteret igni passione, quantum ignis agit, natura Sensitivæ non posset sustinere sensibilitatem caliditatis ignîs.

2. Præterea ignis magìs habet naturam lucificativam, quàm aër, aqua verò propter frigiditatem habet restrictivam naturam; & ideo ignis & aqua per Visum sunt magìs sensibilia, quàm cætera elementa, ignis quidem, quia est lucidus, aqua verò, quia est restrictiva, id est, aggregativa objecti ad Visum. Ignis & aqua etiam per tactum sunt magìs sensibilia, quàm cætera elementa; ignis quidem, quia est diffusivus & penetrativus; aqua verò, quia est hujus, quod penetrat, aggregativa ad sensum Tactûs; hoc idem etiam simili respectu sequitur in cæteris potentiis Sensitivæ.

3. Est Concordantia inter ignem & aërem, atque inter ignem & terram, quia ignis calefacit aërem, & recipit siccitatem à terra, & sic per accidens est contrarietas inter ignem & aërem, ignis etiam resistit terræ, & ex hoc sequitur, quòd Sensitiva non possit tantum sentire per concordantiam ignîs & aëris, & ignîs & terræ, quantum per contrarietatem inter ignem & aquam; cùm caliditas & frigiditas sint magìs intensæ in actione, quàm humiditas & siccitas.

4. Aër est impletivus, terra verò est evacuativa; aër cum igne per Tactum est sensibilis in mollitie, quia per plenitudinem causatam ab aëre & per fusibilitatem factam ab igne in superficie aëris Sensitiva sentit Tactu molle; terra autem & aqua habent se ad oppositum; nam aqua suâ frigiditate restringit partes, terra verò desiccat illas, & hoc modo efficitur subjectum vel objectum durum, sicut lapis, ferrum, glacies & hujusmodi; veruntamen nix est mollis, quia abundat in aëre, nam est generata in aërea regione: præterea dulcedo est sensibilis per calidum & humidum, & acetositas vel amaritudo per frigidum & siccum; similiter levitas & gravitas, quia per calidum & humidum sentitur leve, sed per frigidum & siccum grave.

QUÆSTIO CXIII.

Quare Homo plùs terretur de Cadavere Hominis, quàm de cadavere alterius animalis?

1. SOlutio. Homo est creatus, ut spiritualiter & corporaliter serviat DEO, & ideo homo naturaliter appetit finem, propter quem homo est creatus; igitur quando videt cadaver hominis, id est, mortuum hominem impotentem servire DEO, cùm sit mortuus, odit naturaliter illam impotentiam; sed in cadavere alterius animalis, ût bruti, cùm non sit humanæ speciei, non odit homo naturaliter impotentiam prædictæ virtutis, nam bruta non sunt creata ad tam nobilem finem, sicut homo; & ideo Sensitiva non tantum terretur de cadavere bruti, quantum de humano cadavere.

2. Homo est ens aggregatum de corpore & Anima, & quando vivus homo videt cadaver sui similîs in specie, videlicet hominis, cùm mortuus homo fuerit ejusdem conditionis, sicut est vivus homo, prædicat humanum cadaver illud aspicienti similem futuram mortem ipsius hominis viventis; hanc privationem autem speciei non significat illi cadaver mortui bruti, sed aliquando gaudet homo videns mortuum brutum, sicut cervum, bovem vel caponem vel piscem & cætera hujusmodi; nam natura gaudet videndo ea, quibus indiget ad sustentationem suî: unde ex his patet, quòd homo naturaliter habeat majorem terrorem & abominationem à mortuo homine, quàm ab aliquo mortuo bruto.

3. Sicut non terretur homo videns mortuum serpentem vel bufonem, imò gaudet, sed terretur, si aliquem illorum aspiceret vivum, ita non terretur homo videns mortuum hominem, qui priùs fuerat malus, sicut terretur videndo mortuum bonum hominem; imò de mortuo malo homine gaudet naturaliter, ut de cætero non agat de malo, malum enim naturaliter est odibile, bonum autem naturaliter est amabile.

4. Videre occidi injustum hominem non est tantus terror, sicut videre Justum occidi; homo autem ignorans, quis eorum sit justus vel injustus, terretur æqualiter de ambobus: hoc etiam similiter declaratur in affinitate & parentela, sicut inter amicos & parentes, qui plùs terrentur, ût amicus de amico, videns, quòd ipse interficiatur, quàm de extraneo,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

traneo, & frater de fratre, & mater de filio, & è converſo; minùs tamen terrentur parentes de cadavere mortui affinîs vel cognati, quàm de cadavere extranei, quod patet in matre oſculante cadaver mortui filii: unde per hæc, quæ dicta ſunt, declaratur natura terroris Senſitivæ, ſecundùm quòd natura eſt diſpoſita inter vivum & mortuum.

QUÆSTIO CXIV.

Quomodo Sol eſt ſenſibilis?

1. SOlutio. Sol eſt lucidum corpus habens tantum luciditatis, quòd illuminet omnes partes illi contiguas; & quia ab illo loco, in quo partes ſunt contiguæ Soli, usque ad oculum ſunt ſucceſſivè partes in partibus exiſtentes omnes paſſivæ & receptivæ lucis Solis, idcirco Sol illuminans primas ſibi contiguas partes illuminat cæteras partes ſucceſſivas usque ad oculum, in quo Sol eſt viſibilis, influente unâ parte in aliam eandem lucem per rectam lineam, quam recipit à ſuperiori contiguâ parte, nam omnes iſtæ partes ſunt impreſſivæ una in aliam, dum deſcendit illa impreſſio lucis, quam Sol facit tantùm in ſuperiores partes.

2. Lux Solis non deſcendit inferiùs ad oculum, ſed tantùm imprimit ſuam ſimilitudinem in ſuperiores partes ſibi contiguas, quam quælibet ſuperior pars ſucceſſivè transmittit ad aliam usque ad oculum; nam, ſi Sol transmitteret ſuam lucem inferiùs, conveniret, quòd transmitteret aliquid ſuæ ſubſtantiæ, cùm ſua luciditas ſit adeò conjuncta & proportionata natura ſuo ſubjecto, quòd non appetat aliud extraneum ſubjectum, nec etiam aliud ſubjectum poſſet illam ſuſtinere præter Solem: ampliùs etiam, ſi Sol transmitteret aliquid ſuæ eſſentiæ ad inferiora, eſſet miſcibilis & generabilis & corruptibilis ſubſtantialiter.

3. Sicut Sol per Viſum eſt ſenſibilis, deſcendente ſimilitudine ipſius Solis de parte in partem ſucceſſivè per totum diaphanum ſpatium, ita ſimiliter radiis Solis intrantibus per feneſtram cameræ & receptis in aqua vel in ſpeculo, vel etiam in planitie bene politi ensîs, oritur inde lux illuminando, aſcendens de parte in partem ſucceſſivè, & reflectitur in tectum vel parietem cameræ, & hoc propter diaphanitatem aquæ vel aliorum. Item apparet in tecto vel in pariete mobilis propter motum aquæ & propter motum ſcintillationis ipſius Solis, quam aqua repræſentat, & iterum illuminando deſcendit de parte in partem ſucceſſivè usque ad oculum; & ideo talis linea eſt obliqua, quia eſt duplicata aſcendendo & deſcendendo; eſt autem orta de recta linea, videlicet de illa, quæ eſt à Sole usque ad prædictam aquam vel ſpeculum vel enſem.

4. Sol eſt manè viſibilis in majori quantitate, quàm in meridie propter groſſos & indigeſtos vapores exiſtentes in aëre medio inter Solem & oculum, nam in his vaporibus Sol poteſt plùs imprimere ſuam quantitatem, quàm luciditatem, ſed in meridie eſt hoc per oppoſitum, quia tunc vapores ſunt ſubtiliſati & digeſti à Sole; neque etiam manè apparet Sol mobilis, ſicut in meridie apparet Viſui eſſe ſcintillans, quia de manè vapores ſunt groſſi & indigeſti, in meridie verò ſubtiles & digeſti. Præterea, ſicut Sol eſt ſenſibilis in Viſu, ſic ſuo modo eſt ſenſibilis in Tactu per calidum; hoc autem eſt accidentaliter, ſcilicet propter ignem; quia Sol influens ſuam luciditatem in ignem calefacientem ſémet ipſum recipiendo illam influentiam plùs, quàm in cætera elementa mixta cum igne, fit ignis magìs activus, quàm cætera elementa, in ſenſato; & ſi cætera elementa non eſſent mixta cum igne per totum ſpatium, quod eſt ab hinc, ubi ſumus, usque ad lunarem regionem, Sol percuteret ignem tantâ influentiâ lucis, quòd ipſa lux multiplicaret tantam caliditatem, quòd nullum generatum corpus eam poſſet ſuſtinere.

QUÆSTIO CXV.

Utrùm Differentia inter Senſualia ſit ſenſibilis vel imaginabilis?

1. SOlutio. Sicut tempus, locus & motus ſunt ſimpliciter inſenſibilia entia, licèt ſint de entitate ſenſibilium, ita ſimiliter Differentia ſenſualium eſt inſenſibile ens, per accidens autem in ſuis ſubjectis eſt ens figuraliter ſenſibile, non formaliter; ût Differentia inter plantam & plantam, vegetatum & ſenſatum & hujusmodi; veruntamen ſimpliciter eſt imaginabilis, nam Imaginativa per phantaſmata attingit eam, quia imaginatur, quòd hæc phantaſia abſtracta à lapide, & illa abſtracta ab homine, & ſic de aliis, diverſimodè ſint ſituatæ imaginando: unde per accidens talis Differentia eſt imaginabilis tantùm.

In

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. In elementis est una bonitas, una magnitudo, una potestas &c. atque una quantitas, una qualitas, & sic de aliis; & hæc talis in radice universalis bonitas est insensibilis, bonitas autem (& cætera prædicta) alio modo se communicat igni, alio modo aëri, & sic de aliis: & ita in prædicta una bonitate est Differentia habitualiter creata, & reducitur ad actum ipsâ bonitate se diversificante & individuante in ignem, aërem &c.: hæc Differentia autem actu existens, quamvìs sit insensibilis, ût prædictum est, tamen est imaginabilis, ita, quòd Imaginativa alio modo imaginatur bonum ignem, quia per caliditatem & lucem, alio modo bonum aërem, quia per humiditatem & diaphanitatem: unde isto modo attingit Imaginatio distinctam vel differentem bonitatem, & per numeralem distinctionem bonitatis attingitur numeralis Differentia inter prædicta.

3. Sensitiva per tactum sentit corpus lapidis ponderosum & frigidum, & licèt ponderositas & frigiditas sint sensibiles, nihilominùs Differentia, quæ est inter ponderositatem & frigiditatem, est insensibilis, percepta tamen ab Imaginatione, imaginante Imaginativâ, quòd ponderositas sit proprietas alia à frigiditate, & è converso; nec tamen Imaginativa attingit immediatè sinè phantasmate illam eandem numero realem Differentiam, quæ est inter ponderositatem & frigiditatem lapidis, sed attingit mediante phantasmate similitudines earum distinctas in ratione; nam, sicut prima realis Differentia est insensibilis, ita est inimaginabilis.

4. Est alia caliditas flammæ, & est alia caliditas plantæ calidæ complexionis, in genere autem est una eadem caliditas sinè differentia, nam per accidens sequitur Distinctio inter prædictam caliditatem & caliditatem, quia utraque est per Tactum sensibilis, sed in genere est insensibilis & inimaginabilis; & quia Imaginativa plùs attingit in ratione, quàm Sensitiva, & Sensitiva plùs in re, quàm Imaginativa, sic Sensitiva attingit rem, sed Imaginativa similitudinem rei, ut in absentia sensûs repræsentetur objectum: igitur ex his patet, quòd distinctio vel Differentia sensualium rerum imaginando attingatur similitudinariè, non autem sic attingitur sentiendo, sensus tamen attingit proprietates rerum in præsenti.

QUÆSTIO CXVI.

Quæ Accidentia sint sensibilia, & quæ imaginabilia, & quæ intelligibilia?

1. Solutio. Quantitas absolutè est insensibilis, veruntamen est imaginabilis & intelligibilis; est insensibilis, quia sensus, qui est particularis, non potest attingere universalem quantitatem; est imaginabilis, quia Imaginatio ex omnibus quantitatibus multiplicat in ratione unam quantitatem similitudinariè, ut Imaginativa attingat universalem quantitatem; simili modo attingit eam Intellectus, sed veraciùs, quàm Imaginatio, quia Intellectus est universalior, quàm Imaginatio.

2. Sensus per Tactum attingit qualitatem in particulari quantitate, & quantitatem in particulari qualitate, & hoc manifestè patet per experientiam, si quis se calefaciat, sentit caliditatem ignîs quantam; particulariter tamen plus recipit ab igne, quàm sentiat; hoc accidens autem excedens sensus est tantùm imaginabile & intelligibile, in quantum excedit; particulariter autem, in quantum prædictum accidens sentitur, est magìs intensè sensibile, quàm imaginabile & quàm intelligibile; veruntamen respectu universalis virtutis est plùs intensè imaginabile & intelligibile, quàm sensibile; & hoc est, quia imaginatur & intelligitur plus illius qualitatis & illius quantitatis, quàm sentiatur per calefactionem ignîs, cùm calefaciens plus recipiat, quàm sentiat, sicut dictum est.

3. Caliditas & quantitas atque luciditas simplicis ignîs sunt insensibiles, per accidens autem sunt imaginabiles & intelligibiles, videlicet per similitudines compositi ignîs, qui per Tactum est sensibilis in quantitate & caliditate, & per Visum sensibilis in luciditate, ita, quòd Imaginatio & Intellectus mediante phantasmate attinguntignem quantitativè. Præterea relatio est insensibile accidens, tamen est imaginabile & intelligibile; similiter etiam alia accidentia diversimodè attinguntur à prædictis potentiis.

4. Spirituale accidens nec potest attingi à sensu nec ab Imaginatione; sicut recolere, intelligere, velle, Fides, Spes, Charitas, credere, sperare, & cætera his similia, quia non sunt de corporea natura, nam Imaginativa non est, ut attingat spiritualia accidentia,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dentia, ſed tantùm, ut corporale objectum objectatum ſenſualibus potentiis non pereat in abſentia illorum; & ita Imaginativa conſervat ſimilitudines per phantaſmata, ac etiam ſuper eam ſe revolvunt phantaſmata brutorum & etiam rationalium, movente Intellectu per illas ſimilitudines Imaginativam, poſtea Intellectus ſe denudans ab illis intelligit ſpiritualia accidentia in ſpirituali phantaſmate (ût ita loquamur) in quo generat ſpirituale verbum aggregatum de ſpiritualibus ſimilitudinibus.

QUÆSTIO CXVII.
In quo Senſu exiſtit Finis in Majoritate?

1. SOlutio. Majoritas in Senſitiva multis modis eſt conſideranda, hoc idem per conſequens ſequitur de Fine; nam quandoque Majoritas judicatur reſpectu quantitatis, quandoque reſpectu nobilitatis; igitur ad hoc eſt dicendum, quòd Finis, quare Senſitiva major eſt, conſiſtat quodam modo in uno ſenſu, & alio modo in alio ſenſu, & è converſo; nam Finis reſpectu æternæ Patriæ plùs conſiſtit in Viſu & in Auditu, quàm in cæteris ſenſibus, ut glorificatus homo videat & audiat laudare DEUM per inæſtimabilem Gloriam: veruntamen reſpectu præſentis vitæ Finis eſt major in Tactu, quàm in cæteris ſenſibus, quia eſt magìs generalis, & quia per Tactum omne ſenſatum eſt inceptum; & hoc per ſe patet.

2. Præterea damnata corpora in Inferno habebunt majorem afflictionem in Tactu ſentiendo calidum & frigidum, quàm in cæteris ſenſibus; igitur per oppoſitum ſignificatur, quòd glorificata Corpora in felici Patria naturaliter habebunt majorem Gloriam in Tactu, quàm in cæteris ſenſibus, quolibet ſe ſentiente incorruptibilem in perpetuum, exiſtentibus elementis in tanta juſtitia & proportione, quòd inter ipſa elementa in quolibet glorificato Corpore ſit omnimoda Concordantia totaliter ſinè Contrarietate; & ex hoc patet, quòd Magnitudo Finîs naturaliter & in Patria & in Via plùs conſiſtat in Tactu, quàm in cæteris ſenſibus.

3. Quoniam Senſitiva eſt diffuſa in quinque proprietates, habet in qualibet proprietatum ſuam Majoritatem Finîs reſpectu actûs cujuslibet proprietatis; quia Viſus eſt major, quando videt, quàm cæteræ; & Auditus, quando audit, & ſic de aliis hujusmodi; etiam in Viſu aliquæ proprietates Potentiæ Vegetativæ ſunt majores per aliquem modum, quàm aliæ, & idem eſt in Tactu; & ita de qualibet proprietate; & hoc ſcitur per manifeſtam experientiam: nam Viſus plus videt per luciditatem ignîs & per diaphanitatem aëris, quàm per diaphanitatem aëris & impreſſionem aquæ; etiam plus videt per evacuationem terræ, & repletionem aëris, quàm per humiditatem, frigiditatem, & ſic de aliis; & ideo de Majoritate Finîs inter ſenſus diverſimodè debet fieri judicium.

4. Finis eſt major in forma, quàm in materia; & per conſequens forma habet Majoritatem, cùm ipſa ſit nobilior, quàm materia; & ideo de Fine & de Majoritate debet fieri judicium in Senſitiva, ſcilicet quòd ſenſus, in quantum eſt de eſſentia Senſitivæ, eſt formalis, tamen reſpectu organi eſt Vegetativa illi materialis; & ideo dicendum eſt, quòd Finis & Majoritas fortiùs ſint ex parte proprietatum Senſitivæ, quàm Vegetativæ; & hoc patet in corde, quòd judicatur calidum & humidum, & per Tactum eſt cor in Majoritate Finîs, videlicet per hoc, quod eſt ſentire ſanitatem & hilaritatem potiùs, quàm per ſentire calidum & humidum.

QUÆSTIO CXVIII.
Per quem Senſum Anima magìs concordet cum Virtute, & contradicat Vitio?

1. SOlutio. Secundùm quòd Rationativa & Senſitiva ſunt conſtitutæ, conjunctæ & unitæ, debet dari reſponſio ad hanc Quæſtionem: unde eſt dicendum, quia intelligere & videre concordant, recolere verò & audire, atque voluntas & tangere, eò quòd Voluntas plùs appetit ipſum tangere, quàm alium actum ſenſûs, cùm ſit principium generationis & cauſa conſervationis ſpeciei Senſitivæ, & Voluntas etiam naturaliter appetit nobiliorem actum: ergo Anima poteſt acquirere plus virtutis, & magìs reſiſtere vitio per Tactum, Viſum & Auditum, quàm per alias potentias ipſius vel ſenſus Senſitivæ.

2. Intellectus ſimpliciter plus poteſt inquirere per Viſum, quàm per aliquem alium ſenſum, inveſtigando viſibiles res & proprietates earum; nam hæ ſunt magìs objectabiles ſuperficialiter Viſui, quàm alteri ſenſui;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſui; per Auditū autem poteſt Intellectus plùs habituare ſcientiam, quàm per Viſum, quia Memoria retinet verba per Auditum: igitur ex his patet, quòd Intellectus per Viſum & Auditum plùs poſſit reſiſtere vitiis, & acquirere virtutes, quàm per cæteros ſenſus, diverſimodè tamen, quia quandoque meliùs per unum prædictorum, quàm per alium.

3. Licèt Voluntas naturaliter plùs debeat appetere Tactum, quàm alium ſenſum, non tamen debet ipſum appetere tantùm ſecundùm nobilitatem ipſius ſensûs; imò ſecundùm nobilitatem virtutis Animæ & volendi potiùs, quàm ſecundùm nobilitatem ſensûs; nam Voluntas plùs poteſt acquirere virtutes, & reſiſtere vitio per ſe ſimpliciter, quàm per tangere, in quantum habet in ſuo velle virtutem volendi cum Juſtitia, & cum magnitudine bonitatis, poteſtatis &c.; & ideo Voluntas plùs poteſt acquirere virtutes, & plùs reſiſtere vitio per Tactum, ſi ordinatè utatur Tactu, quàm per alium ſenſum, in dimittendo propter DEUM carnales delectationes.

4. Anima per ordinatum Guſtum poteſt frequentiùs acquirere Temperantiam, quàm per alium ſenſum, & per conſequens Juſtitiam & cæteras virtutes, quia frequentiùs utendum eſt Temperantiâ in guſtando, quàm in alio ſenſu; ſed quia cæteræ virtutes ſunt magìs intenſæ & nobiliores, quàm Temperantia, ideo Juſtitia & Fortitudo poſſunt eſſe nobiliores in Charitate & in ſe ipſis, quàm in Temperantia; & per conſequens ſunt nobiliores in Tactu vel in Viſu vel Auditu, quàm in Temperantia.

QUÆSTIO CXIX.

Utrùm Senſus priùs incipiat ab Univerſali, quàm à Particulari?

1. SOlutio. Sicut Intellectiva ſe habet ad intelligendum, ſic ſimili modo Senſitiva ad ſentiendum; nam ſicut Intellectus incipit à particulari, & deinde multiplicat univerſale, & iterum recuperat particulare, quo indiget, ita ſimiliter & Senſitiva; & hoc eſt, ut ſit major proportio inter illas duas potentias & in eſſendo & in agendo, & in aſſimilando, & in conjungendo & vivendo.

2. Hoc poſito, quando Viſus per organum incipit videre, priusquam Viſus videat viſum, incipit viſivum in ſuo proprio viſibili, deinde in remoto viſibili, videlicet in colorato, ſed priusquam ſit facta celebratio (conjunctio) inter unum viſibile & aliud, ſequitur ſucceſſio; ergo priùs convenit, quòd Viſus incipiat à particulari, quàm ab univerſali; illa pars verò, à qua priùs incipit, eſt univerſalis; & ita à prima parte incipiens in alteram ſequentem, & de illa in alteram ſucceſſivè attingit per conſequens totam lineam univerſaliter usque ad coloratum objectum, tunc attingit particulare, videlicet coloratum objectum, mediante univerſali multiplicato de multis particularibus, videlicet mediante lineâ; & hoc ſimili modo ſequitur de Auditu & Odoratu.

3. Quando Senſitiva ſentit per Guſtum, tunc ſenſus incipit à confuſo particulari, videlicet in aliqua prima parte, in qua perfectè non attingit ſaporem, deinde per illam attingit aliam, cùm quælibet earum ſit in alia, & hoc modo multiplicat ſucceſſivè confuſum univerſale, ſicut de Viſu dictum eſt; deinde deſcendit ad particulare, videlicet ſentiendo ſaporem in cibo & potu; & hoc patet per experimentum; nam, dum aliquis tentat guſtare vinum, utrùm ſit ſapidum, in principio, dum Guſtus attingit vinum, non attingit totum ſaporem vini, dum autem Guſtus præcisè & ſpatiosè attingit vinum in ore, tunc ſentit fortiùs, quàm priùs ſenſerat; ſed immediatè poſt tranſitum vini ſentit guſtus ſaporem vini in majori actu ſentiendi, quo poſſit ſentire; & tunc extrahit particulare ab univerſali, videlicet à pluribus confuſis particularibus.

4. Dum aliquis imaginatur aliquod vituperium ſibi factum, tunc illi incipit Senſitiva tactu moveri à confuſo particulari, usque quò ſentit paſſionem, & quantò magìs Imaginativa illius imaginatur illud vituperium, tantò magìs ira multiplicatur, & plus patitur Senſitiva; hoc etiam ſimili modo ſequitur de carnali motu, qui fit ex diverſitate appetitûs in tantum, quòd appetitus de confuſione deſcendit in aliquod ſpecificum objectum; & hoc per ſe patet.

QUÆSTIO CXX.

Utrùm Senſitiva ſit major in Viro, quàm in Muliere?

1. SOlutio. Manifeſtum eſt, quòd vir habeat majorem & nobiliorem naturam, quàm mulier; nam corporalis natura formaliùs ſe com-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

communicat viro, quàm mulieri; & ita mediante ſenſitivâ formâ plùs ſentit vir communiter, quàm mulier, ſimpliciter autem ex parte materiæ mulieris natura ſentiendi plùs ſe communicat mulieri, quàm viro, cùm natura ex parte materiæ plùs ſe communicet mulieri, quàm viro: ex his ergo patet, quòd vir plus ſentiat in agendo, quàm mulier, mulier autem in patiendo plùs, quàm vir.

2. In utroque ſexu eſt ſenſitivum & ſenſibile, ſed proprium ſenſibile viri eſt magìs intenſum in paſſione ſub ſua propria forma, videlicet ſub ſenſitivo ipſius viri, quàm proprium ſenſibile mulieris ſub ſuo proprio ſenſitivo, quia proprium ſenſibile mulieris plus ſentit ſub ſenſitivo & ſenſibili viri, cùm plùs patiatur, quàm ſentiat proprium ſenſibile viri ſub ſenſitivo & ſenſibili mulieris, cùm plùs agat; ſed extensè propinquum ſenſibile mulieris plus ſentit, quàm ſenſibile viri; & ideo propter majorem ſecretam & abſconditam intenſitatem ſenſibilîs viri appareret, quòd vir non tantum ſentiat, quantum mulier, quia ſenſus per modum paſſionis eſt major extensè in illa, quàm in illo.

3. Senſus mulieris eſt magìs extenſus per extremitates ſubſtantiæ, quàm ſenſus viri, quia intenſitas ſensûs viri eſt major intra ſubſtantiam, quàm in extremitatibus ſubſtantiæ; hoc autem habet ita eſſe comparativè inter virum & mulierem, quia mulier reſpectu materiæ habet receptivam Senſitivam, vir autem reſpectu formæ habet influxivam & impreſſivam Senſitivam, ut agat; & ex hoc, quia naturaliter eſt major virtus viri in ſubſtantia viri, quàm virtus mulieris in ſubſtantia mulieris, ſequitur, quòd vir frequentiùs appetat generare, quàm mulier, & plus influat in generatione, quàm mulier; ſed quia mulier eſt paſſiva, plus appetit naturaliter, quàm vir, cùm ſit remotior à perfectione, quàm vir.

4. Cauſa, quare mulier citiùs gaudet vel triſtatur, vel citiùs convertitur vel citiùs ſuſpicatur, & quare eſt labilior, verecundioſior & pavidior, quàm vir, & ſic de aliis hujusmodi, eſt, quia Senſitiva mulieris plùs viget in extremitatibus ſubſtantiæ, quàm Senſitiva viri, minùs autem in interioribus ſubſtantiæ, quàm Senſitiva viri, ſicut prædictum eſt; & ideo radix Senſitivæ non eſt tanta in muliere, quanta eſt in viro; & ideo mulier non poteſt tantum conſervare ſuam virtutem, quantum vir, quia minor eſt radix illius, quàm iſtius; quod per ſe manifeſtè patet.

QUÆSTIO CXXI.

Quare Senſibilitas plùs vigeat in Tactu, quàm in alio ſenſu?

1. SOlutio. Vegetativa eſt ſubjectum Senſitivæ, & quia caliditas, frigiditas, fames & ſitis, ægritudo & cætera hujusmodi magìs intensè adhærent Vegetativæ, quàm ſonus, color & odor, plùs ſentit Senſitiva per Tactum, quàm per alium ſenſum; Senſitiva per Tactum ſentit magìs intensè, quàm per aliquem alium ſenſum; nam convenit, quòd Senſitiva plùs ſentiat per hoc, per quod Vegetativa eſt major in eſſentia & virtute.

2. In generatione eſt Tactus præ cæteris ſenſibus dominans, ût per ſe manifeſtè patet; Tactus etiam eſt propinquior formæ & materiæ, quàm cæteri ſenſus; & per conſequens Tactus eſt remotior ab accidentibûs, quàm cæteri ſenſus; ergo ſenſus alii à Tactu ſunt propinquiores accidentibus, quàm ipſe Tactus: igitur ex his eſt probatum, quòd ſenſibilitas plùs vigeat in Tactu, quàm in aliis ſenſibus.

3. Sicut Tactus ſuperat Guſtum & cæteros ſenſus ſentiendo, ſic Guſtus ſuperat ſequentes ſenſus ſentiendo, ſic etiam ſimiliter Odoratus ſuperat Auditum & Viſum; & hoc ita debet eſſe, quia Tactus plùs eſt intra ſubſtantiam, quàm cæteri ſenſus, deinde guſtus, & deinde Odoratus; igitur, quantò magìs ſenſus ſunt interni ſubſtantiæ, tantò magìs ſunt neceſſarii ad conſervandam ſubſtantiam: veruntamen Odoratus quoad extrinſecam operationem non eſt tam neceſſarius, ſicut Viſus vel Auditus.

4. Secundùm reale ens Senſitiva plùs agit per Tactum, quàm per Guſtum, & per Guſtum, quàm per Odoratum, & per Odoratum, quàm per Viſum, & per Viſum quàm per Auditum; ſed ſecundùm ſimilitudines realium entium Senſitiva plùs agit per Guſtum, quàm per Tactum, & per Odoratum, quàm per Guſtum, & per Viſum, quàm per Odoratum, & per Auditum, quàm per Viſum: unde per iſtos duos modos ſentiendi patet, quòd Senſitiva ſentiat ſubſtantialiter & accidentaliter, ſubſtantialiter, ſcilicet per res, accidentaliter, videlicet per ſimilitudines rerum, ſed ſecundùm unum modum meliùs, per alium modum verò minùs.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

INCIPIUNT
QUÆSTIONES
Vegetativæ & Elementativæ.

QUÆSTIO CXXII.
Quomodo Vegetativa ſit conſiderabilis?

1. SOlutio. Vegetativa ſic eſt conſideranda, quòd facta Poſitio de ipſa Vegetativa ſit demonſtrabilis ſecundùm *Artem Demonſtrativam;* igitur conſideramus Vegetativam ſecundùm *Artem Demonſtrativam* iſto modo: & dicimus, quòd Vegetativa ſit accipienda duobus modis, videlicet *Prima* & *Secunda.*

Prima eſt univerſalis conſtituta de Prima Forma & de Prima Materia, quæ ſunt Corporeïtas implens, quidquid eſt ſub lunari orbe, habens in ſe quatuor potentias, videlicet quatuor Simplicia Elementa, de quibus producitur omne vegetabile corpus; ipſa Prima Vegetativa verò eſt conſtituta de una bonitate, una magnitudine, duratione, & ſic de aliis, quæ ſunt ejus prima principia & eſſentiales partes; & etiam ipſa bonitas eſt individuata in igneïtatem, aëreïtatem, aqueïtatem, terreïtatem, ſimiliter & magnitudo & duratio, & ſic de aliis; & ita conſtitutæ prædictæ potentiæ ſunt diſtinctæ, ſimiliter etiam diſtinctæ accidentales proprietates, videlicet caliditas, humiditas, levitas & ponderoſitas, & cætera hujusmodi.

Eſſentia Primæ Vegetativæ ſunt ipſa prima prædicta principia, ſcilicet bonitas, magnitudo &c., ût dictum eſt, & conſtituunt iſtas quatuor formas, quæ ſunt igneïtivum, aëreïtivum, aqueïtivum, terreïtivum, & de his quatuor eſt una univerſalis & Prima Forma: ſimiliter etiam quatuor materias, ût igneïbile, aëreïbile, aqueïbile, terreïbile, de quibus eſt una univerſalis & Prima Materia; & de his duobus primis, videlicet de Prima Forma & Prima Materia eſt aggregata & conſtituta Prima Vegetativa, ita, quòd ſint eſſentia illius.

2. Hæc Prima Vegetativa habet realiter in habitu quinque Univerſalia, quæ ſunt Genus, Species &c., ſimiliter decem Prædicamenta, ſcilicet Subſtantiam, Quantitatem &c., & quidem iſta omnia habet realiter, in quantum ipſa omnia ſub ratione ſenſibilium & vegetabilium ſunt conſideranda; quorum omnium etiam & ſingulorum partes reducuntur in actum in Secunda Vegetativa, cum quibus & de quibus Senſitiva ſentit & miniſtrat Imaginativæ, & Imaginativa Intellectivæ, unde formantur Secundæ Intentiones, ſcilicet Genus, Species &c.

Iſta Prima Vegetativa eſt materia & forma Secundæ Vegetativæ, & univerſalis ei influens de ſe & producens eam mediante Naturali Agente & influentiâ ſupracœleſtium corporum. Iſta Prima Vegetativa etiam eſt eſſentia miſcibilium corporum; & eſt inſenſibilis & inimaginabilis, continens in ſe omnia corporeæ naturæ ſub lunari orbe.

3. *Secunda* Vegetativa eſt Primitivus Actus, & ſuæ potentiæ & ipſa ſua eſſentia ſunt quatuor Compoſita Elementa; unde ſicut ſenſus ſimpliciter eſt in Senſitiva, ita Secunda Vegetativa eſt ſituata & habituata in Prima; & etiam, ſicut oculus eſt organum Viſûs, ita Compoſita Elementa ſunt organa Simplicium Elementorum, & ſimiliter organa Secundæ Vegetativæ; & ſicut ex Viſu & organo procedit videre, ita ſimiliter ex Prima Vegetativa & Secunda procedit planta, lapis, animatum corpus, & cætera hujusmodi corpora ſubdita vegetationi; & hæc ſunt ſenſibilia, id eſt, ſenſu perceptibilia; nam hoc reducitur de habitu exiſtente in Prima in actum exiſtentem in Secunda, in qua ſunt & apparent individuata exiſtentia ſub diverſis ſpeciebus habituatis in Prima & reductis in actum infuſivè per omnia ſua individua.

4. In Prima Vegetativa eſt Primum Naturale Agens id, quod diſponit illud, quod eſt in habitu Primæ, ut reducatur ad actum per viam generationis in Secunda; ipſum Agens autem eſt, quod influit, diſponit & præparat Primam Vegetativam ad Secundam, videlicet quatuor Simplicia Elementa influentia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tia de Prima Forma & de Prima Materia; Secundum Naturale Agens verò eſt in Secunda Vegetativa recipiens influentiam Primi, & alterans in ſuam ſpeciem id, quod ab ea recipit, ſicut animal generans ſuum ſemen; & hoc ita fit mediante Secundâ Vegetativâ habente has proprietates, videlicet Generativam, Gubernativam, Nutritivam, Augmentativam, Alterativam, Corruptivam, & etiam Appetitivam, Retentivam, Digeſtivam & Expulſivam, ſimiliter etiam multas alias proprietates, ſcilicet Tempus, Motum & Locum; quæ Secunda Vegetativa habet formam & materiam ad conſtituendum vegetatum & etiam ſenſatum corpus; & eſt ſubjecta Senſitivæ Potentiæ, & exiſtit in actu, quia in Prima Vegetativa exiſtit in habitu.

QUÆSTIO CXXIII.

Utrùm Vegetativa ſit Corporeïtas vel Corpus?

1. SOlutio. Secundùm jam factam poſitionem de Vegetativa eſt hæc Quæſtio Solubilis: igitur eſt dicendum, quòd Vegetativa ſit Corporeïtas, & corpus ſit conſtitutum de illa; nam, ſicut ſcriptæ literæ, ût A. B. C. &c., ſunt de atramento, & in ipſo alia eſt diverſa ab alia, ſic ſimiliter vegetabilia corpora exiſtentia diverſa ſunt de Corporeïtate, quæ eſt Vegetativa exiſtens eſſentia omnium elementatorum corporum, habens in ſe *ſituata & habituata vegetabilia corpora, ût plantarum, animalium, lapidum & metallorum*, ſicut ſimplex ignis habet in ſe compoſitum ignem, & naturalis linea ſuas partes, de quibus eſt quanta, aliâ parte illius exiſtente in alia, ut ſit continua quantitas; & ſic de aliis hujusmodi.

2. Sicut Vegetativa eſt diſtincta in Primam & Secundam, ût dictum eſt, ſimiliter etiam Corporeïtas; nam *Corporeïtas* alia eſt *Univerſalis*, & alia eſt *Particularis*; *Univerſalis* eſt illa, quæ de pluribus ſimplicibus formis eſt compoſita, videlicet de divinis ſimilitudinibus, quæ ſunt bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, & ſic de aliis, conſtituentes unam Corporeïtatem, ita, quòd quælibet per ſe non eſt corpus, ut quælibet pars earum exiſtat in alia, ſed de omnibus ſimul eſt una Corporeïtas, quæ tamen non eſt corpus, eſt autem plus circa corpus, quàm per ſe quælibet pars Corporeïtatis; & hoc modo conſideratur *Confuſum Corpus*, videlicet *Chaos*. In hac Prima Corporeïtate autem eſt Secunda Corporeïtas, quæ eſt *particularis*, videlicet ipſa Vegetativa individuata in plantas, animalia & cætera his ſimilia, quæ vivunt, & quæ generantur, & quæ nutriuntur, & ſic de aliis; hæc Secunda Vegetativa non eſt corpus, ſed de ipſa & per ipſam ſunt corpora, exiſtens mixta per omnia ipſa corpora, de ſémet eſſentians illa, ût figuraliter apparet in ſanguine in animali, & in planta in liquiditate diffuſa per ſtipitem, per ramos, per folia, flores & fructus.

3. Corporeïtas exiſtens Vegetativa eſt habitus, & Corpus eſt actus, hic habitus autem eſt compoſitus de ſupradictis principiis venientibus ad ipſum habitum, ipſo habitu habente in ſe Corpus in actu & proprietates Corporis habituatas in ſe, videlicet calefacere & lucere Ignîs, & generare, & ſic de aliis hujusmodi; quando autem Corpus corrumpitur, ipſum & proprietates ejus reducuntur ad id, unde ſunt, videlicet ad Corporeïtatem, in qua & à qua gubernabatur Corpus cum ſuis proprietatibus, & deſtruitur ejus individuus numerus, & ex ipſo conſiſtit aliud in habitu, & hoc tamen cum additione & diminutione partium, & renovatione alterius mixtionis & novæ formæ mediante Vegetatione & Naturali Agente; quod tamen non poſſet fieri, ſi Vegetativa eſſet ſolidum Corpus, quia corpus non poſſet eſſe in corpore.

4. In planta vegetat ignis in Aëre & in Aqua & in Terra, ſimiliter etiam Aër in Aqua & in Terra & in Igne, & ſic de aliis duobus circulariter; & ex hac operatione vivit planta habens in ſe & per totam ſe ipſam hanc operationem & vitam, & hoc eſt Vegetativa, quam planta habet in ſe & in omnibus ſuis partibus; hoc idem ſimiliter ſequitur in animali: quare, ſi Vegetativa eſſet Corpus, & non Corporeïtas, eſſet impoſſibile, quòd in planta aliud Elementum ageret in aliud, nec etiam eſſet eorum mixtio in planta, nec per conſequens eſſet planta vivens; quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO CXXIV.

Utrùm Simplicia Elementa ſint Potentiæ ipſius Vegetativæ?

1. SOlutio. Secundùm quòd Vegetativa eſt conſiderabilis, ſunt *ſex Termini* neceſſarii

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ceſſarii ad cognitionem Vegetativæ, per quos diſcurritur, quidquid eſt de naturalibus; & per hos ſex Terminos debet ſolvi hæc Quæſtio, ſimiliter etiam cæteræ Quæſtiones, quæ fiunt de Naturalibus.

Primus Terminus ſunt primæ ſimplices formæ, ſcilicet bonitas & magnitudo &c., quæ ſunt ſimilitudines DEI. *Secundus Terminus* verò ſunt ipſæ res, in quibus totus primus terminus eſt aggregatus, & iſtæ ſunt igneïtas, aqueïtas, aëreïtas, terreïtas & proprietates earum. *Tertius* eſt quoddam ens compoſitum de toto primo & ſecundo, quod eſt *Chaos* habens omnia prædicta, ipſum Chaos autem eſt compoſitum de Prima Forma, & Prima Materia. *Quartus* ſunt potentiæ & proprietates, quas tertius habet in agendo. *Quintus* ſunt operationes quarti. *Sextus* verò & ultimus eſt operatum, videlicet vegetatum. Unde ſecundùm hoc dicendum, quòd *Vegetativa* ſit ens conſtitutum univerſale habens in ſe *quatuor potentias*, videlicet *quatuor Simplicia Elementa*, ſicut *Senſitiva* habet *quinque potentias*, ſcilicet quinque ſenſus.

2. Illud eſt affirmandum, per quod *Intellectiva* & *Senſitiva* habent majorem *ſimilitudinem* & *proportionem* cum *Vegetativa*, ut earum trium conjunctio ſit magìs proportionabilis: unde, ſicut Intellectiva habet ſuas potentias, videlicet Memoriam, Intellectum & Voluntatem, cum quibus agit, & eſt eſſentialiter idem cum ipſis, & ſimiliter Senſitiva habet ſuas potentias, ût Viſum, Auditum &c., cum quibus agit, & eſt eſſentialiter idem cum ipſis, ſic ſimiliter convenit, quòd Vegetativa habeat ſuas potentias, cum quibus agat, & de quibus ſit conſtituta, ut ſit eſſentialiter idem cum eis; & convenit, quòd iſtæ potentiæ ipſius Vegetativæ ſint quatuor Simplicia Elementa, & hæc ſunt potentiæ *Primæ Vegetativæ*, quia ſuper ſe & de ſe per iſtas ſe reflectit, & per iſtas agit de ſe ipſa in *Secundam Vegetativam*, & iſtæ de ſe & in ſe ipſas producunt ipſam Secundam Vegetativam; quæ habet alias *quatuor potentias*, videlicet *quatuor Compoſita Elementa*.

3. Materialiter planta eſt de planta, animal de animali, lumen de lumine, caliditas de caliditate, quantitas de quantitate, & ſic de aliis hujusmodi; ex his igitur patet, quòd Vegetativa ſit de Vegetativa, videlicet *Secunda* de *Prima*, & *potentia* de *potentia*, videlicet *Compoſita Elementa* de *Simplicibus Elementis*, & *compoſitum* de *compoſito*, videlicet *Compoſitum Elementum* de *Compoſito Elemento*, & pars ſimiliter de parte, ut partibus inſimul mixtis ſit elementatum mixtum; unde omnia iſta ſunt neceſſaria; & ex iſta neceſſitate manifeſtè patet, quòd quatuor Simplicia Elementa ſint potentiæ *Primæ Vegetativæ*, ut de ipſa Prima ſequatur Secunda Vegetativa, & de primis ſimplicibus potentiis ſecundæ compoſitæ potentiæ; nam aliter eſſent impoſſibilia prædicta principia naturæ.

4. Si Simplicia Elementa ſunt potentiæ ipſius Vegetativæ, Simplex Ignis agendo de Simplici Aëre & de cæteris Simplicibus Elementis poteſt vegetare & generare de ſe & de illis Compoſitum Ignem, & de omnibus plantam vegetatam productam de Prima Vegetativa, videlicet de eſſentia Simplicium Elementorum; & inde ſequitur, quòd principia naturæ ſe habeant ad majorem Finem, videlicet Concordantia, Mixtio, Propinquitas, Operatio, Actio & Paſſio, Digeſtio & Appetitus, & ſimiliter cætera hujusmodi principia naturæ; ſi autem Simplicia Elementa non ſunt potentiæ ipſius Vegetativæ, ſunt impoſſibilia hæc, quæ diximus, ſed potiùs ſequitur oppoſitum, quod eſt impoſſibile & contra Poſitionem factam de Vegetativa.

QUÆSTIO CXXV.

Utrùm quatuor Potentiæ ipſius Vegetativæ habeant ſubſtantialiter in Radice unam Bonitatem, Magnitudinem, & ſic de aliis hujusmodi?

1. SOlutio. Benedictus DEUS, quantum poteſt, aſſimilat ſibi unamquamque creaturam exiſtentem talem, qualis ipſa eſt, ſed, cùm in DEO non ſit, niſi una Bonitas, una Magnitudo, & ſic de aliis; igitur appareret, quòd in Potentiis Vegetativæ, videlicet in quatuor Elementis, ſit abſolutè in radice una bonitas, una magnitudo, una duratio, & ſic de aliis; & ſicut etiam in Deitate Bonitas, & ſic de aliis, ſe habet diſtinctè ad Proprietates ipſius Deitatis, videlicet per alium modum ad Paternitatem, per alium modum ad Filiationem, & per alium modum ad Spirationem, ita ſimiliter etiam in Vegetativa bonitas Vegetativæ, & ſic de aliis, per alium modum ſe habet ad igneïtatem,

per

(c) 2006 Ministerio de Cultura

per alium ad aëreïtatem, per alium ad aqueïtatem, & per alium ad terreïtatem, ita, quòd in radice una eadem bonitas diſtinctimodè vel diverſimodè eſt in diverſis proprietatibus ſive potentiis, ut ipſa bonitas & ſuæ proprietates ſint magìs ſimiles DEO, & ut præbeant majorem notitiam de ipſo & de Intrinſeca Operatione illius.

2. Si in quatuor Potentiis Vegetativæ ſit in radice una quantitas, una qualitas, & ſic de aliis, quâlibet iſtarum conſtituente diverſas & concordantes & contrariantes proprietates, videlicet caliditatem, humiditatem, frigiditatem, ſiccitatem, & ſimiliter alias, ût levitatem, ponderoſitatem, raritatem, groſſitiem, & ſic de aliis hujusmodi, ſequitur inde Majoritas per totam Generationem & Corruptionem, & per totam Mixtionem & Digeſtionem inter diſtinctum & diſtinctum, concordans & concordans, contrarium & contrarium, conjunctum & conjunctum, & inter partem & partem ſubſtantialiter & accidentaliter, videlicet inter ſubſtantialem partem & ſubſtantialem partem, & inter ſubſtantialem & accidentalem partem, vel inter accidentalem & accidentalem, ſicut per ſe manifeſtè patet; igitur Potentiæ ipſius Vegetativæ habent ſubſtantialiter in radice unam bonitatem, magnitudinem &c.: nam aliter principia naturæ non eſſent in Majoritate Finîs & Æqualitatis, nec etiam multa alia, quæ ſequuntur; quod eſt valde inconveniens: ergo Potentiæ ipſius Vegetativæ habent ſubſtantialiter in radice unam bonitatem, magnitudinem &c.

3. In Prima vel in Secunda Vegetativa Ignis eſt bonus, & Aër eſt bonus, & ſimiliter unumquodque aliorum; unde, ſi bonitas iſtorum ſit una in radice, & ſimiliter magnitudo &c., bonitas Ignîs eſt diſtincta à bonitate Aëris, & à bonitate cujuslibet aliorum elementorum, quia bonitas Ignîs eſt ſub ſpecifica proprietate, quæ eſt igneïtas, & bonitas Aëris erit ſub ſpecifica proprietate, quæ eſt aëreïtas; & ſic de ſingulis elementis: & quia bonitas elementorum eſt una in radice, ideo bonitas Ignîs & bonitas Aëris habent Concordantiam, intrantes alia in aliam, quia ſunt idem in eodem genere; ſed remanent diſtinctæ accidentaliter, quia proprietates ſunt diſtinctæ, & non ſunt idem in genere, videlicet igneïtas, aëreïtas &c.; hoc idem ſimiliter ſequitur de bonitate quantitatis in qualitate &c., quia in radice eſt una, tamen diſtincta ſecundùm diverſas proprietates, ût in caliditate & humiditate &c., quæ non ſunt idem in radice, & per conſequens habent contrarietatem vel immediatè vel mediatè, immediatè, ſicut Ignis & Aqua, Aër & Terra, mediatè verò, quia Ignis intrans in Aërem infundit ſuam ſiccitatem in illum, & ſic de aliis: unde ad hoc, ut alia pars ſit in alia, & per conſequens Vegetativa poſſit vegetare, ſicut Senſitiva ſentire, eſt neceſſarium, quòd quælibet ſimplex forma Vegetativæ ſit una in radice, & diviſa in proprietates, quæ ſunt diſtinctæ in radice & genere.

4. In Vegetativa plantæ forma Ignîs eſt bona, & materia Ignîs eſt bona, igitur bonitas Ignîs eſt una in radice, diviſa tamen in formam & materiam, ita, quòd alia bonitas in Igne eſt activa, alia bonitas verò eſt paſſiva; hoc idem ſimiliter eſt in aliis elementis: & quia in omnibus quatuor potentiis eſt una bonitas in genere, ſcilicet bonitas activa aggregata de quatuor formis earum, & bonitas paſſiva aggregata de quatuor materiis earum, habent ſe in majori propinquitate, ita, quòd quælibet illarum quatuor formarum poteſt inde plus agere in propinqua & remota materia, & quælibet illarum quatuor materiarum plus pati ſub propinqua & remota forma, & per conſequens meliùs poſſunt in planta uniri forma & materia, & forma & forma, & materia & materia, & ſimiliter ſubſtantia & ſubſtantia, & ſubſtantia & accidentia, & accidentia & accidentia.

QUÆSTIO CXXVI.

Utrùm Univerſalis Materia poſſit eſſe ſinè Univerſali Forma?

1. SOlutio. Natura habet tantò plus virtutis, quantò magìs eſt ſimilis DEO, quàm minùs ſimilis; ſed quia DEUS eſt Forma, non autem materia; igitur natura plus poteſt per formam, quàm per materiam; nam forma ſe habet ad finem, & materia ad potentiam, ita, quòd forma habeat in habitu id, quod materia habet in potentia; nam materia habet in potentia particularem formam, forma verò dat eſſe materiæ, ut reducatur in actum illa forma, quæ eſt habituata in forma generativa de potentia materiæ, ût in plantas & in animalia, & ſic de aliis; igitur eſt manifeſtum, quòd Univerſalis & Prima

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Prima Materia non poſſit eſſe ſinè Univerſali & Prima Forma, quæ ſiquidem Forma dat eſſe ipſi Primæ Materiæ, & in qua Forma etiam ſunt in habitu omnes generales formæ: igitur huic Univerſali Formæ eſt Prima Univerſalis Materia paſſivum ſubjectum, & ipſa Forma ipſi Materiæ activum ſubjectum.

2. Si Prima Univerſalis Forma non eſt, Prima Univerſalis Materia non eſt paſſiva ſub Prima Univerſali Forma, & tamen eſt paſſiva ſub particularibus formis, videlicet ſub illa forma hujus plantæ, & ſub iſta forma hujus leonis, & ſic de ſingulis; & ita non eſt proportio nec conformitas inter agentia & patientia, quia illud, videlicet patiens, eſt univerſale, illud autem, videlicet agens, eſt particulare; ſed hoc eſt plùs & magìs conveniens, videlicet, quòd ſit univerſale agens & univerſale patiens, & particulare agens & particulare patiens, & quòd appetitus ſit proportionatus inter univerſale & univerſale, particulare & particulare, & per conſequens inter univerſale & particulare: ergo Univerſalis Materia non poteſt eſſe ſinè Univerſali Forma.

3. In Prima Univerſali Materia non eſt, niſi una bonitas tantùm, una magnitudo, una quantitas, & ſic de ſimilibus iſtis; hæc bonitas autem, & ſic de qualibet aliarum, tranſit in particularem bonitatem, videlicet in hanc plantam, vel in illud animal, & hoc modo ſequitur ſpecifica & particularis materia; & ideo, ſi Prima Univerſalis Forma nihil eſt, ſequitur, quòd particularis forma habens unam ſpecificam & particularem bonitatem poſſit individuare univerſalem non ſpecificam bonitatem, exiſtente illâ individuatâ bonitate unâ in radice cum ipſa univerſali bonitate, ſed individuante non exiſtente idem in radice cum aliqua univerſali bonitate, imò potiùs omnes particulares formæ diſtinctæ in ſpecies eſſent diſtinctæ in radice bonitatis &c., quod eſt valde inconveniens: igitur eſt una Prima Univerſalis Forma, ut una Univerſalis Bonitas, & ſic de aliis, ſit in radice, quæ regat in Vegetativa omnes particulares bonitates tam activas, quàm paſſivas, ut particularia regantur ſub ſuis univerſalibus.

4. Si Prima Univerſalis Materia non eſt ſub Prima Univerſali Forma, relinquitur, quòd erit vel ſub forma igneïtatis, aëreïtatis &c., vel non; & ſi ſic, ſequitur, quòd Univerſalis Vegetativa ſit ſub ſpecificis formis exiſtens univerſalis quoad materiam, non autem quoad formam, quod eſt impoſſibile: & ſi non, igitur Prima Materia non eſt de eſſentia materiæ igneïtatis, aëreïtatis &c., unde ſequitur, quòd diverſæ materiæ ſint in eſſentia Univerſalis Vegetativæ, quod eſt impoſſibile: igitur eſt manifeſtum, quòd Prima ſive Univerſalis Materia ſit tale univerſale ens ſubſtans Univerſali Formæ, ita, quòd quatuor formæ, videlicet forma igneïtatis, forma aëreïtatis, & ſic de ſingulis, ſint una Univerſalis Prima Forma, habens ſibi ſubjectam unam Univerſalem Primam Materiam ſimiliter conſtitutam de quatuor materiis igneïtatis &c., de quibus ſcilicet Prima Forma & Prima Materia eſt aggregata una Univerſalis Vegetativa, habens in ſe quoad Formam in habitu & quoad Materiam in potentia particulatam Secundam Vegetativam; & hoc per ſe patet.

QUÆSTIO CXXVII.

Utrùm Vegetativa ſit activa & paſſiva?

1. SOlutio. Secundùm ea, quæ de Vegetativa dicta ſunt in præcedentibus Quæſtionibus, eſt ſignificatum, quòd ſit & activa & paſſiva; eſt activa per viam generationis, in quantum planta generat plantam, & animal generat animal, convertente generativâ plantâ illam materiam, de qua generat, in ſuam ſpeciem; & ita planta eſt vegetans de paſſiva Vegetativa, quæ eſt ſub illa planta vel individuo illius generativæ ſpeciei; eſt autem Vegetativa per conſequens activa, in quantum eſt mota ab illa ſpecie, videlicet ab illa planta ad generandum in generabili planta caliditatem, humiditatem, quantitatem & cætera his ſimilia; ſed eſt impoſſibile, quòd omne iſtud ſit, niſi Vegetativa eſſet activa & paſſiva: ergo ſequitur, quòd Vegetativa ſit activa & paſſiva.

2. In planta eſt Ignis calefaciens, Aër humefaciens, & ſic de cæteris elementis, ita, quòd Ignis infundat ſuam caliditatem in Aërem, & Aër ſuam humiditatem in Aquam, Aqua ſuam frigiditatem in Terram, Terra ſuam ſiccitatem in Ignem, & ita ſubjectarum qualitatum alia intrat in aliam; & ex hoc ſequitur vegetatio plantarum & animalium, ita, quòd Vegetativa eſt illud, per quod plantæ formaliter, & animalia materialiter vivunt & nutriuntur & augmentantur & reguntur,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

guntur, ſpecies autem eſt id, quod ſequitur ex hoc, quod Elementa faciunt; igitur potentiæ ſub Vegetativa ſunt actívæ & paſſivæ, ut ſit planta & animal, quod per ſe manifeſtè patet.

3. In Rationali Vegetativa eſt paſſiva ſub Intellectiva & Senſitiva: per Intellectivam, quia dat vitam in hac ſpecie, quæ eſt homo, ſicut forma dat eſſe materiæ; Senſitiva etiam ex hoc, quod ſequitur de Vegetativa, aliâ complexione exiſtente in alia & alio Elemento agente in aliud, dat ſentire, & ſic Senſitiva movet Vegetativam, ut ipſa Senſitiva ſentiat, & ſentiendo Vegetativam vivat; & ideo Vegetativa eſt paſſiva ſub Intellectiva & ſub Senſitiva, ſed plus ſub Intellectiva, cùm ſit nobilior, quàm ſub Senſitiva; in quantum autem Vegetativa nutrit, generat, & retinet & appetit cibum vel coitum &c., & in quantum movet ad hoc Senſitivam & Intellectivam, & quia etiam convertit cibum & potum in ſpeciem ſanguinis, oſſium & aliorum hujusmodi ſimilium, & digerit mediantibus ſuis humoribus, & expellit, quod non poteſt digerere vel non competit, in tantum Vegetativa eſt activa.

4. Prima Vegetativa eſt activa ſuper Secundam, tanquam univerſale ſuper particulare, quia Prima in reflectendo ſe in ſe producit in ſe & de ſe mediantibus ſuis potentiis Secundam; eſt autem Prima paſſiva, in quantum potentiæ ipſius, videlicet quatuor Elementa generant de ipſa Prima Secundam, & gubernant ipſam, & in quantum Naturale Agens attrahens ad ſe Primam, quantum poteſt, convertit illam in Secundam, ût in plantam genitam ab alia planta, vel ût in animal genitum ab alio animali.

QUÆSTIO CXXVIII.

Utrùm Simplicia Elementa ſint mixta in ſuis Sphæris?

1. SOlutio. Secundùm illa, quæ diximus de Corporeïtate & Corpore, poteſt intelligi reſponſio hujus Quæſtionis, & ſolvenda eſt etiam in hoc, quòd debeamus Elementa judicare ſecundùm eorum majores operationes in eſſentia & natura procedentes de ipſis; & ideo dicendum eſt, ſi Simplicia Elementa in ſuis ſphæris eſſent corpora, ita, quòd unumquodque illorum eſſet ita purum, quòd nihil alterius Elementi eſſet cum eo mixtum, ſequeretur, quòd naturaliter eſſet impoſſibile, quòd de aliquo illorum poſſent removeri aliquæ partes ad intrandum compoſitionem, tanta eſſet conjunctio inter formam & materiam totius ſphæræ cujuslibet eorum, nec per conſequens eſſent Generatio & Corruptio de ipſis in plantis & animalibus, quod eſt impoſſibile: ergo eſt manifeſtum, quòd aliud eorum ſit in alio, ut de ipſis ſit Generatio & Corruptio in planta & in animali, digerente quolibet ipſorum Elementorum aliud, & maximè quolibet eorum prædominante in ſua ſphæra omnibus aliis Elementis, ut inde ſequatur Generatio; & convenit, quòd hæc Mixtio eorum ſit Prima Vegetativa, de qua orta eſt inferiùs Secunda in particularibus.

2. Si Elementa eſſent diſtincta corpora, ita, quòd quodlibet in ſua ſphæra purum exiſtens non eſſet mixtum cum alio, nullum eorum eſſet totum agens in alio, niſi fortè ſecundùm extremas partes in ſuperficiebus ſphærarum, quas etiam oporteret eſſe convertibiles in inſtanti in aliud Elementum prædominans, ſicut gutta aquæ projecta in caminum ignîs fortiſſimè ardentis ſtatim eſt converſa in eſſentiam ignîs; & ſi partes converterentur in eſſentiam alterius Elementi, multiplicaretur illud continuè, donec totum convertibile Elementum eſſet converſum in eſſentiam convertentis in tantum ſucceſſivè, quòd non eſſet, niſi unum Elementum, quod eſt impoſſibile: & per hoc ſequeretur aliud inconveniens, ſi Elementa eſſent ſimplicia corpora, nam ex hoc, quod eſſet mixtum de ipſis in extremitatibus ſuarum ſphærarum, non ſequeretur vegetatum nec ſenſatum nec etiam aliquis finis, quia tale mixtum non poſſet tranſire nec penetrare ſimplicem & ſolidam ſphæram, ut deſcenderet inferiùs, aliâ ſphærâ continente aliam, & exiſtente corpore ſphærico; & per conſequens natura eſſet fruſtra, neque Ignis, qui eſt in his inferioribus, reciperet beneficium à ſuperiori Igne, nec ſimiliter inferior Aër à ſuperiori Aëre, nec etiam inferior Ignis eſſet de eſſentia ſuperioris Ignîs, nec inferior Aër de eſſentia ſuperioris Aëris, quod eſt impoſſibile.

3. Si unumquodque Simplex Elementum eſt purum corpus, ita, quòd non mixtum, motus cujuslibet in inferioribus eſt circularis, cùm ſphæricum corpus ſit circulariter mobile, ita, quòd levitas non eſſet cauſa aſcendendi rectè, nec gravitas cauſa deſcendi

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dendi rectè, sed potiùs obliquè, quod est impossibile: nec etiam Ignis se haberet in planta contra Aquam per rectam lineam, sed per obliquam; & hoc idem sequeretur similiter de Aëre & Terra; & hoc modo non esset aliquod mixtum plenum, nec etiam ita esset situatum, sicut quatuor sphæræ sunt situatæ, quod est impossibile: ergo Elementa sunt mixta in suis sphæris, quolibet tamen eorum in sua sphæra prædominante aliis, & inde sequitur plenum in planta & in animali, quia per quamcunque lineam motûs possunt se habere in Elementis; nam per levitatem & ponderositatem habent se in rectam lineam, & per contrapositionem habet se unumquodque ad aliud in mixto per obliquitatem sive per circulum, quia in Prima Vegetativa naturaliter sunt situata in sphæricum; & hoc modo potest unumquodque elementale corpus naturaliter esse plenum secundùm hos diversos situs, aliter non, imò potiùs naturaliter daretur vacuum, quod est impossibile: ergo Simplicia Elementa sunt mixta in suis sphæris.

4. Si Simplicia Elementa sunt mixta ad invicem, eorum mixtio est in se ipsis universalis, in planta verò & in cæteris elementatis est particularis; si autem non sunt mixta, non est vero modo mixtio universalis, sed potiùs particularis, quod est inconveniens, videlicet, quòd in natura sit particulare sinè universali; si verò sunt mixta, unumquodque illorum est in alio, & per consequens major propinquitas inter aliud Elementum & aliud, & in his, in quibus concordant, habent majorem concordantiam, & in his, in quibus contrariantur, habent majorem contrarietatem; & ita multiplicatur appetitus cujuslibet eorum ad aliud, & inter propriam formam & inter propriam materiam, & sic est major digestio & magìs proportionata compositio in plantis, in animalibus & cæteris elementatis, & etiam unumquodque eorum per omnes sphæras est activum & passivum, ita, quòd natura in aliquo illorum non permaneat otiosa, & multiplicatur lux & diaphanitas, & supracœlestia corpora per ipsa meliùs possunt influere ad inferiora aliâ parte cujuslibet Elementi existente in alia, & superiores partes possunt eam influentiam, quam à supracœlestibus corporibus recipiunt, meliùs communicare suis consequentibus partibus, & istæ similiter suis sequentibus, & sic successivè usque ad inferiores partes, in quibus sumus, unâ parte existente in alia; si autem ipsa Elementa sunt simplicia, ita, quòd non sint mixta, sicut diximus, sequitur oppositum omnium eorum, quæ nunc diximus; quod est valde inconveniens dicere: ergo Simplicia Elementa sunt mixta in suis sphæris.

QUÆSTIO CXXIX.

Utrùm Simplicia Elementa sint in Elementatis essentialiter vel virtualiter?

1. SOlutio. In Rationali Animato sunt Intellectiva, Sensitiva & Vegetativa essentialiter & virtualiter, aliàs esset impossibile, quòd homo esset id, quod est; ergo omnes istæ tres essentiæ vel essentiales potentiæ tendunt ad unum esse, quod est homo, & sic existunt sub specie alia à qualibet potentiarum, id est, sub humano esse; & nihilominùs quælibet istarum sub hoc esse permanet in sua essentia & virtute, ut homo existens unum esse sive quid realiter de istis compositum ratiocinetur sub Intellectiva, & sentiat sub Sensitiva, & vegetet sub Vegetativa: & ideo secundùm hoc declaratur, quòd Simplicia Elementa sint essentialiter & virtualiter in unoquoque Elementorum, quolibet eorum remanente in sua essentia & virtute, quod est, ut elementatum sit compositum & plenum de illorum essentiis & virtutibus, & quòd vegetet sub ratione uniuscujusque essentiæ & virtutis cujuslibet illorum; etiam unumquodque Elementorum habet inclinationem ad alium finem de se ipso generandum, id est, ad esse aliud à specie cujuslibet eorum, videlicet ad hanc plantam, vel ad illud animal, quod non est species alicujus illorum, & ideo remanet unumquodque Elementorum in illo fine, videlicet in ipso elementato particulariter, cùm ipsum elementatum producatur de ipsismet Elementis, quæ productio esset impossibilis, nisi essentialiter & virtualiter permanerent in illo alio esse.

2. In denario est argentum & cuprum, denarius autem, in quantum denarius, id est, in quantum species denarii, non est argentum nec cuprum; quia, si esset, sic nulla specie diversa nec resistentia ad speciem aliam à se ipsis faciendam de se ipsis materialiter unquam converterentur in illam, sicut farina & aqua in panem, & sic de aliis hujusmodi, quod est impossibile: unde, sicut in Turonensi

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ronenſi remanet argentum & cuprum eſſentialiter & virtualiter, ita ſimiliter in planta, & multò meliùs remanent Simplicia Elementa producentia Compoſita Elementa in unum, id eſt, in hanc plantam, hæc tamen ſunt confracta adinvicem & remiſſa, quia aliud eſt in alio, & è converſo, ſicut in denario argentum in cupro, & è converſo; aliud quidem eſt in alio, quia in ipſis diviſis in infinitas partes alia pars cujuslibet exiſtens in alia ejusdem exiſtit in alia parte cujuslibet; ſicut alia pars argenti in denario exiſtens in alia parte argenti exiſtit in alia parte cupri, & è converſo; & ideo elementa ſunt confracta & remiſſa ad invicem, quia ſunt confuſa propter eorum concordantiam & contrarietatem, cùm ipſa elementa ſint inter ſe concordantia & contrariantia; id autem, quod ſunt ipſa elementa, remanet eſſentialiter & virtualiter in elementato, ût in planta, ad hoc, ut ipſa planta ſit plena de eſſentia cujuslibet, & per conſequens corpus; quia, ſi Simplicia & etiam Compoſita Elementa non eſſent in planta eſſentialiter, eſſet impoſſibile, quòd planta eſſet corpus, & ſi non eſt corpus, eſt impoſſibile, quòd ſit plena, ac etiam eſt impoſſibile, quòd ſit ſubſtantia; quia, ſi non eſt de eſſentia elementorum eſſentialiter ſubſtantiata, eſt ſubſtantiata & plena eſſentialiter de eſſentia omnino aliena ab elementis, quod eſt impoſſibile: & ſi elementa non ſunt eſſentialiter in elementato, nec per conſequens ſunt virtualiter in illo, quia virtutes elementorum eſſent ſinè proprio ſubjecto, quod eſt impoſſibile, ût caliditas, frigiditas, levitas, ponderoſitas; & etiam ſequerentur multa alia inconvenientia, quæ ſunt impoſſibilia.

3. In ſubſtantia Rationalis Animæ ſunt tres potentiæ, ſcilicet Memoria, Intellectus & Voluntas, de quibus ipſa Anima eſt conſtituta, ipſis potentiis permanentibus id, quod ſunt eſſentialiter & virtualiter, & hoc ſinè aliqua confractione & diminutione alicujus illarum, nam quælibet illarum eſt incorruptibilis; ſimiliter etiam Senſitiva eſt conſtituta de ſuis quinque ſenſibus exiſtentibus in illa eſſentialiter & virtualiter, cùm de ipſis ſit conſtituta, & per ipſos operetur tanquam per propria inſtrumenta: igitur apparet, quòd Vegetativa, videlicet Secunda, in vegetato ſic ſe habeat, ſicut ſupradictæ potentiæ; ergo Vegetativa conſtituta de ſuiſmet potentiis, videlicet de quatuor elementis, habet in ſe eſſentias & virtutes elementorum, & per ipſa tanquam per propria inſtrumenta operatur eſſentialiter & virtualiter; veruntamen, quia ipſa eſt quid unitum de ipſis elementis exiſtentibus contrariis, ideo ſunt ipſæ potentiæ, id eſt, ipſa quatuor elementa confracta adinvicem & remiſſa, & ideo ſunt compoſita de contrariis eſſentialiter & virtualiter; hæc elementa autem ſunt inviſibilia, figuraliter autem apparent, ût in figura elementati, ſcilicet hujus plantæ, vel alterius elementati; nam forma eſt imaginabilis per figuram, non autem ſenſibilis.

4. Unumquodque elementum eſt bonum, magnum, durans, potens &c., quia eſt creatum & conſtitutum & compoſitum ad ſimilitudines Dignitatum DEI, & finis bonitatis, magnitudinis, & ſic de ſingulis cujuslibet elementorum, eſt major in elementato, ût in planta vel in aliquo alio elementato, quàm in aliquo ipſorum per ſe; igitur, ſi ipſa non eſſent eſſentialiter in elementato, bonitas, magnitudo &c. cujuslibet elementi eſſet magis nobilis per eſſentiam & virtutem in ſpecie elementi, ût in ſpecie Ignîs vel alicujus alterius elementi, quàm in ſpecie elementati, quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO CXXX.

Utrùm Ignitivum habeat propinquum & remotum Ignibile?

1. SOlutio. In Rationali Anima intellectivum naturaliter habet propinquum & remotum intelligibile; propinquum quidem eſt illud, quod eſt de eſſentia & natura ejusdem intellectivi, cum quo etiam ipſum eſt una potentia aggregata de ipſo & de ſuo intelligibili, ût ſuprà in Quæſtionibus de Intellectiva Anima dictum eſt: Intellectivum igitur cum ſuo proprio intelligibili attingit remotum intelligibile, ût lapidem, leonem, & ſic de aliis, ita, quòd Intellectus, qui eſt unum ens de duobus, propriè intelligit ſe ipſum quoad formam & quoad materiam; nam forma intelligit ſe & ſuam materiam; igitur mediante toto ſuppoſito forma eſt intellectiva: & quia totum ſuppoſitum eſt intellectum ab illa, intelligit ſe, ita, quòd in toto illo ſuppoſito non eſt, niſi una actio tantùm, & una paſſio tantùm; actio quidem quoad formam, paſſio verò quoad

(c) 2006 Ministerio de Cultura

materiam. Igitur apparet secundùm majorem similitudinem naturæ & proportionem Ignîs & Intellectûs, quòd ignitivum debeat habere propinquum & remotum ignibile; propinquum est, ut cum illo sit substantiale ens compositum de forma & materia, & in illo propriè agat tanquam propria forma, & illud patiatur propriè tanquam propria materia, & mediante suo proprio ignibili attingat remotum ignibile, ût Aërem & Aquam vel plantam, ferrum & cætera his similia.

2. Dictum est superiùs in Vegetativa, quòd omnia elementa habeant unam bonitatem, unam magnitudinem in radice, & divisam secundùm diversas proprietates, ita, quòd bonitas sub una ratione est una proprietas, & sub alia ratione est alia proprietas; hoc autem est per accidens, quia proprietates sunt distinctæ & non idem in radice, videlicet igneïtas, aëreïtas &c.; similiter etiam caliditas & frigiditas, ponderositas, levitas, & sic de aliis hujusmodi, quæ diversimodè sunt creatæ: unde, si igneïtas habet suum proprium ignibile, sua bonitas magìs participat in sua natura cum bonitate &c. ignibilîs, quàm si non habet proprium ignibile; & ita affirmativè bonitas, magnitudo &c. Ignîs magìs concordant in majoritate nobilitatis, & est plus entitatis proprietatis Ignîs, & etiam plus suæ intensitatis, & magìs consequitur suum finem & suam operationem, & multa alia convenientia suæ nobilitati; negativè autem sequitur oppositum omnium istorum; & cùm nos *secundùm Artem* debeamus concludere *in Majoritate Finis*, ergo sequitur, quòd Ignitivum habeat propinquum & remotum Ignibile.

3. DEUS Pater de suámet Essentia, de suámet Bonitate, Magnitudine &c. producit sibi similem DEUM Filium, ac etiam DEUM Sanctum Spiritum, ita, quòd id, quod ipse Pater est in Essentia & in Bonitate &c. & in Natura, etiam est suúmmet proprium Objectum, quando producit illud, quod producit; nam nihil aliud posset sufficere ad æqualem Productionem & Operationem in Essentia, in Bonitate & Infinitate, & sic de aliis, nisi tantùm id, quod est ipsémet DEUS: sic similiter (tamen secundùm quòd potest fieri similiter) de Igne agendo de se & de sua materia, ipsâ materiâ patiente sub forma consequitur ipse Ignis suam essentiam & suum esse, existente illâ materiâ proprium ignibile, in quantum cum ignitivo, quod est forma informans illud propinquum ignibile, est ipse Ignis; quia, nisi Ignis haberet tale ignibile, non sufficeret illi formæ simplici aliud ignibile, quod non esset essentiæ & bonitatis &c. speciei Ignîs, nec etiam propter hunc defectum Ignis posset attingere remotum ignibile, quod est impossibile, sed mediante propinquo ignibili, quod habet Ignis de suámet essentia, attingit Ignis remotum ignibile, quod transmutat, ut producatur elementatum, ût hæc planta vel illud animal, & sic de singulis.

4. In Elementato, ût hæc planta vel hoc animal in sua specie attingit nutrimentum, quod advenit in sémet ipsam, convertens illud in suam speciem, sic, ut planta convertat influentiam terræ & pluviæ in se, quia Vegetativa quoad formam attingit in suo proprio vegetabili remotum vegetabile, videlicet terram, pluviam &c.; aliàs sinè suo proprio vegetabili non posset attingere remotum vegetabile, quia deficeret medium conjunctionis & etiam proportio inter formam & remotam materiam, & etiam hoc, quod venit ad plantam, esset annihilatum in Primam Materiam, priusquàm esset conversum in speciem plantæ, & non esset aliquid, quod reduceret illud remotum vegetabile, nisi esset propinquum vegetabile, in quo *per transmutationem* attingitur remotum vegetabile, priusquàm convertatur in Primam Materiam; & hoc per se manifestum est: igitur patet, quòd ignitivum, quod est forma Ignîs, habeat propinquum ignibile, & similiter unumquodque aliorum elementorum suum propinquum elementabile, de quibus propinquum vegetabile est compositum, sicut similiter vegetativum est compositum de omnibus quatuor elementativis; igitur ignitivum mediante propinquo ignibili attingit remotum ignibile.

QUÆSTIO CXXXI.

Utrùm Accidentia sint de Essentia Substantiæ?

1. SOlutio. Divina Bonitas (similiter & Magnitudo, & sic de singulis Dignitatibus DEI) creavit in Vegetativa suam similitudinem, in quantum Vegetativa potuit recipere illius similitudinem, videlicet suam bonitatem, quam habet substantialiter absolutam divisam in singulas partes, in quas Vegetativa substantialiter est divisa; ût in boni-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bonitatem igneïtatis, aëreïtatis, aqueïtatis, terreïtatis; & ideo, cùm ipſa Divina Bonitas ſit ſubſtantialis, creavit iſtam ſubſtantialem bonitatem; ſed quia iſta creata bonitas per ſe non poteſt eſſe ſubſtantia ſinè magnitudine & ſinè cæteris Vegetativæ, & è converſo, quia in Vegetativa magnitudo eſt alia à bonitate ſub ratione magnitudinis, & bonitas alia à magnitudine ſub ratione bonitatis, & ſic de aliis: igitur ipſa bonitas eſt pars ſubſtantiæ Vegetativæ; ſed ratione ſuæ partialitatis convenit, quòd illa ſit quanta, & hoc eſt per accidens, quamvìs per ſe ſit ſubſtantialis pars; & ideo eſt manifeſtum, quòd accidens, videlicet quantitas, non ſit ſubſtantialis pars, cùm ſit diſſimile Bonitati, Magnitudini &c. DEI.

2. Vegetativa eſt conſtituta de bonitate, magnitudine &c. Vegetativæ, quæ ſunt ſubſtantiales partes Vegetativæ, ût jam dictum eſt; & ſubſtantialis bonitas, & ſic de aliis, tendit ad conſtituendum diverſas ſubſtantiales proprietates, ût igneïtatem, aëreïtatem &c., quæ ſunt conſtitutæ de una bonitate, de una magnitudine, & ſic de aliis; in Igne autem ſunt aliæ accidentales proprietates, ût caliditas, luciditas, & ſic de aliis, quæ non ſunt de eſſentia bonitatis &c. Ignîs, & ſimiliter in aliis Elementis, ſed ſunt accidentaliter influxæ de bonitate &c. Ignîs habentis proprietatem calefaciendi & proprietatem lucendi, & ſic de aliis hujusmodi; & hæ proprietates ſunt bonæ, magnæ &c.; ſed quia ſunt diminutæ per ſecundam intentionem, & etiam ſunt inſtrumenta, ut Ignis poſſit agere, ideo Ignis non attingit talem eſſentiam, ût ſubſtantialem, ſed ût accidentalem; ergo eſt manifeſtum, quòd mediante diſtinctione inter ſubſtantialem proprietatem & accidentalem proprietatem accidentia non ſint de eſſentia ſubſtantiæ, ſed de virtute illius.

3. Ignis eſt calidus per ſe, Aër verò per accidens; igitur, ſi caliditas eſſet de eſſentia ſubſtantiæ, Aër eſſet de eſſentia Ignîs, & per conſequens Aqua de eſſentia Aëris, cùm ſit humida, & per conſequens de eſſentia Ignîs, & ſic de aliis; & Aër, Aqua & Terra non eſſent accidentaliter calidi, quod eſt impoſſibile: neque caliditas Ignîs eſſet accidens, ſed ſubſtantia, & ita ſubſtantia eſſet agens in ſe & in alio ſubſtantialiter ſinè inſtrumento, quod eſt impoſſibile. Et iterum, ſi accidentia eſſent de eſſentia ſubſtantiæ, nullum elementatum eſſet corruptibile, quia, cùm tota forma & tota materia conjungantur ſimpliciter, non eſſet, qui corrumperet elementatum appetens eſſe, & regens ſe de ſe & per ſe.

4. Si caliditas Ignîs eſſet de eſſentia ſubſtantiæ Ignîs, Aqua non poſſet reſiſtere Igni in planta, in qua Ignis eſt in quarto gradu caliditatis, & Aqua in primo, quia Ignis deſtrueret totam Aquam, quâ deſtructâ eſt impoſſibile, quòd planta ſit; quia ſinè Aqua non poſſet Aër agere nec cætera Elementa in ipſa planta, quod eſt impoſſibile: ſed quia caliditas, humiditas, & ſic de aliis, ſunt diminutæ partes ſubſtantiæ, & non gradatæ ad eſſe ſubſtantiales, inclinatæ ad minoritatem bonitatis, magnitudinis &c., ideo in planta & omnibus elementatis vegetantibus poteſt eſſe Proportio, Mixtio, Digeſtio, Nutrimentum & Generatio propter diſtinctionem inter ſubſtantialem & accidentalem eſſentiam.

QUÆSTIO CXXXII.

Utrùm omnes Proprietates Vegetativæ ſint idem in Radice ſinè Differentia?

1. SOlutio. In DEO, benedictus ſit ipſe, eſt una Bonitas, una Magnitudo, & ſic de aliis; ſed in ipſa ſua Bonitate per alium modum eſt una Perſonalis Proprietas, ût Paternitas, & per alium modum in eadem Bonitate eſt alia Perſonalis Proprietas, ût Filiatio, & ſimiliter Proceſſio Sancti Spiritûs; & iſtæ Perſonales Proprietates exiſtentes idem infinitè & æternaliter in radice bonitatis, magnitudinis &c., id eſt, idem in Eſſentia & Unitate Deitatis ſunt diſtinctæ à ſe invicem æternaliter & infinitè: & ex hoc metaphoricè illuceſcit ſolutio hujus Quæſtionis, nam in Vegetativa ſunt diverſæ proprietates, ût igneïtas, aëreïtas, aqueïtas, terreïtas, ſimiliter levitas, gravitas, & ſic de aliis, quæ ſemper ſunt diſtinctæ, ſed quia abſolutè ſunt conſtitutæ ex una bonitate, magnitudine &c., ſunt idem in eſſentia bonitatis, magnitudinis &c., & diſtinctæ quælibet ab alia in ipſa eadem bonitate, magnitudine &c.

2. Ignis in Vegetativa habet proprietatem calefaciendi, & Aër humefaciendi, & Aqua frigefaciendi, & Terra deſiccandi; & hoc modo eſt ipſa Vegetativa diſtincta Contrarietas, & per conſequens diſtincta Concordantia; hoc idem ſimiliter ſequitur de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Fine, & etiam de aliis Principiis : ideo ex hac universali distinctione existente in accidentalibus proprietatibus est in ipsa Vegetativa absoluta distinctio proprietatum, quæ esset impossibilis, si ipsæ proprietates in una radice realiter essent idem numero, nisi tantùm in radice bonitatis, magnitudinis &c., existente quâlibet proprietate illarum distinctâ ab altera absolutè & realiter.

3. Sicut Divina Bonitas creavit in Vegetativa suum simile, scilicet bonitatem, magnitudinem Vegetativæ, sic similiter Divinæ distinctæ Personales Proprietates creaverunt in Vegetativa suas similitudines, secundùm quòd Vegetativa potuit recipere similitudines earum ; & sicut Divinæ Proprietates omnino sunt distinctæ, ita similiter proprietates Vegetativæ omnino sunt distinctæ, nam, nisi hoc ita esset, Bonitas DEI & Divina Essentia plùs influeret suam similitudinem in Vegetativam, quàm Divinæ Proprietates & quàm Distinctio earum; quod est impossibile : igitur proprietates Vegetativæ sunt omnino distinctæ, in quantum sunt sub genere proprietatis, sunt autem idem in genere bonitatis, magnitudinis &c.

4. Caliditas Ignîs, caliditas Aëris, caliditas Aquæ & caliditas Terræ sunt unum idem in genere & radice caliditatis, cùm caliditas sit tantùm una proprietas, licèt distincta per diversa Elementa; hoc idem similiter sequitur de humiditate & de cæteris: veruntamen caliditas Ignîs, & humiditas Aëris, & frigiditas Aquæ, & siccitas Terræ sunt omnino distinctæ, ita, quòd nullo modo sint una realis proprietas; nam, si realiter essent idem, essent confusæ, nec distinctio esset universale ens in Vegetativa, quod est impossibile.

QUÆSTIO CXXXIII.

Quomodo Accidentia egrediantur de Virtute Substantiæ?

1. Solutio. In Divina Substantia sive Essentia Bonitas, Magnitudo &c. sunt idem numero, ût jam dictum est; de qua numerali Identitate etiam egreditur Virtus per modum Generationis & Spirationis, videlicet de Unitate Bonitatis, Magnitudinis &c., quæ sunt idem numero, quod ipsa Proprietas & Essentia Patris, quæ Virtus etiam à toto Patre tota producibilis est ipsa Substantia sive Essentia Patris sub aliis modis essendi à Patre. Ita similiter (secundùm quòd similitudo bono modo potest accipi) bonitas, magnitudo &c. Vegetativæ, quæ sunt substantiales partes Vegetativæ, constituunt unam proprietatem Elementalitatis, ût igneïtatis vel aëreïtatis &c., in qua sunt idem, quantum ad Elementalitatem, & nihilominùs ipsa Elementalitas sub alia ratione habet agere (ût Ignis ignire, & sic de aliis) ût bonum, & sub alia ratione, ût magnum, & sic de aliis; quia bonitas, magnitudo &c. non sunt in illa simpliciter idem; & sic bonitas caliditatis egreditur de bonitate igneïtatis, & magnitudo caliditatis de magnitudine igneïtatis, & sic de aliis, & similiter calefacere de ignire, in quibus, videlicet ignire & calefacere sunt diversimodè ipsa bonificare, magnificare, & sic de aliis, scilicet in ignificare substantialiter, & in calefacere accidentaliter, & sic de aliis.

2. In Vegetativâ forma appetit materiam, & è converso; & inde sequitur Appetitus, ex quo sequitur appetere, qui est actus Appetitûs, sicut videre actus Visûs, & gustare actus Gustûs; unde Appetitus formæ & materiæ est de essentia substantiæ aggregatæ de materia & de forma, sicut Visus est de essentia Sensitivæ; appetere autem est virtus progrediens de virtute Appetitûs, & hæc virtus, videlicet appetere, est accidens progrediens de virtute substantiæ, quod per se manifestè patet secundùm proportionatam similitudinem, quæ est inter Intellectivam, Sensitivam & Vegetativam.

3. Ignis est bonus, magnus &c. substantialiter, quia est constitutus de entitate bonitatis, magnitudinis &c., ita, quòd suum existere est substantialiter bonum, magnum &c.; & quia respectu Finîs suum agere de caliditate est bonum, ut propter ignire & calefacere sit Finis, videlicet elementatum, ût planta vel animal, quod elementatum est substantialiter & accidentaliter bonum, ideo est manifestum, quòd in substantiali bonitate sit habituata accidentalis bonitas intensè, & in substantiali magnitudine accidentalis magnitudo intensè, & sic de aliis; ût caliditas & luciditas &c. in igneïtate, & calefacere, lucere &c. in ignire; atque de accidentali bonitate intensè producitur accidentalis bonitas extensè &c., ût de intensa caliditate extensa caliditas, & de intensa quantitate extensa quantitas, & de intenso calefacere

(c) 2006 Ministerio de Cultura

facere extenſum calefacere, & de intenſo quantificare extenſum quantificare, & ſic de aliis: nam, ſicut bonitas quanta, qualis &c., magnitudo quanta, qualis &c., duratio quanta, qualis &c. exiſtentes intensè conſtituunt unam extenſam bonitatem, unam magnitudinem &c., id eſt, unam extenſam ſubſtantiam, ita ſimiliter quantitas intenſæ bonitatis, & quantitas intenſæ magnitudinis, & ſic de aliis, conſtituunt unam extenſam quantitatem; hoc idem ſimiliter ſequitur de qualitate, relatione &c.; & ita unumquodque extenſum accidens eſt accidentalis extenſa eſſentia eſſentiata & producta de diverſis intenſis accidentibus ejusdem ſpeciei: igitur ex his manifeſtè patet, quomodo accidentia egrediantur de Virtute Subſtantiæ.

4. Caliditas Ignîs per modum habitûs eſt creata in Igne, quæ conſiſtit in actu, quando fit compoſitum, & quoad formam exiſtit in propria materia Ignîs appetente propriam formam quoad ſubſtantialem & accidentalem bonitatem, magnitudinem &c., ut ſit magnus Appetitus ipſius materiæ; hoc idem ſimiliter ſequitur de Appetitu formæ Ignîs, nam propria forma appetit propriam materiam quoad potentiam, de qua & in qua caliditatem ex habitu producit in actum, & per conſequens, ſecundùm quòd ex iſto intrinſeco habitu egrediuntur intrinſeca accidentia, ſimiliter egrediuntur extrinſeca accidentia ab extrinſeco habitu, ût de caliditate Ignîs caliditas Aëris & aliorum Elementorum. Per hæc, quæ in hac Quæſtione ſunt dicta, ſatis manifeſtè patet modus, per quem accidentia egrediantur de Virtute Subſtantiæ; *hæc Quæſtio autem eſt valde neceſſaria ſciri ab utentibus Medicinali Arte.*

QUÆSTIO CXXXIV.

Quomodo indiviſibiliter individuetur Subſtantia?

SOlutio. Ad videndum Veritatem hujus Quæſtionis eſt inveſtiganda diviſio *Primæ & Secundæ Vegetativæ*, deinde deſcendendum ad Individuationem Subſtantiæ.

1. Dicendum eſt igitur, quòd principium primæ diviſionis Primæ Vegetativæ ſive Primi Chaos ſit diviſio ſimplicium formarum, de quibus Vegetativa eſt conſtituta, quæ ſunt bonitas, magnitudo &c., nam in principio, quando DEUS creavit ſuas ſimilitudines, videlicet creatam bonitatem, magnitudinem &c., conſtituit de omnibus illis ſuis ſimilitudinibus Primam Vegetativam, & quamlibet iſtarum ſimilitudinum ſive formarum creavit individuabilem in formam & in materiam, quod eſt manifeſtum, quia forma bonitatis eſt bonificativa, & materia ejusdem eſt bonificabilis, & ſimiliter in aliis. Deinde quælibet illarum formarum fuit individuata in igneïtatem, aëreïtatem &c., quia illæ formæ conſtituunt quamlibet formarum ipſarum quatuor eſſentiarum. Iterum, hæ quatuor unibiles eſſentiæ ſive proprietates ſunt individuatæ in Primam Formam & in Primam Materiam conſtitutas de illis, quæ videlicet Prima Forma & Prima Materia conſtituunt Chaos, videlicet Primam Vegetativam habentem in ſe habituatam Secundam Vegetativam individuatam in particulares ſubſtantias, videlicet ſubſtantialia individua.

2. Principium individuationis ſubſtantiæ eſt individuatio bonitatis, magnitudinis &c., ût dictum eſt, & Finis individuationis ſunt igneïtas, aëreïtas &c., Medium verò hujus individuationis eſt mixtio ipſarum ſimplicium formarum, ſcilicet bonitatis, magnitudinis &c. inter ſe adinvicem. Deinde incipit individuatio *Primæ & Secundæ Vegetativæ*, ſive *Primi & Tertii Chaos*; & hæc individuatio eſt de *ſecundis ſubſtantiis* in *primas*, ita, quòd *primas ſubſtantias* appellamus *Secundam Vegetativam diviſam in individua ſpecierum, Primam Vegetativam* verò dicimus *ſecundas ſubſtantias* ſive *naturales intentiones*; hæc individuatio autem habet eſſe, quia in Prima Vegetativa eſt habituata Secunda Vegetativa, quæ Secunda reducitur ad actum, dum alia ab alia mediantibus Simplicibus & Compoſitis Elementis & *Naturali Agente*, videlicet *ſemine generantis* individuatur in conſtituendo elementatas ſubſtantias, ût hanc plantam, hoc animal, & ſic de aliis.

3. Prima Vegetativa eſt individuata in quatuor ſimplices potentias, ût in Simplicem Ignem &c., iſtæ potentiæ autem etiam aliæ in alia ſunt diviſæ, exiſtentes ſimpliciter id, quod ſunt, & inde veniunt in mixtionem in componendo, dividendo *quatuor ſpecies univerſalis mixtionis*, videlicet *Compoſitum Aërem*, in quo anhelamus, qui participat cum extremitatibus elementatorum corporum; alia ſpecies eſt *Aqua* maris

(c) 2006 Ministerio de Cultura

maris & fontes, flumina & ſtagna & pluvia & omnis aqua repræſentabilis noſtris ſenſibus; alia ſpecies eſt *Terra*, ſuper quam ambulamus, in qua vivunt plantæ; alia verò ſpecies mixtionis eſt materialis *Ignis*, quem ſentimus, qui comburit ligna, & calefacit aquam, & dat lucem, & eſt in tribus prædictis ſpeciebus; *iſtæ quatuor ſpecies mixtionis ſunt medium, per quod Prima Vegetativa dividitur in Secundam, quia ſunt materia, de quâ Secunda venit in actum;* quia omnes individuabiles ſubſtantiæ in iſtis ſpeciebus ſunt habituatæ mediante Naturali Agente.

4. Poſt iſtum gradum individuationis ſubſtantiæ ſequitur *ultimus gradus*, qui eſt de *ſemine* vel plantæ vel animalis habentis in habitu multiplicare generativè ſubſtantiam ſibi ſimilem in ſpecie, & ex præparatione & celebratione(conjunctione)ſecundùm prædictam diſpoſitionem deſcendit alia ſubſtantia ab alia derivante illam, convertente generativâ ſubſtantiâ id, quod de ſuperioribus principiis advenit, in ſuam ſpeciem; nam ſuperioribus principiis influentibus illud hujus ſpeciei convertibile, quod habent in habitu, & illo ejusdem ſimiliter ſpeciei, quod eſt in habitu generantis, convertente illud convertibile in hoc eſſe ipſius ſpeciei, individuatur ſubſtantia in ultimo gradu individuationis; & ſic oritur & individuatur ſubſtantia de ſubſtantia in ſimilem ſpeciem, ût planta de planta, & animal de animali; unde in qualibet iſtarum ſic individuatarum eſt bonitas, magnitudo &c., & per conſequens per totum medium ab iſtis usque ad ſupremum terminum, ubi incipit individuatio, ût dictum eſt, exiſtente aliâ ſubſtantiali parte in alia, & è converſo, ût bonitate in magnitudine, & è converſo, & ſic de aliis, & exiſtente igneïtate in aëreïtate, & in cæteris, & è converſo, ita, quòd quælibet ipſarum proprietatum ſit in qualibet alia, & è converſo, & quodlibet accidens in quolibet accidente, & è converſo, & ſimiliter quælibet potentia in qualibet potentia, & è converſo, & quælibet prædictarum ſpecierum mixtionis in alia, & è converſo, usque ad ſubſtantiam individuatam in ultimo gradu individuationis, quæ eſt hæc planta, vel illud animal; & etiam iſta alio modo individuationis eſt individuata in ſuas partes, ſicut totum in ſuas partes. *Et hæc poſitio per ſe patet & artificialiter eſt demonſtrabilis:* & per hanc attingit intellectus individuationem generum & ſpecierum &c.

QUÆSTIO CXXXV.

Quomodo fiat Generatio & Corruptio?

1. SOlutio. Principia Generationis ſunt ſimplices formæ, ſupra quas (excepto DEO) nullum aliud principium eſt; & iſtæ ſunt bonitas, magnitudo &c., quæ ſunt ſimilitudines DEI, de quibus Prima Forma & Prima Materia conſtitutæ ſunt, & in quibus etiam ſunt in habitu omnes ſpecies & individua earum, ſicut ſuprà dictum eſt; in habitu quidem per formam, ſed in potentia per materiam, formâ exiſtente motivâ, & materiâ exiſtente mobili: & ideo eſt bonitas bonificativa per formam, ſed bonificabilis per materiam, & ſimiliter magnitudo &c.; & ita eſt conceptus habitus plantæ &c. in bonitate &c., quòd ipſa bonitas ſit naturaliter bonificativa, & bonificabilis ſit habitus productus de eſſentia bonitatis &c., ut finis ſit actus bonificatus, magnificatus &c.; & hæc præparatio Generationis in Prima Vegetativa usque ad Secundam eſt mediantibus potentiis ipſius Vegetativæ, quæ ſunt Ignis, Aër &c., in quibus potentiis ſunt habituatæ ſpecies & earum individua, exiſtente quolibet Elementorum bonificativo & bonificabili, ſicut Ignis ignitivus & ignibilis, calefactivus & calefactibilis, generativus & generabilis; generativus quidem, in quantum Simplex, generabilis verò, in quantum Compoſitus; & ſic de aliis Elementis ſuo modo.

2. In ſemine plantæ eſt habituatum aliud ſemen ſuæ ſpeciei, quia illa planta, de qua hoc ſemen eſt generatum, habituavit illud in hoc ſemine duplici viâ, videlicet viâ rectâ & obliquâ, quod patet in grano frumenti, quia in illo aliud granum frumenti eſt habituatum per rectam lineam, ſed granum lolii per obliquam; & ſimiliter in aſino eſt habituatus aſinus generativè per rectam lineam, ſed mulus per obliquam, & ſimiliter in aliis: in terra igitur, ubi eſt granum frumenti, obviant ſibi ad invicem Prima Vegetativa & Secunda, ſic, quòd bonitas Primæ, quæ eſt univerſalis, & bonitas Secundæ, quæ eſt particularis, videlicet grani, & ſimiliter magnitudo Primæ, quæ eſt univerſalis, & magnitudo Secundæ, quæ eſt particularis, & ſic de aliis, in qualibet ſe attingant; & quia in univer-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

universali granum frumenti est habituatum, ût jam dictum est, similiter etiam in particulari, ideo universalis habitus & particularis habitus, universalis potentia & particularis potentia, universalis forma & particularis forma, & sic de aliis, attingunt se ad invicem, ita, quòd universale est influxivum & communicativum, particulare verò attractivum & receptivum; & inde sequitur Generatio & multiplicatio speciei, & per consequens Corruptio, quia granum, quod est semen, corrumpitur in numero, quia in suam speciem successivè transmutat id, quod sibi adveniens recipit, & generando producit plura grana; & id, quod venit, quoad suam speciem corrumpitur, & induit novam speciem; & ideo essentia, quæ erat illius speciei, remanet, & similiter essentia, quæ erat hujus grani, & fit in aliud Generatio, ût in plantam; sicut per se patet.

3. In animalibus fit generatio isto modo: in viro est habituatus alius homo, quia pater & mater illius viri habituaverunt illum hominem in illo, videlicet illum habitum; similiter in muliere est habituatus homo à patre & à matre, in quam mulierem vir projicit suum semen decisivè, quo projecto & recepto Prima Vegetativa & Secunda obviant sibi ipsis ad invicem simili modo, sicut in semine existente in terra, ût in grano, de quo prædictum est; tunc universalis bonitas attingit particularem bonitatem, & è converso, & universalis habitus particularem habitum, & è converso, & universalis forma particularem formam, & è converso, id est, universale particulare, & è converso, videlicet Primâ Vegetativa Secundam, & è converso, & iterum particularis bonitas particularem bonitatem &c., & particularis habitus particularem habitum, & particularis forma particularem formam, & totum totum, & è converso, videlicet semen viri semen mulieris, & è converso, ita videlicet, quòd, si forma viri sit majoris virtutis, quàm forma mulieris, tunc forma viri est motiva, & è converso conversiva, & producit hominem masculum; si verò forma mulieris sit fortior, quàm forma viri, producitur homo fœmella; & si habitus viri est fortior, quàm habitus mulieris, fœtus est similior patri, quàm matri; si verò habitus mulieris est fortior, quàm habitus viri, est similior matri, quàm patri: igitur forma, quæ est fortior in hac generatione, est motiva, debilior autem est mobilis, similiter etiam materia, nam illa materia, in qua est plus virtutis, est plus passionis, cùm passio sit perfectio materiæ, & actio sit perfectio formæ: & iterum, si forma & materia sunt in magna virtute, generantur duo vel plures fœtus, vel unus habens aliquod superfluum membrum; si verò virtus earum sit defectiva, generatur fœtus defectivus alicujus membri vel aliquorum membrorum. Sciendum est autem, quòd semen ex parte viri ab ipso viro descindatur, & licèt vir sit generans, non tamen corrumpitur; illud semen verò, quod à viro decisum est, & immissum semini mulieris, & ipsum semen mulieris & similiter illud, quod convertibile venit universaliter, corrumpuntur, non quoad suas essentias, sed tantùm quoad suas species, & convertuntur in speciem hominis, ût in hunc hominem. Fœtus conceptus in utero matris vivit, quia convertit Primam Vegetativam matris in suam Secundam, id est, in hoc, quod est ipse fœtus, quam Primam Vegetativam mater recipit bibendo, comedendo & anhelando, quam similiter recipit in se ex beneficio suarum specierum, (superficierum) & ideo mater non corrumpitur quoad suam speciem, id est, quoad suam specificam essentiam, sed tantùm quoad illam nutrimentalem essentiam, quam fœtus suscipit à nutrimentali essentia matris; & propter hoc prægnantes mulieres sunt macilentiores more solito, & corrumperentur, nisi illas liberaret nativitas fœtuum: igitur mulier decisivè generat, nec corrumpitur, nisi nutrimentaliter tantùm.

4. Generatio & Corruptio, quæ fiunt per Corruptionem, intelliguntur alio modo à prædictis, videlicet Generatio anguillarum in luto, vermium in cadavere in terra, locustarum in corrupto aëre, murium in putrefactione, & sic de aliis similibus istis; nam, quando fiunt generationes horum prædictorum, hoc fit secundùm inordinatam & irregulatam obviationem habituum universalîs & particularîs in hoc, quòd Prima Vegetativa & Secunda obviant sibi ipsis ad invicem confuso & corrupto modo, habitu ipsius Secundæ confuso & corrupto attrahente & convertente ad se rectum habitum Primæ; & hoc manifestè patet in cadavere, quia in ipso cadavere est habituatus vermis præ maxima influentia Sensitivæ & Vegetativæ, quæ iterum appetunt conjungi in animalitatem. Similiter etiam anguillæ & multa alia animalia generantur ex corruptione

(c) 2006 Ministerio de Cultura

aquæ vel terræ, ubi Vegetativa & Sensitiva confusè participant, multiplicantes confusam materiam evolantem à mortuis animalibus; igitur evolantes atomi ex diversis morticiniis & ubique penetrantes, confusè habentes habitum Secundæ Sensitivæ conjunguntur confusè aliæ aliis, & illa, quæ in tali confusione affert majorem habitum inter omnes, convertit in se alias; & isto modo fit Generatio ex Corruptione. Hoc etiam similiter fit de Vegetativa: nam hæc ex diversis corruptis vegetabilibus & maximè ex granis vel aliis corruptis seminibus atomis evolantibus per aërem & participantibus inter se magis se communicat in aliquam speciem, quàm in aliam, & ita habitus, in quo universale & particulare sibi ipsis plùs obviant, superat & convertit alios habitus; quibus scilicet atomis receptis vel in montibus vel in rupibus vel in turribus, & sic de aliis, generantur arbores & plantæ, ubi nemo plantavit illas.

QUÆSTIO CXXXVI.

Utrùm Elementorum aliud sit in alio, & alia pars cujuslibet eorum in alia?

1. Solutio. Dictum est suprà, quòd sit una universalis bonitas &c.; deinde, quomodo individuetur bonitas &c. constituens diversas proprietates, scilicet igneïtatem, aëreïtatem &c., & per consequens qualitatem, quantitatem &c., & deinde usque ad plantam & animal in Secunda Vegetativa: unde dicendum est, quòd in Prima Vegetativa quodlibet Elementum sit in alio, & quælibet pars cujuslibet sit in alia, ut sit universalis Mixtio habens continuam quantitatem; nam sicut radius Solis, in quo est splendor, successivè ratione partium, sed in instanti quoad tempus, existit in quolibet puncto lineæ aëris, illuminans quamlibet partem aëris existentem in alia, ut lux sit in se continua, cujus continuitas esset impossibilis, nisi quælibet pars esset in alia, ita simili modo sequitur de linea, per quam omnia Simplicia Elementa constituunt unam universalem Corporeïtatem, in qua sunt habituata corpora specierum habentium individua.

2. Ignis est bonus, magnus &c. continuè; igitur bonitas illius est in magnitudine, & è converso, & sic de aliis; & quia Ignis est mixtus cum Aëre & cum cæteris Elementis, cùm sit cum illo una Corporeïtas, ideo partes ejus sunt in Aëre & in cæteris, & è converso, & ita est forma in forma, & materia in materia, & forma in materia, & è converso, aliter non esset universalis Corporeïtas, quod est impossibile, sicut jam probatum est: igitur restat, quòd quodlibet Elementum sit in quolibet Elemento, & quælibet pars cujuslibet in parte cujuslibet; & ita una bonitas est in alia, etiam una magnitudo est in alia, & sic de aliis, quia bonitas Ignîs est in bonitate Aëris & aliorum Elementorum, & è converso, cùm ipsa quatuor Elementa sint tota mixta, ita, quòd bonitas Ignîs per alium modum est in bonitate Aëris existente per alium modum; & isto modo est Elementum in Elemento & partes eorum in partibus eorum, & continuatur una universalis continua linea eorum, quæ tamen est contigua respectu diversitatis specierum, videlicet proprietatum, quæ sunt igneïtas, aëreïtas &c., & etiam respectu diversitatis partium, de quibus ipsæ proprietates sunt constitutæ.

3. Sicut in Prima Vegetativa dictum est, quòd substantialium partium aliæ sint in aliis, hoc etiam similiter intelligendum est de partibus accidentium, quia quælibet illarum est in alia suo modo; ût caliditas Ignîs in caliditate & humiditate Aëris, & è converso, & in humiditate & frigiditate Aquæ, & è converso, & in siccitate & frigiditate Terræ, & è converso, similiter etiam proprietates cujuslibet Elementorum in aliis, & sic de cæteris accidentibus, ût de quantitate Ignîs in quantitate cujuslibet alterius, & è converso, quod est, ut sit universalis situs & habitus ex substantia & etiam ex accidentibus usque ad Secundam Vegetativam; & hoc per se patet.

4. Etiam similis Mixtio debet esse in Secunda Vegetativa, sed tamen alio modo, ita, quòd in ipsa Secunda Vegetativa sunt individua corpora, ût hæc planta, & illud animal, & sic de singulis; & in ista sunt partes in partibus substantialiter & accidentaliter, videlicet in hac planta, vel in illo animali, & sic de singulis, ut unumquodque elementatorum suppositorum sit unum corpus, videlicet una plena substantia habens continuam quantitatem per mixtas partes, & contiguam per diversas proprietates, unumquodque autem istorum suppositorum, ût planta, & sic de aliis, non est aliud, nam quodlibet est per se corpus, sed tamen est contentum, ût planta, lapis &c. ab Aëre, & piscis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

piſcis ab Aqua, & radix in Terra, & ſic de aliis.

QUÆSTIO CXXXVII.

Quomodo fiat Transmutatio Elementorum in Elementatum?

1. SOlutio. Transmutatio Elementorum in Elementatum, ût in hanc plantam, vel in illud animal, & ſic de ſingulis, fit ſic: Simplex Ignis habens in ſe habituatum habitum plantæ & aliorum elementatorum, ut habitus conſequatur ſuum finem, videlicet, ut reducatur in actum (nam aliter eſſet fruſtra finis ipſius habitûs) ideo agit quoad formam in ſuam propriam materiam, videlicet in materiam igneïtatis, & habet virtutem in illam, ita, quòd habitus plantæ ſit in ipſa materia quoad potentiam; deinde, ut ille habitus reducatur in actum, id eſt, in plantam, diſponit Simplex Ignis, quòd ſit Compoſitus Ignis, in quo habitus plantæ accedat ad finem; & ideo Simplex Ignis quoad formam agit in remotam materiam, ût in materiam Aëris, in qua habitus ejusdem plantæ numero eſt habituatus, & movet formam Aëris, ut moveat ſuam materiam, in qua videlicet forma Aëris ſimiliter eſt habituatus habitus ejusdem plantæ numero, & ſic de ſingulis Elementis ſimiliter in quolibet aliorum ſecundùm complexiones generalium ſuppoſitorum.

2. Hâc factâ diſpoſitione in Prima Vegetativa, ût nunc dictum eſt, ſequitur inde diſpoſitio Secundæ Vegetativæ, & ita prædictus habitus reducitur ad actum; igitur in principio transmutationis intrant Elementa in compoſitionem, ut ſint quatuor univerſales mixtiones, in quibus Compoſita Elementa ſunt ſenſibilia, videlicet Aër, cum quo anhelamus, Aqua, quam videmus, & ſic de aliis; nam in iſtis jam ſunt transmutata Simplicia Elementa in Compoſita Elementa permanentibus eſſentiis ipſorum Simplicium, quamvìs ipſa ſint inſenſibilia, in quantum Simplicia, ſunt tamen ſenſibilia, in quantum Compoſita; nam, ſicut in denario ex argento & cupro fit mixtio, & per conſequens transmutatio ſpecierum, ſemper permanentibus eſſentiâ argenti & eſſentiâ cupri, ita ſimiliter & etiam multò meliùs in transmutatis Simplicibus Elementis in Compoſita permanent eſſentiæ Simplicium Elementorum; alia transmutatio verò poſt iſtam ſequitur ex Compoſitis Elementis in elementata, ût in hanc plantam, & ſic de aliis; quæ fit iſto modo.

3. Dum aqua & vinum ſimul commiſcentur, illud convertit ad ſe illam in ſuum colorem & ſaporem, quia vinum eſt magìs elementatum, quàm aqua, & habitus & actus ſunt majores in vino, quàm in aqua; hoc idem ſimiliter ſequitur de piro inſerta in pomo, nam in illis fit transmutatio, ita, quòd pirus ad ſe convertit advenientem ſibi ſimilem ſpeciem, quia ille pullulus ſive oculus, ubi arbor incipit pullulare, eſt magìs diſpoſitus ad pullulandum, quàm pomus carens ibi pullulo; & per hoc exemplum & per alia huic ſimilia declaratur, quomodo fiat transmutatio de Elementis in elementata, videlicet de Simplicibus Elementis in Compoſita Elementa, & de Compoſitis Elementis in elementata, ita, quòd eſſentia cujuslibet remaneat intrans in aliam eſſentiam, id eſt, eſſentia Simplicis in eſſentiam Compoſiti, & eſſentia Compoſiti in eſſentiam elementati, ût hujus plantæ; & ſic ſemen plantæ id, quod ſibi advenit, convertit in ſuam ſpeciem, quia in ipſo ſemine, id eſt, in ipſo generante grano magìs eſt habituatum generabile & transmutabile de ſpecie in ſpeciem, quàm in hoc, quod advenit ipſi generanti grano; nam id, quod illi advenit, venit influendo & communicando, ſed in ipſo grano eſt virtus attractiva, alterativa, converſiva, id eſt, generativa, cùm ipſa ſit magìs in ſuo fine, & cùm ipſa ſit elementatum mixtum, granum vel ſemen generatum eſt transmutativum, id autem, quod illi advenit, eſt transmutabile, ita, quòd Elementa in ſuis eſſentiis remaneant id, quod ſunt, ſed induunt ſe aliâ eſſentiâ, id eſt, aliâ ſpecie.

4. De argento argentei ſcyphi poteſt fieri diſcus, deinde iterum ſcyphus, & ita per conſequens circulariter, ſed tamen eſſentia argenti non transmutatur, niſi, quia partes argenti transmutantur & alterantur in accidentalem ſitum, & protendunt figuram diverſam à prima, ita, quòd alio modo reddunt ſitum & diſpoſitionem ſcyphi, alio modo verò diſci; ſed hæc non eſt vera transmutatio, cùm ſit artificialis; ſed quando cibus eſt receptus in ſtomacho, & de illo fit transmutatio in ſanguinem, & de ſanguine in carnem, hæc eſt vera transmutatio, cùm fiat de ſpecie in ſpeciem, nam ibi ſanguis eſt attractivus & converſivus, cibus verò influxivus & communicativus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tivus sui & transmutabilis; nam non est tam fortis in Sensitiva & Vegetativa, quàm sanguis, neque tam sanguis, quàm viva caro; & hoc modo nutrimentum fit conversivum & convertibile, & essentia Elementorum semper est subjectum; quare convenit, quòd patiatur & remaneat sub diversis transmutationibus; & activa Vegetativa & Sensitiva sub Intellectiva attingunt omnes partes passivæ Vegetativæ transmutabiles; sicut lux Solis attingit omnes partes Aëris in suo radio: ergo hoc prædicto modo fit conversio & transmutatio de Elementis in mixtum; mixtum autem est actus reductus de habitu per formam, & de potentia per materiam, & fluxus & refluxus transmutationis fit in materia, habitus autem remanet per formam, species verò, ût planta, & sic de aliis, est permanens, & similiter forma & materia illius.

QUÆSTIO CXXXVIII.

Quæ sunt Principia Substantiæ, & quæ Accidentium?

1. SOlutio. In Naturali Principio sunt tria attendenda, videlicet, quòd unum principium non sit de alio principio, nec quòd unum principium sit aliud principium, & quòd omnia alia principia sint sub ipso Naturali Principio; præter hæc etiam alio modo sunt sumenda principia, ût Tempus, Quantitas, Finis; & similiter Media, ût Differentia, Concordantia, Contrarietas & Majoritas, Æqualitas, Minoritas; & per consequens principia Formæ & Materiæ & Privationis & Efficientis, & sic de aliis cæteris principiis, quæ sunt considerabilia. Ista principia sunt considerabilia substantialiter & accidentaliter alio modo quoad universale, alio modo quoad particularia; quoad universale dicendum est isto modo: in Prima Vegetativa sunt bonitas, magnitudo &c. substantialia principia, de quibus constituitur substantia igneïtatis & aëreïtatis &c., & per consequens Prima Forma & Prima Materia; & in his sunt habituata Universalia & Genera, & in ipsis Generibus Species, & in ipsis Speciebus generabilia individua, ita, quòd habitus Generum & Specierum sunt universalia principia; proprietates etiam, id est, igneïtas, aëreïtas &c., & similiter Concordantia, quam bonitas, magnitudo &c. habent in individuatione & in ipsis proprietatibus, atque Differentia eorum & etiam proprietatum & Contrarietas & Medium & Finis, & sic de similibus istis, omnia ista sunt universalia principia. Post hæc universalia principia autem sequuntur particularia principia in Secunda Vegetativa, in qua sunt regulata hæc particularia principia sub ipsis prædictis universalibus principiis, ût generans granum plantæ, & generans animal, & sic de aliis; quia de bonitate &c., quam habent ex parte suî in habitu & in potentia, & de bonitate &c. adveniente illis generantibus, quam universalia principia habent ex parte suî in habitu & in potentia, producitur in actum in Secunda Vegetativa id, quod hæc & illa habent in habitu & in potentia; & productis particularibus principiis in actum ipsa sunt differentia, concordantia & contraria inter se ad invicem, ut sequatur finis.

2. Substantiale Principium sunt bonitas, magnitudo &c., ût jam dictum est, de quibus Substantia est constituta; hæc bonitas, magnitudo &c. similiter dividuntur in plures species & in plura individua concordativè, contrariativè, & sic de aliis; & in hoc Concordantia & Differentia & Finis sunt substantialia principia; sed Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio &c. sunt accidentalia principia Substantiæ, quia sunt instrumenta & medium, per quæ Substantia producitur & individuatur; quia per Quantitatem est quanta, & per Qualitatem qualis, & per Relationem substantiva & substantialis, ita, quòd Substantiarum alia non est alia, nec habet illam proprietatem, quam habet alia; sicut Ignis non est Substantia Aëris, & è converso, nec Ignis habet frigiditatem, nec Aqua de se caliditatem; & Substantia Ignîs per Actionem est Forma, & per Passionem Materia, & per Tempus est principiata & permanet in tempore, & per Locum est collocata & collocans, habens inde virtutem, quòd suæ partes possint esse; per Situm est situata ex substantialibus & accidentalibus partibus apparens in Figura; per Habitum verò est habituata in universalibus principiis formaliter, sed materialiter est in Potentia, videlicet substantia Ignîs Secundæ Vegetativæ; in particularibus principiis verò consistit formaliter & materialiter in actu.

3. Quia convenit, quòd substantialis bonitas &c. sit creata & finita, sequitur, quòd sit quanta per accidens, igitur sequitur Quantitas in bonitate &c.: similiter etiam Relatio, quia bonitas est bonificativa & per consequens bonificabilis: & similiter qualis, quia bonitas alio modo est quoad formam,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mam, alio modo quoad materiam, & etiam alio modo in planta, & alio modo in animali, & ſic de aliis: ſimiliter etiam activa & paſſiva, ut ſequatur Finis bonitatis, magnitudinis&c.:& localis,ut ipſa bonitas ſubſtantialis ſit collocans & collocata: & temporalis, quia eſt in Tempore, & in illo eſt principiata: ſimiliter etiam ſitualis & habitualis, ut bonitas, magnitudo &c. ſubſtantiales ſint ſituatæ & habituatæ, nam aliter non eſſent; igitur iſto modo Subſtantia cum ſuis ſubſtantialibus partibus eſt Principium ſuorum Accidentium exiſtens ſubjectum & fundamentum eorum.

4. Præterea Accidentium alia ſunt Principia aliorum, veruntamen diminuta, ût Quantitas & Qualitas Relationis, & è converſo, quia ſinè Quantitate & Qualitate non eſſet Relatio, nec è converſo; nam ſinè bonificativo & bonificabili non poſſunt eſſe Quantitas & Qualitas: & ût ſimiliter Qualitas Principium Quantitatis & Relationis &c., quia ſinè Qualitate non poſſent eſſe; & ſic de aliis.

QUÆSTIO CXXXIX.

Quomodo inveſtigentur Proprietates Rerum & *id, quod dicitur per Nomen?*

SOlutio. Sub iſta Quæſtione Ponimus & ordinamus *quinque Quæſtiones*, per quas reſpondetur ad hanc Quæſtionem, quarum hæc eſt prima.

QUÆSTIO CXL.

Quomodo Coloratum ſit habituatum in Intellectu quoad Formam, & in Imaginatione quoad Materiam?

1. SOlutio. Viſiva potentia eſt habituata videre coloratum, & hoc eſt quoad formam, ſed in colorato eſt habituatum videri, & hoc eſt quoad materiam, quod eſt, quia Viſiva Potentia eſt videns in ſuo proprio viſibili, ſi in intrinſecam materiam, quæ eſt de entitate Visûs, transferat coloratum, id eſt, objectum Visûs eſſentialiter remotum à viſivo; & ita ſequitur, quòd illud, quod eſt in viſibili, ſit hujus agentis & illius patientis: unde, ſecundùm quòd eſt ordinatum inter ſenſum & objectum, ût dictum eſt, ita ſimiliter eſt ordinatum inter Potentiam Intellectivam & Potentiam Imaginativam, ſcilicet, quòd objectum remaneat quoad materiam & potentiam in Imaginatione, ſed quoad ſuum habitum conſiſtat in Intellectu, id eſt, quoad formam producentem phantaſmata de Imaginatione, quæ eſt ſpeculum, ubi habitus colorati remanet in potentia, quam Intellectus reducit in actum, revolvens ſe ſuper Imaginationem. Unde ex his patet, quomodo *Artiſta debeat inveſtigare Proprietates Rerum ex his, quæ dicuntur per nomen*, ſicut hìc inveſtigatum eſt ex his terminis, qui in hac Quæſtione ſunt poſiti, videlicet, quòd coloratum habeat proprietatem eſſendi ſenſibile mediante Senſitivâ,quæ eſt viſiva: & imaginabile mediante Imaginativâ: & intelligibile mediante Intellectivâ; Imaginativa verò habet proprietatem eſſendi imago, in qua Intellectus videat id, quod eſt in abſentia ſensûs; & iſto modo patet, qualiter vel quomodo habitus activè ſit in Intellectu tanquam in forma, & potentia in Imaginatione paſſivè tanquam in materia.

QUÆSTIO CXLI.

Quare Lepus fugiens à facie Leporarii citiùs appetit Montem, quàm Planitiem?

2. SOlutio. Artiſta in ſolutione hujus Quæſtionis debet inquirere proprietates Leporis & Leporarii, montis & planitiei & ſimiliter Elementorum, atque ſimiliter ſitûs Leporis & Leporarii, & ſic de aliis his ſimilibus; nam Lepus reſpectu Leporarii habet breves & graciles pedes anteriores,& eſt parvæ quantitatis, & parvæ ponderoſitatis reſpectu Leporarii, quare naturaliter contrarium eſt illi currere deſcendendo, ac etiam currere in planitie; Leporarius verò ſe habet ad oppoſitum; nam ponderoſitas, quam habet multò majorem, quàm Lepus, juvat illum, & currit in planitie & in valle citiùs, quàm Lepus, ſicut galea in mari, poſtquam eſt mota, in ſuo curſu propter ſuam ponderoſitatem influentem motum vehitur velociùs, quàm barca, cujus ponderoſitas non eſt tanta; & etiam in planitie eſt terra humida & lutoſa, in montibus autem non, & ſic de aliis hujusmodi; quare ſecundùm has proprietates patet ſolutio hujus Quæſtionis.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CXLII.

Utrùm Artificialis Figura sit de Essentia Substantiæ?

3. SOlutio. In humano Intellectu est habituata per Imaginationem artificialis Figura, quia subjectum illius est Imaginatio; situs autem Figuræ est constitutus de substantialibus partibus, ex quibus Intellectus agens movens materiam ad illam assituationem partium attrahit artificialiter talem Figuram de potentia ad actum; igitur illa Figura est per accidens, quia resultat de partibus Substantiæ situatis, & est de essentia Substantiæ, quia partes illius sunt substantiales; veruntamen hic talis situs earum non est naturalis; & ideo Figura ipsius sitûs non est naturaliter de substantiali essentia, cùm essentia Substantiæ sint forma & materia naturales: unde investigatio proprietatum in Substantia & in partibus ejus & in situ earum, ac etiam in Intellectu, in Imaginatione & sic de aliis hujusmodi denotat solutionem Quæstionis, habendo illud, quod dicitur per illud nomen & illam proprietatem.

QUÆSTIO CXLIII.

Quare sumitur Habitus per Formam, & Potentia per Materiam?

4. SOlutio. Proprietas Formæ est in Majoritate, quia est activa, proprietas Materiæ est in Minoritate, quia est passiva, Finis autem est major per actionem, quàm per passionem, & Forma dat esse Materiæ, & gubernat eam; sed Habitus est propinquior ad esse & ad actum, & per consequens ad perfectionem, quàm Potentia, & etiam est magìs particularis quoad Formam, quàm Potentia quoad Materiam; hoc etiam sequitur de multis aliis proprietatibus, quas Habitus & Potentia habent: unde inventis proprietatibus hujus, quod dicitur per nomen in quæstione, quarum inventio est possibilis secundùm discursum *Artis Demonstrativæ*, potest Artista faciliter solvere Quæstionem.

QUÆSTIO CXLIV.

Quomodo generetur Ventus?

5. SOlutio. Ventus est motus Aër; igitur inquirat Artista proprietates Venti in proprietatibus Aëris & Motûs, quia ex eorum proprietatibus sunt aggregatæ proprietates Venti; nam sicut generatio Venti consideratur, quòd possit fieri ex utre pleno Aëre appetente naturaliter egredi & continere, non autem contineri, propter quem appetitum habet motum in habitu, & dum foramen utris aperitur, egreditur in figuram Venti; sic considerandum est, quòd fiat generatio Venti, quia, dum Aër sic est situatus, quòd ejus subtiles particulæ constituant plenum, & illud plenum ex omni ambitu collaterali & superiori sit conclusum à grossis vaporibus conjunctis & difficulter frangibilibus propter restrictionem Aquæ, tunc superioribus grossis & indigestis vaporibus vel nubibus, quia quantum possunt, sunt depuratæ ab Igne & Aëre, descendentibus ad suum centrum, comprimunt prædictum plenum, videlicet Aërem sic inclusum, quem ob intolerabilitatem supravenientis ponderis oportet hac vel illâ parte minùs forti violenter penetrare, & tunc labitur Aër impetuosè, quem dicimus esse Ventum.

QUÆSTIO CXLV.

Utrùm quodlibet Elementum habeat proprium Colorem?

1. SOlutio. In proprietatibus & principiis Elementorum & Colorum apparet solutio hujus Quæstionis; nam bonitas, magnitudo &c. cujuslibet Elementi est quanta, qualis &c.; igitur per consequens unumquodque Elementorum habet habituatum proprium Colorem, quia habet habituatam coloratam superficiem, nam aliter esset improprium ipsi habere superficiem & colorem & extremitates, & per consequens corpus, quod est impossibile: ergo quodlibet Elementum habet habituatam coloratam superficiem; iste habitus autem, videlicet coloris, consistit in Prima Forma & in Prima Materia; & sicut quatuor Elementa in ipsa Prima Forma & in ipsa Prima Materia sunt distincta, ita in eisdem habent distinctos habitus & distinctas qualitates; nam, sicut Ignis habet habituatam caliditatem, & Aër humiditatem, & Aqua frigiditatem, & Terra siccitatem, ita similiter quodlibet eorundem habet habituatum proprium colorem: & sicut istæ qualitates in Prima Forma & in Prima Materia sunt insen-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

inſenſibiles, ſic ſimiliter etiam colores in eisdem ſunt inviſibiles; & ſicut quælibet prædictarum qualitatum eſt ſenſibilis in compoſito, ſic color eſt viſibilis in colorato.

2. Sicut qualitas cujuslibet Elementi habet proprietatem intrandi in quodlibet aliud Elementum, ut faciat illa talia, ſicut caliditas Ignîs in Aërem, ut faciat illum calidum, & ſic de aliis, & è converſo, ut ſit in eis circulus, ſic ſimiliter quilibet Colorum habet proprietatem intrandi in quemlibet alium colorem, ut partes exiſtentes in partibus, & è converſo, habeant habituatum coloratum mixtum, ſicut habent calefactum mixtum in habitu, ût in hac planta vel in illo animali, & ſic de aliis: unde eſt manifeſtum ex his, quòd unumquodque Elementum habeat ſuum proprium Colorem, ut habitus Coloris ſit univerſalis, ſicut & alia principia ſunt univerſalia, ût caliditas, humiditas, & ſic de aliis, atque quantitas, & ſic de aliis; & ideo debemus inveſtigare quemlibet univerſalem Colorem, & ad quod Elementum immediatè & mediatè pertineat, immediatè quidem, ſicut caliditas ad Ignem, mediatè verò ipſa caliditas ad Aërem, & ſic de aliis; hæc inveſtigatio debet fieri ſecundùm ea, quæ imaginamur de ſuperioribus principiis, & de his, quæ ſentimus in inferioribus principiis, ût in Secunda Vegetativa.

3. Manifeſtum eſt nobis, quòd Ignis ſit lucidus, Aër diaphanus, Terra nigra, & per conſequens convenit, quòd Aqua ſit alba, cùm ipſa Albedo ſit ita generalis & principalis Color, ſicut cæteri prædicti; igitur ſecundùm ea, quæ ſentimus, convenit, quòd ſint quatuor univerſales Colores, videlicet Luciditas, Diaphanitas, Albedo, Nigredo; nam Luciditas eſt immediatè proprius Color Ignîs, & Diaphanitas Aëris, & Albedo Aquæ, & Nigredo vel Opacitas Terræ; ſed mediatè, videlicet per accidens, eſt Ignis niger, Aër lucidus, Aqua diaphana, Terra alba, ſicut per accidens ſunt Ignis ſiccus, Aër calidus, Aqua humida, Terra frigida; quòd autem hoc ita ſit, ſicut dicimus, patet, quia ita ſentimus; nam Aër eſt magìs lucificabilis, quàm Aqua & Terra, & Aqua magìs diaphanabilis, quàm Terra, quod patet in glacie & vitro & mari & in vaſe pleno aquâ, & Terra etiam magìs albificabilis, quàm Ignis & Aër, quod patet in nive & in vitro & in canitie hominum: unde ex his declaratur, quomodo unumquodque Elementorum ſecundùm proprium Colorem, quem habet, coloret quodlibet aliud Elementum in elementato; ſicut Lux Ignîs colorat in elementato Diaphanitatem Aëris, Diaphanitatem Aquæ, Diaphanitatem Terræ, & Albedinem Aquæ & Terræ & Ignîs & Aëris, & Nigredinem Terræ & ipſius Ignîs & Aëris & Aquæ: ſimiliter etiam Diaphanitas Aëris colorat Albedinem Aquæ & Terræ & Ignîs, & Nigredinem Terræ & Ignîs, & ſic de aliis; quia, quod de uno illorum ſequitur, illud idem ſecundùm ſuum proprium Colorem ſequitur de unoquoque aliorum; & ita Elementa, ût prædictum eſt, habent colorare elementatum ſuppoſitum per circulum ſecundùm quatuor prædictos Colores, ſicut qualificant ipſum ſecundùm quatuor proprias qualitates; nam Aër dat diaphanitatem Aquæ, & per conſequens Luciditatem, quam ipſe Aër habet ab Igne, & per conſequens Nigredinem vel Obſcuritatem, quam Ignis recipit à Terra, dans illam ipſi Aëri, & per conſequens etiam illam Albedinem, quam Terra recipiens ab Aqua dat Igni danti illam ipſi Aëri; & quod ſequitur de datione Aëris ipſi Aquæ, idem ſimiliter ſequitur de datione cujuslibet ſibi proximè ſubdito, ita, quòd moto uno propriorum Colorum moveantur omnes ad alios ſecundùm ſuum prædictum ordinem, ita, quòd non immediatè regreſſibili ordine: unde hæc coloratio habet fieri per medium, & oritur à propriis Coloribus propter eorum mixtionem.

4. Poſt hoc medium colorationis autem ſequitur aliud, nam Ignis in pipere colorans ſe de Nigredine Terræ colorat Aërem & Aquam de ſua Nigredine ſic acceptâ per accidens à Terra; & hoc eſt, quia Ignis in pipere eſt fortior, quàm cætera Elementa. Simili modo agit Ignis in allio, nam ipſe Ignis colorans ſe de Albedine Aquæ dealbat Aërem, cùm allium ſit calidum & ſiccum; ~~allium~~ Ignis igitur recipit Albedinem à Terra accidentaliter, ut ſub Albedine poſſit devincere Aquam. Similiter etiam Aër colorat Ignem, Aquam & Terram in Sanguine; & Aqua etiam colorat cætera Elementa in Albedine, ût in lilio, & in Viriditate, ût in petroſelino, & ſic de aliis; ſciendum eſt autem, quòd Albedo & Viriditas ſint colores Aquæ, ſed Albedo propriè, & Viriditas per accidens; ſimiliter etiam Rubedo eſt Aëris per accidens. Præterea Terra etiam colorat cætera Ele-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Elementa in abſentia Solis & alterius luminis, etiam dealbat, in quantum ipſa eſt dealbata, ſicut in canitie. Iſti Colores autem ſunt per accidens, ex eo, quia in ipſis quatuor univerſales Colores ſunt mixti; & hæc coloratio ipſorum Elementorum protendit ſe in infinitum ſecundùm eorum varias mixtiones, ſicut patet in ſpeciebus habentibus diverſos colores in ſuis individuis.

QUÆSTIO CXLVI.

Quomodo generentur Tenebræ?

1. SOlutio. Conſiderandum eſt, quòd Tenebræ generentur duobus modis, ſcilicet ſubſtantialiter & accidentaliter; ſubſtantialiter quidem, quia ex eo, quòd Terra eſt nigra & fuſca, imprimit ſuum colorem in cætera Elementa, quando eſt dominans, ſicut Tenebras in oculum vel in cameram abſente luce, vel in Aërem, quando nox eſt; accidentaliter generantur Tenebræ, quia abeſt præſentia lucis, videlicet Ignîs vel Solis vel Aëris vel Aquæ.

2. Sicut ſuprà dictum eſt, Terra eſt nigra, Aër diaphanus, Ignis lucidus, Aqua alba; unde, ſicut Diaphanitas Aëris illuminatur à præſentia Luciditatis Ignîs vel Solis, ita etiam in abſentia ipſius Luciditatis denigratur à Nigredine Terræ, quia color colorans eſt impreſſibilis in diaphanitatem propter maximam claritatem & ſubtilitatem, quam habet Diaphanitas, & quia etiam Terra eſt oppoſita Aëri, habet mutare eum in illi oppoſitum colorem, videlicet in Obſcuritatem. Præterea etiam Terra colorat Aquam, quia Albedo Aquæ eſt receptiva Obſcuritatis Terræ, quia concordat cum Terra, ſicut eſt receptiva Diaphanitatis Aëris, quia concordat cum eo; & ſimiliter obſcurat Ignem, ſicut Aquam, quia concordat cum eo; & ſic de nocte Terra denigrat vel obſcurat Ignem & Aquam & per conſequens Aërem per totum illud ſpatium, in quo ipſa Elementa ſunt mixta in abſentia faciei Solis moventis Ignem & Aërem ad Claritatem.

3. Firmamentum eſt coloratum livido colore, ſicut probabimus; ejus color eſt ſic intenſus in Lividitatem, ſicut ſtellæ in Luciditatem; hoc tamen eſt intelligendum ſecundùm debitam proportionem; unde, ſicut Luciditas Solis mediante Luciditate & Diaphanitate Aëris illuminat in die omnes partes Elementorum, quas attingit, ita Lividitas octavæ Sphæræ Firmamenti de nocte obſcurat partes Elementorum, quas lux Solis non attingit, in quas imprimit ſuum lividum colorem: unde mediante Nigredine Terræ reſultant in nocte Tenebræ, quia Lividitas Firmamenti & Nigredo Terræ tendunt in Obſcuritatem, ſicut lux Solis & Ignîs in Claritatem.

4. Etiam multis modis contingit, quòd Tenebræ generentur, ſicut per eclipſin, per nubes, per groſſos vapores, per pluviam & per alia ſimilia iſtis; nam omnia iſta impediunt Luciditatem Solis, ſicut ſulphur Luciditatem ignîs, & fumus Luciditatem flammæ, & Nigredo Diaphanitatem cryſtalli, & nigredo atramenti Diaphanitatem Aquæ & vini, & ſic de aliis ſimilibus.

QUÆSTIO CXLVII.

Utrùm Ignis ſit calidus per ſe, ſiccus verò per accidens?

1. SOlutio. In bonitate ipſius Chaos, & ſimiliter in magnitudine & ſic de aliis, ſunt habituatæ omnes proprietates Elementorum, videlicet caliditas, humiditas &c.; ſed, quia in bonitate ſunt habituatæ igneïtas, aëreïtas &c., convenit, quòd ille habitus ſit diſtinctus, ita, quòd bonitas alio modo ſe habeat ad Ignem, alio modo ad Aërem, & ſic de aliis, & per conſequens alio modo quoad caliditatem, alio modo quoad humiditatem &c.. Igitur ex his patet, quòd Ignis ſit calidus per ſe, ſiccus verò per accidens, cùm hoc ſit verum, quod ſuprà de proprietatibus dictum eſt. Etiam patet ex his, quòd Ignis ſit fortior in caliditate, quàm in ſiccitate; nam, ſi Ignis eſſet per ſe calidus & ſiccus, eſſent confuſæ duæ qualitates & per conſequens proprietates, & ſic Magnitudo deficeret proprietatibus bonitatis & durationis in Majoritate Finîs Differentiæ & Concordantiæ ſubſtantiæ & accidentium, quod eſt magnum inconveniens & contra Magnitudinem ſimilitudinis Divinarum Proprietatum.

2. Si Ignis eſſet per ſe ſiccus, ſicut eſt calidus, tantum eſſet ſiccus, quantum eſſet calidus, quod eſt falſum, quia, ſi eſſet per ſe ſiccus, eſſet impoſſibile, quòd in illa planta vel in illo animali, ubi Ignis prædominatur, frigiditas Aquæ poſſet reſiſtere caliditati ejus, & humiditas ſiccitati ejus, & ſic deſtruerentur

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rentur Temperamentum & Mixtio & Digeſtio, & per conſequens Generatio & Conſervatio, & hoc etiam maximè propter adjuvamentumSolis,qui plùs influit in Ignem, quia lucidus, quàm in cætera Elementa: ergo Ignis eſt calidus per ſe, & ſiccus per accidens; & quia Ignis per ſe eſt calidus, & ſiccus per accidens, Aër verò humidus per ſe, & calidus per accidens, & Aqua frigida per ſe,& humida per accidens, & Terra ſicca per ſe, & frigida per accidens, prædominans Ignis in elementato non poteſt omnino deſtruere Aquam, quia habet Concordantiam cum Aëre & cum Terra concordantibus cum ipſo Igne, nec Terram, nec etiam Aërem, quia concordant cum eo; & ſic quædam eſſentialis proprietas & alia accidentalis uniuntur inſimul immediatè, & omnes concatenantur ad invicem propter ſuas concordantias,ita, quòd inde neceſſariò fiat quædam proportionalis coæquatio earum & temperamentum in generando & conſervando; & hoc ſatìs per ſe patet.

3. Ignis eſt lucitivus, Terra verò obſcurativa, ſicut per ſe patet; quare, ſi Ignis eſſet per ſe ſiccus, eſſet per ſe obſcurativus; quod eſt impoſſibile: aut ejus ſiccitas non eſſet idem ſpecie cum ſiccitate Terræ; quod eſt impoſſibile: quia ſic non diſtinguerentur eſſentiæ Ignîs & Terræ per proprietates. Præterea, ſi Ignis eſſet per ſe ſiccus, & Terra per ſe ſicca, cùm ſiccitas Terræ ſit major, quàm ſiccitas Ignîs, eſſet Ignis per ſe deſiccabilis eſſentialiter,per Terram verò accidentaliter, & ſic Majoritas haberet in Igne majorem Concordantiam cum accidente, quàm cum ſubſtantia, & cum potentia & materia, quàm cum habitu & forma, quod eſt impoſſibile. Præterea natura in hoc, quod poſſet ſibi ſufficere per unam proprietatem, non eſſet contenta, niſi haberet duas in eadem ſpecie proprietatis, quod ſimiliter eſt impoſſibile: hoc idem ſuo modo ſequitur de aliis proprietatibus in cæteris Elementis.

4. Ignis eſt levis per ſe, gravis verò per accidens, ſi habeat ſiccitatem accidentaliter, ſi verò haberet eam eſſentialiter, ſic eſſet per ſe gravis & levis, quod eſt impoſſibile: cùm gravitas eſſentialiter pertineat ad Terram & Aquam, levitas autem ad Ignem & Aërem. Præterea Ignis per ſe eſt diffuſivus, ſed, ſi Ignis eſſet per ſe ſiccus,eſſet per ſe evacuativus, cùm evacuatio pertineat ad Terram propter ſuam groſſitiem, ût Aër eſt impletivus propter ſuam diaphanitatem & raritatem; quare,ſi ignis eſſet ſiccus per ſe,conveniret,quòd eſſet per ſe deſtructibilis & annihilabilis, quod eſt impoſſibile: hoc idem ſequeretur de Aqua in contrario,nam eſſet per ſe humida & frigida, & ſic impletiva & reſtrictiva, & ita nullum elementatum poſſet generari ex ea, quod eſt impoſſibile: quia ſinè eſſentia cujuslibet Elementi non poteſt generari aliquod elementatum.

QUÆSTIO CXLVIII.

Utrùm Levitas & Ponderoſitas ſint de Eſſentia Subſtantiæ?

1. SOlutio. In Prima Vegetativa ſunt naturaliter habituata quinque Univerſalia & decem Prædicamenta, ſicut in Intellectu multæ ſcientiæ per modum acquiſitionis, ipſa Vegetativa verò eſt una ſubſtantia ſubjecta ipſis quinque Univerſalibus & decem Prædicamentis; unde, ſicut Intellectus non eſt habitus Grammaticæ nec Logicæ, ſed eſt id, quod habet in habitu Grammaticam & Logicam: ita bonitas, magnitudo &c., de quibus Prima Vegetativa eſt conſtituta, ût ſuprà dictum eſt, non ſunt id, quod eſt habitus ipſius Vegetativæ, ſed ſunt id, quod habet habitum per formam, & quod habet in habitu Genus &c. per potentiam: & in hoc declaratur, quòd bonitas ſimpliciter habeat proprietatem bonificandi ſubſtantialiter, & magnitudo magnificandi, & ſic de aliis, ut ſint magìs ſimiles Divinis Dignitatibus, ita,quòd creata bonitas quoad formam eſt bonificativa, bonificabilis verò quoad materiam, non tamen in Divinis eſt materia, ſed bonificabilis#, & ſic de Magnitudine & de cæteris ſuo modo; & ſic bonificare in propria forma eſt ipſi bonitati ſubſtantialis proprietas ſuæmet eſſentiæ & entitatis, ſed Levitas & Ponderoſitas ſunt accidentales proprietates accedentes ipſi bonitati &c., quia ipſa bonitas &c. per accidens eſt levis in eſſentia Ignîs, & ſimiliter per accidens gravis in eſſentia Aquæ, cùm bonitas Ignîs & bonitas Aquæ, & etiam Aëris & Terræ, ſint idem in radice, ût ſuprà dictum eſt.

eſt forma

2. In quantum elementalis bonitas eſt primum principium quoad elementata, habet in habitu, quòd ſit levis & gravis; levis quidem in Igne & Aëre, ſed gravis in Aqua & Terra, & ſic per conſequens in bonitate plantæ eſt levis quoad Ignem, gravis verò

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quoad Terram; ſic igitur Levitas & Ponderoſitas ſunt accidentales proprietates,& non ſunt de eſſentia bonitatis,magnitudinis &c., ſed ſunt proprietates creatæ & habituatæ in ſubſtantia particulariter & univerſaliter: particulariter quidem, quia ſunt habituatæ in bonitate & in magnitudine, & ſic de aliis, univerſaliter verò ſunt habituatæ in ſubſtantia aggregata, conſtituta & compoſita de bonitate, magnitudine &c.; & hoc per ſe manifeſtè patet.

3. In bonitate &c. eſt Levitas habituata quoad bonitatem Ignîs, & hæc bonitas eſt quanta, qualis &c.; unde in quantum eſt quanta, qualis &c., non poteſt eſſe Levis; idem judicium eſt de Ponderoſitate Terræ & bonitate &c. Terræ; igitur reſtat, quòd talis Levitas vel Ponderoſitas non poſſit eſſe de eſſentia ſubſtantiæ; quia, ſi ſic, ſequeretur, quòd quantitas, qualitas &c. Levitatis vel Ponderoſitatis eſſent de eſſentia ſubſtantialis bonitatis & ſubſtantialis magnitudinis &c., & per conſequens de tota eſſentia ſubſtantiæ, quod eſt impoſſibile, ût jam probatum eſt: ſubſtantialis bonitas autem, & ſimiliter magnitudo &c., eſt quanta & qualis ſubſtantialiter; quanta quidem ſubſtantialiter, quia eſt activa & paſſiva ſubſtantialiter in eo, quòd ſit bonificativa & bonificabilis ſubſtantialiter, quod non eſſet, niſi ſubſtantialiter eſſet quanta; eodem modo eſt qualis quoad formam & materiam, & ſic de relatione &c.. Unde, ſicut de quanta ſubſtantiali intenſa bonitate influitur accidentalis bonitas, ita de ſubſtantiali proprietate ſubſtantialis bonitatis, quæ eſt bonificativa, bonificabilis & bonificare, influitur accidentalis proprietas accidentalis bonitatis, quæ eſt Ponderoſitas & Levitas in Elementis; & ita Levitas & Ponderoſitas ſunt proprietates quantæ, quales &c., per accidens exiſtentes accidentales formæ influxæ de ſubſtantialibus formis.

4 Accidentia mediantibus proprietatibus influuntur & refluunt in ſubſtantiam: influuntur, ſicut de ſubſtantiali bonitate, magnitudine &c., de quibus ſubſtantia eſt conſtituta, influitur accidentalis bonitas, videlicet quantitas, qualitas &c., quæ ſunt bonæ, magnæ &c., cùm ſint propter finem, & ſic ſimiliter per conſequens influuntur de ſubſtantiali proprietate, videlicet de proprietate bonificativâ &c. iſtæ proprietates, videlicet Ponderoſitas & Levitas; & ſicut accidentales formæ influuntur de ſubſtantialibus formis, ita ſimiliter refluunt in ipſas ſubſtantiales formas, & per conſequens in ipſam ſubſtantiam, ita videlicet, quòd bonitas quantitatis, quæ eſt bona ſub ratione quantificationis, reflectitur in ſuam quantam ſubſtantiam: unde ex his manifeſtè videtur, quòd iſtæ proprietates, videlicet Levitas & Ponderoſitas influantur de ſubſtantialibus partibus ſubſtantiæ in hoc, quòd ſint bonæ magnæ &c., & refluant in easdem in hoc, quòd ipſæ ſubſtantiales partes, videlicet bonitas, magnitudo &c. ſint leves & ponderoſæ, & per conſequens tota ſubſtantia ex eis aggregata, exiſtente ſubſtantiali bonitate bonificativâ & bonificabili in conſtituendo de ſe & cæteris ſubſtantialibus partibus iſtas proprietates, ſcilicet Levitatem Ignîs & Aëris, & Ponderoſitatem Terræ & Aquæ; hoc autem eſſet impoſſibile fieri, ſi Levitas & Ponderoſitas eſſent de eſſentia ſubſtantiæ, quia ſic poſſet ſubſtantia ſuas ſubſtantiales partes exiſtentes actu habere in habitu ſimpliciter ſinè actu, quod eſt contradictio: ergo Levitas & Ponderoſitas non ſunt de Eſſentia Subſtantiæ.

QUÆSTIO CXLIX.

Utrùm Aqua ſit gravior per Formam, quàm per Materiam?

1. SOlutio. Bonitas Aquæ habet majorem nobilitatem & poteſtatem per Formam, quàm per Materiam, quod eſt, quia bonitas, poteſtas &c. Formæ magìs aſſimilantur Bonitati, Poteſtati &c. DEI, quàm bonitas, poteſtas &c. Materiæ; nam bonitas, poteſtas &c. Formæ aſſimilantur Bonitati, Poteſtati &c. DEI quoad Formam & quoad genus bonitatis, poteſtatis &c.; bonitas, poteſtas &c. verò Materiæ tantùm quoad genus aſſimilantur Bonitati, Poteſtati &c. DEI, ſed diſſimilantur in bonitate, poteſtate &c. Materiæ, cùm in DEO ſit nulla bonitas, poteſtas &c. Materiæ; ſed, cùm Gravitas ſub ratione Gravitatis ſit bona quoad Formam & bona quoad Materiam, igitur eſt manifeſtum, quòd Gravitas ſit major in Aqua ex parte Formæ, quàm ex parte Materiæ.

2. Si Aqua eſſet gravior per Materiam, quàm per Formam, ſic haberet Materia ſuum centrum in habitu, & Forma haberet ſuum centrum in potentia; & ſic appetendo ſuum centrum Forma Aquæ eſſet paſſiva, Mate-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Materia verò ejus activa, quod eſt impoſſibile: ergo oppoſitum eſt neceſſarium.

3. Si Aqua eſſet gravior per Materiam, quàm per Formam, ſequeretur, quòd Ignis eſſet levior per Materiam, quàm per Formã, quod eſt impoſſibile: & quod ſequeretur de Igne, hoc idem ſequeretur de Aëre, & quod ſequeretur de Aëre, hoc idem ſequeretur de Aqua, & quod ſequeretur de Aqua, hoc idem ſequeretur de Terra, & per conſequens naturalis motus aſcensûs & deſcensûs eſſet alteratus, & minoris virtutis, & Finis eſſet in Minoritate, & plantæ etiam plùs appeterent pluviam quoad materiam, quàm quoad Formam, & ſuperiora corpora etiam haberent majorem proportionem cum materia in inferioribus, quàm cum forma; hæc inconvenientia autem & multa alia ſequerentur: ergo Aqua non eſt gravior per Materiãm, quàm per Formam.

4. Motus Aquæ ad ſuperiora eſt materialis, quando calidi & ſicci vapores elevant humidos & frigidos vapores, ut generetur nix vel pluvia, attamẽ in hoc eſt naturalis iſte aſcenſus ipſi Aquæ, quia appetit generare nivem vel pluviam; & quamvìs iſte aſcenſus ſit in parte naturalis, quantò plùs aſcendunt iſti calidi & humidi vapores, per ſe lento motu aſcendunt, in quantum verò feſtinanter, hoc eſt per calidum & ſiccum; ſed quando deſcendunt converſi in pluviam vel nivem, tunc eſt oppoſitum: unde ex hoc manifeſtè declaratur, quòd Ponderoſitas ſit major per Formam, quàm per Materiam; quia, ſi eſſet per oppoſitum, calidi & ſicci vapores haberent majorem actionem ſuper frigidos & humidos vapores quoad ſuam Materiam, quàm quoad Formam, quod eſt impoſſibile. Præterea habitus Ponderoſitatis eſt propinquior actui quoad formam, quàm quoad materiam, cùm forma det eſſe materiæ; quare, ſi Ponderoſitas eſſet major per Materiam, quàm per Formam, ſequeretur, quòd id eſſet minùs diſtans ab eſſe, quod eſſet minùs propinquum ipſi eſſe, videlicet potentia & habitus; quod eſt manifeſtè contradictio: ergo Aqua non eſt gravior per Materiam, quàm per Formam.

QUÆSTIO CL.

Utrùm Ignis, qui eſt in Superioribus, deſcendat ad Inferiora, & Ignis, qui eſt in Inferioribus, aſcendat ad Superiora?

1. SOlutio. Simplex Ignis eſt per totum mixtum, & totum mixtum per totum Simplicem Ignem, & hoc per totum Plenum, per quod Plenum eſt plenum, quidquid eſt ſub lunari circulo, ut ſit unum mixtum univerſale Plenum, de quo oriantur infinitæ particulares mixtiones in compoſitis, ût planta &c.; & ideo univerſalis bonitas habet habituatum Simplicem Ignem per totam ſe ipſam, & ſimiliter magnitudo &c., & hoc per totum ſcilicet Superius & Inferius, & per totum Medium, & in ſpecie igneïtatis oritur ille habitus in actum; ac etiam in illo Simplici Actu ſunt habituatæ omnes ſpecies & individua igneïtatis, ut ſit Compoſitus Ignis, & in Compoſito Igne ſint individua ſpecierum igneïtatis, in quo ſunt actu illa individua, quæ ſunt generata, ſed illa, quæ ſunt generabilia, ſunt habitu & potentiâ in eo; & ſic neceſſariò convenit, quòd Ignis, qui eſt ad ſuperiora, deſcendat, & is, qui eſt ad inferiora, aſcendat, ut Prima Vegetativa influat in Secundam, & Secunda refluat in Primam, quando corrumpitur, quod eſſet impoſſibile, niſi eſſet aſcenſus & deſcenſus ipſius Ignîs.

2. Abſoluta Bonitas in hoc, quod individuatur in eſſentiam Ignîs & in eſſentiam Aëris &c., deſcendit ab univerſali ad particulare, videlicet à ſua eadem univerſalitate ad ſuam eandem particularitatem; & ſic iſto modo poteſt intelligi modus, per quem Ignis deſcendit & aſcendit de univerſali ad particulare, & è converſo; & per hanc naturam bonitatis, magnitudinis &c. convenit, quòd Ignis deſcendat & aſcendat; ſed hoc eſt alio modo ſecundùm Primam Vegetativam, & alio modo ſecundùm Secundam Vegetativam; ſecundùm Primam quidem, ipſo Igne multiplicante aut diminuente ſe de partibus in partes per totam lineam continuam ex omnibus illis infinitis partibus, ſicut imago lucis Solis tranſit per infinitas partes in Aëre per lineam continuam ex eis omnibus illuminando eas & quasdam magìs, quàm alias, usque ad nos; atque fit iſta aſcenſio & deſcenſio Ignîs ſecundùm

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Secundam Vegetativam, quando ſuppoſitum corrumpitur vel diſpergitur in flammam vel in fumum vel in atomos, in quas planta vel animal eſt diviſibile per corruptionem, & ſic de ſimilibus iſtis, ſicut de vaporibus aſcendentibus & deſcendentibus, aſcendente Aquâ per calidos & ſiccos vapores, in quibus eſt Compoſitus Ignis, & ſimiliter deſcendente ipsâ Aquâ per pluviam, ubi etiam eſt Compoſitus Ignis.

3. In ſcypho, in quo vinum eſt purum, eſt ipſum vinum actualiter corpus; poſtea verò, quando aqua miſcetur cum vino, vinum per ſe non eſt corpus, ſed totum mixtum per ſe eſt corpus; vinum tamen habet, quòd ſit corpus per ſe habitu & potentiâ, ſed non poteſt eſſe corpus actu, quia eſt mixtum cum aqua; ſi verò aqua removeretur, eſſet vinum ſtatim actu corpus per ſe; & ideo, *ſi ſic artificialiter poſſet fieri*, quòd aqua ſucceſſivè removeretur à vino, quantò plùs removeretur ab eo, tantò plùs habitus corporis vini accederet ad actum in tantum, quousque de habitu eſſet alteratum in actum. Sic ſimiliter ſimplex Ignis exiſtit eſſentialiter per totum ſpatium ſub lunari circulo, habens in habitu ſuum corpus, eſt autem actu ejus corporeïtas, nec tamen poteſt eſſe corpus actu, quia cætera Elementa ſunt per totum illud ſpatium, in quo ipſe eſt; & ideo, quantò plùs habitus ipſius Simplicis Corporis accedit ad actum, tantò plùs Ignis aſcendit & deſcendit ad illum locum, in quo fit ille acceſſus, ut partes inferioris Ignîs reducat ſuperiùs; & ſive iſte acceſſus ſit vel in Prima Vegetativa vel in Secunda, Ignis ſemper aſcendit & deſcendit prædicto modo; aſcendit quidem ad ſimplicitatem, quia habitus ſui ſimplicis corporis accedit ad actum, & deſcendit etiam ad illum locum, ubi fit acceſſus.

4. In ſtomacho generantur calidæ & ſiccæ fumoſitates, & quando ſunt digeſtæ, influuntur ad cerebrum aſcendentes, & de cerebro refluunt in ſtomachum frigidæ & humidæ; hoc autem ita fit, quia ſtomachus eſt calidus & ſiccus, cerebrum verò frigidum & humidum, & ſic prædicti vapores nunquam ceſſant aſcendere & deſcendere ſemper per eandem continuam lineam compoſitam ex omnibus illis vaporibus vel fumoſitatibus: & per hoc declaratur modus, per quem Ignis aſcendit & deſcendit; & ideo, quando Ignis deſcendit, tunc deſcendit cum maxima caliditate, quam ipſe habet per ſe, quia intra ſuam ſphæram eſt calidior, quàm extra, & deſcendit cum maxima humiditate mediante ſphærâ Aëris, & per conſequens cum maxima frigiditate mediante ſphærâ Aquæ, & ſic deſcendit indigeſtus, ut cum temperamento & augmento ſiccitatis inferiùs digeratur; dum autem aſcendit, tunc aſcendit cum maxima caliditate & ſiccitate, quæ ex corruptione plantæ vel alicujus elementati vaporantis multiplicantur, habentes inter ſe concordantiam, cùm Ignis ſit calidus & ſiccus. Et ſicut de aſcenſu & deſcenſu Ignîs dictum eſt, eodem modo eſt intelligendum de cæteris Elementis ſecundùm ſuas complexiones.

QUÆSTIO CLI.

Quomodo Generabilia exiſtant Habitu & Potentiâ?

SOlutio. In principio debemus artificialiter inquirere modum, per quem Generabilia exiſtunt habitu & potentiâ in univerſalibus principiis deſcendendo usque ad particularia, propterea inveſtigandum eſt circa hoc iſto modo.

1. In Bonitate, Magnitudine &c. Creatoris eſt Finis, quare creata bonitas, magnitudo &c. ſunt, aliàs quoad hoc eſſet defectus in Creatore, quod eſt impoſſibile: igitur bonitas eſt creata ad finem; ergo ipſa eſt, ut ſit bonum ex ipſa bonitate; & quia hoc idem eſt de magnitudine, ergo eſt creata magnitudo, ut ſit magnum; & quia bonitas & magnitudo uniuntur in aliquod, ut bonum ſit magnum, & magnum ſit bonum, ſequitur, quòd habitus exiſtat in forma bonitatis, magnitudinis &c., & quòd poſſit eſſe actu ex materia bonitatis, magnitudinis &c., & hoc patet, cùm bonitas ſit bonificativa & bonificabilis; & magnitudo magnificativa & magnificabilis, ut bonitas ſit magna, & magnitudo ſit bona, non autem parva in ſe nec in bonitate: & ex his manifeſtatur modus, per quem generabilia ſunt habitu, & exiſtunt potentiâ in ſuperioribus principiis, videlicet in bonitate, magnitudine &c.

2. In Superioribus Principiis conſiſtunt generabilia in Prima Forma & Prima Materia, quæ ſunt conſtitutæ ex ipſis Superioribus Principiis, & in eis ſunt omnia Superiora Principia unita, & per conſequens habitus & potentia, ita, quòd eſt unus habitus conſtitutus ex omnibus illis principiis, & eſt una potentia conſtituta ex eisdem omnibus, videlicet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

delicet una Univerſalis Forma, & una Prima Materia; & ſicut DEUS attingit generabilia intelligendo & volendo, ita ſunt habituata in ſpecie & in individuis in Prima Forma, & exiſtunt potentiâ in Prima Materia; poſt iſtud exiſtere autem exiſtunt ipſa generabilia adhuc magìs infrà alio gradu, videlicet in quatuor Simplicibus Elementis mediantibus diſtinctis proprietatibus; & ſub iſtis etiam deſcendunt adhuc inferiùs alio gradu, videlicet in Compoſita Elementa usque ad Naturale Agens, videlicet animal, plantam, metallum &c.

3. In planta, quæ eſt in actu, eſt alia planta in habitu & potentia, ut ſequatur prædictus finis, ita, quòd de bonitate, magnitudine &c. plantæ poteſt generari bonitas, magnitudo &c. alterius plantæ ſimilis primæ in ſpecie; & hoc formaliter, cùm ſit habituata in illa per formam; & materialiter per materiam, cùm bonitas, magnitudo &c. plantæ ſit paſſiva, quia eſt bonificabilis: & ideo, quando ſuperior influentia venit ad radicem vel granum plantæ exiſtentis in terra, tunc habitus & potentia ſuperiores, & habitus & potentia inferiores gradatim ſibi invicem obviant in prædictis gradibus usque ad ultimum, & tunc id, quod eſt in habitu per formam, formaliter reducitur ad actum, & id, quod exiſtit in potentia, materialiter reducitur ad actum; & hoc per ſe ſatìs patet.

4. In planta & in bruto & in cæteris elementatis ſunt intelligenda hæc, quæ nunc dicta ſunt; aliter autem eſt intelligendum in Rationali Animali quoad Rationalem Potentiam, non autem quoad Senſitivam & Vegetativam; nam ſicut forma navîs eſt habituata in Intellectu & in Imaginativa, & exiſtit potentiâ in materia, videlicet in trabibus & poſtibus &c. navîs, ita ſimiliter in Intellectiva Anima eſt habituata Humana Forma ſtatim, quando ipſa Anima eſt creata, cùm finis Animæ ſit, ut ſit homo, & in inſtanti creationis Animæ ſequitur actu illa Forma, quia Anima unitur cum ſuo corpore; & tunc de Vegetativa & Senſitiva tanquam de materia, & etiam de materia ipſius Animæ, cùm ſit bonificabilis, ſequitur potentia, & hoc eſt, ut Humana Forma ſit de bonitate Animæ; quia, niſi in Intellectiva Anima eſſet habituata Humana Forma, Anima nunquam poſſet informare vel formificare Formam, nec agere ſupra Humanam Materiam, videlicet animal, nec eam reducere in actum; & etiam, quando ſeparatur à corpore, non haberet Humanam Formam in habitu, & ſic non eſſet Reſurrectio, quod eſt impoſſibile, ût probavimus. Præterea ex parte Vegetativæ & Senſitivæ eſt habituata Forma Humani Corporis, quia ipſa Forma habet, ut ex earum formis ſit Forma Humani Corporis; iſta autem eſt in habitu quoad illas, illæ verò in potentia quoad iſtam, quia ſunt paſſivæ; ſed ipſa Humana Forma ſimpliciter eſt habituata in Intellectiva Anima propter nobilitatem, quam habet ſupra Senſitivam & Vegetativam Formam. Igitur per prædicta reſtat, quòd in homine ſit unica Humana Forma tantùm, habens ſub ſe reſpectu finîs plures formas, videlicet Rationativam Formam, Senſitivam Formam, & Vegetativam Formam, & etiam multas alias accidentales formas, de quibus Humana Forma eſt aggregata & unita ſive compoſita.

QUÆSTIO CLII.

Quomodo de pluribus Formis poſſit fieri una Forma, & de pluribus Materiis una Materia?

1. SOlutio. Bonitas eſt forma, quia eſt bonificativa, & eſt materia, quia eſt bonificabilis, ſimiliter etiam Magnitudo &c.; ſed ipſa non eſt corpus, ſed eſt pars corporis; igitur de bonitate & magnitudine &c. conſtituitur *Chaos* vel Ignis vel Aër &c.; & ſic ex pluribus formis fit una Univerſalis Forma, & ex pluribus materiis una Univerſalis Materia, una forma Ignîs, una forma Aëris &c., & ſemper permanent particulares formæ & particulares materiæ videlicet bonitas, magnitudo &c., quia *Forma Chaos* eſt bona, magna &c., ſimiliter etiam ejus *Materia*, & forma & materia Ignîs, & ſic de aliis: & ſic, in quantum partes & totum, fit diſtinctio in ſpecie inter particularem formam & materiam, & inter univerſalem formam & materiam, quia alia forma eſt *forma bonitatis* &c., & alia forma eſt *Forma Univerſalis*, quia tranſivit in aliam ſpeciem; & ſicut eſt una Univerſalis Forma, ſic ſimiliter eſt una Univerſalis Bonitas, & ſic ſimiliter eſt de Materia.

2. Secundùm quòd in Superioribus Principiis de pluribus formis conſtituitur una forma, & de pluribus materiis una materia, ſic ſimiliter etiam in inferioribus principiis, ût

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ût in planta, in quâ sunt plures formæ constituentes unam formam, & plures materiæ constituentes unam materiam, videlicet forma & materia bonitatis, forma & materia magnitudinis &c., quia planta est bona, magna &c., & bonificativa, bonificabilis &c.; & etiam in planta est forma & materia Ignîs, forma & materia Aëris, & sic de aliis, ita, quòd ipsæ quatuor formæ Elementorum constituant formam plantæ, & quatuor materiæ eorum materiam plantæ: &, licèt forma plantæ sit alia in specie à forma Ignîs, à forma Aëris &c., propter hoc forma bonitatis, forma magnitudinis &c., & forma Ignîs, forma Aëris &c. nunquam pereunt in planta, nec revertuntur in nihilum, sed potiùs remanent in ea, sicut remanent in Superioribus Principiis; nam, si destruerentur, non sequerentur inferiora principia ex ordine Superiorum, quod est impossibile, nec planta esset simpliciter bona nec magna, nec per consequens esset corpus, nec etiam bonitas, magnitudo &c. superiores attingerent suum finem in planta, quod est impossibile: hoc idem suo modo sequeretur de cæteris Elementis, nam Ignis non esset compositus in planta, nec igniens, nec per consequens calefaciens, quod est impossibile: hoc idem per consequens esset secundùm se de unoquoque Elementorum, & licèt in planta substantialis bonitas Ignîs vel alterius Elementi sit in planta invisibilis, est tamen intelligibilis & imaginabilis, ût manifestè patet in his, quæ sunt dicta.

3. In Rationali Animali est una Forma tantùm, videlicet Humana, cùm sit unus homo, & hæc habet specialem materiam, cùm homo sit unus compositus ex Humana Forma & ex Humana Materia; sed sub Humana Forma sunt plures formæ, & sub Humana Materia plures materiæ; & isto modo homo est similitudo DEI, quia DEUS creavit hominem, in quantum homo potuit recipere similitudinem; ergo homo est compositus de bonitate, magnitudine &c. substantialibus, quæ sunt similitudines DEI: ergo in homine bonitas est forma, magnitudo forma, & sic de aliis sub homine, qui est bonus, magnus &c.

4. Bonitas hominis est bonificativa & bonificabilis, & magnitudo ejus magnificativa & magnificabilis, & sic de aliis; igitur, in quantum bonitas est bonificativa, & magnitudo magnificativa &c., in tantum constituunt unam formam bonam, magnam &c., & hæc est distincta in formã igneïtatis, & in formam aëreïtatis &c.; similiter etiam in quantum bonitas est bonificabilis, & magnitudo magnificabilis &c., in tantum constituunt unam materiam bonam, magnam &c., & hæc similiter est divisa in materiam igneïtatis, aëreïtatis &c.; hoc idem simili modo sequitur de Sensitiva & Intellectiva suo modo, cùm Potentia sentiendi sit bonificativa, magnificativa &c., & bonificabilis, magnificabilis &c., atque Intellectiva sit bonificativa, magnificativa &c., & bonificabilis, magnificabilis &c. in homine: unde in homine ex bonitate, magnitudine &c., quæ sunt Vegetativæ, constituitur una Vegetativa Forma, & ex bonitate, magnitudine &c. Sensitivæ constituitur una Sensitiva Forma alia à Vegetativa Forma, cùm in qualibet creatura sint similitudines Divinarum Dignitatum secundùm magìs & minùs; & ex bonitate, magnitudine &c. Intellectivæ constituitur una Forma alia à Forma Vegetativa & Sensitiva, & ex omnibus istis tribus substantialibus formis habentibus sub se plures formas resultat una Forma, videlicet Humana: eodem modo secundùm se sequitur de materiis ad Humanam Materiam, ita, quòd bonitas, magnitudo &c. permaneant formaliter & materialiter sub Vegetativa, Sensitiva & Intellectiva, & Vegetativa, Sensitiva & Intellectiva sub homine, quamvìs ipsa Communis Humana Forma habens omnes prædictas formas, ex quibus est constituta, & ipsa Communis Humana Materia habens omnes prædictas materias, ex quibus est constituta, constituant hominem existentem aliùm specie à Vegetativa, Sensitiva & Intellectiva, de quibus est compositus; verumtamen Rationalis Anima in homine formaliter & materialiter prædominatur omnibus formis & materiis Sensitivæ & Vegetativæ; ex parte formæ autem substat Humanæ Formæ, & ex parte materiæ Humanæ Materiæ tanquam pars suo toti.

QUÆSTIO CLIII.

Utrùm Ignis plùs contrarietur Aquæ per Caliditatem, quàm Terræ per Levitatem?

1. SOlutio. Ignis contrariatur Aquæ quoad formam, Terræ verò quoad materiam isto modo: Ignis calefaciens Aquam est agens,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gens, Aqua verò patiens; & ſic Ignis habet habituatam caliditatem in Aqua quoad formam & quoad ſuum finem, ſed quoad Terram eſt hoc per oppoſitum, quia Terra habet habituatam ſuam ponderoſitatem in Igne deſiccans eum; & ſic convenit, quòd Ignis ſit materia illius habitûs, & per conſequens potentia: igitur reſtat, quòd Ignis plùs contrarietur Aquæ per caliditatem, quàm Terræ per Levitatem, cùm Habitus & Majoritas concordent, Potentia verò & Minoritas.

2. Ignis habet majorem concordantiam cum Aëre, quàm cum Terra, ſecundùm illum reſpectum, qui jam dictus eſt, cùm caliditas Ignîs ſit activa, caliditas verò Aëris paſſiva ſub gravitate Terræ; quare manifeſtè patet, quòd Ignis plùs poſſit cogere frigiditatem Aquæ, intrante calido in Aquam calefaciendo Aërem, quàm ejus levitas ponderoſitatem Terræ, quia levitas deducta per Aquam & mortificata in ipſa Aqua habet modicam virtutem in Terra ad cogendum ponderoſitatem Terræ; veruntamen, quia Ignis eſt ſiccus immediatè ratione Terræ, ideo, quando Ignis prædominatur in aliquo ſuppoſito, ût in planta calida in quarto gradu & ſicca in tertio, tunc Ignis immediatè poteſt plùs contrariari Terræ per levitatem, quàm Aquæ per caliditatem; nam ex eo, quòd tertius gradus ſiccitatis immediatè inhæret illi, ideo recipit ipſa Terra plus paſſionis & contrarietatis ab Igne, cùm ipſa ſit in tertio gradu, quàm Aqua, quæ eſt in primo.

3. In planta, in qua Aër eſt humidus in quarto gradu, & calidus in tertio, eſt Terra in primo gradu ſiccitatis, Aqua verò in ſecundo frigiditatis, & idcirco poteſt Ignis plùs mediante contrarietate, quæ eſt inter Aërem & Terram, contrariari de ſua levitate & de levitate ipſius Aëris ponderoſitati Terræ, quàm mediante concordantiâ, quæ eſt inter Aërem & Aquam, contrariari de ſua caliditate & de caliditate Aëris frigiditati Aquæ; ſed in eadem planta, tamen mediante concordantiâ Ignîs & Terræ, poteſt Ignis plùs per calidum contra frigidum in Aqua, quàm per levitatem contra ponderoſitatem in Terra.

4. Caliditas Ignîs fluit & refluit, ſicut lapis, qui percutit parietem, & reſiliens repercutit projicientem; fluit autem caliditas Ignîs in Aërem calefaciens eum, & ſimiliter in Aquam & in Terram ſemper calefaciendo, ſed ipſa caliditas refluit, quia tranſiens per circulum, videlicet per Aërem, per Aquam & per Terram cum cæteris qualitatibus Elementorum ſe transfert in Ignem, ſicut Aqua, quæ de mari influitur, tranſiens per vapores, per nubes, per pluvias, ſe transfert per torrentes & flumina in mare; hoc idem ſimiliter ſequitur de levitate Ignîs & ponderoſitate Terræ & de cæteris qualitatibus Elementorum: & ideo ſecundùm reſpectum fluxûs & refluxûs Elementorum & ſecundùm majoritatem & minoritatem fluxûs & refluxûs eorum, & etiam ſecundùm quòd illi fluxus ſe habent vel immediatè vel mediatè, ût jam dictum eſt, eſt reſpondendum ad hanc Quæſtionem.

QUÆSTIO CLIV.

Quâ naturâ Mare Angliæ fluat & refluat?

1. SOlutio. Terra & Mare ſunt *ſphæricum corpus*, & quia *ſphæra Aquæ* eſt ſituata in *concavo* ſupra *ſphæram Terræ*, magnum Mare naturaliter appetit ſubmergere Terram; ſed quia ipſum Mare eſt corpus mixtum, & quælibet pars aquæ appetit eſſe in alia, cùm *Aqua* naturaliter ſit *reſtrictiva*, ideo naturaliter appetit eſſe ſimul, & non dividi nec extendi; & ideo non poteſt ſubmergere Terram; quia, ſi ſubmergeret eam, conveniret, quòd ipſa divideretur & extenderetur; & ſic iſto modo *Aqua* habet *duos naturales appetitus contrarios*, & per unum illorum fluit, per alium verò refluit.

2. Sicut Terra facit arcum in ſuo ſitu, quia eſt ſphærica, ſic Aqua Maris facit arcum, quia ejus *concavum* eſt ſuper *convexum* Terræ; aliter inferior ſuperficies Aquæ & ſuperficies Terræ non conſtituerent unam ſuperficiem, quod eſt impoſſibile: cùm ergo Mare faciat arcum, convenit, quòd ſuperiores partes ejus appetant centrum; & quia ipſæ ſunt graves, ideo premunt inferiores partes ſecundùm quòd arcus eſt ſituatus; & ſic una pars premit aliam, usque quò corpus Maris ſe inclinet propter illud oppoſitum & illam oppreſſionem ad unam partem; & tunc influit in illam partem Terræ, quæ eſt contrapoſita; ſed quia totus arcus non poteſt ſe inclinare propter hoc, quia ſimiliter aliæ contrapoſitæ partes nimis aſcenderent, quia ſimiliter appetunt centrum: ideo reclinat illam motam partem ad

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ad se, quæ tunc refluit; & sic hæc pars, quæ modò fluit in Anglia, quando refluit, tunc sequitur illam partem, quæ in alia Terra fluit; & ita est motus successivus contrapositus inter unam partem arcûs & aliam, incessanter influendo & refluendo.

3. *Sol* est *dispersivus*, & *Luna* est *aggregativa*, cùm *Sol* sequatur naturam *Ignîs*, *Luna* verò naturam *Aquæ*; & ita propter naturam Solis Mare est fluxivum, sed propter naturam Lunæ est refluxivum; fluxivum quidem est propter naturam Solis, ut Ignis possit destruere Aquam dividendo partem à parte; nam Ignis isto modo plus posset contra Aquam, quàm dum omnes partes Aquæ sunt insimul; est autem refluxivum propter naturam Lunæ, ut Luna conservet Aquam in impediendo nimium calorem Solis recipiens ab eo luciditatem; nam, in quantum Luna recipit luciditatem à Sole, in tantum impedit, ne Ignis dividat partes aquarum; & ideo in Novilunio, quia tunc Luna minùs recipit de luciditate Solis, est Mare magìs fluxivum, tamen secundùm dispositionem terrarum, quàm dum est Plenilunium.

4. Influentia, quam Sol facit in Terram & in Mare, reverberat usque ad Lunam, nam ulteriùs non potest ascendere, *& ideo in splendida facie Lunæ apparent maculæ Maris & Terræ, maculæ quidem Terræ sunt nigræ, illæ verò Aquæ sunt pallidæ;* & sic Luna est attractiva illius reverberationis: Sol autem est adeò influxivus in Terram & Mare, quòd influentia ex toto non possit consistere, sed ex maximo influxu oportet, quòd resiliat usque ad Orbem Lunæ, & propter hoc est prædicta reverberatio: unde ex prædicta natura Solis & prædicta natura Lunæ & Terræ & Aquæ declaratur fluxus & refluxus magni Maris, quia Sol influit cum tanta virtute, quòd illa influentia iterum refluat usque ad Orbem Lunæ attrahentis illam, atque Aqua & Terra sunt objecta plena ex illa influentia, quæ remanet: causa verò, quare *mediterraneum Mare* non fluat & refluat adeò, sicut *magnum Mare*, est, quia arcus ejus non est ita sphæricus, sicut arcus magni Maris, & quia est contentum à Terra; veruntamen fluit & refluit aliquantulum, sicut in suis undis reverberantibus littora; & hoc patet ad sensum.

QUÆSTIO CLV.

Quâ naturâ Mare sit salsum?

1. Solutio. Ignis habet habituatam suam caliditatem in Aëre, cùm sit agens, Aër verò patiens, & sic Aër est in potentia, quâ mediante Ignis habet suam caliditatem habituatam in Mari, ubi Aër & Aqua sunt in majori quantitate, quàm in alio corpore; & ita per consequens Aqua Maris est potentia, in quam Ignis potest reducere habitum caliditatis; præterea Terra habet suam siccitatem habituatam in Igne, Ignis verò est potentia illius habitûs, cùm ipse Ignis sit patiens sub Terra desiccante illum; & ita mediante actione, quam Terra habet super Ignem, & Ignis super Aërem, habet Terra suam siccitatem habituatam in Aëre; Aër autem est potentia illius habitûs tanquam materia; & sic Aqua Maris est accidentaliter calefacta & desiccata: & ex tali alteratione oritur complexio Salis, quæ est calida & sicca.

2. Non est aliquod mixtum corpus, in quo lux Solis & lux Ignîs atque motus eorum possint attingere tantam Aquam, quantam in Mari; & quia etiam in Aqua Maris magìs sunt partes aliæ in aliis, quàm in Terra, quia quantitas illarum partium magìs distat à contiguitate, & est propinquior continuationi, quàm quantitas partium in Terra, & quia etiam in Aqua materia est grossior, quàm in Aëre, in quo sumus, ideo propter ista & propter maximam luciditatem Solis & Ignîs & propter maximam diaphanitatem Aëris & albedinem Aquæ & etiam propter maximum motum partium & multiplicationem caloris ex motu dulcedo Aquæ, (quam *dulcedinem* habet naturaliter *per humidum & frigidum*) alteratur accidentaliter *in amaritudinem*, quæ *amaritudo* est *in specie salsedinis:* hoc idem etiam fit similiter ex fluxu & refluxu circularis motûs meliùs calefacientis aliam partem Aquæ in alia in simultate & circulari motu, quàm extensivo, sicut patet in fontibus & fluminibus, in quibus pars non adeò attingit partem per fluxum & refluxum, sicut in Mari.

3. *Dulcedo* magìs pertinet ad *Aërem*, quàm *ad Ignem*, cùm oppositum dulcedinis magìs conveniat *Terræ*, quàm *Igni*, & quàm etiam Aquæ, quod per se patet; ergo per consequens *dulcedo* magìs convenit *Aquæ*,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

que, quàm *Igni*, cùm Ignis & Terra habeant concordantiam, Aër verò & Aqua: idcirco in Mari, ubi eſt plus Aquæ & Aëris, quàm Terræ & Ignîs, eſt naturaliter habituata dulcedo quoad formam Aquæ & Aëris, ſed non poteſt reduci ad actum in Mari, quia Ignis & Terra impediunt eam reduci propter maximum prædictum motum; & ſic natura dulcedinis eſt verſa in contrarium, ſicut in infirmo naturalis calor eſt perverſus in innaturalem, & etiam ſicut in homine tenente ſuos pedes ſurſum, caput verò deorſum, perverſuntur humores ejus in contrarium aſcenſum & deſcenſum.

4. In quibusdam locis in litore Maris generatur ſal, quod eſt, quia Sol & Ignis convertunt Aquam in ſal, *quod eſt calefacta & deſiccata aqua;* hoc etiam eſt de ſalſo cryſtallo, vel de ſale gemmæ. In quibusdam locis etiam generatur ſal ſub terra, quò influitur marina aqua, quam Ignis & Terra convertunt in lapideum ſal. Præterea in litore Maris per modicum ſpatium à Mari ſunt putei & fontes, in quibus eſt dulcis aqua, hoc autem eſt propter quietem & concordantiam Aquæ & Terræ, unde Aqua recuperat ſuam naturam, videlicet ſuam dulcedinem; & ideo Aqua Maris appetit ingredi Terram, & elevari in Aërem, ut habitum ſuæ dulcedinis, quam habet naturaliter, producat ad actum, ſic, ut Sol non poſſit eam attingere nec reverberare, ipsâ habente adjuvamentum ab Aëre, cum quo concordat; & ideo depurat ſe in Aëre, & fit dulcis in ſpecie pluviæ vel nivis.

QUÆSTIO CLVI.

Quare mortuus Homo eſt ponderoſior, quàm vivus?

1. SOlutio. Manifeſtum eſt, quòd humida tegula ſit magìs ponderoſa, quàm cùm eſt cocta, & quòd crudæ carnes ſint magìs ponderoſæ, quàm coctæ, hoc autem eſt, quia in tegula ſunt crudi & indigeſti vapores, & motus ſurſum per levitatem & motus deorſum per ponderoſitatem in ea ſunt impediti: unde, cùm Aër ſit impletivus, & Aqua reſtrictiva, & cùm impedimentum motûs tegulæ & crudæ carnis ſit majus per ponderoſitatem cruditatis, quia non ſunt coctæ, quàm ſi eſſent coctæ, quia ſic Ignis & cætera Elementa eſſent magìs vaporoſa, & motus ſic diſpoſitus, ut leves vapores aſcendant trahentes ponderoſos vapores ad ſuperiora: ergo eſt manifeſtum per iſta ad oppoſitum, quòd cadaver mortui Hominis ſit gravius, quia partes ejus ſunt cõncluſæ, & naturalis calor, per quem pori erant aperti, & aſcendebant leves vapores trahentes ponderoſos vapores ad ſuperiora, ceſſat, & per conſequens ceſſat naturalis motus, nec poſſunt aliqui vapores exire, ſicut priùs, & remanet ponderoſi[illegible], quàm dum erat in vita.

2. Quantò plùs pluvia vel lapis deſcendentes feſtinant ad ſuum centrum, tantò velocior eſt eorum motus; hoc autem eſt propter maximam convenientiam, quæ eſt inter centrum & id, quod appetit ſuum centrum: ſimili modo etiam eſt de vivo Homine, & de mortuo Homine; nam, dum Homo vivit, diſtat à ſuo centro, videlicet à Terra; dum autem eſt mortuus, eſt propinquus illi; & ſic eſt magìs conveniens ad veniendum ad ſuum centrũ, videlicet ad putrefactionem; & hoc eſt propter multiplicationem ponderoſitatis, quæ crevit appetente Terrâ ſuum centrum ad inferiora ſive deorſum, ipsâ Terrâ ſegregante ſe ab his Elementis, quæ appetunt ſuam ſphæram ad ſuperiora ſimiliter ſegregantia ſe à Terra & Aquã, quantum poſſunt; quando autem Homo eſt vivus, tunc omnes partes & leves & graves ſunt conjunctæ & unitæ, ita, quòd leves propter ſuam levitatem trahant graves ad ſuperiora: quare manifeſtè patet ex his, quòd vivus Homo ſit magìs levis, quàm cùm erit mortuus.

3. Superiora corpora influunt & refluunt in inferiora; quando igitur influunt, hoc eſt deſcendendo, quando verò refluunt, hoc eſt aſcendendo &c.; & ideo in vivo Homine eſt magìs de fluxu & refluxu, quàm in mortuo Homine, quia mortuus non poteſt recipere tantam virtutem, quantam vivus: ergo manifeſtè patet propter majoritatem fluendi & refluendi, cùm influere & refluere ſit magna velocitas & levitas, quòd vivus Homo non ſit naturaliter adeò gravis, ſicut mortuus.

4. Anima hominis regit & facit movere corpus, quia appetit, quòd corpus agat, & ideo facit illud mobile & leve; & inde eſt, quòd, quando vivus Homo vult eſſe levis, ſit levior, quàm priùs, & quando vult eſſe ponderoſus, ſit ponderoſior, quàm erat priùs; & de hoc habemus manifeſtam experientiam, quodam homine tollente ex transverſo ad ſuum collum alium hominem volunta-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

luntarium vel invitum se tolli; ergo, cùm vivus Homo ex parte Animæ habeat appetitum agendi & movẹndi, ût jam dictum est, ergo est manifestum, quòd Homo, à cujus corpore Anima est separata, non possit esse tam levis, quàm si esset vivus; relinquitur ergo, quòd sit ponderosior.

QUÆSTIO CLVII.

Quare Magnes attrahat Ferrum?

1. SOlutio. Ferrum est ens artificialiter depuratum de siccis & frigidis lapidibus, lapides igitur sunt terreæ naturæ, cùm sint siccæ & frigidæ complexionis, & Terra in illis lapidibus est multùm sicca & frigida naturaliter, & Ferrum etiam per accidens est siccum, quia per Ignem est reductum in suam speciem, & sic in Ferro est plus siccitatis, quàm in lapidibus, de quibus est; & illa siccitas, quam artificialiter habet ab Igne, attrahit caliditatem Ignîs ad se, mortificans eam sub frigiditate, quam naturaliter habet ab Aqua; & hoc modo Ferrum est in maxima siccitate & frigiditate; propter hoc igitur movet se Ferrum naturaliter ad Magnetem, quia maxima siccitas & frigiditas naturaliter est in Magnete, ità, quòd id, quod Ferrum artificialiter habet superfluum, appetat reducere ad naturam, quam habet à lapidibus, unde productum est; sicut Aqua in olla per accidens calida naturaliter appetit reverti ad suam frigiditatem.

2. In Ferro est lapis habituatus quoad formam, cùm ipsum sit de lapidibus, & potentia lapidis est in materia ferri; & sic natura Ferri est, quòd Ferrum revertatur in naturam lapidis; & ideo, dum contingit, quòd pars Ferri tangat Magnetem, tunc attingit Magnetem in virtute appetitûs lapidis, qui in Ferro est habituatus; & etiam, quia Magnes est valde siccus & frigidus, cùm sit durus & fortis propter restrictionem Aquæ & ponderositatem Terræ, & similiter quia est de specie lapidis & Ferri, & etiam propter multa alia convenientia attrahit Magnes Ferrum, & Ferrum appetit Magnetem in tantum, quòd inde sequatur visibilis motus.

3. Secundùm quòd manifestum est ad oculum, statim, quando Magnes tetigit Ferrum, ablato Magnete illa pars Ferri, quæ tetigit Magnetem, dirigitur versùs Septentrionem, ubi est regio Terræ & Aquæ; unde patet, quòd in Magnete & Ferro consistat maxima simplicitas Terræ & Aquæ; & ideo, quia in Magnete consistit natura lapidis in maxima simplicitate, & in Ferro est maxima natura frigiditatis & siccitatis, tamen destructa in tantum, quia est sub artificiali specie & figura, appetit naturalem speciem & formam; & propter hoc Magnes attrahit ad se Ferrum, & Ferrum movet se ad eum appetendo suam perfectionem; & ideo percusso Ferro à Magnete statim in absentia Magnetis Ferrum, & maximè illa pars, quæ est percussa, dirigit se ad Septentrionem, ubi est maxima siccitas & frigiditas, & hoc appetendo suum perfectivum, *ut ipsum Ferrum restituatur in suam primam naturam, videlicet in speciem lapidis, & in maximam simplicitatem Terræ & Aquæ.*

4. Jaspis est lapis restrictivus sanguinis; igitur in hoc, quòd Jaspis restringat sanguinem, attrahit Jaspis ad se suum simile in hoc, quòd conglutinat seu concatenat partes sanguinis recipientis in se influentiam magnæ virtutis calidi & humidi; & in hoc, quòd sanguis, qui est calidus & humidus, coadunatur propter beneficium Jaspidis, quæ coadunatio vel concatenatio est, quia pars appetit partem propter magnam humiditatem & caliditatem, quas habent jam fortificatas ex beneficio influentiæ Jaspidis, manifestè significatur, quòd Jaspis sit humidus & calidus, & generetur in humida & calida regione, videlicet inter Orientem & Meridiem. Hoc etiam simili modo sequitur de Magnete, qui est super mulierem appetentem parere suum fœtum; nam similiter partes mulieris recipientis beneficium Magnetis adeò constringuntur propter excellentem frigiditatem & siccitatem Magnetis, quòd illi deficiat virtus emittendi fœtum, & sic Magnes attrahens siccitatem & frigiditatem partium mulieris & fœtûs ad suam siccitatem & frigiditatẽ, facit eas adeò restrictivas, quòd non potest nasci fœtus; sicut nec germen potest nasci in hyeme in illis locis, ubi est magna siccitas & frigiditas: quare in hoc manifestè assignatur ratio, quare Magnes, cùm sit in summa excellentia siccæ & frigidæ complexionis, attrahat siccum & frigidum Ferrum.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CLVIII.

Quomodo hoc Lumen Candelæ generet Lumen alterius Candelæ?

1. SOlutio. In illa candela, in qua eſt Lumen, eſt flamma, cujus flammæ Lumen eſt actu in candela; in alia candela verò, in qua non eſt Lumen actu, eſt Lumen habitu, quia illa candela eſt compoſita de Elementis, & Elementa de bonitate, magnitudine &c.: & quia bonitas &c. eſt bonificativa & bonificabilis, ideo habet habitu quoad formam bonificatum, quod eſt ſpeciei Luminis, quod Lumen etiam de ſuâmet eſſentia eſt bonificativum & bonificabile, ut ipſum Lumen ſit de eſſentia bonitatis, magnitudinis &c. quoad formam & quoad materiam, ne magnitudo &c. ſubſtantialiter deficiat bonitati Luminis candelæ; & ut finis bonitatis, magnitudinis &c. ſit in magnitudine ſubſtantiali, non autem in parvitate accidentali, eſt candela apta de ſe, ut in ſe & de ſe generetur Lumen, cùm ipſum ſit habitu & potentiâ in candela, ût jam dictum eſt; & ideo, quando candela incenditur & illuminatur à Lumine ardentis candelæ, tunc illud Lumen, quod eſt in actu, attingit illud Lumen, quod eſt in habitu & potentia in candela, quæ incenditur, & reducit illud ad actum, ſicut ipſum Lumen generans eſt actu.

2. In ardente candela eſt quidam habitus & quædem potentia, ſed in candela non ardente eſt alius habitus & alia potentia; & ideo, quando Lumen tangit partes illius candelæ, in qua Lumen reducitur ad actum, tunc Lumen, quod eſt in actu, tangit Lumen, quod eſt in habitu & in potentia in recipiente candela, ſicut pars partem, & bonitas bonitatem &c. & finis finem, & ſic de aliis; & ſic illud Lumen, quod generat, habet habitu illud Lumen, quod de ſe influit ad aliud Lumen, videlicet ad Lumen recipientis candelæ, quod eſt habitu in ipſa recipiente candela tanquam recipiens; & ita habitus influxi Luminis recipitur in habitum recipientis Luminis, & ſimiliter potentia in potentiam: & quia Lumen actu exiſtens attingit immediatè habitum & potentiam ſui influxibilis Luminis, qui videlicet habitus & potentia immediatè ſtatim, quando candela incenditur, attingunt habitum & potentiam recipientis Luminis: ideo per habitum & potentiam luminis influxi transfert ſe actualitas in habitum & potentiam recipientis Luminis, & reducitur ad actum.

3. Lumen candelæ generat lucem in Aëre, ita, quòd tota camera illuminatur, & hoc eſt ex eo, quòd in partes Aëris, quæ ſunt collaterales partibus ſubſtantiæ ipſius Luminis ipſum Lumen imprimat ſuum ſimile, quod habitualiter eſt in ipſo Lumine vel in partibus ipſius Luminis influxivè, in partibus verò ipſius Aëris receptivè; igitur propter participationem iſtarum partium & illarum ad invicem ducitur in actum per viam generationis ſimile ipſius Luminis in Aërem, videlicet Lux, ita, quòd priùs infundatur in partes collaterales partibus ipſius Luminis, deinde ſucceſſivè in alias partes, quæ immediatè ſunt collaterales iſtis, quæ ſunt collaterales immediatè partibus Luminis, & ſic de aliis ad alias ſucceſſivè, usque dum totus Aër illuminatur; ſed hæc ſucceſſio non eſt ſenſibilis, eſt tamen imaginabilis.

4. Sol immediatè generat ſuam Lucem in partes, quas immediatè attingit per tactum, habente quâlibet illarum partium Lucem in habitu, & retinent eam in actu, habentes etiam in habitu communicare eam aliis partibus ſibi collateralibus & propinquis, & illæ ſimiliter aliis, quas partes Sol ſubſtantialiter non tangit; & ſic de parte in partem per omnes ſphæras, ſecundùm quòd umbra Terræ non impedit, usque ad nos, videlicet de ſphæra ipſius Solis ad aliam ſibi propinquam, & de illa ad aliam usque ad ſphæram Ignîs, & de illa ad aliam usque ad ſphæras Aquæ & Terræ ſucccceſſivè Sol generat imaginem ſuæ Luciditatis, in qua apparet illa Luciditas, quam habet in ſe. Simili modo etiam in camera generat Ignis ſuam Lucem in Aëre, ût prædictum eſt, & etiam in Aqua & Terra.

QUÆSTIO CLIX.

Utrùm Alteratio incipiat intra Subſtantiam, vel extra?

1. SOlutio. Aliud eſt Principium, quod eſt intra Subſtantiam, & aliud eſt illud, quod eſt in Medio, & aliud eſt illud, quod eſt extra: illud Principium, quod eſt intra, eſt Finis, illud verò, quod eſt extra, habet ſe ad Finem, ſed illud, quod eſt in Medio, eſt illud, per quod ipſum, quod eſt principale

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pale sive finale Principium, influit in Secundarium Principium, & refluit ad se ipsum; sicut bonitas, magnitudo &c., de quibus Substantia est constituta, sunt finale & subsantiale Principium, quia forma ipsius Substantiæ est bonificativa, & materia bonificabilis, & sic sunt Principium bonificati, tamen sub ratione bonitatis; illud Principium autem, quod consistit in Medio, consistit inter substantiale Principium & accidentale Principium, & illud est subjectum remotum conversum in propinquum; accidentale Principium sunt accidentia, quæ sunt quantitas, qualitas &c., quæ sunt bonificabiles. Unde secundùm hæc tria Principia intendimus investigare, unde incipiat Alteratio.

2. *Uva primò, quando est agresta, tunc est siccæ & frigidæ complexionis, quando autem est matura, tunc est humida & calida; & quando est alterata in vinum, tunc ipsum vinum est calidum & siccum, sed dum vinum est alteratum in acetum, tunc ipsum acetum est siccum & frigidum;* unde talis Alteratio complexionum facta in Substantia gradatim incipit intra Substantiam mediante habitu & potentiâ, cùm in agresta sit habitu & potentiâ complexio uvæ, scilicet humidum & calidum, & cùm similiter in uva sit habitu & potentiâ complexio vini, scilicet calidum & siccum, & in vino complexio aceti, scilicet siccum & frigidum; & sic bonificativum &c. tanquam Primus Motor incipit in suo proprio bonificabili, deinde in remoto, scilicet in magnitudine, & è converso; & postmodum substantiale bonificativum attingit accidentale, videlicet complexionem, & in illo fit accidentalis Alteratio, videlicet complexionum, non autem substantialis, quia Substantia non alteratur quoad se, sed quoad sua accidentia.

3. In bruto fit Alteratio isto modo: in principio generationis substantiæ incipit perfici Vegetativa, ut sit subjectum Sensitivæ, ita, quòd habitus Vegetativæ priùs ducatur ad actum, quàm habitus Sensitivæ; sicut convenit, quòd oculus sit priùs, quàm videat; sed dum habitus Sensitivæ, qui est in Vegetativa, ducitur in actum, tunc Vegetativa est alterata, quia est sensata, & non erat priùs sensata; & hæc Alteratio incepit intra Substantiam Vegetativæ, quia habitus & potentia Sensitivæ erant in ea: sic igitur Vegetativa est sensata substantialiter, veniente bonitate Sensitivæ ad bonitatem Vegetativæ, similiter etiam magnitudine &c. Sensitivæ ad magnitudinem Vegetativæ, & insimul sunt una Substantia vegetata & sensata habens sua accidentia mixta, videlicet quantitatem, qualitatem &c. quoad Vegetativam, & quantitatem, qualitatem &c. quoad Sensitivam; & sicut Vegetativa & Sensitiva sunt una Substantia, ita quantitas hujus & quantitas illius sunt una composita quantitas ipsius compositæ Substantiæ, & sic de cæteris prædicamentis, existente quolibet prædicamento alterato, in quantum est mixtum; & principium Alterationis est intra Substantiam finaliter, sed priùs incipit in exterioribus principiis, videlicet in extremitatibus Substantiæ; sicut artifex, qui priùs incipit in Imaginatione & Intellectu ædificare domum, sed substantialiter priùs incipit domum in his, de quibus domus materialiter componitur.

4. Eodem modo, sicut de bruto dictum est, est intelligendum de rationali animali, quantum est ex parte Sensitivæ & Vegetativæ; sed tamen ex parte Intellectivæ Animæ consistit in homine Alteratio alio modo, quia in illo corpore, quod debet esse rationativum, non est Intellectualis Anima habitu nec potentiâ, nec è converso; sed ex unione & conjunctione ipsius Animæ & ipsius corporis tantùm fit Alteratio, cujus Principium est DEUS creans ipsam Intellectivam Animam, & infundens eam vegetato & sensato corpori. Alia Alteratio verò est, videlicet in tristitiam vel lætitiam, in justitiam vel injuriam, & sic de aliis; ideo principia hujusmodi Alterationum consistunt in accidentibus, videlicet in recolere, intelligere, velle & odire, imaginari bonum vel malum, justum vel injustum, & cætera his similia; & similiter est aliud principium Alterationis, videlicet corruptio, quod potest intelligi per oppositum hujus principii, quod est generatio, de quo nunc dictum est; quia secundùm hæc, quæ prædicta sunt, potest intelligi, quòd Alteratio corruptionis quandoque incipiat intra Substantiam, quandoque in extremitatibus Substantiæ; intra quidem, sicut per senectutem, sed in extremitatibus habet esse per accidens, sicut per comedere vel bibere nimis vel parum, vel per calefacere nimis vel parum; & sic de aliis similibus istis.

) ✠ (

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CLX.

Quæ sint Simplicia Elementa, & quæ Composita?

1. SOlutio. Simplicia Elementa sunt ea, de quibus Prima Vegetativa est composita, & de quibus Prima Forma & Prima Materia sunt constitutæ; & sunt etiam ea, in quibus absoluta bonitas, & similiter magnitudo &c., constituit & individuat diversas proprietates in speciem bonitatis, videlicet in igneïtatem, aëreïtatem &c., atque etiam in speciem bonitatis, quæ sunt caliditas, humiditas &c.: ac etiam Simplicia Elementa sunt ea, in quibus quinque prædicabilia & decem prædicamenta & quatuor potentiæ Vegetativæ, ût jam dictum est, sunt in habitu & potentia; & sunt ea, per quæ, quidquid est sub lunari globo, est plenum; & sunt etiam ea, quæ regunt, movent, perficiunt & generant, & etiam destruunt & corrumpunt Composita Elementa. Hæc Simplicia Elementa autem sunt insensibilia, nam nullus sensus potest ea attingere, sed mediantibus compositis sunt imaginabilia per phantasmata.

2. Compositum Elementum est considerandum *duobus modis; primo modo* in Mixto, quod est divisum in quatuor Species, ût suprà dictum est, videlicet in Aërem, quo spiramus & respiramus, & in materialem Ignem, & in Aquam, & in Terram, quibus nostri sensus utuntur, omnia ista sunt Composita Elementa; & de istis oritur *secundus modus*, videlicet Elementa, de quibus componuntur individua specierum per viam generationis, videlicet hæ plantæ, hæc animalia, hæc metalla; & *ista Composita Elementa egrediuntur de Simplicibus Elementis per Medium, videlicet per quatuor prædictas Species.*

3. Composita Elementa differunt à Simplicibus Elementis, ût jam dictum est; & etiam Composita à compositis, ût etiam dictum est, ac etiam mediante Sensitivâ differunt: nam Elementa, de quibus corpus est compositum, non sunt aliquo sensu perceptibilia, nisi tantùm ipsum corpus, ût hæc planta, vel hoc animal; tamen accidentia sunt sensu perceptibilia, ût caliditas, frigiditas, ponderositas & cætera hujusmodi, & sic corpus, ût planta, est visibile, gustabile &c.; hoc autem attingit sensus quoad plantam, non autem quoad Elementum, quia planta vel animatum corpus est substantialiter & accidentaliter medium inter sensum & Elementa; Terram verò, quam terimus, & Aquam, quam bibimus, & materialem Ignem, & Aërem, quo spiramus & respiramus, attingit sensus quoad Composita Elementa, non autem quoad Simplicia Elementa.

4. Sicut Principium per Medium transit ad Finem, ita Simplex Elementum ad Compositum Elementum, de quo elementatum corpus est compositum, transit per Medium, quod est Compositum Elementum, videlicet per quatuor prædictas elementatas Species; & Ignis, Aër & cætera Composita Elementa, dum corrumpuntur in elementato, veniunt in Simplicia per illud medium, per quod transiverunt in composita; & sic Simplex Elementum transeundo per prædictum medium alteratur in composito, sicut Principium alteratur in Medio, dum se transfert ad suum Finem. Aqua etiam, quam sensu percipimus, transit in plantam, & sic de aliis, & sicut Aqua substantialiter transit in essentiam plantæ, ita similiter accidentia Aquæ transeunt in accidentia plantæ; postea verò, quando planta corrumpitur, revertuntur Aqua & sua accidentia ad id, unde venerunt, videlicet ad Composita Elementa, quæ sunt sensibilia; deinde ad Simplicia, *ita quòd particularis habitus recurrat ad universalem habitum, & particularis potentia ad universalem potentiam*, priusquàm ipsa Aqua vel aliquod aliorum Elementorum, quod per corruptionem est separatum ab elementato, iterum possit reverti per viam generationis in aliam plantam vel elementatum corpus.

QUÆSTIO CLXI.

Quæ sit Quidditas, & quæ sint Species & Individua cujuslibet Prædicamenti?

1. SOlutio. Quidditas Substantiæ in elementata Specie est essentia ipsius Substantiæ, videlicet forma & materia, de quibus Substantia est composita; hæc essentia autem est constituta de Primis Principiis, videlicet de Bonitate, Magnitudine &c., quæ sunt similitudines DEI, sed hæ similitudines sunt particularizatæ & individuatæ in plures species; nam ipsa bonitas (similiter etiam magnitudo &c.) habet se ad Simplicia Elementa, & particularizat se in ea, videlicet in Simplicem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cem Ignem, Simplicem Aërem &c.; deinde particularizat se in Composita Elementa, sicut in Compositum Ignem, Compositum Aërem &c.; & iterū descendit, quousque fit bonitas plantæ vel alicujus elementati corporis, quæ planta vel elementatum corpus, priusquàm generaretur, erat habituata in Superioribus Principiis, videlicet in Prima creata Bonitate, Magnitudine, &c., & etiam in bonitate, magnitudine &c. Simplicis Ignîs &c., & iterum in bonitate, magnitudine &c. Compositi Ignîs &c., usque ad semen, videlicet ad Naturale Agens, producens eam generativè ex habitu suî ipsius in actum ipsius plantæ, ita videlicet, quòd esse ipsius plantæ est constitutum de bonitate, magnitudine &c. ad hunc talem finem bonitatis, magnitudinis &c., & in hanc talem Speciem, & in hoc tale Individuum hujus Speciei.

Species autem elementatæ Substantiæ sunt multæ, ût Homo, Leo, Aquila, Pomum, Aurum & cætera his similia; & Quidditates omnium istarum Specierum sunt distincti habitus existentes similiter in Superioribus Principiis, videlicet in Bonitate, Magnitudine &c. igneïtatis &c., & in Prima Forma & in Prima Materia quoad hunc talem finem, ut ipsæ sint hujus Speciei Individua, quæ requirunt Finis eorum & Subjecta, in quibus ipsæ Quidditates sunt habituatæ.

Quidditates autem Individuorum elementatæ Substantiæ, quæ sunt habitu & potentiâ de Superioribus Principiis usque ad inferiora, sunt istæ, quæ sunt dictæ; sed Quidditas actu existens cujuslibet Individui, ût Hujus Hominis, scilicet Sortis, vel Hujus Pomi &c., est ens aggregatum de forma & de materia sub Hac Substantia, quæ est animal, vel sub Hac Substantia, quæ est planta, & cætera hujusmodi, & sub Hac Specie, quæ est Homo, & sub Hac Specie, quæ est pomum & cætera hujusmodi; videlicet Sortes vel Hoc Pomum, qui sunt constituti quilibet eorum de individuâ bonitate, magnitudine &c. sub Hoc Genere, & sub Hac Specie, secundùm quòd sunt influxi successivè de superioribus habitibus & potentiis usque ad inferiores actus, habitus & potentias.

2. Quidditas quantitatis Substantiæ Hujus Animalis vel Hujus Plantæ est ens aggregatum de quantitatibus primorum principiorum, videlicet bonitatis, magnitudinis &c., quas quantitates habet ipsa Substantia intensas, ût suprà dictum est, quæ intensæ quantitates etiam generant extensas quantitates distinctas per Species & Individua, ût patet per se.

Quidditas Quantitatis Relationis est de quantitate bonificativi, bonificabilis &c., & de quantitate ignificativi & ignificabilis &c.

Quidditas quantitatis Qualitatis est, in quantum Tanta qualitas, vel in Quantum Talis Quantitas in Genere vel in Specie bonitatis, magnitudinis &c., & in Genere vel in Specie igneïtatis &c., & in Hoc Individuo Hujus Speciei.

Quidditas Quantitatis Actionis & Passionis est de quantitate bonitatis, magnitudinis &c. sub Hoc Genere vel sub Hac Specie vel sub Hoc Individuo Hujus Speciei.

Quidditas Quantitatis Temporis est de quantitate bonitatis &c quantificantis fluxum Temporis sub Hoc Genere vel Specie Temporis, vel sub Hoc Individuo Temporis, ût ex isto *nunc* usque ad illud *tunc*, & est situata de Superioribus Principiis usque ad inferiora Individua bonitatis, magnitudinis &c. secundùm potentiam, habitum & actum.

Eodem modo secundùm se potest intelligi de Quidditate Quantitatis Loci.

Quidditas Quantitatis Sitûs est ex quantitate Sitûs bonificativi in bonificabili, & è converso, & bonitatis in magnitudine, & è converso &c.; & Ignîs in Aëre, Aqua & Terra, & è converso, & Aëris in Aqua, Terra, Igne, & è converso, & sic de aliis; & hoc similiter secundùm potentiam & habitum de Superioribus Principiis usque ad inferiora Individua successivè, in quibus ipse Situs venit in actum per omnes partes ipsius secundùm regulam ipsius & habitum Generis & Speciei cujuslibet Individui.

Similiter Quidditas Quantitatis naturalîs Habitûs est ex quantitate Habitûs, secundùm quam bonificativum habet in tantum bonificabile, & è converso &c.; & bonitas habet in tantum magnitudinem & potestatem similiter, & è converso, & Ignis Aërem &c., & è converso, & hoc similiter de superioribus usque ad inferiora eodem modo, sicut de Situ dictum est.

3. Quidditas Relationis Substantiæ est ex Relatione bonificativi & bonificabilis de Superioribus Principiis usque ad Hoc Individuum actu, cujus Relatio existens *nunc* actu fuit habitu & potentiâ per totum Medium de Superioribus realibus Principiis usque ad inferiora, sicut suámet individua substantia.

Quid-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Quidditas Relationis Quantitatis Hujus elementatæ Subſtantiæ eſt, videlicet de Relatione Quantitatis, ſcilicet de quantificativo & quantificabili bonitatis, magnitudinis &c. igneïtatis &c..

Et ſimiliter Quidditas Relationis Qualitatis ejus ex qualificativo & qualificabili, ſicut ex bonificativo & bonificabili Qualitatis, quæ ſunt, ût calefactivum & calefactibile, & cætera his ſimilia; & hoc de ſuperioribus usque ad inferiora ſimili modo, ſicut de Subſtantia & Quantitate dictum eſt.

Quidditas Relationis agendi Hujus elementatæ Subſtantiæ, & ſimiliter patiendi eſt, ût facere & fieri, vel agere & agi, id eſt, bonificare & bonificari &c., ignire & igniri &c.; & hoc etiam per cætera Prædicamenta alia à Subſtantia, ût quantificare & quantificari, qualificare & qualificari, temporificare & temporificari, locare & locari &c., ſicut ſubſtantiare & ſubſtantiari, & hoc de ſuperioribus usque ad inferiora ſimili modo ex toto, ſicut de prædictis dictum eſt.

Similiter Quidditas Relationis Temporis eſt temporificativum & temporificabile: & Loci locativum & locabile: & Sitûs ſituativum & ſituabile: & Habitûs habituativum & habituabile, eodem modo ſicut de aliis ſuprà dictum eſt.

4. Similiter Quidditas Qualitatis Hujus elementatæ Subſtantiæ eſt de Qualitate bonitatis, magnitudinis &c. igneïtatis &c. translata per habitum & potentiam Superiorum Principiorum usque ad Hoc, quod ipſa eſt *nunc* actu ſecundùm omnes partes ſuæ Subſtantiæ *nunc* actu exiſtentis.

Eodem modo ſimiliter ſequitur de Quidditate Qualitatis Quantitatis, Relationis &c., ût Hæc Talis Quantitas, Hæc Talis Relatio, Hæc Talis Actio & Paſſio, Hoc Tale Tempus, Hic Talis Locus, Hic Talis Situs, Hic Talis Habitus; nam Individua Qualitas, cujuscunque Prædicamenti ſit, tranſit per habitum & potentiam ſuorum principiorum, & generatur actu in inferiora, videlicet in Hac vel in Illa Individua Subſtantia ſecundùm habitũ & regulam ſui Generis & Suæ Speciei: hoc idem eſt de Actione & Paſſione, Tempore &c.; nam Hoc ſubſtantiativum & ſubſtantiabile Hujus elementatæ Subſtantiæ, & ſubſtantiare & ſubſtantiari eſt generatum actu per potentiam & habitum ſuperiorum, videlicet bonificativi & bonificabilîs, bonificare & bonificari Superioris creatæ Bonitatis &c., & ſubſtantiativi & ſubſtantiabilîs, ſubſtantiare & ſubſtantiari bonitatis, magnitudinis &c. Primæ Vegetativæ & Secundæ; atque ſimiliter Hoc quantificativum & quantificabile, qualificativum & qualificabile, quantificare & quantificari, qualificare & qualificari, & ſic de aliis Prædicamentis, eſt generatum actu, & exiſtebat habitu & potentiâ quodlibet iſtorum in ſuis Superioribus Principiis, de quibus ſunt conſtituta, videlicet Hoc quantificativum & quantificabile, quantificare & quantificari in quantificativo & quantificabili, quantificare & quantificari prædictæ Primæ Bonitatis & Primæ Vegetativæ & Secundæ.

Eodem modo ſequitur de Quidditate Hujus Temporis & Hujus Loci &c. Hujus elementatæ Subſtantiæ & Hujus Quantitatis, Qualitatis &c., ſicut dictum eſt de Relatione.

QUÆSTIO CLXII.

Quomodo quodlibet Prædicamentum ſit in alio Prædicamento?

1. SOlutio. In elementata Subſtantia eſt Quantitas, & in Quantitate eſt ipſa Subſtantia iſto modo: eſſentia Subſtantiæ eſt forma & materia, eſſentia formæ & materiæ ſunt quatuor Elementa; eſſentia quatuor Elementorum eſt Prima Forma & Prima Materia; eſſentia Primæ Formæ & Primæ Materiæ ſunt Igneïtas, Aëreïtas &c.; eſſentia verò Igneïtatis, Aëreïtatis &c. ſunt Bonitas, Magnitudo &c., quæ ſunt ſimilitudines DEI & Superiora Subſtantialia Principia; & ideo, quia ipſa bonitas eſt quanta, magnitudo quanta &c., eſt alia ſubſtantialis pars in alia, & per conſequens aliud accidens in alio usque ad elementatam Subſtantiam, quæ deſcendens per viam generationis ex prædictis Principiis eſt conſtituta ex ipſis. Igitur reſtat, quòd elementata Subſtantia ſit in Quantitate, & ipſa Quantitas in ipſa Subſtantia, ut elementatum ſit in tali Situ, ſicut ſunt ſua Superiora Principia; & etiam talis diſpoſitio eſt ſimiliter in cæteris Prædicamentis.

In elementata Subſtantia eſt Relatio, & è converſo, quia ex bonificativo & bonificabili eſt in Subſtantia Qualitas, & è converſo, ſicut vinum in colore, & color in vino.

Et etiam Actio & Paſſio ſunt in elementata Subſtantia, & è converſo, cùm ipſa Subſtan-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

stantia sit ex activa forma & ex passiva materia, & cùm in ipsa etiam sit quantificativum & quantificabile, qualificativum & qualificabile &c.

In elementata Substantia etiam est Tempus, & è converso, quia fuit incepta in Tempore, & consumetur in Tempore, & est subjecta Tempori.

In ipsa etiam est Locus, & è converso, quia est collocata intra certos ambitus, & in ipsa est alia pars in alia, scilicet bonitas in magnitudine, & è converso; & forma in materia, & è converso.

In Substantia similiter est Situs, cùm ipsa sit situata de bonitate in magnitudine, & è converso, & de forma in materia, & è converso, ipsâ existente constitutâ ex illis Sitibus.

In ipsa etiam est Habitus, & è converso, quia bonitas conservat in Habitu, quòd sit magna, & è converso; & ipsa elementata Substantia habet Habitu in se aliam elementatam Substantiam, & fuit in Habitu in alia elementata Substantia, priusquàm esset actu; & sic existente quâlibet parte ipsius Substantiæ Habitu in alia, & reducente quâlibet earum suos Habitus in alia ad actum, ideo ipsa elementata Substantia consistit in pluribus Habitibus, sicut totum in suis partibus, & è converso.

2. In Quantitate elementati est Relatio, & è converso, mediante Substantiâ, in qua est Relatio per Quantitatem, & Quantitas per Relationem est quantificativa & quantificabilis; & sic habet se Relatio in Quantitate ad Substantiam, & Quantitas in Relatione.

Simili modo est de Quantitate in Qualitate, & è converso, nam, quia Substantia est quanta & qualis in omnibus suis accidentibus, convenit, quòd ejus Qualitas sit quanta, & ejus Quantitas sit qualis, ita, quòd Qualitas in Quantitate se habeat ad Substantiam, & Quantitas in Qualitate eodem modo.

Similiter etiam Actio & Passio in Quantitate (& è converso) habent se ad Substantiam per quantificare & quantificari.

Hoc idem similiter est de Tempore Substantiæ, quod est quantum, quia comprehenditur ipsa Substantia sub certo termino durationis; & sic Tempus in Quantitate suî habet se ad Substantiam, & Quantitas in Tempore suî, cùm ipsa sit temporalis in Tempore.

Hoc idem similiter est de Loco suo modo, nam in Loco ipsius Substantiæ & in Loco partium ejus est Quantitas, & è converso, quia substantialis Locus est quantus per Quantitatem suî in Substantia & partibus Substantiæ; & substantialis Quantitas per Locum in Substantia & partibus ejus est locata, & hoc per totam Substantiam, ut tota Substantia sit plena & mixta; & sic habet se Locus in Quantitate, & è converso, ad Substantiam.

Similiter etiam Situs est in Quantitate, & è converso, quia convenit, quòd Situs Substantiæ secundùm omnes partes ejus sit quantus, & Quantitas ejus sit situata, cùm quælibet pars ejus sit quanta, & forma & materia quanta & situata alio modo quoad bonum, alio modo quoad magnum &c.;

Similiter Habitus est in Quantitate, & è converso, quia qualificativum & qualificabile & qualificatum quantitativè sunt habituata in ipsa Substantia; & convenit, quòd ipse Habitus sit quantus, & in Quantitate suî se habeat ad Substantiam, & similiter quòd Quantitas sit habituata, & in Habitu suî se habeat ad Substantiam.

3. Relatio in Qualitate, & Qualitas in Relatione, habet se ad Substantiam per qualificativum & qualificabile. Similiter Relatio est in Actione & Passione, & è converso, per formam & materiam secundùm agere & pati, quæ relativè se habent. Similiter etiam in cæteris Prædicamentis, & è converso, habet se Relatio ad Substantiam, videlicet per temporificativum & temporificabile, locativum & locabile, situativum & situabile, habituativum & habituabile.

Similiter habet se Qualitas ad Substantiam in Actione & Passione per qualificare & qualificari. Et in Tempore, & è converso, similiter habet se ad Substantiam, quia Tempus Qualitatis & Qualitas Temporis est in ipsa Substantia. Similiter etiam in Loco & Situ & Habitu, & è converso, habet se Qualitas ad Substantiam in hoc, quòd Locus, Situs & Habitus in ipsa Substantia sunt quales similiter, sicut sunt quanti; & etiam in hoc, quòd ipsa Qualitas est locata & situata & habituata in Substantia, cùm tota forma sit in materia, & è converso, & tota Actio sit in Passione, & è converso, id est, quòd se habeat tota alia ad aliam.

Etiam Actio & Passio sunt in Tempore, & è converso, per temporificare temporificativi, & temporificari temporificabilîs. Similiter in Loco, & è converso, per locare

&

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& locari. Etiam in Situ, & è converſo, per ſituare & ſituari. Et in Habitu,& è converſo, per habituare & habituari.

Tempus etiam habet ſe ad elementatam ſubſtantiam in Loco,& è converſo,quia eſt collocatum in tota Univerſali Subſtantia ſub lunari globo & in omnibus partibus ejus, quæ totum illud, quod eſt ſub ambitu Lunæ,occupant; & quia Locus ita habet eſſe in Tempore,& è converſo, ſicut cætera Prædicamenta ſuæSubſtantiæ,etiam omnes partes,quæ ſunt in Tempore,ſunt ſubjectæLoco.

Similiter Situs eſt in Tempore, & è converſo,per ſuum ſubjectum,cùm ſua Subſtantia ſit in Tempore, & è converſo; & Tempus etiam eſt aſſituatum in Subſtantia per præteritum, præſens & futurum,& hoc per accidens;in ſe tamen eſt unum indiviſibile & inaſſituabile & illocabile *nunc;* ipſum *nunc* autem eſt influxiva virtus, per quam partes Subſtantiæ modò poſſunt eſſe aſſituatæ in uno Tempore, modò in alio diverſimodè, ſicut in hyeme, æſtate, die, nocte &c.

Et ſimiliter etiam Tempus eſt in Habitu, & è converſo, & hoc tamen per accidens, quia ipſum *nunc* eſt habituatum,priusquam ſit in actu, ſicut generabilis Subſtantia priùs eſt habitu, quàm actu, & priùs habuit *nunc* in habitu, quàm in actu; & Habitus etiam eſt in *nunc* vel in Tempore mediante Subſtantiâ, quæ eſt ſubjectum Temporis.

Similiter Locus eſt in Situ & Habitu, & è converſo, quia Locus per ipſam Subſtantiam & per partes ejus eſt ſituatus & habituatus, & ſimiliter Situs per easdem eſt locatus, ſimiliter etiam Habitus locatus per easdem.

Etiam Situs eſt habituatus in eis, priusquàm ſit actu; cùm autem eſt actu, eſt ſituatus Habitus; & ita habent ſe ad Subſtantiam Situs in Habitu & Habitus in Situ.

4. Et eſt ſciendum ſecundùm præſentem conſiderationem, quòd ſimiliter unumquodque Prædicamentorum per quodlibet aliud habeat eſſe in alio, & è converſo, ût Subſtantia per ſubſtantiare quantum, quale &c., & per ſubſtantiari quantum, quale &c. habet eſſe inRelatione,& è converſo,&ſic de aliis; ſicut magnitudo, quæ eſt pars elementati per poteſtatem,virtutem &c., quæ ſimiliter ſunt partes ejusdem,eſt in bonitate &c., quæ ſimiliter eſt pars illius, & è converſo, & ſic ſimiliter de aliis, ut ipſa elementata Subſtantia ſit magna in bonitate per poteſtatem,virtutem &c., & è converſo, & ſic ſimiliter de omnibus aliis.

QUÆSTIO CLXIII.


Cùm quælibet Pars Mixti ſit in alia, quomodo eſt ſituata quælibet earum in alia?

1. SOlutio. Modus Sitûs partium elementati Mixti, de quo hìc quæritur, eſt conſiderandus & intelligendus ſecundùm Situm Principiorum,de quibus ipſum Mixtum eſt, iſto modo: videlicet in *Circulo, Quadrangulo, Triangulo* & Lineis per omnes dimenſiones;habent *circularem* & rotundum *Situm* ſecundùm Situm quatuor ſphæratum, quarum tres ſunt circulares, & una rotunda & ſolida, videlicet Terra; habent etiam *quadrangularem Situm,* quia Elementa, de quibus ſunt ipſæ partes, ſunt quatuor, quæ quadrangulariter ſunt oppoſita ſecundùm ſuas ſubſtantias & qualitates, nam Ignis & Aqua contrariantur per caliditatem & frigiditatem, per ponderoſitatem & levitatem, per groſſitiem & ſubtilitatem, per motum ſurſum & deorſum, ſimiliter Aër & Terra; habent etiam ipſæ partes Mixti *triangularem Situm* per modum concordantiæ & contrarietatis iſto modo: Ignis habet concordantiam cum duobus contrariis, ſcilicet cum Aëre & cum Terra, & ſic eſt unus Triangulus: ſimiliter Aër habet concordantiam cum duobus contrariis, videlicet cum Igne & Aqua, & ſic eſt alius Triangulus, & ſic ſunt duo: ſimiliter Aqua concordat cum duobus contrariis, videlicet cum Aëre & Terra, & ſic eſt tertius Triangulus: & Terra habet concordantiam cum aliis duobus contrariis, ſcilicet cum Aqua & Igne, & ſic eſt quartus Triangulus; igitur ſunt quatuor Trianguli in ſupradicto Quandrangulo,qui eſt Ignis, Aër, Aqua, Terra; hic Quadrangulus autem eſt confractus inCirculum quatuor prædictorum Triangulorum habentium æquales *Lineas* æqualiter diſtantes.

2. In ſupradicto Quadrangulo conſideramus ſic Lineas & Triangulos: ponatur,quòd A. ſit unus terminus, B. alius, C. alius, D. alius in Quadrangulo, & E. ſit medius terminus inter A. & B., & F. inter B. & C., & G. inter C. D., & H. inter D. A, & quòd de A. ad C. ſit una Linea, & de B. ad D. alia Linea, inde reſultant quatuor Trianguli, quorum primus eſt de A. usque ad B., & ſecundus eſt de B. usque ad C., tertius de C. usque ad D., quartus de D. usque ad A. Iterum ſit alia Linea de E. ad G., & iterum alia de F. ad H.,&

(c) 2006 Ministerio de Cultura

fit alius Quadrangulus, & per conſequens unusquisque prædictorum quatuor Triangulorum eſt diviſus in duos Triangulos, & ſic ſunt octo Trianguli de centro usque ad ſuperficiem Circuli, ſicut patet in præſenti Figura:



quam conſideramus totam ſphæricam, ſicut pomum, & repletur tota quadrangulariter iſto modo: videlicet, quòd Linea, quæ eſt de A. usqūe ad B., habeat Lineas contiguas & continuas per totam Superficiem quadrati de A. B. usque ad C. D., & è converſo, & de B. C. usque ad D. A., & è converſo; ſimiliter etiam per totam Superficiem de A. B. usque ad E., & de C. D. usque ad G., & de B. C. usque ad F., & de D. A. usque ad H.; hoc idem ſequitur de tota Superficie quadrati, quæ eſt de E. F. G. H., ita, quòd totum elementatum corpus per omnes ſuas dimenſiones eſt plenum Lineis triangulariter & quadrangulariter & etiam circulariter per circulares contiguas & continuas Lineas & confractas per totam Superficiem Circuli usque ad Centrum, ſicut figuraliter patet; per totum autem ſphæricum corpus eſt plenum, & ſic ſunt partes ipſius elementati aliæ in aliis, ſicut Lineæ in Lineis triangulariter, quadrangulariter & circulariter, de quibus partibus ſunt conſtitutæ Lineæ tam rectæ, quàm obliquæ, & quàm etiam confractæ; & de Lineis Trianguli & Quadranguli & de his omnibus eſt conſtitutum elementatum Corpus, ita, quòd unaquæque ipſarum partium contineat partem Lineæ, partem Trianguli, partem Quadranguli, partem Circuli in omni dimenſione; hanc ſituationem partium autem eſt impoſſibile proſpectivè totam figurari ad oculum, ſed optimè poſſumus eam imaginari in plenitudine corporum, & in toto pleno ſpatio, quod eſt ſub lunari circulo; & licèt præſcripta Figura non poſſit ex toto ſufficere, eſt tamen aliqualis directio Imaginationis, ſi conſideretur ſecundùm omnem dimenſionem & declivitatem.

3. Secundùm ea, quæ prædicta ſunt, omnes partes elementati ſunt ſituatæ alia in alia per Lineas, Triangulos, Quadrangulos & Circulos; & hoc eſt intelligendum, ita videlicet, quòd quælibet pars cujuslibet Lineæ habeat in ſe linearem naturam, & quælibet pars Trianguli habeat in ſe triangularem naturam, & quælibet pars Quadranguli habeat in ſe quadrangularem naturam, & quælibet pars Circuli habeat in ſe circularem naturam; & hoc idem de Centro usque ad ultimam Superficiem; nam aliter eſſet impoſſibile, quòd de illis partibus eſſet Linea, Triangulus, Quadrangulus & Circulus, & per conſequens eſſet impoſſibile, quòd repleret totum ſpatium elementati: & hoc etiam ſic eſt intelligendum, quòd omnes partes Triangulorum & Quandrangulorum triangulariter & quadrangulariter attingant omnes partes Circuli, & è converſo omnes partes Circuli circulariter attingant omnes partes Triangulorum & Quadrangulorum, & etiam omnes partes Triangulorum triangulariter attingant omnes partes Quadrangulorum, & è converſo quadrangulariter; & ſic totum ſpatium impletur, & omnes partes ſunt aliæ in aliis, & ita quælibet pars movetur virtualiter alia in aliam ſecundùm naturam, quam habet linearem, triangularem, quadrangularem & circularem.

4. Per hæc, quæ prædicta ſunt de Situ partium in Lineas, in Triangulos, in Quadrangulos & Circulos, intelligitur, quomodo totum Chaos ſit aſſituatum & plenum, & quomodo quælibet pars illius ſit ſituata in alia, & quomodo quælibet earum ſit confracta per aliam in ſe & in alia circulariter, quadrangulariter & triangulariter; & quomodo etiam quælibet pars attingat aliam ſibi ſimilem & ſibi diſſimilem, rectam & obliquam, directam & transverſalem, declivem & circularem; & ſicut hæ partes ſic mixtæ & connexæ ſunt ſituatæ in ipſo Chaos, ita ſimiliter etiam in elementatis, ût in plantis, animalibus & metallis; & ideo videmus, quòd Figuræ eorum habeant rotundum ſitum, ſicut eſt figura pomi & ovi, & digiti, tibiæ, colli & capitis hominis; & partes elementati ſimiliter habent quadrangularem Figuram, ſicut eſt figura faciei & ſcapularum hominis, & triangularem, ſicut eſt naſus & lingua, & ſic de aliis; ita videlicet, quòd unumquodque elementatum ſit totum plenū de prædictis Sitibus, parte exiſtente in parte; & quia hæc elementata ſunt de eſſentia ſuorum Superiorum Principiorum, reſtat igitur,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tur, quòd in eſſentia ipſorum Principiorum ſint ſituata omnia individua ſpecierum circulariter, quadrangulariter, triangulariter & lineariter; ſed iſti Situs ſic accepti ſunt inſenſibiles, apparent autem figuraliter exiſtentibus elementatis in Aëre ſecundùm circularem, quadrangularem, triangularem & linearem Figuram, ſicut etiam jam dictum eſt.

QUÆSTIO CLXIV.

Quomodo Ignis calefaciat & moveat Aquam in olla?

1. SOlutio. Ad ſolvendam hanc Quæſtionem & etiam alias, ſunt inveſtiganda in principio univerſalia deſcendendo ad particularia iſto modo: Ignis eſt aggregatus de bonitate, magnitudine &c. habens proprietates bonas, magnas &c., & ſic per conſequens eſt ad finem vel ad fines, qui ſunt calefacere, deſiccare, lucere &c.; & ideo modus, de quo hìc quæritur, conſiſtit in prædictis principiis, ut de operatione Ignîs ſequatur bonum, magnum &c.; nam, ſicut modus ſcribendi eſt movere pennam, quæ cum atramento eſt apta figurationi literarum ad ea, quæ Imaginatio imaginatur, ita etiam modus calefaciendi Aquam eſt movere Ignem, qui cum lignis eſt aptus calefactioni & decoctioni ad ea, quæ in hoc indiget humana neceſſitas; hoc idem ſequitur de generatione, & de quocunque natura agit.

2. Ignis, qui eſt flamma percutiens ollam, eſt calidus & ſiccus, olla verò ſicca & frigida, & Aqua, quæ eſt intra ollam, priusquàm calefiat, eſt frigida & humida, ſed Aër, qui cum Igne & cum olla & cum Aqua participat, continens illa tria Elementa, eſt humidus & calidus; naturalis finis igitur cujuslibet iſtorum quatuor Elementorum conſiſtit naturaliter in quolibet ſecundùm ſuam complexionem, ſicut nunc dictum eſt; ſed reſtat adhuc alius finis major, quàm iſte, videlicet, quòd Aqua artificioſè calefiat propter neceſſarios humanos uſus, hic finis autem eſt habituatus in Artifice coaptante prædicta Elementa ad prædictum artificialem finem, ſicut Medicus medicamina ad ſanitatem; & ſic per accidens eſt habituata caliditas Aquæ in Aqua & in flamma & in olla: in flamma quidem quoad formam Ignîs, in olla verò quoad partes Elementorum & complexionum, de quibus olla eſt conſtituta, & in Aqua ratione participationis ollæ & Aëris participantium cum Aqua, cùm Aqua in vaſe recepta per ſe non poſſit effugere, cùm ſit reſtrictivæ naturæ: & ideo, quando Ignis exiſtens in majori vigore hujus habitûs & potentiæ, quàm cætera Elementa, percutit ollam, percutiendo reducit ad actum id, quod eſt in habitu & potentia, alterans in ſuam complexionem omnes remotas complexiones, quas attingit, & iſtæ repugnant eidem, quantum poſſunt, ut remaneant in ſua natura.

3. Ignis quoad ſiccitatem concordat cum ſiccitate Terræ, quæ eſt in olla & in Aqua & etiam in Aëre, & ſic etiam ſimiliter quoad caliditatem; & iſto modo tranſit Ignis ad Aquam mediantibus contrarietate & concordantiâ, & major iſtarum vincit & convertit ad ſe minorem, tamen in parte, non autem in toto, ita, quòd frigiditas, quæ erat in olla & in Aqua actu, convertitur in habitum & in potentiam, & illa caliditas, quæ erat in eis habitu & potentiâ, ducitur ad actum; & quia ibi eſt contrarietas & concordantia, eſt ibi motus, quia quælibet pars eſt contra aliam in tranſitu caliditatis, ita, quòd frigiditas Aquæ & ollæ & Aëris & etiam Ignîs ſibi invicem obvient in extremitatibus ollæ (quam Ignis percutit) ut caliditas Ignîs non poſſit penetrare teſtam ollæ, nec calefacere Aquam; & ideo teſta ollæ eſt minùs calida, quàm Aqua, quæ continetur ab illa; & de hoc habemus manifeſtam experientiam.

4. Ignis eſt ita calidus & ſiccus, quòd Aër, qui eſt in teſta ollæ & in Aqua ab ea contenta, non poſſit eum ſuſtinere, cùm Aër habeat contrarietatem cum ſiccitate Ignîs, & concordantiam cum frigiditate Aquæ, & in hoc Aër, quantum poteſt, appetit elongari ab Igne; hoc idem ſimiliter ſecundùm ſe eſt de cæteris duobus, ita, quòd unumquodque eorum appetat recedere à prædominio Ignîs, cùm ſit nimìs fortis; & ſic generatur motus & fervitus, & Aqua bullit, in cujus bullitione Aër induit tunicam, videlicet illam bullitionẽ, quæ eſt intrà plena Aëre circumdato Aquâ exteriùs, quæ eſt reſtrictiva, ut caliditas cum calefacta ſiccitate non intret ad Aërem intra ſe; poſtea verò, quando in fundo ollæ eſt facta generatio bullitionum, aſcendunt illæ bullitiones ſuperiùs, & franguntur, & Aër evolat ſurſum in vaporem, & ſimiliter Aqua & Terra, & etiam ſubjecta

(c) 2006 Ministerio de Cultura

earum; & hoc modo Ignis movet Aquam calefaciendo: & etiam, quia olla & Aqua ſunt poroſæ, fit ibidem motus vaporeïtatis.

QUÆSTIO CLXV.

Quomodo generentur Metalla, & quomodo Ignis liquefaciat Aurum?

1. SOlutio. Sicut in præcedente Quæſtione dictum eſt, ita ſimiliter modus, de quo hìc quæritur, videlicet generandi Metalla, eſt conſiderandus reſpectu finîs, qui eſt, ut homo habeat materiam agendi de bono, magno &c., ut perveniat ad finem, quare eſt, cum magnitudine bonitatis poteſtatis &c.; nam ille finis, ad quem homo eſt creatus, eſt magnus in bonitate, magnitudine, poteſtate &c. Igitur iſte Modus conſiſtit abſolutè reſpectu finîs, ſcilicet bonitatis, magnitudinis &c., quæ ſimiliter tenduntad talem finem, videlicet, ut ſint Metalla; & ita bonitas eſt bonificans, & magnitudo magnificans &c. in illo genere, quod eſt Metallum, ſicut etiam in cæteris generibus & ſpeciebus; hæc autem ſunt Superiora Principia, de quibus Metalla ex illis conſtituta ſunt producta actu in inferioribus, quæ etiam ſunt convertentia in ſuas ſpecies id, quod influitur eis de Superioribus Principiis; ſicut vegetativum grani convertit in ſuam ſpeciem id, quod grano influitur per viam generationis.

2. Ferrum eſt ex lapidibus artificialiter depuratum ab Igne; igitur ſua generatio fuit ex generatione lapidum; eodem modo Argentum & Plumbum ſunt ex pulvere Terræ artificialiter depurata ab Igne, quorum generatio fit in viſceribus Terræ in magna concordantia in mineris, in quibus accedunt, quantum poſſunt, ad centrum propter ſimplicitatem, quam appetunt, appetente Terrâ ſuum centrum elongando ſe à ſuperficie regionis, in qua ſumus, ubi eſt Aër; hoc idem eſt de Aqua, quæ ſe elongat ab Igne, qui participat cum Aëre ſuper Terram, & etiam ab Aëre, cùm ſit calidus; & ita, quando Terra & Aqua ſeceſſerunt infra Terram, propter nimiam ſiccitatem & frigiditatem generant Metalla, quæ ſunt ponderoſa & ſicca & frigida; & etiam propter Terram & Aquam, quæ habent multum materiæ, ſunt ipſa Metalla multùm ſolida & multùm durabilia corpora.

3. Ex Aqua generatur nix, ex nive glacies, ex glacie verò cryſtallum, in quo eſt albedo Aquæ, & diaphanitas Aëris, nec poteſt liquefieri, quia nimis diu extitit congelatum in corde Terræ, aqua verò, quantum poteſt, convertit ad ſe cætera Elementa in illam ſpeciem, ſcilicet cryſtallinam; & ſicut Terra, ût dictum eſt, cùm ſit nigra, generat lapidem Ferri, quod eſt metallina ſpecies valde fuſca, ſic ſimiliter Aqua, cùm ſit alba & clara vel diaphana ratione Aëris generat cryſtallum album & clarum: & etiam ſicut Ignis generat piper, & in eo retinet Terra nigrum colorem, ſic ſimiliter Terra & Aqua generant Aurum, Argentum, Plumbum, Aurichalcum, Electrum, Cuprum, Æs & Vivum Argentum, & Aqua Corallum & Sal & cætera hujusmodi, ita, quòd in Auro & in cæteris Metallis ſimilibus Auro in colore, retineat Ignis ſuum colorem, atque Aër & Aqua in Argento, Plumbo & cæteris ſimilibus iſtis; & in hoc patet, quomodo partim Ignis & Aër operentur ad generationem Metallorum.

4. Ignis liquefacit Aurum & etiam Ferrum & cætera ſimilia Metalla, & hoc iſto modo: Aurum artificialiter eſt figuratum & depuratum ex ſua minera, ſicut Ferrum ex Lapidibus, & tunc fundit Ignis figurando & depurando Aurum, prædominans cæteris Elementis, poſtmodum refrigerato Auro caliditas Ignîs fuit concluſa in illo & hebetata propter reſtrictionem Aquæ, & concatenationem Ignîs & Terræ in ſiccitate, & Terræ & Aquæ in frigiditate; ut autem Aurum revertatur in illam figuram, in qua naturaliter priùs fuerat, Aqua & Terra, quantum poſſunt, corrumpunt artificialem figuram illius, ſicut Aqua ablata à materiali igne expellit ſuam artificialem caliditatem, ut ſua frigiditas reducatur in priorem ſibi naturalem actum: unde, quando Ignis venit ad Aurum, liquefacit ipſum, diſſolvens reſtrictionem Aquæ & duritiem Terræ, nam ipſum eſt factum durum & reſtrictum propter groſſitiem & cruditatem Terræ & reſtrictionem Aquæ claudentis poros, quantum poteſt, ſed Ignis aperit eos, & revertitur in actum illa caliditas concluſa & habituata in Auro, ut Aurum non amittat illam artificialem figuram, quam Ignis dedit ei contra Aquam.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CLXVI.

Utrùm Alchymia ſit in Re vel in Ratione tantùm?

1. SOlutio. Ad reſpondendum ad hanc Quæſtionem recurrendum eſt ad Superiora Principia, videlicet ad bonitatem, magnitudinem &c., de quibus Metalla ſunt conſtituta, ita, quòd bonitas abſolutè diviſa eſt in bonitatem Ignîs, in bonitatem Aëris &c.; ſimiliter etiam magnitudo in magnitudinem Ignîs, & magnitudinem Aëris, & ſic de aliis, & per conſequens in bonitatem, magnitudinem &c. Animalium, Plantarum & Metallorum, & hoc usque ad Secundam Vegetativam; & ſic naturaliter conſiſtunt Principia, Media & Fines in omnibus, quæ naturaliter generantur. Et ſicut natura habet ordinem in Animalibus & Plantis reſpectu Principiorum, Mediorum & Finium, ita, quòd nullus Artifex poteſt aliud Animal transferre in aliud, vel aliam Plantam in aliam, ſimiliter nec Alchymiſta poteſt transmutare aliam ſpeciem Metalli in aliam, cùm non poſſit tantum attingere, quantum forma poteſt de Primis Principiis usque ad Secunda Principia; & ideo patet, quòd Alchymia non ſit in veritate rei, conſiderante & optante Alchymiſtâ, quòd Metalla habeant & poſſint habere multas proprietates, quas non habent nec poſſunt habere, cùm non poſſint eſſe in perfectione ſuarum ſpecierum, quia Alchymiſta conatur dare perfectionem Auri vel Argenti alteri Metallo privando illud à ſua ſpecie.

2. Metalla habent ſuam excellentem bonitatem, magnitudinem &c. propter hominem, quia finis eorum conſiſtit in fine hominis; & ideo reſpectu finîs Ferrum meliùs eſt, quàm Aurum, & ita natura quoad bonitatem finîs plùs appetit producere Ferrum, ut inde fiat gladius, acus & cætera inſtrumenta, quibus humana neceſſitas indiget, quàm Aurum vel Argentum vel aliquod aliud Metallum, & ideo illud eſt in magna copia; quodlibet verò iſtorum non in tanta copia, nec adeò forte. *Præterea, priusquam Argentum fuiſſet reductum de habitu in actum, erat naturaliter in habitu quoad formam, & in potentia quoad materiam, ſed Artifex præparavit materiam, ut illud, quod erat in habitu & potentiâ, deduceretur in actum;* ſecus autem eſt in operatione Alchymiſtæ conantis Argentum tranſubſtantiare in Aurum, quia in ſpecie Argenti nunquam in habitu & potentia fuit ſpecies Auri, nec è converſo; & ſic forma & materia argenti actu ſub forma & materia Auri habituatæ ſunt in Imaginatione Alchymiſtæ, ſicut in Medico ſanitas alicujus incurabilis infirmi; nam, ſicut eſt impoſſibile, quòd ſanitas reducatur ad actum in infirmo, in quo ipſa ſanitas non eſt in habitu & potentia, ita eſt impoſſibile, quòd reducatur ad actum forma & materia hujus in illo Metallo, in quo nunquam fuit in habitu & potentia, cùm ſit impoſſibile, quòd actus veniat *ſinè naturali habitu & naturali potentia.*

3. Artifex adminiſtrat, quòd ſit ſpecies muli, & quòd pomo inſeratur pirus, & quòd de farina cum aqua poſita in vaſe, ex quo aër non poſſit egredi, generentur nigra animalia, & ſic de his ſimilibus; in his omnibus autem adminiſtrat Artifex materiam ſecundùm ea, quæ ſunt naturaliter habitu per formam, & potentiâ per materiam, ita videlicet, quòd Artifex non poſſet adminiſtrare, quòd ex equo & aſina poſſet ſequi aliquod tertium animal, quod non eſſet ſpeciei muli, & ſic de aliis: reſtat igitur ex hoc, quòd forma & materia Argenti habeant inter ſe majorem proportionem, quòd ſint Argentum propter ea, quæ habent ex ſuis Superioribus Principiis & ex ſupracœleſtibus corporibus, quæ meliùs & priùs concordant cum eſſentia Argenti, quàm cum transmutatione Argenti in ſpeciem Auri; quia hæc concordantia eſt intra ſubſtantiam Argenti, & eſt per appetitum naturæ, in contrario autem eſt artificium Alchymiſtæ: ergo reſtat, quòd Alchymia non ſit in veritate rei, cùm operatio, quæ eſt intra ſubſtantiam, & naturalis appetitus ſint in majori fine & concordantia, quàm operatio, quæ eſt extra ſubſtantiam, & contra Superiora Principia ſubſtantiæ.

4. Forma Ignîs habet majorem porportionem cum ſua propria materia, quàm cum remota, & per conſequens in propria materia Ignîs eſt plus potentiæ quoad Ignem, quàm quoad aliquod aliud Elementum; eodem modo ſequitur de forma & de materia Argenti; ergo Alchymia non eſt in rei veritate. Præterea Alchymiſta plus agit quoad materiam, quàm quoad formam; forma autem eſt potentior, quàm materia: ergo Alchymia non eſt in rei veritate; ſi tamen ex hoc, quòd Alchymiſta agat quoad potentiam,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tiam, accidat, quòd in Argento diverſificet colorem Argenti, transmutans eum in colorem Auri, & pondus Argenti in pondus Auri, & ſonum Argenti in ſonum Auri; *hoc fit imperfectè, quia perfectè non poteſt fieri, niſi agat æqualiter per formam & per potentiam;* unde, ſicut Ignis calefaciens Aquam vel igniens Ferrum agit quoad potentiam, non autem quoad formam Aquæ vel Ferri, videlicet tanquam forma & materia remota, deinde Igne extincto Aqua & ferrum recuperant ſuam naturalem frigiditatem, recedente accidentali caliditate, ſic ſimiliter, licèt artificium Alchymiſtæ ingeſſerit aliquas proprietates in materias remotas ab illis proprietatibus propter aliquem modicum naturalem motum, illa materia revertetur ad ſuam propriam naturalem formam in naturali ſubjecto.

INCIPIUNT QUÆSTIONES Motivæ Potentiæ.

QUÆSTIO CLXVII.

Quomodo DEUS moveat omnia?

1. Solutio. DEUS eſt immobilis, cùm ſit infinitus & æternus, quidquid autem eſt finitum, eſt principiatum & mobile; DEUS igitur eſt immobilis, & ipſe eſt Motor omnium finitorum & principiatorum; ex his proprietatibus inter Motorem & mobile ſequitur Modus, per quem DEUS movet omnia ad Finem, ad quem ſunt principiata, & Medium Motûs eſt Modus inter Motorem & motum, ipſo Motore exiſtente Formâ movente, & ipſo moto, videlicet ipſo ſubjecto Motûs exiſtente materiâ & potentiâ Motûs.

2. In DEO ſunt idem numero ipsámet Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas &c. DEI: Sapientia DEI attingit omnia mobilia & Modum, per quem debent moveri, & Divina Voluntas vult illum Modum, quem Sapientia attingit, cùm Juſtitia & Perfectio ſint idem cum Sapientia & Voluntate; & quia Divina Poteſtas eſt idem cum ipſa Voluntate & cum cæteris, ideo eſt Univerſalis Motus illo Modo, quo Divina Voluntas & Sapientia attingunt; & ita Modus Motûs, per quem DEUS movet omnia, conſiſtit in hoc, quod Divinæ Dignitates attingunt de Motu eorum; nam ita eſt, ſicut attingunt, & habent ſe ad illum finem, quem attingunt, nec materia poteſt repugnare huic Formæ, cùm Poteſtas & Voluntas & Sapientia &c. in DEO ſint unum idem in Infinitate Bonitatis, Æternitatis &c.

3. Dominus imperando movet ſervum, nec ideo convenit, quòd Dominus moveatur; ita, & multò meliùs DEUS vult, quòd ſit Motus in ſeparatis ſubſtantiis & in cæteris ſubjectis &c.; & iſte talis Motus eſt naturalis ſecundùm Modum, quem Divina Voluntas vult, ſicut Motus Orbis & Elementorum &c. Vult autem Divina Voluntas, quòd in aliquibus ſit ſupernaturalis Motus, ût in factione miraculorum & reſuſcitatione mortuorum & in Sacramentis; nam convenit, quòd ita ſit, ſicut ipſa Voluntas vult, & naturalis Motus non poteſt ei reſiſtere; nam, ſicut poteſtas formæ ignîs per poteſtatem ſuæ caliditatis & ignitionis facit, quòd materia ferri paſſivè moveatur ad ignitionem, ut recipiat figuram clavi, quam artifex habet habitu in Imaginatione, ita, & multò meliùs Divina Poteſtas facit, quòd omnes creaturæ ſint paſſivæ, & ſint paſſivæ potentiæ tanquam materia ſub imperio Divinæ Voluntatis ſive naturaliter ſive ſupernaturaliter.

4. Modus, per quem DEUS movet hominem de bono in bonum, eſt per meritum & gratiam; & Modus, per quem movet hominem de malo in bonum, eſt per gratiam: iſte Modus Motûs per gratiam eſt, quia ita vult Divina Largitas, Bonitas, Magnitudo, Poteſtas &c., & ita eſt, ſicut Divina Voluntas vult, & Divina Poteſtas diſponit ſecundùm magnitudinem Nobilitatis Miſericordiæ &c., quòd ille homo, qui movetur per gratiam,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tiam, tali modo moveatur, ut ſit dignus recipere gratiam DEI; quia, niſi homo per gratiam diſponeretur ad donum gratiæ, nunquam acciperet illud, nec Divina Nobilitas ſuſtineret, quòd reciperet illud: Modus autem, per quem DEUS movet hominem per meritum, eſt propter influentiam Bonitatis Juſtitiæ, quia Bonitas & Magnitudo Divinæ Voluntatis vult, quòd homo acquirat meritum, ut ſit multùm bonus, & ut Juſtitia illi poſſit retribuere magnam gloriam: & ideo Divina Poteſtas conſervat in illo Motum Liberi arbitrii, videlicet, quòd homo ſe ſentiat liberum ad ſe movendum, & quòd DEUS ſit Movens; hoc autem poteſt Poteſtas, quia ita vult Voluntas, cùm ſint unum idem. Præterea eſt alius Modus movendi inter DEUM & creaturam, videlicet, quòd DEUS ſit incarnatus & paſſus ſecundùm Carnem propter nos: & ita ipſe movet, quòd moveamus nos ad multùm honorandum & diligendum eum ex toto noſtro poſſe.

QUÆSTIO CLXVIII.

Quæ ſit Quidditas Motûs?

SOlutio. Quidditas Motûs ſecundùm ſpeciem, in qua eſt, debet definiri & inveſtigari in ſua eſſentia & in Superioribus Principiis, de quibus conſtituitur eſſentia Motûs; nos autem quoad præſens proponimus inveſtigare Quidditatem vel Eſſentiam Motûs in quatuor Potentiis, ſicut ſequitur; & primò in Vegetativa iſto modo.

1. Secundùm quòd ſuprà dictum eſt, Vegetativa eſt conſtituta de bonitate, magnitudine &c.; & iſta ſunt ejus Superiora Principia, quæ ſunt bonificativa, magnificativa &c., & bonificabilia, magnificabilia &c. in creatura; ipſa creatura autem eſt eorum bonificatum, magnificatum &c.; & ſic ex bonificativo & bonificabili &c. influitur Motus; nam bonificativum & bonificabile non poſſunt eſſe ſinè Motu, bonificativo movente, bonificabili verò moto; & in hoc bonificativum eſt motor quoad bonum, & bonificabile eſt motum quoad bonum, & ſic per accidens ſequitur movere & moveri, ut ſit Motus: & ideo Quidditas hujus Motûs eſt eſſentia influxa ex motivo & mobili ſub ratione bonitatis; hoc idem eſt de magnitudine &c.: omnes iſtæ ſuperiores eſſentiæ autem conjunguntur & conſtituunt unum Motum ex ſe ipſis compoſitum, & iſte eſt formalis & intra Vegetativam ſubſtantialiter & accidentaliter, hoc eſt, in ſubſtantia & accidentibus Vegetativæ, diverſimodè tamen, ſecundùm quòd Vegetativa eſt diverſa in univerſali & particularibus & in ſpeciebus & ſuis individuis. IſteMotus verò eſt inviſibilis, cùm ſit intrà, ſed apparet figuraliter extrà in cremento plantæ vel animalîs, vel in Motu de loco ad locum; & iſte figuralis Motus non eſt Quidditas intrinſeci Motûs, ſed eſt ejus figura, ſicut figura hominis non eſt quidditas & ſubſtantia ejus, nam iſte figuralis Motus non eſt ipſa vera Quidditas Motûs, ſed relinquit figurationem veri formalis & inſenſibilis Motûs.

Homo tendens per locum non relinquit Motum, quia id, quod movet & movetur, eſt homo; via autem, per quam movetur, non eſt movens nec mota; hoc idem eſt de Motu hominis in navi actu mobili; nam omnia iſta non habent naturam extrà, de qua poſſit generari Motus nec ejus eſſentia, ſed intra hominem vel plantam generatur forma Motûs; nam bonitas, in quantum eſt bonificativa, non poſſet eſſe forma bonificandi, producendo animal vel plantam, niſi eſſet motiva habens ſuum mobile ſuæmet eſſentiæ & ſpeciei; ſimiliter nec magnitudo, & ſic de aliis: ergo convenit, quòd Motus generetur intrà, ût jam dictum eſt; & iſte eſt verus Motus exiſtens Medium, per quod Principium intra ſubſtantiam tendit ad Finem ſive per generationem ſive per corruptionem; & per iſtum Motum habitus &potentia reducuntur ad actum; ſed illeMotus, qui eſt figuralis, eſt phantaſticus & imaginabilis, non eſt autem aliquid in ſe, ſed eſt accidens, in quo homo vel lapis vel aliquod elementatum deſcendens vel aſcendens per locum movetur in tempore & in alteratione: alteratio autem, ût hìc ſumitur, eſt intelligenda extra ſubſtantiam, ſicut homo in tempore movetur de paupertate ad divitias, de injuria in juſtitiam, vel è converſo, & ſic de aliis hujusmodi.

2. Secundùm quòd nunc dictum eſt de Motu Vegetativæ, poteſt intelligi Motus Senſitivæ, quia ſimiliter Quidditas Motûs Senſitivæ oritur intra ſenſum, & conſiſtit intrà; & ideo nullus ſenſus ſimpliciter eſt ſenſibilis, eſt autem imaginabilis, & ejus operatio eſt ſenſibilis in hoc, quòd objectum ſensûs attingatur per viſum & per guſtum, & ſic de aliis; ſed Motus ipſius ſensûs eſt influxus ex ſenſitivo motivo quoad ſenſum, & ex

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ex ſenſibili ejusdem eſſentiæ mobili quoad ſenſum: igitur ex hac influentia ſequitur verus Motus ſentiendi, qui eſt formalis, exiſtens in re, ut ſit ſentire, Motus verò ipſius ſensûs ex hoc objecto in aliud, ſicut aliquando videre hunc hominem, poſtea illum, & quòd quis modò ſentiat frigidum, poſtea calidum, eſt figuralis & phantaſticus & imaginalis, quia in eo apparet imago formalîs Motûs.

3. Quidditas Motûs Imaginativæ in Rationali eſt ſimiliter ex intellectu & ex memoria & voluntate, quæ ſunt forma motiva; Imaginatio eſt mobilis quoad potentiam, per quam Anima poteſt imaginari ſenſibilia tanquam in ſpeculo, ſicut viſus poteſt in ſpeculo videre ſuum organum, videlicet oculum, & ſimiliter cætera viſibilia: Anima igitur in ſua Imaginatione movet verbum, & eſſentia hujus Motûs eſt ex hoc, in quo Anima eſt activa ſuper Imaginationem, & in quo Imaginatio eſt paſſiva ſub ipſa Anima, & etiam eſt ex hoc, in quo Imaginatio eſt activa retinendo & imprimendo in ſe phantaſmata, & ex hoc, in quo ipſa Imaginatio eſt paſſiva recipiendo & conſervando illa phantaſmata, ut reſtituantur; iſte Motus quidem eſt inſenſibilis, eſt autem formalis & imaginabilis, & habet figuralem Motum, qui tantùm eſt in ratione, videlicet, quando homo per aliquod imaginatum movetur ad gaudium vel ad iram, vel ad virtutem vel ad vitium, & ſic de aliis hujusmodi; nam iſtud non eſt Quidditas Motûs Imaginationis; ſed eſt illud, per quod attingitur Quidditas Motûs formalis Imaginationis.

4. Quidditas Motûs Rationativæ poteſt inquiri in intellectuali, ſicut motus Vegetativæ in ſenſuali, ſicut dictum eſt; nam rationativum & ſuum proprium rationabile ſunt ex bonitate, magnitudine &c., & per conſequens ex bonificativo & bonificabili &c.; & quia ex bonificativo & bonificabili &c., de quibus Rationalis Anima eſt conſtituta, influitur virtualis & eſſentialis Motus, videlicet bonificare & bonificari, ut ſit bonificatum, videlicet ipſa Anima: ergo eſſentia Motûs Rationalis Animæ eſt influxus ex bonificativo & bonificabili in rationativum & rationabile, de quibus rationata ſubſtantia eſt, videlicet Rationalis Anima; & iſte Motus eſt verus & eſſentialis, & ex iſto influitur figuralis Motus (in quo non eſt vera Quidditas Motûs) in recolere, intelligere & velle modò iſtud objectum, modò illud, quæ videlicet recolere, intelligere & velle non ſunt de eſſentia ipſius Rationalis Animæ, ſed verus formalis Motus ipſius Animæ eſt intra ſubſtantiam ipſius Animæ, conſtituens in ſe ipſa, quòd Anima ſit idem ſubſtantialiter & eſſentialiter cum bonificativo & bonificabili &c., quæ ſunt ipſum rationativum & rationabile, videlicet ipſum recolitivum & recolibile, intellectivum & intelligibile, & cætera eſſentialia ipſius Animæ.

Figuralis Motus ipſius Intellectivæ Animæ eſt, quando ipſa movetur localiter movendo corpus, vel quando ſeparata à corpore movetur ad locum, non per aliquod corporale medium, quia movere per corporale medium vel per locum non eſt ei proprium; iſte Motus autem eſt in ratione tantùm, & per ipſum attingitur formalis Motus ipſius Rationalis Animæ.

Nunc dictum eſt de Quidditate Motûs quatuor prædictarum Potentiarum; igitur Motiva Potentia eſt eis communis, exiſtens de quatuor ſpeciebus ſive de quatuor prædictis Quidditatibus Motûs compoſita in homine. Sunt verò aliæ Quidditates Motûs, ſicut in Angelis, in Firmamento & in ſphæris, quæ ſimiliter, ſicut iſtæ, quæ dictæ ſunt, poſſunt intelligi ſecundùm ſua principia & ſecundùm interiorem & exteriorem Motum.

QUÆSTIO CLXIX.

Quomodo Potentiarum alia moveat aliam?

1. SOlutio. Rationativa in homine movet cæteras Potentias ſibi unitas; movet quidem Vegetativam ad vegetandum movendo ſuum volitivum & ſuum intellectivum & recolitivum ſuper ſuum proprium volibile & ſuper remotum volibile, & ſic ſuo modo de intellectivo & recolitivo, ita videlicet, quòd Voluntas vult, quòd propinquum vegetativum moveat ſuum propinquum vegetabile; & ſicut iſto modo volitivum movet in ſe appetitivum & appetibile, quæ ſunt de eſſentia Vegetativæ, eodem modo movet Senſitivam ad ſentiendum, & Imaginativam ad imaginandum, exiſtente Animâ motore quoad formam, & cæteris Potentiis exiſtentibus motivis & mobilibus quoad potentiam illius Motûs.

2. Imaginativa movet Rationativam quoad imaginem exiſtentem bene diſpoſitam in ratione potentiæ, in qua Rationativa quoad

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quoad formam poſſit habituare imagines ſenſibilium & vegetabilium, & ſic iſte Motus proveniens ex parte Imaginativæ eſt tanquam objectum requirens paſſionem, dans occaſionem formæ, quòd forma in ipſo habeat actionem; ſicut pulchritudo, quæ movet potentiam ad delectationem. Imaginativa etiam movet Senſitivam ad delectationem imaginans delectabilia ſenſibus, usque quò advenit Rationativa perficiens vel impediens illum motum, & in illo puncto conſummatur veniale peccatum, ſi ille Motus impediatur, ſi tamen delectabilia ſunt illicita, vel eſt mortale, ſi ille Motus non impediatur. Imaginativa ſimiliter movet Vegetativam mediantibus Motibus Rationativæ & Senſitivæ, cùm Vegetativa perficiatur vel imperficiatur per Motum Rationativæ & Senſitivæ.

3. Senſitiva movet Intellectivam mediante ſenſu & Imaginatione, & hoc paſſivè quoad potentiam, videlicet, quando per coloratum vel per calefactum, & ſic de ſimilibus iſtis, Rationativa per Imaginativam attingit colorem, calorem, hominem, leonem & cætera his ſimilia. Similiter Senſitiva, quando indiget ſentire, in ratione potentiæ movet Imaginativam, ut ipſa Imaginativa in Rationativa ſe moveat ad imaginandum id, quod Senſitiva appetit ſentire vel per viſum vel per guſtum vel per aliquem ſenſum. Et etiam Senſitiva movet Vegetativam ad vegetandum ſentiendo caliditatem, frigiditatem, & cætera hujusmodi.

4. Vegetativa reſpectu ſuî ipſius eſt activa & paſſiva in movendo, reſpectu verò aliarum ſuperiorum Potentiarum eſt motiva & mobilis in ratione potentiæ, id eſt, quòd ipſa formaliter & materialiter moveatur Rationativâ Formâ movente Vegetativam Formam, ut ipſa Vegetativa Forma moveat ſuam propriam materiam; etiam eodem modo movent eam Imaginativa Forma & Senſitiva Forma, ſicut etiam nunc dictum eſt. Veruntamen ipſa Vegetativa eſt occaſio Motûs aliis Superioribus Potentiis, ut ſe moveant ad eam, velut materia, quæ ſe diſponit, ut patiatur ſub forma; & ratione hujus occaſionati Motûs Vegetativa movet cæteras Potentias, cum quibus eſt unita, id eſt, occaſionat eas, ut ad eam, tanquam ſubjectam ſe moveant vel in bono, vel in malo, ut acquiratur meritum.

Igitur per hæc, quæ de Motu hìc dicta ſunt, intelligitur, quomodo Anima moveat corpus, & corpus Animam, aliâ Potentiarum movente aliam; & etiam intelligitur per hoc modus, per quem homo movet ſe ipſum, & habet poteſtatem movendi ſua membra.

QUÆSTIO CLXX.

Quis ſit moralis Motus?

1. SOlutio. Moralis Motus eſt mutatio de Virtute in Virtutem, vel de Vitio in Vitium, vel de Vitio in Virtutem, vel è converſo; igitur, quando fit Motus de Virtute in Virtutem, tunc eſt Motus generationis & augmenti, Virtute generante Virtutem, quod eſt, quando homo habens Juſtitiam actu, habet Prudentiam vel aliam Virtutem habitu; nam, quando Prudentia de habitu ducitur in actum, tunc Rationativa Potentia movet quoad Juſtitiam ſuum intelligere, recolere & velle ad habitum Prudentiæ, alterando eam in ſuo ratiocinari ad actum, in convertendo Juſtitiam in habitum; & hoc fit per phantaſma, in quo Intellectus alterat imaginabile verbum, ipſo Intellectu movente Imaginationem, ut per eam attingat ſenſibiles imagines, poſtea denudat ſe Intellectus ab illo Motu, & extra Imaginationem generat Prudentiam.

2. Quando autem fit Motus de Virtute in Vitium, tunc incipit generatio Motûs ad corruptionem & diminutionem Virtutis, quia Memoria & Intellectus vagabundè diſcurrunt per ſenſibilia & imaginabilia objecta, & tunc caſu movetur Imaginativa, & per conſequens Senſitiva & Vegetativa ad placitum Imaginationis vel ſensûs, vel ad concupiſcentiam Vegetationis, & tunc incipit generari veniale Vitium, & corrumpi Virtus, cùm ille Motus ſit illicitus; ſi autem facto hoc Motu Voluntas conſentiat, augetur ille Motus, & Intellectus cum Memoria elegit finem illius Motûs per imperium Voluntatis, & hoc modo generatur mortale Vitium ipsâ Rationativâ totâ exiſtente contra finem, quare ipſa eſt.

3. Secundùm quòd nunc dictum eſt hìc de Motu, poteſt intelligi Motus de Vitio in Virtutem, & de Vitio in Vitium; tamen diſtinguendum eſt: nam Motus de Virtute in Virtutem, & de Vitio in Virtutem cauſatur ex Gratia DEI, hic Motus autem eſt influxus ex *Univerſali Motu*, videlicet ex illo, per quem DEUS movet omnia, ût ſuprà dictum eſt;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

est; & etiam iste Motus est ex Universali naturali Motu influente particulariæ, qui videlicet Universalis Motus est ortus & ordinatè constitutus ex Superioribus Principiis, videlicet ex bonificativo & bonificabili &c., usque ad hominem: igitur iste Motus, de quo hìc loquimur, constitutus ex prædictis Principiis, & veniens de illis Principiis tendit ad Finem, quare est, videlicet, ut recipiat Motum Gratiæ DEI.

4. Motus autem de Virtute in Vitium & de Vitio in Vitium est contra naturalia Principia prædicti Motûs, velut in homine ægrotante, in quo incipit infirmitas contra principia suæ generationis in Vitioso Motu; igitur incipit Motus quoad finem Vitii, videlicet destructio Finîs Virtutis & Principiorum ipsius Virtutis; hic Motus autem habet inclinationem ad *non esse*, cùm Finis Privationis sit Privatio Finîs ipsius *esse;* & hic Motus oritur, quando omnes humanæ Potentiæ alterantur in Motum contrarium illi Motui, qui est habituatus & dispositus ad Finem *essendi* & merendi Gloriam, videlicet ad diligendum DEUM.

2. Naturalis Motus est naturaliter de Principio per Medium usque ad Finem, ubi est quies moti; igitur, si Motus duraret incessanter in inferioribus, Finis Motûs non esset quiescere, sed potiùs oppositum ipsius quiescere; & sic, quicunque Motus accederet ad Finem, videlicet ad quietem, generatum vel corruptum esset in diminutione, ita, quòd mobile non esset in tam veloci Motu, quando esset quasi juxta centrum, sicut, si esset valde remotum à centro, quod est manifestè impossibile, & contra manifestam experientiam, quam habemus in Motu lapidis cadentis deorsum: nam, quantò plùs accedit ad centrum, tantò velocior est Motus: ergo Natura non potest sustinere Motum Generationis & Corruptionis in perpetuum.

3. Omnis naturalis Motus est aut circularis, aut quadrangularis, aut triangularis, & sic omnis naturâlis Motus est limitatus per limitationem sui subjecti, cùm omnis circulus & omnis quadrangulus & omnis triangulus sit finitus in quantitate: unde, si natura sustineret Motum infinitum in duratione Generationis & Corruptionis, esset naturaliter proportio inter finitum & infinitum, quod est impossibile; quia sequeretur possibile, quòd infinitum corrumperet & generaret finitum, quia attingeret totum ipsum finitum ratione naturæ suæ infinitatis ipso finito existente illi subjecto, quod est impossibile: ergo Natura non potest sustinere Motum Generationis & Corruptionis in infinitum.

4. Si Natura sustineret, quòd Motus Generationis & Corruptionis esset infinitus in dúratione, id est, æternus, magnitudo bonitatis &c. consisteret in multiplicatione numeri in generando numeraliter aliud suppositum post aliud, & in corrumpendo quodlibet in suo numero, & hoc circulariter ab æterno per totam Primam Materiam; & sic numerus esset finis in multiplicatione, & subjectum illius numeri se haberet ad finem, videlicet generabilia & corruptibilia, quod est impossibile; cùm magnitudo bonitatis &c. sit major in homine & in cæteris animalibus & in plantis &c., quàm in numero vel in numerali multiplicatione, quæ est in 1.2.3 4. &c.: ergo manifestè demonstratur, quòd Motus Generationis & Corruptionis habebit finem, per quem cessabit; & si sic, habuit initium, cùm omne finitum sit inceptum.

QUÆSTIO CLXXI.

Utrùm Natura possit sustinere Motum Generationis & Corruptionis in perpetuum?

1. SOlutio. Dictum est de Principiis Motûs, scilicet de bonitate, magnitudine &c., quæ influunt naturalem Motum, quia bonitas, magnitudo &c. movent suum mobile sub ratione bonitatis, magnitudinis &c., ut sit bonificatum, magnificatum &c.: unde, si Motus esset infinitus in duratione in plantis & animalibus successivè generando & corrumpendo, essent destructa prædicta Superiora Principia, & per consequens subjectum Motûs, & sic esset impossibile, quòd Motus esset infinitus in duratione; nam natura ipsorum Principiorum, videlicet bonitatis, magnitudinis &c. non posset hoc sustinere, quia, si Motus esset infinitus in duratione, bonitas non haberet suum finem in magnitudine, nec in duratione, potestate, virtute, nec è converso, & sic de singulis principiis, nam sequeretur nullus finis in Generatione bonitatis, magnitudinis &c., sed potiùs finis contrarius Generationi bonitatis, magnitudinis &c.; quod est impossibile, sicut manifestè patet.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CLXXII.

Quomodo corporalis Motus ſit ſituatus?

SOlutio. Sunt *tres Species* Sitûs Motûs, videlicet *circularis*, *quadrangularis* & *triangularis*: *circularis* eſt Firmamenti & Planetarum & quatuor Elementorum, veruntamen Sphæra Terræ non movetur circulariter in ſe, ſed in mixto habet circularem Motum: *Quadrangulus* habet rectum Motum: *Triangulus* verò declivem; & ſicut iſtæ tres Species Motûs ſunt ſituatæ in univerſali, ita etiam in particularibus eorum ſunt ſituatæ iſto modo.

1. Motus Firmamenti eſt circularis ab Oriente ad Occidentem, & per conſequens Motus omnium partium ejus eſt circularis intra Firmamentum, ita videlicet, quòd quælibet pars, de quibus Firmamentum eſt compoſitum, moveatur in ſe de ſuperiùs inferiùs, & de inferiùs ſuperiùs circulariter, ſcilicet ſic: ut clariùs intelligamus, ponatur, quòd A. ſit ſuperioritas & B. inferioritas in unaquaque ipſarum partium, in illo circulari Motu Firmamenti movet ſe circulariter A. ad B. & B. ad A. Situs autem Motûs Planetarum eſt alio modo: nam Planetæ moventur ad oppoſitum Motûs Firmamenti, videlicet ab Occidente in Orientem, & per conſequens partes Orbîs Planetarum ad oppoſitum partium Firmamenti; & licèt Planetæ moveantur ad Orientem, tamen oportet, quòd Firmamentum, cùm eos contineat infra ſe, dum movetur, convertat eos ad ſuum Motum; & quia Motus ipſius Firmamenti eſt multò major, quàm Motus Planetarum, eſt Motus Planetarum accidentaliter ab Oriente in Occidentem, ita videlicet, quòd Motus Firmamenti primò attingat Saturnum, & moveat eum, & Saturnus Jovem, & Jupiter Martem, & ſic de aliis.

2. Virtus Motûs eſt major in Facie, videlicet in anterioritate, quàm retrò; & hoc eſt, quia id, quod movetur, eſt propinquius ad finem, ad quem movetur; & ita Sol & cæteri Planetæ habent Faciem Motûs versùs Orientem, quò tendunt per ſuum proprium Motum; ſed Motus Firmamenti, cujus Facies vertitur ad Occidentem, reflectit Motum Planetarum ad Occidentem; & ita Sol & cæteri Planetæ moventur retrorſum, ſicut homo, qui versâ facie à parte anteriori tendit retrò; & ideo effectivè Sol accidentaliter eſt calidus quoad Motum antrorsùm, & ſiccus quoad Motum retrorsùm; & ideo eſt Temperamentum in Situ Motûs ipſorum Planetarum; nam, ſi Sol & cæteri Planetæ ſecundùm complexiones, quas habent, moverentur, ſicut Firmamentum, eſſet impoſſibile, quòd eſſet Temperamentum in Situ Motûs eorum, nec per conſequens in eorum complexionibus. Hoc idem ſimiliter ſequeretur de Motu Ignîs & aliorum Elementorum & complexionibus eorum; nam Ignis habet ſuam Faciem ad calidum, & ſuam Poſterioritatem ad ſiccum; eodem modo eſt de Aëre & de cæteris ſecundùm ſuas complexiones, quorum Motus ſequuntur regulam Motûs Planetarum, ita videlicet, quòd Orbis Lunæ percuſſus à ſibi ſuperiore Orbe percutiat Sphæram Ignîs, & Sphæra Ignîs Sphæram Aëris, & ſic de aliis; & ſic ex ſitu hujus Motûs fit temperamentum complexionum per ſingulas Sphæras Elementorum. Nec propter hoc intendimus dicere, quòd quælibet Sphæra Elementorum ſit per ſe corpus, ſed in tantum hoc dicimus, quia Regionum ſub lunari Orbe quædam attribuitur Igni, & quædam Aëri, & ſic de aliis, ſecundùm quòd Ignis habet majus dominium in iſta, & Aër in illa, & ſic de aliis.

3. Quadrangularis Motus eſt rectus ſurſùm & deorsùm & transverſaliter, videlicet in plano, & ita, quando Ignis movetur ſurſùm, movetur in ſuam faciem; quando movetur deorsùm, movetur contra ſuam Faciem, quia, dum deſcendit, Facies ipſius ignis eſt retrò faciem deſcensûs, & hoc eſt, quia per ſuam ſiccitatem habet ponderoſitatem, & repugnat Aëri, concordans cum Terra & Aqua; id idem, ſed non in tantum, ſequitur de Aëre, quod de Igne; ſed de Terra ſequitur hoc per oppoſitum Ignîs, & ſimiliter de Aqua, ſed non in tantum, ſicut de Terra.

4. Triangularis Motus eſt declivis; & ideo Elementa habent declives Facies per triangularem Motum, & inde eſt, quòd fulgur deſcendendo maximè ſequatur declivem lineam; hic Motus autem cauſatur ex hoc, quòd quilibet Angulus Quadranguli habeat concordantiam cum duobus oppoſitis ſibi propinquis Angulis, ſicut etiam ſuprà dictum eſt; & per ipſam concordantiam movetur ad eos, & è converſo; & ſic facies iſtius Motûs non eſt ſurſùm ex toto, neque deorsùm ex toto, nec versùs aliquam rectam dimenſionem ex toto, & ideo eſt declivis, ſicut patet; nam Aër ex toto non poteſt rectè

(c) 2006 Ministerio de Cultura

aſcendere propter concordantiam Ignîs, quia ſimiliter concordat cum Aqua; nec poteſt ſimiliter ex toto rectè deſcendere propter concordantiam Aquæ, quia ſimiliter concordat cum Igne, & ſic de aliis; & ſic per hoc patet, quomodo triangularis Motus influatur ex quadrangulari Motu, & quadrangularis Motus ex circulari Motu, & ita triangularis Situs movetur ex quadrangulariSitu, & per conſequens ex circulari Situ, ut de parte in partem in aliquo elementato non detur vacuum.

Secundùm ea, quæ nunc dicta ſunt de Univerſalitate Sitûs prædicti univerſalîs Motûs, poteſt intelligi Situs particularîs Motûs, qui ex univerſali Situ Motûs influitur in particularia elementata, ût in Hoc Animal, in Hanc Plantam, in Hoc Metallum, in Hunc Lapidem, & cætera hujusmodi; & ex hoc cognoſcitur, quomodo Motiva Potentia ſit ſituata in rebus habentibus corpus & in corporea natura; *& hæc cognitio eſt valde utilis Aſtronomo & Medico.*

QUÆSTIO CLXXIII.

Quomodo moveatur Flamma comburentis Ignîs?

1. SOlutio. In lignis vel in oleo, quæ Ignis comburit, eſt Motus Alterationis, quod patet iſto modo: Ignis influit ſuam ignitionem in Aërem, & Aër influit eam in Aquam, & Aqua in Terram, & Terra in Ignem, & ita iſte Motus eſt circularis, & per conſequens triangularis, quia Ignis habet Concordantiam cum Terra per ſiccitatem, & cum Aëre per caliditatem, qui Aër & Terra per humiditatem & ſiccitatem contrariantur; & ſic hæc triangularitas Motûs fit de Differentia, Concordantia & Contrarietate; & ideo ille Motus ad Combuſtionem, qui eſt in ligno vel oleo, eſt habituatus in Flamma quoad formam, & diſpoſitus quoad materiam lignorum: unde Flammâ attingente lignum vel oleum Flammæ Motus ad combuſtionem convertit id, quod jam actu eſt motum ad combuſtionem olei vel ligni, in ſuam ſpeciem, & ſic alteratur, & alterando reducitur in actum corrumpendo ligna vel oleum; & quia generans & convertens Motus eſt quadrangularis & triangularis, ideo venit quadrangulariter & triangulariter ille Motus, qui generatur in triangularitate & quadrangularitate Flammæ; & ſic propter multiplicationem & diminutionem lignorum Flamma movetur eo modo, ſicut dictum eſt.

2. Flamma eſt contenta & circumdata ab Aëre, quia eſt contiguus illi, & etiam mixtus cum illa; & in iſto Aëre eſt Motus ſimili modo, ſicut in ligno & oleo, de quibus dictum eſt; & ideo partes, quæ in Aëre ſunt calidæ & ſiccæ complexionis, appetunt partes Flammæ, quæ ſunt ejusdem complexionis, & è converſo partes Flammæ prædictas partes Aëris; & ſicut Ferrum movetur ad Magnetem appetens ſuam naturalem perfectionem & ſimplicitatem, ſicut ſuprà dictum eſt, ita partes, quæ ſunt calidæ & ſiccæ, moventur ad partes Flammæ tanquam ad majorem caliditatem & ſiccitatem, & ita partibus Aëris calidis & ſiccis confugientibus ad partes Flammæ magìs calidas & ſiccas attrahentes eas, attrahuntur & alterantur illæ partes advenientes in partes Flammæ, & ſimiliter cæteræ partes, quas ſécum adducunt; & ſic multiplicatur Flamma ſituando in ipſo exiſtere Flammæ partes ſibi advenientes.

3. In Flamma ſunt quatuor elementa connexa, quodlibet eorum in alio, ſimiliter etiam partes eorum quælibet in alia eodem modo, etiam ſunt connexæ partes ſubjecti Flammæ alia in alia; & quia Motus Flammæ alterat ſubjectum, disjungens, quantum poteſt, partem à parte, eò quòd Ignis, cùm ſit ibi in magna actualitate, appetit ſimplificari & purificari; ideo ſeparat partem à parte, videlicet ſe ipſum ab Aqua & à cæteris elementis, & per conſequens Aërem ab Aqua & à Terra, & Terram ab Aqua; iſte Motus autem diviſivus & diffuſivus eſt proprius ipſi Igni, & habet eſſe in Flamma, quia in ea eſt maxima actualitas Ignîs, & eſt in ea attractivus, nam ex eo, quòd attingat in ſibi ſubjecta materia, ût in ligno vel oleo, habitu & potentiâ Motum ſibi ſimilem ſpecie, attrahit ipſum de habitu & potentia in actum, ita, quòd abſtrahendo conjungit partes purificandas in ſpeciem Flammæ, & ſucceſſivè & continuè conjungendo disjungit & diffundit ſucceſſivè & continuè purificatas partes.

4. Corruptibiles partes in materiali ſubjecto ſunt generabiles in Flamma; nam corrumpendo ſubjectum multiplicatur Flamma, & Flamma recipiendo illas & convertendo in ſuam ſpeciem corrumpit illas partes, quas habet in ſuis extremitatibus, convertens eas in ſpeciem fumi vel evaporationis, nec poteſt eas retinere, quia non poteſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

poteſt agere in eas, eò quòd ſint depuratæ quoad depurationem Flammæ; & ſic Flamma continuè & ſucceſſivè augetur ex inferioribus ſibi advenientibus partibus, & diminuitur ex ſuperioribus evolantibus partibus; & hoc modo Flamma augendo & diminuendo movetur localiter per totam ſe ipſam.

QUÆSTIO CLXXIV.

Quomodo Motus ſit in decem Prædicamentis?

1. SOlutio. In Subſtantia elementati ſuppoſiti, ût plantæ, eſt Motus Generationis & Corruptionis; nam planta alterat & transmutat in ſe id, quod illi advenit per ſuas radices, quas habet infra terram, in quibus attingit materiam in ſe convertibilem, de qua nutritur & vivit, & alterando corrumpit & dimittit à ſe ſuas partes ſucceſſivè & continuè, ſicut flamma, ſed non ita velociter, ſed valde remiſſo Motu, quod eſt, quia non poteſt eas omnes retinere, inferioribus partibus illi advenientibus, quia nimìs creſceret, & excederet terminum ſui naturalis crementi; & hoc modo planta ad modum flammæ habet ſubſtantialem Motum renovativum ſuarum partium attrahendo & convertendo & expellendo. Etiam habet formalem & materialem Motum, ex quo ſequitur Subſtantia, unâ plantâ generante aliam; & habet per conſequens motum in ſuis ſubſtantialibus partibus, ût ex Igne in Aëre & in cæteris, & è converſo, & ex Aëre in Aqua & in cæteris, & è converſo, & ſic de aliis.

2. In planta eſt Motus Quantitatis, quia Motus plantæ eſt quantus in circularitate, quadrangularite & triangularitate partium plantæ, quæ omnes ſunt mobiles. Etiam in planta eſt Relativus Motus, videlicet ignificativum motivum, & ignificabile mobile, & ſimiliter calefactivum & calefactibile, leviativum & leviabile, lucificativum & lucificabile, in quibus habetur Motus Qualitatis in Relatione, vel Relationis in Qualitate; talis Motus autem non poſſet haberi ſinè Motu formæ & materiæ activarum & paſſivarum qualitatum, & ſic eſt Motus Actionis & Paſſionis.

3. Planta habet eſſe in Tempore & in Loco, & per conſequens ejus partes, cùm ex illis ſit compoſita; & quia ipſæ partes ſunt motivæ quoad formam, & mobiles quoad materiam, ideo ſunt in Motu, qui eſt in Tempore & in Loco, in quibus, videlicet Tempore & Loco ipſæ partes ſunt motivæ & mobiles; & tamen Tempus non eſt ſimpliciter mobile, ſed eſt in ſubjecto motivo quoad formam, & mobili quoad materiam; & quia Tempus eſt in motivo & mobili ſubjecto, ideo Tempus accidentaliter eſt collocabile & collocatum reſpectu ipſius ſubjecti, quod exiſtens in Tempore & in Loco eſt collocabile & collocatum; eodem modo etiam Locus non eſt mobilis, niſi per accidens, quia, cùm Locus ſit in partibus ſubjecti, & partium quælibet ſit mobilis in alia, ideo eſt Locus mobilis in ipſis partibus; & iſto modo etiam Locus eſt in Tempore, cùm ſubjectum Loci ſit in Tempore, & Tempus in Loco, cùm ſubjectum Temporis ſit in Loco. Igitur eſt manifeſtum per hæc, quæ dicta ſunt, quòd Motus ſimpliciter non ſit in Tempore, nec ſimpliciter in Loco, licèt ſit in eis accidentaliter, ſicut homo in navi, qui ſimpliciter non eſt in Motu, quando navis movetur, movetur autem per accidens, cùm ſit in navi.

4. Eodem modo, ſicut Motus non eſt ſimpliciter ſed accidentaliter in Tempore & in Loco plantæ, ſic non eſt ſimpliciter in Situ & in Habitu ejus & ſuarum partium, ſed per accidens: nec ſimiliter in Quantitate, Qualitate, Relatione, Actione & Paſſione, niſi per accidens, hoc eſt, per ſubjectum, in quo ſunt, quod eſt aptum natum moveri; nam, ſi accidentia eſſent in Motu ſimpliciter, id eſt, immediatè, eſſent ipſa accidentia ſubſtantiales partes ſuæ Subſtantiæ, & ipſa Subſtantia eſſet conſtituta ſubſtantialiter ſinè accidentalibus partibus, quod eſt impoſſibile: ergo Motus non eſt ſimpliciter in accidentibus; igitur reſtat, quòd Motus ſimpliciter & immediatè habeat eſſe in ſubſtantialibus partibus ipſius Subſtantiæ, & in ipſa Subſtantia, mediatè verò & per accidens habet eſſe in accidentibus ipſius Subſtantiæ.

QUÆSTIO CLXXV.

Quomodo Objectum moveat Potentiam?

1. SOlutio. Cùm ſuperiùs dixerimus, quomodo alia potentiarum moveat aliam, ideo, Objecto movente aliquam ipſarum Potentiarum, poteſt intelligi, quomodo moveat aliam & etiam alias per illam, quam movet; & hoc iſto modo.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

1. Rationativa Potentia in Imaginativa assumit sensibile Objectum, cùm sit imaginable, & constituit verbum de suis similitudinibus, & de similitudinibus imaginabilîs sensibilîs Objecti, tunc ipso constituto ipsum est Objectum Rationativæ Potentiæ apparens in Imaginativa; & quia ipsa Rationativa constituit illud ad aliquem finem, movet se ad illum finem, sicut miles, qui videns pulchrum & bonum equum, postmodum imaginans eum, dum non videt ipsum, movetur ad desiderium habendi illum: & in hoc Rationativa se reflectit super Imaginativam, Voluntate se movente ad finem, id est, ad obtinendum equum, quem finem Intellectus intelligit attingendo in Imaginatione pulchrum & bonum Objectum, videlicet equum: & hoc modo Objectum movet Potentiam, videlicet Imaginativam, & Imaginativa Intellectum, & Intellectus Voluntatem ad finem, & è converso finis Voluntatem, & Voluntas Intellectum, & Intellectus Imaginationem ad Objectum; sed hoc est ita intelligendum, quòd Objectum moveat Imaginativam, & Imaginativa Rationativam, videlicet inferiores Potentiæ superiores Potentias, dando superioribus occasionem agendi, & offerendo se illis superioribus ad passionem; è converso autem movet ad Objectum Rationativa Imaginativam, & superiores Potentiæ inferiores Potentias activè & formaliter agendo super eas.

2. Homo attingens sensibile Objectum est dispositus & habituatus ad diligendum vel odiendum secundùm qualitatem Objecti; & tunc movet Objectum occasionativè Rationativam per Sensitivam ad gaudium vel ad iram; sicut aliquis movetur ad gaudium videndo suum specialem amicum, vel ad iram videndo suum capitalem inimicum, & sic movet tale Objectum Sensitivam Potentiam ad sentiendum ipsum, & Sensitiva sentiendo ipsum movet Imaginativam ad imaginandum, sicut sentit, & Rationativam ad intelligendum ipsum sub dilectione vel odio; hic talis Motus autem consistit intra visivum & intra imaginativum & rationativum, non autem consistit in exteriori visibili, imaginabili & intelligibili, quod est accidentaliter Objectum in hoc, quia est habituabile, quòd Sensitiva accipiat illud ab exteriùs; & in hoc est occasio Motûs inferiorum Potentiarum ad superiores, & è converso, sicut prædictum est.

3. Objectum movet Potentiam quandoque per similitudinem, quandoque per dissimilitudinem: per similitudinem quidem, sicut bonum Objectum movet bonum hominem ad bonum, & malum Objectum movet malum hominem ad malum: per dissimilitudinem autem, sicut malum Objectum movet bonum hominem ad bonum, & bonum Objectum movet malum hominem ad malum; hic Motus autem est in libertate hominis ex parte Finîs, attamen ex parte Principii potest homo sinè libertate sentire Motum, qui adhuc non transit per judicium Intellectûs: sicut quando homo videt pulchrum Objectum, in quo Sensitiva potest delectari, sentit statim, quòd sua Sensitiva moveatur ad delectationem.

4. In Vegetativa Potentia est Appetitiva; unde, quando Sensitiva attingit Objectum appetibile ipsi Vegetativæ, tunc influitur quoad formam ex Sensitiva virtus in Vegetativam, ut moveat suam Appetitivam ad illud appetibile Objectum; & tunc Appetitivâ attingente illud appetibile Objectum refluit illa virtus de Appetitiva ad Vegetativam, & de Vegetativa ad Sensitivam, quæ sentit appetitum ad illud Objectum; per tale medium movet Objectum Vegetativam & Sensitivam. Sunt etiam multi modi, per quos Objectum movet Potentiam, sicut Centrum Terræ, quod movet Lapidem, & Objectum sursùm, quod movet Ignem & cætera hujusmodi.

QUÆSTIO CLXXVI.

Quomodo Forma moveat Materiam?

1. SOlutio. In Rationali Animali, quia Intellectiva Anima est in eo forma, corpus verò materia, Anima movet corpus isto modo: homo appetit Objectum quoad Voluntatem, & intelligit illud quoad Intellectum, & recolit illud quoad Memoriam, & ideo Objectum est finis, diligere verò, intelligere & memorari habent se ad finem: & sic mediante recolere, intelligere & diligere movet Anima corpus ad illud Objectum, quia virtus bonitatis, magnitudinis &c. ipsius Animæ habet potestatem super corpus; & per hanc virtutem ordinat Anima & disponit de corpore, ut attingat finem; & quia Anima existens finis, id est, perfectio ipsius corporis, est conjuncta & unita cum ipso corpore, ideo id, quod est finis, movet illud, quod se habet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bet ad finem: & ſic Anima movet corpus ad ſe & ad ea, quæ appetit, & ſic movet ipſum ad finem, quem ipſa diligit, videlicet ad objectum, deinde ad alium nobiliorem finem, & iterum ad alium ſucceſſivè & gradatim usque ad Ultimum Finem, qui eſt DEUS & Finis omnium: ſicut homo, qui appetit ire ad audiendum verbum DEI, & iſtud eſt unus finis, & iterum iſte finis habet ſe ad alium finem, videlicet, quòd Anima intelligat & diligat DEUM, & ſic de aliis. In virtute autem hujus Motûs habet homo libertatem, Animâ movente corpus ad bonum vel ad malum objectum, & Anima habet poteſtatem movendi ipſum ad malum, ut ipſa poſſit odire ipſum malum, & diligere oppoſitum illius mali: & ſi agat oppoſitum, eſt in peccato agens contra illud, quare ipſa habet Motum.

2. In brutis, cùm Senſitiva ſit forma, & Vegetativa materia, movet ipſa Senſitiva Vegetativam, quia brutum vivit per Senſitivam, & eſt corpus per Vegetativam; & hoc patet: nam, dum cervus ſitit & appetit fontem, in quo bibat, habet Appetitum in ſimilitudine Voluntatis hominis, & Memorativam loco Memoriæ, & Æſtimationem pro Intellectu, & tunc in Imaginativa imaginatur fontem, in qua ſcilicet Imaginativa ſuus Appetitus & Æſtimatio attingunt ſimilitudinem fontis in phantaſmate; hæc diſpoſitio autem attingendi eſt in Imaginativa illius, in qua objectum eſt habituatum, videlicet fons vel bibere. Etiam diſpoſitio appetendi provenit in illo ex parte Vegetativæ, nam ex eo, quia caliditas & ſiccitas ſunt augmentatæ in ipſo cervo, & frigiditas & humiditas ſunt diminutæ, appetit cervus aquam, cùm ſit frigida & humida; & ſic finis, ſcilicet objectum, eſt fons, & fons eſt illi objectum, ut bibat: & ita bibere eſt ei alius finis conſequens; & iterum bibere eſt ei, ut vivat: vivere autem eſt ei ultimus finis; & quia ipſe vivit per Senſitivam, ergo Senſitiva eſt ei forma, quæ movet corpus illius diſpoſitum ad movendum, & ſic movetur ad fontem, ut bibat, vel ad pratum, ut comedat: & materia eſt Imaginatio & ſimilitudines, ex quibus Imaginatio eſt compoſita (ût jam de hoc tractatum eſt ſuperiùs) & per conſequens phantaſmata, quæ cervus facit de ſimilitudinibus fontis & circumſtantiis ejus.

3. In planta movet forma materiam; nam in planta eſt Vegetativa, quæ habet in ſe quatuor potentias, videlicet Appetitivam, Retentivam, Digeſtivam & expulſivam: per Appetitivam appetit id, quod eſt ei convertibile in nutrimentum; per Retentivam retinet id, quod venit ei de liquore in terra, ubi planta diffudit ſuas radices; & ſic aqua, terra, aër & ignis veniunt ad nutrimentum illius, ſicut in lampade oleum venit ad lumen, ut ipſum lumen vivat; per Digeſtivam verò digerit planta id, quod recipit, transmutans illud in ſuam ſpeciem; ſed per Expulſivam expellit à ſe id, quod Retentiva non poteſt retinere, & quæ Digeſtiva non debet naturaliter digerere. Igitur omnes iſtæ quatuor formæ ſunt agentes ſuper materiam plantæ motam ſub eis; ſed, quia forma plantæ eſt ſuper iſtas ex parte finîs, quia iſtæ agunt, ut illa duret & vivat per eas, quæ ſunt diſpoſitiones & materia illius, ideo movet forma plantæ ſuámmet materiam per naturalem Motum vegetandi & vivendi & etiam generandi aliam plantam, videlicet producendi ſemen, in quo alia planta ejusdem ſpeciei eſt habituata & diſpoſita.

4. Artifex movet artificialem materiam per artificialem formam, ſicut faber, qui movet materiam clavi per artificialem formam clavi, diſponens eam calefaciendo & percutiendo eam cum martello, ut recipiat formam clavi, quæ videlicet forma clavi eſt habituata in Imaginatione artificis; & movente artifice formam, quam habet in habitu, movet cum martello materiam, ut materia recipiat formam ſimilem illi, quam habet in phantaſtico habitu, quâ mediante movet formam clavi in ferro ad actum, per quem Motum movetur materia, ut recipiat illam; & ſic de aliis hujusmodi.

INCI-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

INCIPIUNT

QUÆSTIONES
De Moralibus.

QUÆSTIO CLXXVII.

Quomodo Virtutes & Vitia sint considerabiles?

SOlutio. Ad investigandum notitiam Virtutum & Vitiorum, damus istam Metaphoram, quæ sequitur, ut sit subjectum huic investigationi, secundùm quam hìc intendimus prosequi; quæ Metaphora est ista:

1. Simplicia Elementa sunt constituta de simplicibus formis, quæ sunt similitudines DEI, ût jam dictum est, videlicet bonitas, magnitudo &c.; & ista Simplicia Elementa sunt quatuor simplices essentiæ respectu compositarum essentiarum Compositorum Elementorum, quæ ab illis Simplicibus constituuntur, ita, quòd essentiæ Compositorum sunt essentiæ Simplicium; nam ex eo, quia simplices essentiæ sunt mixtæ adinvicem, judicantur compositæ essentiæ; animal autem vel planta est constituta ex illis Compositis Elementis; nam Naturale Agens, quando generavit plantam vel animal, transmutavit substantialiter Composita Elementa in speciem plantæ vel animalis; & ita per consequens bonitas, magnitudo &c. Simplicium Elementorum fuerunt transmutatæ in bonitatem, magnitudinem &c. Compositorum Elementorum, & bonitas, magnitudo &c. istorum in bonitatem, magnitudinem &c. animalis vel plantæ vel metalli; sed bonitas semper permanet substantialiter una in sua specie, & similiter magnitudo &c., licèt alio modo quoad Simplex Elementum, & alio modo quoad Compositum Elementum, & alio modo quoad animal vel plantam &c.

Post hanc substantialem operationem verò sequitur accidentalis operatio, videlicet calefacere, frigefacere &c. ipsius plantæ &c.; calefacit quidem, quia est calida quoad ignem, infrigidat autem, quia est frigida quoad aquam, & sic habet aliam complexionem quoad calidum, aliam verò quoad frigidum; & quia planta est constituta de bonitate, magnitudine &c., sunt bonitas magnitudo &c. majores in hac complexione, quàm in illa, si habent majorem proportionem, dispositionem & concordantiam cum ista, quàm cum illa, vel cum alia; & illa dominatur, cujus bonitas, magnitudo &c. magìs concordant, & cæteræ complexiones reguntur per illam, quia est illis forma, & cæteræ sunt ipsi materia; & hæc forma vivit de materia, sicut flamma de oleo in lampade, & in cholerico cholera de sanguine, & melancholia de phlegmate.

2. Secundùm quòd per hanc Metaphoram de substantiali & accidentali operatione in *Sensualibus* dictum est, est intelligendum de substantiali & accidentali operatione in *Intellectualibus* isto modo.

Intellectiva Anima est constituta de similitudinibus DEI, scilicet de bonitate, magnitudine &c., ita, quòd omnes istæ formæ constituant Animam & potentias ejus, sicut dictum est in *Tractatu de Anima;* hæc constitutio autem est substantialis, & ab ista sequitur accidentalis operatio, ita, quòd Anima quoad Memoriam recolat, quoad Intellectum intelligat, & quoad Voluntatem diligat vel odiat; & quia quælibet suarum potentiarum est constituta de bonitate, magnitudine &c., ideo recolit sub ratione suæ bonitatis &c., & intelligit sub ratione suæ bonitatis &c., & diligit sub ratione suæ bonitatis &c., cùm ipsa & quælibet suarum potentiarum sit bona, magna &c.: & ita similiter, sicut de complexionibus plantæ dictum est, si bonitas, magnitudo &c. habent majorem proportionem & dispositionem & convenientiam cum Memoria, quàm cum Intellectu vel Voluntate, actus Memoriæ excedit actum Intellectûs & Voluntatis, secundùm quòd bonitas, magnitudo &c. disponunt illum, & ita sub majori excellentia recolendi, quàm intelligendi & quàm volendi vel nolendi, generatur verbum ex recolere, intelligere & velle vel nolle, quæ sunt similitudines bonitatis, magnitudinis &c.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

&c. Animæ & potentiarum ejus ſuper ſimilitudines bonitatis, magnitudinis &c. objecti, ſecundùm quòd objectum phantaſticè eſt aſſimilatum ſenſualiter & intellectualiter.

Generato ſupradicto verbo convenit, quòd illud verbum ſit vel virtuoſum vel vitioſum: ſi eſt virtuoſum, ſequitur inde finis bonitatis, magnitudinis &c.; nam bonitas, magnitudo &c. ad hoc conſtituunt Animam & ejus Memoriam, Intellectum & Voluntatem, ut agant quoad bonum, magnum &c.; ſicut planta, quæ, ut calefaciat, frigefaciat & humefaciat &c., impinguet & macrifaciat & cætera hujusmodi, eſt conſtituta de bonitate, magnitudine &c. quoad bonum, magnum &c.: ſi autem prædictum verbum eſt vitioſum, ſic eſt contra finem bonitatis, magnitudinis &c. Animæ & potentiarum ejus, ſicut Medicus miniſtrans infirmo contraria ſanitati.

3. Sciendum eſt autem hìc, quòd Virtuoſitas, quæ hìc ſumitur in verbo, quando dicimus virtuoſum verbum, aſſumatur à Virtute, quæ eſt quædam illarum ſimplicium formarum, de quibus Anima eſt conſtituta; vitioſum verbum verò dicimus ideo, quia eſt contra finem ipſius Virtutis; ſed ſimpliciter verbum, quod eſt virtuoſum, ita eſt bonum ratione bonitatis, & magnum ratione magnitudinis &c., ſicut virtuoſum ratione Virtutis, & ita ſimiliter poſſumus illud dicere; & ſimiliter è contrario vitioſum verbum ita eſt malum ratione malitiæ contra bonitatem, & parvum ratione parvitatis contra magnitùdinem, & ſic de aliis, ſicut vitioſum ratione vitii contra Virtutem: & ſicut ſub genere plantæ ſunt plures ſpecies, ût pomus, caulis &c., ſic ſub genere Virtutis & ſub genere Vitii ſunt plures ſpecies; ſub genere Virtutis, ût Fides, Spes &c.; ſub genere verò Vitii, ût Gula, Luxuria &c.; ratio autem, quare ſub Virtute & ſub Vitio diverſimodè implicentur ſpecies, eſt, quia verbum ſive in bono ſive in malo diverſificatur ex diverſitate objectorum, ut diverſimodè meritum vel culpa conſequatur, acquirente ipsâ Animâ quoad ſe bonam, magnam &c. diverſas operationes diverſimodè bonas, magnas &c., vel per oppoſitum diverſas operationes diverſimodè malas, parvas, &c., ſed non, in quantum bona, magna &c.

In productione verbi aliquando bonitas magìs producit ſuum ſimile, quàm veritas, & è converſo, & ſic de aliis ſimplicibus formis; & ideo, ſi bonitas plùs influit ſuum ſimile, quàm veritas, magnitudo ſe communicat plùs quoad bonum, quàm quoad verum; & ita Juſtitia conſiſtit otioſa in veritate & bonitate, & per conſequens in magnitudine &c., ſi tamen juſtum eſt, quòd in productione verbi debeat eſſe tanta ſimilitudo veritatis, quanta ſimilitudo bonitatis.

4. Igitur in his manifeſtè patet Modus, per quem Virtutes & Vitia ſunt conſiderabiles: nam ex eo, quia Virtus eſt, ſi otioſitas non eſt in Juſtitia nec in bonitate nec in magnitudine nec in cæteris: & ſi otioſitas eſt in aliqua ipſarum, ſic eſt ipſa otioſitas Vitium, & illa ſimilitudo vel forma & per conſequens cæteræ ſimilitudines vel formæ pervertuntur in ſua contraria, & ſic inde oritur Vitium prædominans principaliùs contra illam, in qua priùs & principaliùs dominatur otioſitas; ſicut in planta, quando appetitiva plùs appetit, quàm digeſtiva poſſit digerere, & tunc digeſtiva eſt ſecundaria cauſa corruptionis plantæ, appetitiva verò primaria. Sed è contrario per hæc, quæ dicta ſunt, debemus conſiderare Virtutes.

In verbo, in quo Virtus & Vitium ſunt in habitu & diſpoſitione, eſt major habitus & diſpoſitio Virtutis, quàm Vitii, quia Virtus eſt finis bonitatis, magnitudinis &c. Animæ & ſui verbi in recolendo, intelligendo & diligendo bonum, magnũ &c., & hoc ex eo, quia Vitium eſt occaſio ad Virtutem, & non è converſo, & hoc in recolendo, intelligendo & odiendo malum & magnum malum &c., & quia in Anima eſt libertas ad agere ſic, ſicut nunc dictum eſt, ut magnitudo, quæ eſt pars ejus, non deficiat bonitati &c.; ideo, quando Anima ſe pervertit in oppoſitum, Vitium oritur in contrarium finalis diſpoſitionis Animæ, & contra finem ejus.

QUÆSTIO CLXXVIII.

De Fide.

1. ORigo Fidei primariè ex parte DEI conſiſtit in hoc, videlicet, quòd DEUS influat ſuas ſimilitudines Animæ habenti Fidem, quæ Anima recipit illas ſimilitudines in ſuas ſimilitudines, de quibus ipſa Anima producit verbum indutum habitu Fidei iſto modo: DEUS eſt bonus, magnus &c., & ſua Bonitas, Magnitudo &c. infundit in bonitatem Animæ ſuam ſimilitudinem, & tunc Anima recolit, intelligit & diligit Divinam Bonitatem, Magnitudinem &c.; poſtea, quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia Divina Bonitas, Magnitudo &c. ſunt Unus DEUS, ſunt Unus Pater, Unus Filius, Unus Sanctus Spiritus, & quia ſunt ſimiliter alii Articuli, influit DEUS bonitatem ipſi Animæ, ut Anima recolat, intelligat & diligat Unum DEUM, Unum Patrem, & cæteros Articulos, & Anima recipit illam influentiam; poſtmodum, quia in DEO eſt Magnitudo, & in Anima ſimiliter, influit Magnitudo DEI creatam magnitudinem implicantem bonitatem &c., ut Voluntas ſupponat, Unum DEUM eſſe & cæteros Articulos; & hæc Suppoſitio eſt bona, quia eſt vera, & eſt vera, quia eſt bona, & quia eſt data à DEO: & tunc Voluntas Animæ ſupponit, prædictos Articulos eſſe, & Intellectus credit in eos obediens Voluntati, atque Memoria recolit Suppoſitionem & Obedientiam & media, per quæ Voluntas ita debet ſupponere, & Intellectus ita obedire, & Memoria ita recolere; & iſto modo oritur Fides, & adducitur de potentia ad actum, & conſervatur in tali diſpoſitione & habitu; quale eſt verbum genitum ſub ipſa Fide; tales quidem ſunt prædictæ operationes.

2. Quando autem verbum eſt conſtructum ſub habitu Fidei, ſicut nunc dictum eſt, tunc naturæ bonitatis, magnitudinis &c. Intellectûs eſt, quòd intelligat, DEUM eſſe neceſſariò, & per operationes neceſſariò attingat, eum eſſe Unum & Trinum & Incarnatum &c.; & ſic Intellectus per ſuámet naturã bonam, magnam &c., tamen mediante gratiâ DEI, elevatus ad ſciendum demonſtrativè, DEUM eſſe Unum, Trinum &c., convertitur per ipſam ſuam naturam in credere, quia tunc in tota elevatione ſuî deficit illi poſſe in ſciendo ea, quæ tunc, dum Intellectus eſt ita altus, DEUS influit credibilia & ſupponibilia, & tunc Intellectus ſub iſta infuſione ſiſtit à diſcurſu, & ſimiliter Memoria; & tunc magnitudo bonitatis poteſtatis &c. conſiſtit in illo verbo, quod tunc fit ab Anima ſub illo tali habitu Credulitatis & Suppoſitionis, quem tunc habet; & ſequitur finis illius verbi in habitu Fidei, quia hominibus non potentibus demonſtrativè intelligere per acquiſitam ſcientiam, eſſe vera, quæ DEUS influit per modum habitûs Fidei, bonum eſt credere & recipere ea ſecundùm illum modum, per quem influuntur.

3. Divina Bonitas, Magnitudo &c. influit bonitatem, magnitudinem &c. Fidei; bonitas Animæ autem eſt organum, quod eſt diviſum in Memoriam & in Intellectum & in Voluntatem, quæ ſunt diverſæ potentiæ; igitur prædicta influentia bonitatis, magnitudinis &c. Fidei, licèt ſit una in ſe, diverſimodè recipitur quoad bonitatem & quoad magnitudinem &c.; & ſi talis influentia invenit organum ſibi diſpoſitum, tunc conſtat Fides in ſuo actu vivens de ipſa influentia quoad formam, & de receptione ipſius influentiæ quoad materiam & diſpoſitionem; & vivit, quia verbum eſt ſibi ſubjectum, & ipſa eſt forma, in qua Anima habet DEUM pro objecto. Sed quando ita eſt, quòd materia prædictæ influentiæ repugnat, ita, quòd ſe diſponat ad alium modum influendi, per quem Divina Bonitas, Magnitudo &c. non vult influere, tunc perit Fides, & oritur inde Incredulitas, ita, quòd Voluntas non ſupponat, nec Intellectus credat, & Memoria obliviſcatur: ſed Intellectus appetit tranſcendere metas, in quibus priùs conſiſtebat credendo; & hoc eſt contra bonum agere Virtutis, unde oritur Vitium.

4. Quandoque autem, dum Fides vivit intra Animam conſtituentem ſuum verbum ſub habitu Fidei, DEUS præparat materiam, videlicet bonitatem, magnitudinem &c., ut illud verbum, quod eſt in habitu Suppoſitionis ipſius Animæ, convertatur in habitum acquiſitæ ſcientiæ; & ſecundùm quòd DEUS diſponit bonitatem, magnitudinem &c., Anima recipit quoad Memoriam, Intellectum & Voluntatem; hoc autem ita disponitur à DEO, ut Intellectus acquiſitivè intelligat & recipiat influentiam per modum acquiſitionis à DEO; & hoc etiam maximè, ut ille Intellectus diſponat alios Intellectus, qui ſunt in errore & contra Fidem, ad recipiendum influentiam aut per *Infuſionem* aut per *Acquiſitionem*. Sed quando verbum eſt conſtitutum, & Intellectus accedit intelligendo & ſciendo ad ea, quæ Voluntas ſuppoſuit, & ille Intellectus non habet Charitatem in ſuo intelligere & ſcire, nec etiam in ſuo credere, quia non communicat illam notitiam & credulitatem etiam miſeris Infidelibus, ut revocarentur ad finem, ad quem ſunt creati, videlicet ad cognoſcendum & diligendum DEUM, per quod reducerentur de infinita Morte ad Æternam Vitam, tunc in tali Intellectu deſtruitur Fides, & pervertitur in Vitium, cùm ſit ſinè Charitate & forma; talis perverſio autem eſt multùm odioſa & occaſio ſummæ pœnæ.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CLXXIX.

De Spe.

1. DEUS eſt Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas &c., & Anima eſt conſtituta de bonitate, magnitudine &c., ſicut ſuprà dictum eſt; præterea etiam, ſicut ſuprà dictum eſt, DEUS agit in ſe de Bonitate, Magnitudine &c., Patre generante Filium, & ſpirante Sanctum Spiritum; & etiam ipſa Anima eſt creata in bonitate, magnitudine, &c., & conſtituta de bonitate, magnitudine &c., ut quoad ſuam bonitatem agat de bono, & quoad ſuam magnitudinem de magno, & ſic de aliis; & ideo debemus habere Spem in DEO & quoad ipſum & quoad nos; quoad ipſum quidem, ut ab eo ſperemus conſequi bonum, magnum &c., quia eſt Bonus, Magnus &c., & producit Bonum, Magnum &c., ac etiam, ut ab ipſo ſperemus habere Vitam & Reſurrectionem, quia ſpirat Æternum, ut poſſit habere Magnum Bonum &c., quia ipſe exiſtens Potens Magnus Bonus &c. producit Potentem Magnum Bonum &c.; igitur ſic debemus ſperare, quia ſic ſperare eſt quid bonum & magnum: & ſic quoad nos debemus confidere in eo ſub tali conditione, ut ejus Bonitas influat in noſtram bonitatem, & ejus Magnitudo in noſtram magnitudinem &c., quòd cognoſcamus & diligamus eum in Via & in Patria; nam ſinè iſta conditione non eſſet in nobis forma Spei, cùm ſimus propter ipſum, non autem propter nos, & cùm creaverit nos ad ſe ipſum, non autem ad nos.

2. Quoniam Divina Bonitas &c. eſt magna, & noſtra bonitas modica, debemus ita agere de Spe, quòd confidamus in DEO, cùm ipſe ſit Summus in Magnitudine Bonitatis &c.; nam juſtum eſt, ut minus bonum habeat confidentiam in majori bono, & DEUS ſemper eſt paratus ad influendum Spem in nos, ut quoad noſtram bonitatem, magnitudinem &c. illam influentiam recipiamus recolendo, intelligendo & diligendo, quòd ſic ſit, ſicut influit in nos, & ſicut nos illam influentiam debemus recipere; & ideo, quando DEUS influit, & nos ita recipimus, quòd in nobis non eſt otioſitas bonitatis, magnitudinis &c. confidendi in eo & propter eum, tunc Spes informat verbum, quod tunc eſt conſtitutum de ſimilitudinibus influxis in nos & de noſtris ſimilitudinibus, & hoc multum vel parum, ſecundùm quòd multùm vel parum volumus acceptare illam influentiam.

3. Confidere, quòd propter DEUM faciamus bona opera, eſt bona Spes, & confidere, quòd propter DEUM faciamus magnum bonum, eſt magna Spes in bonitate, & ſic de aliis hujusmodi; ratio autem hujus conſiſtit in hoc, quia illius Bonitas, propter quam noſtra bonitas proponit facere bonum, influit in noſtram bonitatem bonam Spem, & ejus Magnitudo format eam magnam, quia noſtra magnitudo conſiderat agere magnum bonum propter ipſum: & ſicut noſtra Spes perficitur quoad bonitatem, magnitudinem &c., ſicut nunc dictum eſt, ſic ſuo modo perficitur in aliis; & hoc modo Spes vivit & retinetur in nobis, ſed moritur, & ejus oppoſitum oritur, quando ſimpliciter confidimus in noſtra bonitate, magnitudine &c., quod eſt, quia tunc ejus Bonitas, Magnitudo &c. non influunt in noſtram bonitatem, magnitudinem &c.; & tunc noſtra bonitas eſt mala agendo, & noſtra magnitudo parva, & ſic de aliis, quia ſunt perverſæ contra finem in hoc, quòd ſumus rebelles & inordinati ad recipiendum influentiam DEI; & hæc inordinatio generatur iſto modo.

4. Quandoque noſtra bonitas recipit influentiam à Divina Bonitate, unde oritur deſiderium in Voluntate deſiderante ſervire DEO, ſed noſtra magnitudo non vult recipere magnam influentiam à Magnitudine DEI, faciendo illud bonum, quod Voluntas deſiderat quoad bonam, ſed non quoad magnam; & ideo, quia magnitudo deficit Voluntati & bonitati, eſt homo piger & timidus ad operandum bonum propter DEUM, & ita incipit corrumpi illa influentia, quam Voluntas recipit quoad bonitatem, & pervertitur in vitium, & ſic eſt inordinatio & rebellio receptionis illius influentiæ; id idem ſuo modo fit de aliis ſimilitudinibus; & ideo ſunt multi, qui incipiunt bonum confidentes in DEO, ſed poſtea dimittunt illud; nam, quia modicum diligunt illud, nolunt reducere ad actum illud, quod in eis à DEO eſt inceptum. Igitur, qui habet aures audiendi audiat, quantam culpam incurrat, qui bonum principiatum à DEO pervertit in nihilum.

Etiam ſunt multi homines, qui perſeverantes & perſeverare volentes in peccato, opinantur habere Spem ſalvationis, & ideo, quia diligunt ſe ipſos, putant habere Spem ſinè Pœnitentia, ſed non habent eam; nam,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

si haberent eam, eorum bonitas, magnitudo &c. reciperent illam à Bonitate, Magnitudine &c. DEI influentibus; sed quia malitia est in eis in agendo, ideo repugnant Divinæ Bonitati, Magnitudini &c.

Præterea sunt multi homines, qui putant habere Spem in Sole & in Luna & in Idolis, & tales non habent Spem, cùm solius DEI sit infundere Spem. Et ideo illi, qui desiderant habere Spem à DEO, quomodo poterunt recipere Spem à DEO in magnitudine bonitatis &c., qui eam recipiunt à DEO in modica Charitate? quia nolunt prædicare Idololatris & cæteris Infidelibus, & negligunt laborare, ut convertantur in Viam Veritatis. Magnum periculum est, quando Spes magnitudinem non obtinet cum bonitate.

QUÆSTIO CLXXX.

De Charitate.

1. DEUS est recolibilis, intelligibilis & amabilis; & hoc est optimum, quia est summè bonus; & hoc est maximum, quia est infinitè summus; & justum est, quòd ipse recolatur, intelligatur & diligatur super cætera justa, quia est ipse Fons & ipse Sol Justitiæ, per quem cætera justa justificantur; & ipse est ita recolibilis, intelligibilis & amabilis in superexcellentia recolendi, intelligendi & diligendi, quòd omnia, quæcunque ipsum recolunt, intelligunt & diligunt, debeant recoli, intelligi & diligi; & inde oritur Charitas tunc, quando homo recipit in suam Memoriam, Intellectum & Voluntatem influentiam à DEO influente quoad bonum & quoad magnum &c. Charitatem in hominem recipientem ipsam in suámmet bonitatem, magnitudinem &c. Memoriæ, Intellectûs & Voluntatis; tunc, quando recolit, intelligit & diligit DEUM, cùm sit in summa excellentia recolibilis, intelligibilis & amabilis, sicut nunc dictum est, & quando etiam recolit, intelligit & diligit aliud, quod est recolibile, intelligibile & amabile propter ipsum DEUM, videlicet sémetipsum & suum proximum, hæc Charitas provenit in constituendo verbum ex recolere, intelligere & diligere DEUM & sémet ipsum & proximum, ita, quòd semper summus Finis hujus dilectionis sit propter DEUM; nam DEUS non influit Charitatem in hominem, nisi propter se ipsum, quia ejus influentia in hoc non esset magna in Justitia Bonitatis &c. ipsius DEI, nec etiam in justitia bonitatis &c. recipientis.

2. Ignis influit suam lucem in aërem, aër verò recipit illam in suam luciditatem; & quando ignis iterum attrahit illam ad se, ipsa lux refluit in ignem, ut ignis possit transmutare lucem aëris in suam lucem, & subjectum illius lucis in speciem ignîs. Similiter DEUS influit Charitatem in nos, ut illa Charitas de nobis refluat ad DEUM in hoc, quòd diligamus eum, cùm sit summè diligibilis, ût etiam prædictum est, ac etiam DEUS vult habere occasionem quoad nostram bonitatem, magnitudinem &c. diligendi nos, & faciendi nobis bonum; & ita Charitas influitur à DEO, & recipitur in nobis, quando nostra bonitas recipit influentiam ab illius bonitate, & nostra magnitudo ab illius Magnitudine, & sic de aliis, quia sic formatur Charitas in hoc, quòd producatur finis; & ita Charitas vivit in producto phantastico verbo: nam ipsa Charitas est forma, & ipsum verbum est materia illius, de qua materia nutritur forma, sicut humidum radicale de materia sibi adveniente; dum autem verbum transit quoad materiam, ex qua nutritur Charitas, & transmutat se sub alia forma Virtutis, ût Fidei vel Spei vel alicujus aliarum, tunc remanet Charitas in habitu, & illa Virtus, in quam fit conversio, surgit in actum; vel, si verbum perversivè transit de forma Virtutis in formam Vitii, tunc privatur Charitas, & reducitur in potentiam, DEUS autem quoad bonum &c. vult, quòd illa reducatur de potentia ad actum; sed nostra bonitas agit quoad malitiam, & nostra magnitudo quoad summum malum, & sic de aliis, cùm circa hoc repugnemus DEO.

3. In mechanicis operibus manus est instrumentum Voluntatis, martellus verò instrumentum manûs, sed clavus est finis, ferrum autem est materia clavi: consimili modo DEUS movet Memoriam ad recolendum, & Intellectum ad intelligendum, & Voluntatem ad diligendum eum, ut ab eo recipiant Charitatem quoad bonum, magnum &c. recolere, intelligere & velle, ita, quòd Memoria moveat suum recolere, & Intellectus suum intelligere, & Voluntas suum velle ad movendum illas similitudines, de quibus verbum est conceptum vel constitutum, quæ sunt phantasiæ, quæ phantasiæ etiam sunt materia verbi existentes similitudines Proprietatum DEI & proprietatum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tatum creaturarum, & ita Charitas est forma & finis istarum phantasiarum, & DEUS est Finis Charitatis; sed sicut, si Voluntas vellet movere manum, ut moveret martellum, & martellus clavum, & manus nollet obedire Voluntati ad movendum martellum, ita homo non habens Charitatem non vult movere Memoriam quoad bonum & cæteras potentias, ut recipiant à DEO Charitatem, sed potiùs movet Memoriam quoad malum & cæteras potentias ad oppositum Charitatis; & ita talis est mirabiliter inobediens DEO moventi Memoriam &c. ad Charitatem.

4. Diligere honorem propter DEUM, est Charitas, non autem diligere honorem propter se, quia isto modo DEUS non influit Charitatem. Etiam diligere divitias vel filios vel vivere & cætera hujusmodi propter DEUM, ut illud diligere sit bonum, magnum, justum &c., est Charitas, aliter autem non; nam aliter bonitas Animæ in agendo deficeret magnitudini, & è converso, & sic non posset generari Charitas. Atque in diligere bonum sinè odire malum, vel in odire malum sinè diligere bonum non est magnitudo bonitatis, & ita in hoc non estCharitas. Etiam in diligere bonum, & odire malum sinè magnitudine bonitatis non est Charitas, cùm Charitas oriatur ex bonitate, magnitudine &c. recolendi, intelligendi & diligendi, quod justum est.

Naturaliter est bonum videre pulchritudines; hæc natura autem sequitur ex hoc, ut homo videndo eas habeat Charitatem erga DEUM & suum proximum; idem suo modo sequitur de reliquis sensibus: sed quando nostra bonitas simpliciter sequitur naturam videndi pulchra, non autem sub forma magnitudinis reducta ad DEUM, tunc illud videre convertitur in Vitium, & bonitas agit quoad malitiam, deficiens in magnitudine, justitia &c. Præterea scire multos homines in errore, qui possunt converti vel reconciliari, & non succurri eis ab his, qui possunt: vel scire pauperes, & non auxiliari eis de magnitudine divitiarum, est summum Vitium & summa austeritas contra Charitatem, & ex illo scire generatur phantasticum verbum omnino contrarium Charitati. Præterea per timere opprobria, paupertatem & pericula ad honorandum DEUM, generatur oppositum Charitatis, nam suffocatur Charitas, & ejus oppositum relevatur.

QUÆSTIO CLXXXI.

De Justitia.

1. JUstitia substantialiter est quædam pars vel quoddam principium Animæ, ût suprà dictum est, ita, quòd, sicut in planta elementa cum justitia graduantur & componuntur, ita similiter Justitia est in Anima, ut bonitas, magnitudo &c. justè constituant Animam, & per consequens Memoriam, Intellectum & Voluntatem; & ita Justitia substantialiter est una in radice in Anima. Unde, sicut planta calefacit, cùm sit calida quoad ignem, qui est quædam essentialis radix illius, sic Anima debet justificare, & debet bonificare & magnificare &c. quoad Justitiam recolendo, intelligendo & volendo, sic, ut intelligere, recolere & velle sint justificata quoad Justitiam in bonificare & magnificare &c.; & hoc modo substantialis Justitia influit accidentalem Justitiam in recolere, intelligere & velle, quæ accidentalis Justitia est illa Virtus, quæ producitur & sustentatur in phantastico verbo, sive illud verbum sit productum de substantialibus sive accidentalibus phantasiis, vel utroque modo.

2. Prædicta accidentalis Justitia generatur isto modo: Anima quoad bonum influit in actus potentiarum bonificare, & quoad magnum magnificare, & sic de perseverare, posse &c.; ratio autem, quare Justitia sic oritur, est, quia justum est, quòd Anima habeat justum bonificare, magnificare &c. in justo recolere, intelligere & velle, dum attingit bonum objectum, nam propter hoc est bona, ut agat de bono, & magna, ut agat de magno, & sic de aliis; & ita finis, quare Anima est, & quare est bona, magna &c., implicat id, quod justum est; & est inde, quando actus Animæ est magis intensus quoad Justitiam, quàm quoad bonitatem, magnitudinem &c., tunc est Justitia actu, cæteræ verò habent habitum & dispositionem, quòd singulariter veniant in actum, secundùm quòd influentia est major per unam radicem, quàm per aliam, ût per bonitatem, quàm per magnitudinem, & sic de aliis.

3. Justum est, quòd nos diligamus DEUM super omnia, quia excedit omnia in Bonitate, Magnitudine &c.; eodem modo justum est, quòd nos intelligamus & recolamus ipsum super omnia; causa autem, quare DEUS

Ministerio de Cultura

est recolibilis, intelligibilis & amabilis in tanta excellentia, est, quia ejus Justitia est æqualis & in ipso & in nobis: unde velle, quòd DEUS plùs diligatur, quàm intelligatur, non est justum velle, quia nostrum velle non potest esse justum quoad unam Proprietatem DEI, & injustum quoad aliam; & ideo, in quantum est justum, quòd DEUS diligatur super omnia quoad bonum, ita similiter quoad magnum & quoad æternum, & sic de aliis; & ideo, si plùs & meliùs respectu magnitudinis possumus servire DEO per unum modum, quàm per alium, & in una terra, quàm in alia, est justum, si semper majus & melius servitium ejus eligimus, si verò minus quærimus, est injustum, quia sic injuriatur ejus Magnitudo, sicut ejus Bonitas, dum magìs diligimus minus bonum, quàm Divinam Bonitatem; & in hoc passu conscientia deberet multos lædere.

4. Justitia requirit, quòd Voluntas plùs diligat suum velle, quàm videre & audire, & quàm divitias & honores, cùm Voluntas sit melior & major &c. quoad velle, quàm quoad videre & audire &c.; igitur per consequens Voluntas plùs debet appetere Justitiam in velle, quàm in videre &c., scilicet, quòd suum velle sit magìs justum, quàm videre; idem est de recolere & intelligere, quod de velle; atque Voluntas etiam plùs debet appetere bonitatem in recolere & intelligere, quàm in videre &c.; & per consequens, quòd magnitudo bonitatis &c. sit melior & major in recolere & intelligere quoad Justitiam, quàm in videre &c.: & ideo, quando Voluntas appetit oppositum, tunc oritur Injuria, & perit Justitia; ratio autem hujus est, quia bonitas est major quoad justum velle vel intelligere vel recolere, quàm quoad justum videre vel audire &c.; & in hoc passu decipiuntur multi peccatores propter Injuriam isto modo: bonum est, quòd homines videant pulchritudines, quia sunt bonæ, nam sunt creaturæ DEI, & ita justum est, quòd videantur; magnitudo etiam requirit, quòd multùm videantur, quia sunt magnæ, & hoc modo Voluntas quoad magnitudinem & bonitatem visibilium objectorum implicat magnum velle, ut videantur: unde, si magnitudo plùs se communicat ipsi videre, ita, quòd Voluntas plùs appetat, quòd oculi videant, quàm quòd ipsa habeat justum velle, sic suum velle & videre oculorum convertuntur in Injuriam, quia magnitudo bonitatis &c. injuriosè se communicat illis in hoc, quòd illud, quod est minùs magnificabile in bonitate, plùs magnificatur, quàm id, quod est magìs magnificabile; & hoc modo magnitudo injuriosè agit contra suámmet proprietatem, & similiter bonitas & Justitia &c.: eodem modo etiam, sicut est dictum de videre, est intelligendum de audire &c., atque de divitiis, progenie &c., & de hac vita & de alia.

QUÆSTIO CLXXXII.

De Prudentia.

1. Sicut de fundamento Justitiæ prædictum est, ita suo modo intelligitur de fundamento Prudentiæ; & etiam sicut Charitas denotatur maximè quoad Voluntatem, ita etiam Prudentia maximè quoad Intellectum; unde eodem modo hìc accipimus Prudentiam & Sapientiam & Scientiam investigantes isto modo: Prudentia oritur, quando phantasticum verbum generatur ab Intellectu implicante sensuales & intellectuales phantasias, de quibus constituitur verbum; & potiùs habet denominationem quoad Prudentiam, quàm quoad aliam Virtutem, ex hoc, quia radices, scilicet substantiales partes Intellectûs magìs concurrunt & plus influunt quoad Prudentiam in constitutione verbi, quàm quoad Justitiam &c., simili modo, sicut bonitas in bono intelligere tunc, quando humanus Intellectus est ita prudens, quòd ipsa bonitas facit eum intelligere propter DEUM, quidquid ipse intelligit: hoc idem similiter est in bono velle, & in bono recolere, taliter, quòd Voluntas appetit habere Prudentiam in tali intelligere, & in tali recolere, & in tali velle, ut per Prudentiam DEUS recolatur & intelligatur & diligatur super omnia entia; & sicut quoad bonitatem Prudentia constituitur in verbo, & è converso, ita similiter etiam quoad magnitudinem, perseverantiam &c.

2. Intellectus intelligens objectum intelligit similitudines objecti; intelligendo etiam se ipsum intelligit suas similitudines; & sic implicatur verbum ex similitudinibus utriusque; & ideo, si ex illo intelligere sequitur finis bonitatis, magnitudinis &c. Intellectûs & sui intelligere, & finis etiam bonitatis, magnitudinis &c. alicujus objecti, sic est in illo intelligere Prudentia; si autem sequatur oppositum, sic est in illo intelligere oppositum Prudentiæ: unde, quando Intellectus conatur

(c) 2006 Ministerio de Cultura

conatur adducere finem, quare intelligit, & ille finis reducitur in habitum bonitatis, magnitudinis &c., tunc regnat Prudentia, quia id, ſuper quod fertur Intellectus, quoad bonum, magnum &c. conſequitur, & elongatur ab oppoſito finîs ipſius intelligere, bonificare &c.

3. Quandoque bonitas plùs influit bonum facere quoad ipſum velle, quàm quoad ipſum intelligere, idem eſt de magnitudine &c.: ſi igitur, quando bonitas meliùs concordat cum magno velle, quàm cum magno intelligere, Intellectus eſt plùs obediens Voluntati, quàm ſibi ipſi, tunc Intellectus agit de Prudentia, quia bene & juſtè agit; & ſi etiam bonitas in majori quantitate ſe communicat Intellectui, quàm Voluntati, tunc Voluntas agit de Prudentia, ac Voluntas etiam implicat multiplicationem Prudentiæ, ſi ſic agit, quòd bonitas ita vehementer ſe communicet ei, ſicut Intellectui; idem eſt de Memoria, quod de Intellectu & Voluntate.

4. Ille agit de Prudentia, qui diligit bonum, & odit malum, & qui adhæret bono, & evitat malum, & qui eligit majus bonum, & evitat majus malum; in oppoſito autem hujusmodi actûs perit Prudentia, & oritur ſtultitia. Præterea Prudentia diſponitur, quando forma bonitatis &c. movet ſuam propriam materiam bonificabilem, & reducit in eam remotas materias, quæ in ea ſunt bonificabiles, ſcilicet propinquam materiam magnificativi, & propinquam materiam poſſificativi, & ſic de aliis; eodem modo ſecundùm ſe agit forma magnitudinis ſuper ſuam propriam materiam, ſimiliter etiam cæteræ formæ; poſtmodum diſpoſitiones ad rationativum ſunt reducibiles in ſuam propriam materiam, videlicet in propinquum rationabile, & inde ad verbum, quod eſt ſubjectum Prudentiæ; quod verbum eſt habituatum in radicibus Animæ & in potentiis ejus priùs, quàm ſit actu, & quando Prudentia eſt, eſt ipſe actus.

Prudentia eſt diligere DEUM, quia eſt bonus; & diligere ipſum ſuper omnia, eſt ſumma Prudentia, quia eſt bonus ſuper omnia; ſed plùs diligere DEUM, quia eſt bonus, quàm quia eſt magnus, & ſic de aliis Dignitatibus ejus, non eſt Prudentia, ſed magna fatuitas, cùm DEUS ſit tantum diligibilis, quia eſt magnus, quantum eſt diligibilis, quia eſt bonus, & ſic de aliis. Hunc punctum autem conſideret, qui credit habere Prudentiam, utrùm diligat DEUM ſuper omnia; nam illa ſuperexcellentia dilectionis influitur à Divina Bonitate & Magnitudine &c., cùm ſint in DEO unum idem; & etiam poteſt intelligere modum Prudentiæ æquiparandi ſuas radices & actus earum, recolendo, intelligendo & diligendo ſémet ipſum & ſuum proximum, & bona, quæ poſſidet, ita, quòd tantum diligat magnum agere poteſtatis bonitatis Juſtitiæ &c., quantum magnitudinis, & ſic de aliis.

QUÆSTIO CLXXXIII.
De Fortitudine.

1. PRincipia Fortitudinis ſunt bonitas, magnitudo &c.; ſed ipſa Fortitudo magìs denominatur ſub ratione poteſtatis, quàm bonitatis & aliarum: unde Fortitudo quandoque magìs influitur in poteſtatem & de poteſtate in Memoriam, Intellectum & Voluntatem quoad bonitatem, quàm quoad magnitudinem, & è converſo; idem ſuo modo eſt de aliis radicibus, de quibus Fortitudo influitur in ſimilitudines, de quibus conſtat verbum, & refluit in virtuoſum habitum: & ideo, ſi bonitas fortè plùs influit ſimilitudinem Fortitudinis in poteſtatem, quàm magnitudo, ſic bonitas plùs influit ſuum ſimile quoad formam, quàm quoad materiam; & tunc patitur bonitas quoad materiam bonitatis, quæ convenit cum parvitate reſpectu formæ bonitatis. Si verò bonitas plùs influit quoad materiam, quàm quoad formam, ſic patitur poteſtas quoad bonitatem materiæ, & alia forma, ſive ſit magnitudinis, ſive ſit perſeverantiæ vel durationis &c., agit de bonitate quoad materiam; & hoc modo Fortitudo quandoque eſt major per unam radicem in poteſtate, quàm per aliam.

2. Sicut dictum eſt de radicibus Animæ, ita poſſumus intelligere de potentiis ejus; nam Fortitudo quandoque eſt major quoad Memoriam, quàm quoad Intellectum, vel quandoque è converſo; & ita ſimiliter eſt de Voluntate; & hoc eſt, quia radices quandoque meliùs concurruut ad unam potentiarum, quàm ad aliam, ſecundùm quòd materia meliùs eſt diſpoſita ad hanc potentiam, quàm ad illam: & ideo, ſi Voluntas eſt fortior in volendo, quàm Intellectus in intelligendo, tunc patitur minor virtus ſub majore, & Fortitudo formatur in hoc, ſcilicet, quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia illa potentia, quæ patitur, ſuſtentatur per illam, quæ abundat in vigore, ſicut ſuppoſito, quòd Voluntas ſupponat, quòd aliquid ſit verum, quod eſt verum, & Intellectus non poſſit illud attingere per neceſſariam rationem, tunc deficit magnitudo poteſtatis Intellectûs; & ſic patitur Intellectus; hunc defectum autem ſupplet Voluntas, quæ eſt fortis & magna in agendo; & ſic ex iſta paſſione Intellectûs & illa actione Voluntatis formatur Fortitudo.

3. Sicut aliquod caſtrum fortius eſt per valla, quàm per aliam firmitatem, ſic ſimiliter verbum, in quo eluceſcit Fortitudo, & ex quo ipſa Fortitudo vivit, eſt fortius per quandam ſuam radicem, quàm per aliam, & per quandam Virtutem, quàm per aliam: & ideo, quando Fortitudo generatur, priùs incipit generari in hoc, per quod eſt fortior, quàm in hoc, per quod eſt debilior; & per conſequens citiùs patitur & plus per hoc, per quod eſt minor, quàm per hoc, per quod eſt major: & etiam, quando corrumpitur, citiùs incipit corrumpi à minori parte, quàm à majori. Præterea, cùm Virtutes ſint connexæ ad invicem, juvant ſe ad invicem, & Morales Virtutes recipiunt influentiam à Theologicis, & Theologicæ influunt in eas recipiendo influentiam à DEO; nam, ſicut inferiora corpora recipiunt influentiam à ſuperioribus corporibus, & ſuperiora corpora ab Empyreo Cœlo, ita etiam ſimiliter Virtutes de Virtutibus, ut Fortitudo vivat; & quando ſuffocatur, hoc eſt, quia ceſſat influentia, & influitur ejus oppoſitum in verbo, quod producitur contra finem Fortitudinis, & contra radices & principia illius.

4. Libertas eſt in homine, igitur convenit quoad Libertatem, quòd radices influant ſuas ſimilitudines, quæ imprimuntur in potentias Animæ, cùm ſint habituatæ in ipſis potentiis; & ita ſequuntur paſſiones in potentiis quoad diſpoſitiones ſuæ materiæ; ideo, quando hoc impeditur, tunc ſequitur paſſio contra libertatem, quam habent formæ agendo & producendo ſimilitudines; ſed ſi ſunt adeò fortes, quòd agant, licèt obſtet impedimentum, ſic conſtat Fortitudo ex hoc, quia vincunt, & ex hoc, quia patiuntur quoad Libertatem, quæ in parte conſtringit eas, quòd non poſſint adeò perfectè agere, ſicut appetunt; & inde vivit Fortitudo ſecundùm laborem, & propter hoc eſt talis Virtus; & quando incipit abeſſe, tunc incipit corrumpi, quia formæ, cùm habeant liberum arbitrium, evitant paſſiones; & in hoc conflictu multi homines cadunt in Vitium in hoc, quòd DEUS vult agere de nobis quoad formam, ita, quòd patiamur formaliter & materialiter, & formæ, de quibus ſumus, nolunt habere paſſiones.

Quantò plùs forma agit, tantò plùs materia patitur; nam ſicut agere eſt perfectio formæ, ita pati eſt perfectio materiæ; & ideo DEUS habituavit & diſpoſuit in nobis Fortitudinem, ut ipſe agat de nobis, & nos ſerviendo illi habeamus paſſionem, quam paſſionem habemus propter ipſum, videlicet Fortitudinem in ſuſtinendo labores; & quantò magìs propter ipſum patimur, tantò plùs augetur Fortitudo, & tantò plus magnitudinis influitur in bonitatem &c., & etiam tunc Fortitudo magìs impugnatur nobis diligentibus DEUM, & odientibus oppoſitum illius dilectionis.

QUÆSTIO CLXXXIV.

De Temperantia.

1. QUando Temperantia regnat, tunc maximè de Juſtitia procedunt ſimilitudines bonæ, magnæ, durabiles &c.; nam ſub ratione ſimilitudinum Juſtitiæ conſtituitur Temperantia iſto modo: Juſtitia Animæ quoad ſe & quoad bonitatem, magnitudinem &c. ipſius Animæ conſtituit de ſimilitudinibus juſtificatum verbum, ita, quòd illud verbum eſt conſtitutum in medio, in quo quantum & quale &c., bonum & magnum &c. ſtant remota ab extremis, ubi ſunt vitia aut per nimìs magnam influentiam, aut per nimìs parvam, ita, quòd Memoria nimìs vel parùm recolit, & Intellectus intelligit, & Voluntas ſimiliter diligit nimìs vel parùm cibaria; & ita Senſitiva & Vegetativa ſunt motæ ad exceſſum vel defectum mediatè, ſed Juſtitia conſtruit in medio Temperantiam cum ſufficienti recolere &c., cum ſufficienti bonificare &c., ut motus Senſitivæ & Vegetativæ ſit concluſus in medio, ſeparatus ab extremis.

2. Juſtitia conſervat Temperantiam cum ſuámet bonitate, magnitudine &c., & per conſequens cum bonitate, magnitudine &c. Prudentiæ & Fortitudinis, & temperantia quoad materiam patitur ſub ratione æqualitatis actûs Juſtitiæ, Prudentiæ & Fortitudinis; & per conſequens quoad rationem æqualitatis recolendi, intelligendi & volendi

(c) 2006 Ministerio de Cultura

di vel nolendi, & quoad rationem æqualitatis bonificandi, magnificandi &c.; & hæc talis paſſio eſt materia formæ Temperantiæ, quando potentiæ ſe magìs objectivè convertunt ad Temperantiam, quàm ad aliam Virtutem, & magìs concurrunt ad finem ejus; ſed dum accidit, quòd Temperantia periclitetur, tunc ceſſat influentia, & corrumpitur Verbum ſubjectum Temperantiæ, & traditur oblivioni, & Appetitiva redditur Vegetativæ, & Senſitiva movetur, & per conſequens oppoſitum Temperantiæ de medio labitur ad extrema.

3. Sicut Temperantia eſt diſpoſita quoad quantum ſub ratione Juſtitiæ, ita eſt diſpoſita quoad quale ſub ratione Prudentiæ & Fortitudinis iſto modo: quando Temperantia eſt actu, & homo patitur quoad Appetitivam, tunc Prudentia attingit Temperantiam objectivè, & Fortitudo fortificat ipſam quoad formam & materiam ipſius Temperantiæ, quia diſponit eam ad paſſionem; & ſic Temperantia vivit de Prudentia & Fortitudine; ſed quando ſuffocatur Prudentia & Fortitudo, eſt mortua Temperantia, & Gula & inconſtantia protinus exſurgunt.

4. Prudentia conſervat Temperantiam per velle, & Fortitudo conſervat eandem per nolle, Juſtitia verò proportionat ipſa velle & nolle iſto modo: Prudentia inducit recolere, intelligere & velle, ut homo vivat, quia vivere eſt recolibile, intelligibile & amabile, & Fortitudo inducit recolere, intelligere & odire infirmitatem, ebrietatem, iracundiam & mortem, quæ ab homine ſunt recolibiles, intelligibiles & odibiles; & ita vivificatur Temperantia, & Appetitiva mortificatur, & Juſtitia in debito tempore & loco menſurat hæc omnia & diſponit ea ſub Fide, Spe & Charitate; & ſic ducit finem Temperantiæ in actum; & ideo finis Temperantiæ debet quieſcere in his omnibus.

QUÆSTIO CLXXXV.

De Gula.

1. GUla & Temperantia opponuntur, & ideo per hæc, quæ de Temperantia dicta ſunt, poteſt per oppoſitum conſiderari Gula; alio modo autem poſſumus conſiderare Gulam, & hoc ſic: bruta propter neceſſitatem vivendi appetunt comedere & bibere, & per conſequens appetunt guſtare, & ita quoad rationem Vegetativæ & Senſitivæ implicantur phantaſiæ, quæ ſunt ſimilitudines radicum Vegetativæ & Senſitivæ, videlicet bonitatis, magnitudinis &c., & reducuntur uniformiter ad memorativam & appetitivam & æſtimativam bruti, & conſtituitur objectum Imaginativæ, ita, quòd illud phantaſticum objectum imaginatum habeat in ſe plures bonitates, magnitudines &c., videlicet bonitatem diviſam in ſimilitudinem magnitudinis, poteſtatis &c. quoad Senſitivam & Vegetativam, ſimiliter etiam magnitudinem, poteſtatem &c. in ſimilitudine bonitatis &c.; ſed bonitas Vegetativæ eſt major reſpectu finîs, quàm bonitas Senſitivæ, quia brutum ſentit, ut vivat, non autem vivit, ut ſentiat; & idcirco bruta, ſicut patet ad ſenſum, non comedunt nec bibunt, niſi quantum naturaliter appetunt ſub ratione Vegetativæ; & ſic in illo prædicto objecto Vegetativa præcellit quoad finem ſuper Senſitivam, ita, quòd ſimilitudines Vegetativæ ſunt majores in bonitate, magnitudine &c., quàm ſimilitudines Senſitivæ.

2. Secundùm hanc metaphoram patet modus, per quem regnet in homine Gula, & quomodo Gula incipiat, & ad quem finem tendat, & hoc iſto modo: in nobis eſt vivere, ut in nobis ſit bene agere, videlicet bonum magnum &c. juſtum recolere, intelligere & velle, & ſic quando in phantaſtico objecto appetimus guſtare & bibere, habemus appetitum quoad Vegetativam & Senſitivam & Rationativam, & finis objecti eſt rationaliter quoad Rationativam, & eſt ſuperior, finis verò Senſitivæ & Vegetativæ habet ſe ad illum finem, ita, quòd finis Rationativæ vivat de fine Senſitivæ & Vegetativæ; & durante hâc ordinatione regnat Temperantia, quâ deſtructâ regnat Gula iſto modo.

3. In phantaſtico objecto, quod homo habet, dum imaginatur comedere & bibere, eſt quædam forma, quæ eſt quanta quoad magnitudinem, & eſt qualis quoad bonitatem, poteſtatem; & ſicut ipſa eſt quanta & qualis, ita etiam aliæ ſunt quantæ & quales, cùm ſint in quantitate & differentia, & ita, ſi Gula regnat, ſic bonitas Rationativæ eſt diminuta accidentaliter in illa ſua ſimilitudine, quam habet in objecto, quia non habet ſufficientem quantitatem, nec eſt talis, qualis debet eſſe in ipſa Rationativa, & bonitas Senſitivæ excedit quantitatem Rationativæ, quia Voluntas plùs appetit magnitudi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tudinem in placito ſenſûs, quàm in bonitate volendi; & ſic illa magnitudo Senſitivæ influit ſuam ſimilitudinem majorem ad objectum, quàm Rationativa; & ideo illud objectum eſt incompletum & infirmum, nam non eſt ſituatum nec diſpoſitum ſecundùm Juſtitiam; nam id, quod ſe habet ad finem, innaturaliter eſt finis, & ſimilitudo Rationativæ eſt ſubjugata & diminuta; & ita Gula regnat, & ſenſus eſt incompletus, quia infirmus; & ſic non poteſt ſaturari, & corrumpitur ſubjectum Vegetativæ, & Rationativa remanet in peccato.

4. Quando appetimus guſtare, Juſtitia debet communicari gradatim Rationativæ & Senſitivæ & Vegetativæ, tribuens cuilibet earum juſtè, quod ſuum eſt, ita, quòd Rationativa habeat Temperantiam, & dominetur aliis, & quòd Senſitiva habeat placitum in guſtando, ita, quòd Vegetativa nutriatur, & hoc Rationativâ recolente, intelligente & diligente DEUM, quia ipſe præparavit comeſtibilem materiam, & in illa diſpoſuit placitum in guſtando. Et ideo, quando Juſtitia conſiſtit otioſa, ita, quòd non agat perfectè, ſed Senſitiva excedat Rationativam, tunc Juſtitia agit contra ſémet ipſam, & diſponit ſe ſub habitu Injuriæ, & ita vivit Gula.

QUÆSTIO CLXXXVI.

De Luxuria.

1. IN brutis eſt generatio, quia leo generat leonem, & ſic de aliis; & ut ex defectu generationis non pereant ſpecies animalis, habent bruta naturaliter appetitum ad generandum, & per tactum ſentiunt placitum generando; ſed placitum eſt eis per ſecundam intentionem naturaliter, generare verò eſt eis per primam intentionem: & ideo, quando brutum inducit phantaſticum objectum quoad tactum, quem appetit, tunc in illo objecto ſunt ſimilitudines radicum bruti, videlicet bonitatis, magnitudinis &c., ſimili modo ſicut de Gula dictum eſt; & tunc, quia in brutis non eſt liberum arbitrium, natura conſervat in prædicto objecto ſuos gradus & finem & id, quod ſe habet ad finem, ita, quòd in bruto appetendo non degradatur natura, atque ſimilitudines, quæ ſunt in objecto, ſunt majores quoad Vegetativam, per quam generatio tranſit, quàm quoad Senſitivam, quæ eſt accidentale inſtrumentum. In homine autem conſiſtit generatio & tactus per finem alium à prædicto fine brutorum, quia finis humanæ generationis conſiſtit ſub alio fine, videlicet ſub recolere, intelligere & diligere bonum, magnum, juſtum &c.; & ſuper iſtum finem maximè eſt alius finis, qui eſt recolere, intelligere & diligere DEUM cum bono, magno &c. recolere, intelligere & diligere; & in hoc generatio humanæ naturæ naturaliter eſt deducta ſub tactu & appetitu ſenſûs ſecundùm prædictam ordinationem & naturalem gradum, & per conſequens quoad bonitatem, magnitudinem &c. naturantis naturæ: & ideo, quando vir appetit mulierem, & è converſo, ſic ordinatè, ût dictum eſt, tunc vivit Caſtitas; quando autem appetitus eorum pervertitur in oppoſitum, regnat Luxuria iſto modo.

2. Quando vir appetit mulierem, & è converſo, & phantaſticum objectum conſtituitur appetendo magìs de ſimilitudinibus Senſitivæ, quàm Rationativæ, tunc in illo objecto ſunt ſimilitudines Senſitivæ quoad formam, & ſimilitudines Rationativæ quoad materiam, & ita ſenſus excedit rationem, quia ſenſus attrahit ſuum finem in magnitudine mediante objecto, de quo ipſæ ſimilitudines refluunt in ſenſum; unde influuntur in objectum imaginante Imaginatione plùs ſub dominio Senſitivæ quoad Senſitivam, quàm quoad Rationativam; & ita ſunt Potentiæ Rationativæ paſſivæ in illo objecto, & minùs influunt ſuas ſimilitudines quoad ſe ipſas, quàm Potentiæ Senſitivæ, & minùs ex objecto refluunt ſimilitudines earum, quàm ſimilitudines potentiarum Senſitivæ; & hoc modo vir plùs appetit mulierem, & è converſo, propter ſenſum, quàm propter DEUM & quàm propter generationem & conſervationem ſuæ ſpeciei; & ita oritur Luxuria, & homo incurrit gravem culpam, cùm habeat liberam bonitatem, magnitudinem, poteſtatem, Juſtitiam &c. influendi in objectum plus de ſimilitudinibus rationis, quàm de ſimilitudinibus ſenſûs.

3. Quando vir videt vel imaginatur pulchritudinem alicujus mulieris, vel audit eam commendari de pulchritudine & muliebri aptitudine, & è converſo ſimiliter mulier virum circa viriles actus & decores, tunc Vegetativa naturaliter movetur ſub ratione generationis & conſervationis ſpeciei; & per talem ita diſpoſitum motum movetur Senſitiva ſub ratione tactûs & delectationis, &

per

(c) 2006 Ministerio de Cultura

per hunc motum iſtarum movetur Rationativa quoad formam, & attrahens phantaſias ab utraque illarum conſtituit verbum, ut per illud verbum judicet, quid in hoc ſit licitum & bonum & quoad ſe & quoad ſenſum & quoad vegetationem; & in hoc paſſu neceſſariò oritur Caſtitas vel Luxuria: Caſtitas quidem, ſi ratio magìs ſe reflectit quoad ſuam naturam, quàm quoad naturam aliarum, quia ſic oritur Caſtitas, & reducitur in actum de potentia ratione materiæ, & de habitu ratione formæ; ſi verò ratio in illo verbo ſuffocat ſimilitudines ſuæ bonitatis, magnitudinis &c., reflectendo ſe magìs ſuper ſimilitudines ſenſûs, quàm ſuper ſuas proprias, tunc oritur Luxuria ex luxurioſo habitu, quo Anima ſe induit; Hic habitus autem corrumpitur iſto modo.

4. Corruptio Luxuriæ fit, quando verbum conſtruitur de ſimilitudinibus pulchritudinis Caſtitatis & bonitatis & magnitudinis &c., ita, quòd in illo verbo non adjungantur pulchritudines nec placita ſenſualitatis, ſed potiùs, quantum poſſunt, traduntur oblivioni; & niſi poſſint leviter obliviſci, adjunguntur illi verbo turpitudines Senſitivæ, quæ ſunt odibiles & horribiles viſu ultra modum præ ſua nimia immunditia; & niſi hoc faciliter profit, convenit, quòd Imaginativa alteretur ad aliud objectum, quod non ſit ejusdem ſpeciei nec ſimilitudinum, de quibus eſt Luxuria vel Caſtitas, ſicut imaginari aliquid de Cœleſti Gloria, vel de pœnis Inferni, vel de Angelis, vel de quacunque alia negotiatione, quod prorsùs ſit ſeparatum à genere Luxuriæ vel Caſtitatis; & ratio, quare ita oportet fieri, conſiſtit in hoc, quia objectum movet potentias mediantibus ſimilitudinibus potentiarum, ſcilicet bonitate, magnitudine &c., ſuper quas ſimilitudines potentiæ ſe movent quoad formam, & ſunt occaſionaliter mobiles per accidens à materia diſpoſita ex ſimilitudinibus occaſionantibus eas moveri; & propter hoc ſunt multi, qui odiunt Luxuriam, & neſciunt fieri continentes, quia ſimilitudines influxæ de potentiis agentibus in objectum Luxuriæ refluunt de objecto ad ipſas potentias; & licèt quandoque in ſenectute Luxuria non poſſit exerceri ſenſualiter, exercetur quandoque intellectualiter, quia objectum præ nimia conſuetudine non poteſt de facili deleri.

QUÆSTIO CLXXXVII.

De Avaritia.

1. AVaritia & Largitas opponuntur, & quia Anima eſt conſtituta de ſimilitudinibus DEI, & in DEO eſt Largitas, ideo eſt Anima conſtituta de Largitate unà cum reliquis ſimilitudinibus, ut ſit magìs ſimilis DEO, & magìs remota ab Avaritia; & quia Anima conſtituit verbum de ſuis ſimilitudinibus, ideo in illo verbo eſt ſimilitudo Largitatis ipſius Animæ; &, ſi illa ſimilitudo Largitatis eſt completa & bene in ipſo verbo diſpoſita cum cæteris ſimilitudinibus, & magìs cum magnitudine, quàm cùm aliis, ſic regnat Largitas in homine, vivens de aliis ſimilitudinibus ſecum unitis, ſicut Vegetativa hominis de convertibili materia ſibi adveniente; & ita, ſi in prædicto verbo ſimilitudo Largitatis ſit major, quàm cæteræ ſimilitudines, reducit ad ſuum finem fines omnium aliarum ſimilitudinum; & hoc, quod hìc dictum eſt de Largitate, poteſt intelligi de Avaritia iſto modo.

2. Sicut in Largo homine regnat Largitas, quia in phantaſtico verbo ſimilitudo Largitatis præ cæteris ſimilitudinibus dominatur in magnitudine finîs, ſic per oppoſitum in avaro homine regnat Avaritia, quia in phantaſtico verbo in tantum ſunt diminutæ ſimilitudines bonitatis, magnitudinis &c. & hoc maximè ex parte ſimilitudinis Largitatis, quòd ſimilitudo Avaritiæ eſt multiplicata ex maxima diminutione iſtarum ſimilitudinum, & potiſſimùm ſimilitudinis Largitatis; & quia ſimilitudo Largitatis magìs eſt diminuta in illo verbo, quàm cæteræ, ideo Avaritia magìs repugnat Largitati, quàm cæteris. In illo verbo eſt finis, & ipſæ ſimilitudines ſe habent ad illum finem contra radices, quarum ipſæ ſunt ſimilitudines, iſto modo: Voluntas avari hominis eſt bona, magna &c. ſub ratione creaturæ, & ſuum velle eſt bonum & magnum &c. ſub ratione creaturæ; & ſic in illo verbo, quod habet Avarus, aſſituat Voluntas bonam & magnam ſimilitudinem in conſtituendo de ſuo velle ſimile verbum, & Memoria de ſuo recolere, & Intellectus de ſuo intelligere, quia bonum eſt velle aurum, argentum, caſtra & cætera hujusmodi; ſed ipſe Avarus pervertit id, quod eſt bonum, magnum &c. iſto modo.

3. Bonum, magnum &c. eſt habere divitias, & diligere eas ſecundùm finem, quare

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſunt diligibiles, id eſt, quare ſunt creatæ; igitur in oppoſito malum eſt diligere eas contra finem, quare ſunt bonæ & magnæ &c.: unde, quando velle ſe pervertit in contrarium, ita, quòd appetat contra finem, tunc per accidens ſimilitudo Voluntatis, ſcilicet velle, & etiam ſimilitudines bonitatis, magnitudinis &c. alterantur in verbo in malam & parvam ſimilitudinem Voluntatis contrariam fini & inclinantem ipſum verbum ad nihilum, & per conſequens omnes ſimilitudines radicum Animæ, & ſic Avaritia inficit & corrumpit bonum verbum pervertens ipſum de bonitate in malitiam, & de magnitudine in parvitatem, & de Juſtitia in injuriam.

4. Voluntas naturaliter plùs diligit velle, quàm aurum, & quàm domos &c., quia in phantaſtico verbo magìs eſt illi ſimilis bonitas, magnitudo &c. volendi, quàm bonitas, magnitudo &c. auri, argenti &c.; Avarus autem plùs diligit filios vel honores vel proſperitates, & ſic de aliis, quàm ſuam bonitatem volendi; & ſic in phantaſtico verbo plùs poteſt ſimilitudo bonitatis auri vel filiorum &c., quàm ſimilitudo bonitatis volendi: & hoc modo magnitudo Voluntatis magìs ſe applicat ad multiplicandum verbum magnum quoad ſimilitudines bonitatum & magnitudinum &c. divitiarum vel filiorum & ratione honoris, vel quia timet paupertatem, quàm ad multiplicandum verbum bonum quoad Largitatem, Spem, Charitatem, Juſtitiam &c.; & ita extinguitur Largitas, & regnat Avaritia; & quia bonitas, magnitudo &c. Voluntatis non habent in verbo ſuas ſimilitudines completas & naturaliter appetunt eas habere completas; Avarus ſemper appetet, & nunquam poterit ſatiari acquirendo divitias, quia ſua Voluntas non poteſt ſatiari in multiplicatione divitiarum, quia velle eſt melius, majus & nobilius, quàm divitiæ, & Voluntas appetit complere ſuum velle in aliquo, quod eſt melius, nobilius &c., quàm ipſæ; idem eſt de Memoria & de Intellectu & de radicibus eorum, quæ ſimiliter in phantaſtico verbo appetunt completas ſimilitudines, videlicet ſubſtantialis bonitas bonitatem ſibi ſimilem, ſimiliter etiam ſubſtantialis magnitudo magnitudinem ſibi ſimilem, & ſic de aliis: & ita, quantò plùs Avarus multiplicat divitias, tantò magìs appetit eas, quia habet incompletum verbum & contrarium fini, & per accidens Voluntas appetit complere ſuum verbum in divitiis, & ſuum velle naturaliter in illo incompleto verbo; & ſic nunquam poterit ſatiari.

QUÆSTIO CLXXXVIII.

De Superbia.

1. AD inveſtigandum Superbiam, convenit, quòd priùs inquiramus Humilitatem & ejus principia, ut mediante Humilitate habeamus notitiam de Superbia & principiis ejus; hanc inquiſitionem autem facimus iſto modo. Bonum eſt *eſſe*, & malum eſt *non eſſe*, & magnum eſt *eſſe*, & parvum eſt *non eſſe*, & ſic de aliis principiis, de quibus ſumus; & ideo, quia ſumus de bonitate, magnitudine &c., habemus bonitates, magnitudines &c.: bonitates quidem habemus, quia bonitas per ſe bona eſt: habemus magnitudines, quia magnitudo per ſe magna eſt, & etiam, quia bonitas ratione magnitudinis magna eſt, & magnitudo ratione bonitatis bona eſt, & ſic de aliis ſimilitudinibus DEI, de quibus ſumus conſtituti; & ideo, quia ſumus, & non eramus, habemus ſimilitudines DEI; ſumus recolibiles & intelligibiles & volibiles reſpectu noſtræ bonitatis, magnitudinis &c. & reſpectu finîs, quare ſumus, & hoc cum Juſtitia, quia de Juſtitita ſumus, & habemus Injuſtitias; nec ultra Juſtitiam ſumus recolibiles, intelligibiles & amabiles, ut in omnibus noſtris principiis habeamus Juſtitiam.

2. Quia noſtra bonitas, magnitudo &c. eſt de nihilo, ipſa noſtra bonitas, magnitudo &c. eſt diminuta, & ſic ipſa bonitas eſt parva, cùm magnitudo ſimiliter ſit diminuta; igitur, quando Memoria hoc recolit, & Intellectus hoc Intelligit, & Voluntas hoc diligit, tunc regnat Humilitas, & homo deſcendit à Superbia, & recolere, intelligere & velle aſcendunt ad magnitudinem bonitatis &c. ad acquirendum Humilitatem bonam & magnam &c. Sed quando operationes potentiarum ſunt in oppoſito, tunc vivit Superbia, quia recolimus, intelligimus & diligimus nos quoad hoc, de quo ſumus boni, magni &c., & non quoad hoc, per quod noſtra bonitas, noſtra magnitudo &c. ſunt diminutæ; & ſic actus bonitatis, magnitudinis &c. perit perverſus in oppoſitum ſuæ naturæ, unde Superbia orta eſt.

3. DEUS ſimilavit nos ſibi, quia creavit nos, & ſimilavit ſe nobis, quia ipſe factus

Homo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Homo aſſumpſit noſtram Carnem; & aſſimilat nos ſibi, quia exaudit nos, & parcit nobis, & influit in nos bonitates, magnitudines &c.: igitur, cùm DEUS ineffabiliter ſit major, quàm nos, qui eſt ipſa infinita Nobilitas, Bonitas &c., juſtum eſt, quòd nos humiliemur ei, ſicut ſervi Domino & maximè ſicut illi, à cujus Gratia ſumpſimus eſſe, qui nihil ex parte noſtrî ſumus ei ſimiles; etiam eſt juſtum, ut nos inter nos habeamus Humilitatem ad invicem, ita, quòd ille, qui eſt in majori bonitate, magnitudine &c., ſe humiliet illi, qui eſt in minori bonitate, magnitudine &c., ut ſit ſimilis DEO, qui fecit & facit etiam illud idem. Igitur, ſi de noſtris bonitatibus, magnitudinibus &c. facimus id, quod juſtum eſt, habemus Humilitatem; ſi autem facimus oppoſitum, habemus Superbiam, & ſimilitudines, quas habemus à DEO, agunt oppoſitum ſui finîs; ſicut ſi calidum ût calidum frigefaceret, & frigidum ût frigidum calefaceret.

4. Quoniam noſtra bonitas eſt à DEO, & præcipuè, quia Honor DEI eſt honorabilis per ſe in nobis, eſt ipſa noſtra bonitas honorabilis in DEO, non autem in ſe; idem eſt de noſtra magnitudine &c.; & convenit, quòd hoc ita ſit, quia Bonitas, Magnitudo &c. DEI ineffabiliter ſinè comparatione eſt melior, major, nobilior &c., quàm ſit noſtra bonitas, magnitudo &c.; ſed Superbus agit oppoſitum: nam appetit habere honorem propter ſuam creatam bonitatem, magnitudinem &c., non autem propter increatam Bonitatem; & ſic ille creatus honor, quem habet ſuperbus, agit oppoſitum ſuî ipſius, & accidentaliter cadit in vituperium ſuæ bonitatis, magnitudinis &c., ita, quòd ipſe ſuperbus credit, quòd ipſe ſit bonus in magnitudine, & magnus in bonitate, & nobilis in magnitudine bonitatis &c., & ſic de aliis, & eſt malus in magnitudine, & parvus in bonitate, & vilis in magnitudine malitiæ, & ſic de aliis; & ſic eſt in eo Superbia, in cujus eſſentia ſunt contrariæ operationes, quas habent creata principia ſuperbi hominis, videlicet bonitas, magnitudo &c., de quibus ipſe homo eſt conſtitutus; quæ principia ſunt diminuta propter malitiam, parvitatem, vilitatem &c.

QUÆSTIO CLXXXIX.

De Acedia.

1. ACedia eſt generalius Vitium, quàm cætera Vitia, & ſic eſt magìs extenſum, quàm aliquod aliorum; ſed non tam intenſum; & ideo eſt valde ſecretum Vitium, & multi homines ſunt detenti in illo, qui non opinantur eſſe in illo; ratio autem, quare Acedia eſt generalius Vitium, quàm omne aliud Vitium, eſt, quia eſt manifeſtum, quòd finis, quare habemus bonitatem, ſit, ut faciamus bonum, & evitemus malum, & ſic de magnitudine, poteſtate &c.: ſed Acedia eſt non agere de bono, ſed de malo, & non agere de magno, ſed de parvo, & ſic de aliis, contra magnum bonum &c.; & ita principia Acediæ ſunt parvitates contra noſtras magnitudines, & malitiæ contra noſtras bonitates, & ſic de aliis, ita, quòd homo fiat piger, & odiat bonum, & deſideret malum, & quòd plùs odiat majus bonum, quàm minus bonum, & plùs diligat majus malum, quàm minus in ſuo proximo.

2. In nobis eſt creata noſtra poteſtas, & in nobis eſt diviſa in noſtram bonitatem, & in noſtram magnitudinem &c., cùm noſtra bonitas habeat poteſtatem in bonificando, & noſtra magnitudo in magnificando, & ſic de aliis; & ideo debemus uti noſtris poteſtatibus, quas habemus per Gratiam Creationis ad bonum, magnum &c. ſecundùm noſtras bonitates, noſtras magnitudines &c.; non autem ſic agit Acedioſus, imò de ſua poteſtate agit contra ſuam bonitatem, ſuam magnitudinem &c. iſto modo.

3. Acedioſus habet poteſtatem faciendi bonum recolere, & bonum intelligere, & bonum velle, & per conſequens magnum recolere &c., & ſic de aliis; iterum poteſt agere bonum in ſuo audire, videre &c. in ſua bonitate, magnitudine &c. audiendi, videndi &c.; iterum poteſt dicere ſermones bonos, magnos &c., & dare eleemoſynas, & multa alia bona magna facere; & ſi ad hoc ei deficit exterior materia, non tamen deficit ei interior materia, videlicet recolere, intelligere & diligere bonum magnum &c., & eſt acedioſus, ſi non agat de bono recolere, intelligere & diligere: unde, quando Acedioſus non agit de ſuis poteſtatibus ſecundùm quantitatem & qualitatem earum, & ſecundùm id, ad quod ſunt, & ſecundùm ea, in quibus debet agere, tunc ſunt ejus poteſtates otioſæ in bonitate &c., & tunc

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tunc poteſtates, quas acedioſus habet, recolendi, intelligendi & diligendi, ſunt contra poteſtates Memoriæ, Intellectûs & Voluntatis: & etiam illæ poteſtates, quas habet audiendi, videndi, loquendi, faciendi eleemoſynas &c., ſunt contra bonitatem, magnitudinem &c., de quibus ipſe eſt conſtitutus; ſicut ignis, cùm ſit calidus per ſe, ſiccus verò per accidens, calefacit quoad ſe, & deſiccat quoad terram, ſic Acedioſus, quando acediosè agit malum, ût malum recolere, intelligere & velle, vel generare malum verbum, & ſic de aliis, tunc agit illud malum quoad minoritates ejus, id eſt, quoad hoc, quia ejus bonitas, magnitudo &c. de nihilo ſunt creatæ; ſed quando benignus & benevolus vir agit bonum, magnum &c., tunc agit quoad magnitudines, bonitates &c., quas habet à DEO, & quæ ſunt magnæ, cùm ſint ſimilitudines DEI: & quia Acedioſus poteſt agere quoad ſuas magnitudines &c., quas habet à DEO, contra ſuas minoritates, quas habet à ſe ipſo, & non vult ita agere, ſed potiùs in contrarium, idcirco vivit in illo Acedia de minoritatibus ejus contra ſuas majóritates, quas Acedia corrumpit, de quarum corruptione nutriuntur minoritates, quæ ſunt materia & ſubjectum Acediæ.

4. Acedioſus, cùm ſit piger & malevolus per accidens, appetit naturaliter eſſe bonus, magnus &c., ita, quòd ſua bonitas ſit magna &c., licèt agat malum; ſed quia non agit id, per quod ſua bonitas poſſit eſſe magna &c., eſt ejus appetitus incompletus, & odit in ſe actum bonitatis, quem non poteſt habere, ipſo plùs diligente actum malitiæ, quàm bonitatis; & ſicut odit in ſe actum bonitatis &c., ita ſimiliter etiam in ſuo proximo odit illum; Acedioſus etiam citiùs præſumit malum, quàm bonum, & parvum, quàm magnum &c., quia frequentiùs recolit, intelligit & odit bonum, quàm malum, & magnum, quàm parvum &c., & ſic cadit in Iram & Triſtitiam propter frequenter odire bonum &c., & ipſe iratus & triſtis movet rixas, ſeditiones, & ventilat inſaniam, & ſeminat multa alia mala.

rum perfectione ipſa bonitas Animæ habet bonificare, & magnitudo magnificare, & ſic de aliis, ita, quòd omnes iſtæ concurrant, ut habeant bonum, magnum &c. recolere, intelligere & velle; & propter hoc Memoria naturaliter appetit habere ſuum recolere bonum, magnum &c., & ſimiliter Intellectus ſuum intelligere, & Voluntas ſuum velle; hic appetitus autem eſt intra Animam, & influitur extrà, ita, quòd Memoria, Intellectus & Voluntas, ut poſſint habere ſuos actus bonos, magnos &c., appetant recolere, intelligere & velle ſenſualia, & mediantibus illis poſſint habere ſuos actus bonos, magnos &c., ita, quòd ea, quæ ipſæ potentiæ extrà deſiderant, refluant intrà in radices Animæ; & ſic Anima naturaliter appetit ſenſualia bona, magna &c. quoad bonum, magnum &c.: igitur, dum Anima ſiſtit in tali diſpoſitione appetitûs, tunc diſtat valde remota ab Invidia, & ſic eſt perfecta & completa contra Invidiam; ſi autem agat oppoſitum, cadit accidentaliter in Invidiam iſto modo.

2. Bonum, magnum &c. eſt habere temporalia bona, ût aurum, argentum, campos, domos & cætera hujusmodi; & ratio, quare hoc eſt bonum, magnum &c., eſt, ut inde ſequatur bonus magnus &c. actus potentiarum; ſed, quando magnitudo habendi hoc hujusmodi excedit bonitatem &c. habendi, ſic appetuntur injuſtè bona proximi, & tunc patitur Juſtitia, quia ille appetitus eſt injuſtus, quia injuſtum eſt, quòd magnitudo habendi excedat bonitatem &c. habendi: & quia Juſtitia eſt bona, potens, durans &c., offenduntur bonitas, poteſtas, perſeverantia &c., donec omnes cadant in imperfectionem & injuriam, & tunc magnitudo pervertitur in magnitudinem malitiæ & parvæ perſeverantiæ, quæ eſt ſumma parvitas; & ſic magnitudo eſt in magna parvitate quoad agere in ſe & in cæteris radicibus, & per conſequens in potentiis Animæ, & ſic Invidia regnat contra perfectionem Animæ.

3. Invidia contrariatur magnitudini in quantitate, & Juſtitiæ in qualitate, Spei in bonitate, & Charitati in largitate, & ſic de aliis; hæc contrarietas habet eſſe iſto modo: in Anima eſt magnitudo magna in ſe & in bonitate &c., & ſecundùm quòd ipſa eſt magna in ſe & in cæteris radicibus Animæ, eſt quanta quoad bonitatem, durationem, poteſtatem &c. ipſius Animæ; ſed quando regnat

QUÆSTIO CXC.

De Invidia.

1. SUbſtantialis perfectio Animæ hominis eſt diviſa in bonitatem, magnitudinem &c., quæ ſunt radices ipſius Animæ, ex qua-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gnat Invidia, tunc magnitudo excedit ultra metas bonitatis &c. appetendo ſenſualia, & ſic deſtruit ſuam quantitatem in bonitate &c., atque deſtruit ſuam quantitatem in qualitate appetendo quale quoad malum, parvum & injurioſum &c. in hoc, quod deberet appeti quoad bonum, magnum, juſtum &c.; ſicut luxurioſus & avarus, qui quoad ſe appetunt id, quod quoad aliud deberent appetere; & ſic ille appetitus eſt injurioſus: Invidia ſimiliter contrariatur Spei in bonitate, quia Divina Bonitas influit Spem, ſicut vult: ſimiliter Invidia contrariatur Charitati, quia Invidia & Avaritia concordant, nam Invidia mediante Avaritiâ contrariatur Divinæ Largitati, quæ dedit proximo invidi ea, quæ noluit dare invido.

4. In hoc contrariatur Invidia durationi, quia ea, quæ Invidus invidè deſiderat, obtineret, ſi haberet opportunitatem tẽporis. Invidia etiam contrariatur poteſtati in hoc, quòd, licèt Invidus fortè non poſſit obtinere ea, quæ invidè cupit habere, tamen applicat *poſſe* ad ea diligenda, odiens inde proprium poſſeſſorem. Invidia etiam contrariatur virtuti & veritati, quia invidè cupit; & ſic per cõſequens contra omnes radices Animæ: igitur invidioſa Anima eſt contra ſuásmet radices, à quibus materialiter & formaliter habet eſſe, & contra finem earum, & ſemper eſt in triſtitia; quia lætitia, quæ eſt ſimilitudo Gloriæ DEI, de qua, ſcilicet lætitia, Anima cum cæteris ſimilitudinibus eſt conſtituta, agit contra ſe ipſam & contra cæteras, & ideo producit oppoſitum ſui actûs videlicet triſtari, ſicut bonitas malificare.

QUÆSTIO CXCI.

De Ira.

1. DEUS, benedictus ſit ipſe, aſſimilans ſibi Animam, creavit in ea ſuam ſimilitudinem quoad Gloriam, cùm ipſe DEUS ſit Gloria; hæc ſimilitudo autem eſt lætitia Animæ, per quam ipſa Anima utitur gaudio & conſolatione in qualibet ſua radice, & in ſuis potentiis, ſicut per bonitatem bonificatione, & per magnitudinem magnificatione in reliquis ſuis radicibus & potentiis; & ſicut ſunt multæ bonitates, magnitudines &c. in Anima, quibus Anima utitur, ita ſimiliter ſunt multæ lætitiæ, quibus utitur; aliter enim, niſi lætitia, quæ eſt ſimilitudo Gloriæ DEI, eſſet una radix ipſius Animæ, ſicut bonitas vel aliqua aliarum, diffuſa etiam per cæteras, ſicut quælibet aliarum, non poſſent bonitas, magnitudo &c. Animæ habere gloriam in ſe, nec Memoria nec Intellectus, ſed ſola Voluntas, ita, quòd eſſet in radice Voluntatis, & non aliarum potentiarum; & ita magnitudo deficeret bonitati &c. Memoriæ & Intellectûs, quod eſt impoſſibile: ergo gloria in Anima vel lætitia eſt quædam radix ipſius Animæ, cui lætitiæ Ira contradicit iſto modo.

2. Ira & gaudium opponuntur, gaudium autem & velle concordant, Ira verò & nolle, & hoc eſt intelligendum de illo nolle, quod eſt contra velle bonum, magnum &c.; igitur juſtum, bonum, magnum &c. velle eſt conſtitutum ex bonitate, magnitudine &c., nolle autem, quod injuſtum & malum eſt, eſt conſtitutum ex oppoſito; & ideo velle irati eſt perverſum in nolle, & adeò intenſum, quòd omnes radices Animæ non appetunt eſſe, nec velle, nec per conſequens gaudium vel lætitiam, ſed potiùs appetunt non eſſe & nolle & privationem & malum &c.; & ſic propter Iram ita intenſam ſuffocantur omnes actus radicum Animæ in bono jucundo &c., & inſurgunt illi actus per contrarium ſuæ naturæ mali, perverſi, doloroſi &c., & ita Ira dominatur pervertens verum objectum recolendi & intelligendi in falſum & in inſtabile, & nolle diſſolutum vagatur fortuito caſu, quia malum perverſum &c. nolle excedit ſuum recolere & intelligere in irato homine.

3. In Anima eſt duratio & immortalitas ſimilitudo Æternitatis DEI, & hæc ſimilitudo eſt diffuſa in cæteras radices Animæ, & per conſequens in potentias ejus; & ex hoc Anima naturaliter eſt diſpoſita ad perſeverandum in bono, magno &c., habendo conſtantiam & fortitudinem, ita, quòd conſolatio vel lætitia ſit in omnibus potentiis & radicibus ejus; ſic, ut exteriora non poſſint alterare hanc virtutem & naturam Animæ; & ideo, quando homo eſt iratus, ſuffocatus eſt in illius Anima actus durationis, conſtantiæ & fortitudinis, & per conſequens actus bonitatis, magnitudinis &c, quia magnitudo eſt diminuta agendo de bonitate &c., & juſtitia ceſſat agere juſtum, & per conſequens ceſſat actus poteſtatis &c., & ſic regnat Ira, quia lætitia eſt mortua, & magnitudo ultra ſuas vires influit mortificans eas intra ſe & intra cæteras radices Animæ.

4. DEUS eſt Forma, nos autem quoad paſſionem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

sionem sub eo sumus ejus materia, & ipse agit de nobis, tanquam artifex de materia; hic actus autem proveniens ex tali agente bono, magno, glorioso &c. est bonus, magnus, glorioſus &c. ipsi materiæ recipienti; & sic regnat in nobis lætitia, bonitas &c., dum sic volumus recipere ejus actionem; sed quando Ira regnat in nobis, sumus rebelles pati ejus actionem in Patientia & consolatione, & nihilominus agit super nos, quia non vult, quòd materia hujus suæ actionis sit otiosa; & sic dat nobis tribulationes, pestilentias & infirmitates & cætera hujusmodi, ut placeat nobis ea pati propter ipsum, ut informetur materia à prædicta actione, ita, ut regnet in nobis lætitia, & acquiramus meritum; & ita DEUS humiliat nos temperans nostram crudelitatem (cruditatem) sicut artifex, qui temperat cruditatem materiæ ad dandum ei formam: sed nos, quando sumus irati, recusamus pati sub DEO, quia potiùs volumus esse agentes super eum, quàm patientes sub eo, nolentes recipere ea, quæ ipse nobis vult, sed volumus, quòd faciat nobis ea, quæ non vult facere; & quia ea non fiunt, quæ ipse non vult, & quæ nos volumus, & fiunt ab eo ea, quæ nolumus, ideo insurgit in nobis Impatientia & Ira adversùs eum, & adversùs operationes ejus, & Ira & Indignatio ejus adversùs nos & adversùs nostras operationes, & sic sumus in via æternæ Damnationis.

QUÆSTIO CXCII.

De Conscientia.

1. OMnes radices Animæ naturaliter concurrunt alia ad aliam constituentes Animam & potentias ejus, sicut bonitas ad magnitudinem, & è converso, & sic de aliis; & inde generatur Conscientia isto modo: bonitas se communicat magnitudini, ut magnitudo sit bona, & magnitudo bonitati, ut bonitas sit magna, & sic de aliis; & ideo, dum contingit, quòd aliqua earum se magìs communicet alicui earum, quàm alteri, cùm quælibet earum se debeat æqualiter cõmunicare cuilibet earum, tunc naturaliter patitur quælibet radix, & inde oritur Conscientia, sicut in Vegetativa oritur appetitus frigiditatis, quando calor nimìs attingit eam in composito; & ideo, si aliqua ipsarum radicum agitetur ultra suum ordinem & suam æqualitatem, tunc oritur & imminet infirmitas in potentiis patientis Animæ; hæc infirmitas autem est Conscientia, quæ ex diminuto composito actu nascitur isto modo:

2. Quando Memoria recolit, & Intellectus intelligit bonum, magnum &c., sed Voluntas non habet tam bonum velle, quàm Memoria suum recolere, & Intellectus suum intelligere, & sic ex defectu bonitatis &c. volendi respectu bonitatis &c. recolendi & intelligendi est Conscientia, ut magnitudo augeat bonitatem &c. volendi, & si magnitudo non augeat eam, sic vivit Conscientia actu: si verò augeat eam, reducitur ipsa Conscientia in habitum; & sicut de Voluntate exemplificatum est, eodem modo est intelligendum de Memoria & Intellectu.

3. Aliquoties oritur Conscientia in radicibus Animæ & potentiis ejus isto modo: quandoque Anima agit de bono, quia recolit, intelligit & diligit simpliciter Divinam Bonitatem, sed non agit de bono sub ratione recolendi, intelligendi & diligendi, quòd Divina Bonitas sit magna vel æterna &c., & tunc oritur Conscientia, ut agat in tantum quoad DEI Magnitudinem &c., quantum ad DEI Bonitatem &c., quia est justum & bonum &c. Etiam oritur Conscientia, si Voluntas diligit bonum, & non odit malum, vel si odit malum, & non diligit bonum; nam est justum magnum bonum &c., quòd Voluntas agat utrumque, ut in suo agere sit actus Justitiæ magnitudinis bonitatis &c.

4. Conscientia quandoque est nimìs intensa isto modo; aliquando Voluntas superabundat in velle bonum, vel in nolle malum, quia timet nimìs, nec est Intellectus ei proportionatus, ut possit habere verum intelligere, nec Memoria verum recolere, & ita respectu illius superabundantiæ volendi vel nolendi suffocantur recolere & intelligere, quia radices non tantum influunt in recolere & intelligere, quantum in velle vel in nolle. Aut etiam Conscientia quandoque est nimìs extensa isto modo: videlicet, quando homines, ut non intelligant peccatum, non permittunt radices influere in Memoriam & Intellectum, ne attingant peccatum, in quo sunt: & quia radices & potentiæ Animæ quoad finem appetunt Virtutes, & odiunt Vitia, oritur naturaliter Conscientia & Contritio, & sic de aliis; & tunc affligit & remordet Conscientia. Sunt etiam alii, qui habent Conscientiam extensam alio modo, qui est bonus, & hoc sic:

dum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dum aliquis videt, quòd de bonis alterius necessariò expediat fieri bonum propter DEUM, quia omnia bona indifferenter tanquam communia debent dirigi ad divinum servitium, & expendit ea in divino servitio, quia videtur expendenti, quòd in tantum se debeant habere ad DEUM, quantum, si essent ipsius expendentis ptopria, tunc est ibi Conscientia valde extensa, quia in parte non habet Conscientiam, cùm agat propter DEUM, in parte autem habet eam, quia agit de alienis, nam timet offendere illos, qui sunt proprii possessores rei.

QUÆSTIO CXCIII.

Utrùm Memoria & Intellectus possint habere Contritionem?

1. SOlutio. Suprà dictum est, quomodo radices Animæ constituant potentias, & per hoc potest intelligi, utrùm Memoria & Intellectus possint habere Contritionem isto modo: in Anima est quædam radix, quæ est lætitia, & hæc est similitudo Gloriæ DEI, quæ, cùm sit diffusa per cæteras radices, implicat lætitias in eis, sicut bonitas similiter diffusa per easdem implicat in eis bonitates, & magnitudo magnitudines, & sic de aliis; & quia omnes istæ radices constituunt Animam & potentias ejus: ergo lætitia insimul cum cæteris constituit & Memoriam & Intellectum & Voluntatem; & sic igitur possunt habere gloriam vel lætitiam Memoria & Intellectus, sicut Voluntas; nam aliter sola Voluntas haberet gloriam vel lætitiam, quod est inconveniens & contra magnitudinem bonitatis potestatis &c. Memoriæ & Intellectûs.

2. Sicut magnitudo attingit bonitatem quoad hoc, quia bonitas est magna ratione magnitudinis, & bonitas quoad se remanet bona, ita è converso bonitas attingit magnitudinem, quia magnitudo ratione bonitatis est bona, & remanet in se magna, idem est de aliis radicibus suo modo, quâlibet earum attingente quamlibet, & permanente simpliciter id, quod est, secundùm suam qualitatem; igitur lætitia per omnes radices attingit & attingitur, & sic communicatur omnibus tribus potentiis Animæ, ita, quòd Memoria, Intellectus & Voluntas debeant habere lætitiam quoad lætitiam, de qua simul cum cæteris habent esse; quoad nos autem non apparet, quòd Memoria & Intellectus debeant ita lætari, sicut Voluntas, sicut liberum arbitrium, licèt ita sit in Memoria & Intellectu, sicut in Voluntate, apparet autem nobis esse simpliciter in Voluntate. Igitur secundùm ea, quæ dicta sunt, patet manifestè, quòd Memoria & Intellectus debeant & possint habere Contritionem; nam, sicut possunt habere lætitiam, ût probatum est, ita possunt & debent habere Contritionem & Tristitiam, quia fecerunt malum contra bonum, & parvum contra magnum, & injustum contra justum, quando commiserunt peccatum, ita, quòd, sicut magnitudo magnificat bonitatem in se & in aliis radicibus, ita similiter magnificat, quòd lætitia pœnitentis in se & in aliis implicet Contritionem, sicut in oculis fletus, & in corde Contritionem, & in ore Confessionem, & in operibus Satisfactionem.

3. Quando bonitas non influit tantum boni, nec magnitudo tantum magni, quantum potest, & sic de aliis, tunc Justitia ita excitat Contritionem in Memoria & Intellectu, sicut in Voluntate; nam, sicut bonitas, magnitudo &c. sunt defectivæ agendo quoad Voluntatem diligentem peccare, ita similiter sunt defectivæ quoad Memoriam recolentem, & quoad Intellectum intelligentem peccare; quare, si Memoria & Intellectus non haberent Contritionem, non esset in hoc completa Justitia, quia in hoc non posset fieri Satisfactio.

4. Præterea omnes radices Animæ sunt activæ & passivæ in Memoria & Intellectu: activæ quidem quoad formam, passivæ verò quoad materiam, ita, quòd Memoria est bonificativa & bonificabilis, magnificativa & magnificabilis, & sic de aliis: est quidem bonificativa, magnificativa &c., quia est producta de bonitate, magnitudine &c.; est verò bonificabilis, magnificabilis &c., quia bonitas, magnitudo &c., de quibus est producta, sunt in ea activæ & passivæ: activæ quidem quoad formam, passivæ verò quoad materiam; ac ipsa Memoria etiam est bonificativa &c., quia generat bonum recolere, & ipsum recolere est bonificabile, quia est bonificatum; hoc idem est suo modo de Intellectu & Voluntate: & inde est, cùm Memoria & Intellectus habeant passiones, videlicet, quòd possint habere Contritionem, & timeant pœnam quoad passionem, & pœnitentes exspectent Misericordiam à DEO.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CXCIV.

De Satisfactione.

1. IN radicibus Animæ & potentiis ejus fit Satisfactio isto modo: bonitas satisfacit magnitudini, quando magnitudo est bona, & è converso, quando bonitas est magna, & sic de aliis; sed aliquoties bonitas incompletè satisfacit magnitudini, & è converso, & inde oritur Contritio, & pœnitet bonitatem, quòd fecerit injuriam magnitudini, & è converso; & tunc bonitas bonificat magnitudinem, & magnitudo magnificat bonitatem, ut bonitas sit magna, & magnitudo sit bona in se & in cæteris radicibus; & sic omnes radices uniformiter satisfaciunt sibi ipsis invicem aliæ aliis secundùm magìs & minùs, quarum satisfactiones influuntur in potentias, ipsis potentiis aliis satisfacientibus aliis secundùm illam influentiam progredientem ab interiori, ex quarum potentiarum satisfactionibus etiam egrediuntur satisfactiones ad extrinsecos actus, videlicet ad recolere, intelligere & velle bonum, magnum &c., & etiam in videre, audire &c.

2. Nostra bonitas debet satisfacere Divinæ Bonitati, & nostra magnitudo Divinæ Magnitudini, & sic de aliis; quia nostra bonitas est ex Bonitate DEI & ad Bonitatem DEI; similiter etiam nostra magnitudo est ex Magnitudine DEI, & sic de aliis; & quia DEI Bonitas, Magnitudo &c. sunt idem numero, nostra bonitas tenetur satisfacere Divinæ Magnitudini &c., & nostra magnitudo Divinæ Bonitati &c., & sic de aliis; & ideo, quando nostra bonitas agit de malo, tunc repugnat Divinæ Bonitati, Magnitudini &c., & nostra magnitudo iisdem, agens magnum vel parvum malum &c., quia, sive vitium sit magnum sive parvum, semper est contra Divinam Bonitatem, magnitudinem &c.; & etiam nostra magnitudo repugnat Divinæ Magnitudini, cùm agit parvum bonum, dum potest agere magnum: unde quoad Animam debemus satisfacere isto modo.

3. Nostrum bonificare & nostrum magnificare in DEO, & sic de aliis, est Satisfactio, per quam tenemur nobis ipsis, & per quam etiam quælibet radicum est obligata alteri, & quælibet potentiarum alteri; per hanc Satisfactionem etiam tendimus ad finem, quare sumus: sed adhuc divinum bonificare, magnificare &c. in nobis est altior Satisfactio, nam ad hoc sumus creati, ut ejus Bonitatem, Magnitudinem &c. recolamus & intelligamus & diligamus de tota nostra bonitate, quia tota est illius, & de tota nostra magnitudine, quia tota est illius, & sic de aliis; sed dum tota nostra bonitas, magnitudo &c. non agunt in DEO, ût possunt in eo agere, recolendo, intelligendo & diligendo eum, tunc nostra Satisfactio, per quam sumus obligati illi, est diminuta per omnes nostras radices & potentias, quia sunt in dispositione satisfaciendi, & non satisfaciunt completè; & ita altera illarum non satisfacit alteri, sicut convenit.

4. Nemo habet excusationem, quòd non possit satisfacere suæ Memoriæ de bono magno &c. recolere, & suo Intellectui de bono magno &c. intelligere, & suæ Voluntati de bono magno &c. velle; præterea nec videtur secundùm honorem convenientem DEO, cùm sit ineffabiliter honorandus, quòd perfectè satisfaciamus ei, cùm sint plures homines in mundo, qui non cognoscunt DEUM, nec per consequens diligunt, nec illi faciunt honorem, quàm, qui cognoscunt & diligunt DEUM; nec etiam perpendimus, quòd tantam Satisfactionem reddamus radicibus Animæ, quantam radicibus corporis, & ita plùs satisfaciamus nostris sensualitatibus, quàm Divinis Dignitatibus; & propter hoc esset justum, quòd de contritione cordi, & de lachrymis & fletibus oculis satisfaceremus.

QUÆSTIO CXCV.

Quomodo fiat Transmutatio in Moralibus?

1. SOlutio. In farina & in aqua, de quibus fit panis, est bonitas, magnitudo &c., quia farina & aqua sunt de bonitate, magnitudine &c., quæ sunt similitudines DEI; & ideo, quando fit panis, tunc bonitas, magnitudo &c. farinæ & aquæ transmutantur in bonitatem, magnitudinem &c. panîs, ita, quòd eadem bonitas est illa, quæ transmutata est, sed est altera à se ipsa, quæ erat, priusquàm transmutaretur, quia modò est sub alia specie in pane, & erat sub alia, videlicet in aqua & farina; hoc idem sequitur de transmutatione bonitatis, magnitudinis &c. ex specie panîs in speciem corporis, & ex specie vini in speciem sanguinis, & ex specie sanguinis in speciem carnis substantialiter: unde

(c) 2006 Ministerio de Cultura

unde ex hac ſubſtantiali transmutatione poſſumus perpendere per ſimile, quomodo fiat accidentalis transmutatio in Moralibus iſto modo.

2. Charitas eſt bona, magna &c., ſimiliter etiam Juſtitia & cæteræ Virtutes: unde, quando fit transmutatio de Charitate in Juſtitiam, vel in aliam Virtutem, tunc bonitas, magnitudo &c. Charitatis transmutant ſe in bonitatem, magnitudinem &c. Juſtitiæ, ita, quòd nihil aliud implicetur, niſi ſola transmutatio ſpeciei; quia ipſa eadem bonitas eſt hæc, quæ nunc eſt, & quæ erat, eſt autem alia ſub Juſtitia, quæ erat alia ſub Charitate; nam Charitas & Juſtitia ſunt diverſæ, quia, licèt radices Animæ quoad unum finem reducant ſuas ſimilitudines in potentias, potentiæ tamen reducunt ſuos actus quoad diverſos fines, qui ſunt Charitas, Juſtitia &c., & ita fit ex alia illarum transmutatio in aliam, quia fines ſunt diverſi; & nihilominùs unus finis ſemper remanet una bonitas, una magnitudo &c.; & ſicut fit transmutatio de Charitate in Juſtitiam, ſic ſimiliter è converſo; & hoc idem eſt de aliis Virtutibus.

3. Quando eſt transmutatio de Virtute in Vitium, ipſa fit iſto modo: quando homo eſt in Charitate, tunc DEUS influit ſuas ſimilitudines Animæ recipienti eas in proprias ſimilitudines, & ita formatur verbum, & Charitas eſt generata de ſimilitudinibus DEI & de ſimilitudinibus Animæ; ſed quando Anima eſt rebellis, nolens in ſuas ſimilitudines recipere Divinam influentiam, quia ſuæ ſimilitudines ſe habent aut ad Gulam aut ad Luxuriam, & ſic de aliis, tunc bonitas, magnitudo &c. Animæ inducunt per ſe ſuas ſimilitudines ad aliquod Vitium, ſicut, quando homo appetit comedere propter delectationem guſtûs, non autem propter vivere, eò quòd guſtare ſit bonum, magnum &c., & ſic etiam recolere, intelligere & diligere actum guſtûs ſit bonum &c., ſic ſimilitudo bonitatis, magnitudinis &c. Animæ, quæ erat ſub ſpecie Charitatis, eſt transmutata ſub ſpeciem Gulæ &c. iſto modo: Aliquoties appetit homo comedere & bibere propter guſtare in tantum, quòd placeat ei id, quod ſentit guſtando; & tunc, ſi bonitas eſt in ſecunda intentione, quæ eſt guſtare, & non attingit primam intentionem, quæ eſt vivere, cùm vivere ſit finis ipſius guſtare, ſic iſta accidentalis bonitas, quæ eſt appetere guſtare, transmutatur de Virtute in Vitium, ita, quòd accidentaliter prima intentio fit ſecunda, & è contrario appetente homine vivere, ut poſſit comedere; & hoc modo bonitas alteratur de Virtute in Vitium, ita, quòd id, quod bonum eſt naturaliter, per accidens convertatur in malitiam; ſed quando hoc fit per oppoſitum, tunc bonitas, magnitudo &c. transmutatur de Vitio in Virtutem.

4. Secundùm ea, quæ modò dicta ſunt de Transmutatione unius Virtutis in alteram, poſſumus intelligere per oppoſitum Transmutationem unius Vitii in alterum iſto modo: quando homo eſt in Avaritia vel in Superbia vel in aliquo aliorum his ſimilium, tunc Anima tanquam bona, tanquam magna &c. inducit ſimilitudines ſuarum radicum in potentias, & de potentiis ducit eas in actus, ita, quòd recolere quoad ſimilitudines radicum eſt bonum, magnum &c., & ſimiliter intelligere & diligere vel odire, cùm iſti actus ſint creaturæ bonæ, magnæ &c.; ſed ipſa bonitas, quam homo avarus vel ſuperbus &c. habet quoad ſimilitudines radicalis bonitatis, eſt contra finem radicalis largitatis, & per conſequens contra finem recolendi, intelligendi &c., & ſic eſt transmutata in malitiam ſub ſpecie Avaritiæ; quando autem illa malitia transmutatur in malitiam Superbiæ, tunc eſt contra finem radicalis bonitatis, quæ eſt Humilitas.

QUÆSTIO CXCVI.

Quomodo in Moralibus fiat Augmentatio vel Diminutio?

1. SOlutio. Bonitas, magnitudo & cæteræ radices elementorum non augmentantur nec diminuuntur quoad ipſa elementa, ſed quoad elementata ſuppoſita generabilia & corruptibilia; nam in eis augmentantur & diminuuntur, ſicut in denariò argentum & cuprum ſecundùm augmentationem & diminutionem denarii, non autem quoad argentum & cuprum ſimpliciter, videlicet quoad ſpeciem argenti & cupri.

2. Igitur ſecundùm illa, quæ nunc dicta ſunt, manifeſtatur per ſimile, quòd bonitates, magnitudines &c. Animæ, quas habet radicales, non ſuſcipiant augmentum nec diminutionem, ſed tantùm ſimilitudines earum augmententur vel diminuantur in potentiis & actibus earum, ſicut nec elementa

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in elementato, nec cuprum nec argentum in denario; & ſic per conſequens, quia ſimilitudines radicum Animæ augmentantur & diminuuntur in actibus potentiarum Animæ, quia ipſi actus quandoque ſunt in majori, quandoque in minori, ſic per conſequens prædictæ ſimilitudines quandoque ſunt in magna Virtute vel in modica; vel diſſimilitudines eis oppoſitæ quandoque ſunt in magno Vitio vel in modico; & in hoc patet manifeſtè, quomodo Moralia augmententur vel diminuantur.

3. Charitas, quam homo habet erga DEUM, eſt major, quàm Charitas, quam habet erga ſuum proximum, quod eſt, quia DEUS eſt magìs recolibilis, magìs intelligibilis & magìs amabilis, quàm ~~aliqua~~ ulla alia creatura; ſed illa bonitas, magnitudo &c., quæ ſunt in Charitate, non diminuuntur nec augentur quoad ſpeciem bonitatis, magnitudinis &c., niſi ſub diverſis finibus, ita, quòd bonitas ſit major ſub fine Charitatis diligendo DEUM, quàm diligendo proximum; quare, ſi nec bonitas, nec cæteræ, de quibus Charitas ſimpliciter eſt conſtituta, diminuuntur nec augentur quoad ſuas ſpecies, nec per conſequens Charitas quoad ſuam ſpeciem, niſi tantùm quoad diverſos fines, cùm ipſa ſit major quoad DEUM, minor verò quoad aliud: & ſicut hìc de Charitate exemplificatum eſt, ita ſuo modo eſt intelligendum de cæteris Virtutibus, & oppoſito modo de Vitiis.

4. In Moralibus eſt augmentatio & diminutio quoad potentiam, habitum & actum, cùm actus ſit major, quàm habitus, & habitus ſit major, quàm potentia; & quantò magìs Virtutes gradatim tendunt de potentia ad habitum, & de habitu ad actum, tantò magìs gradatim augmentantur Virtutes, & diminuuntur Vitia; & è contrario ſequitur de Vitiis. Etiam alio modo contingit, quòd augmententur, vel diminuantur, videlicet in actibus potentiarum, quia Charitas vel aliqua aliarum eſt major in majoribus recolere, intelligere & velle, quàm in minoribus, ſicut per ſe patet.

QUÆSTIO CXCVII.

Quomodo Moralia cognoſcantur.

1. SOlutio. Ut habeamus notitiam de Virtutibus & Vitiis, debemus inquirere eas iſto modo: primò debemus inveſtigare in radicibus Animæ, quomodo alia illarum agat in alia; deinde, quomodo reducant ſuos actus ad potentias; deinde, quomodo alia potentiarum agat in alia, deinde, quomodo verbum productum de potentiis ſit ſituatum; deinde, quomodo Rationativa, Imaginativa, Senſitiva & Vegetativa ſe habeant, & quomodo quælibet iſtarum vel cauſaliter vel occaſionaliter moveat aliam; & ultimò debent omnia iſta reduci ad finem, videlicet ad primam & ſecundam intentionem, utrùm ſint in Virtute vel Vitio iſto modo.

2. Radices Animæ ſunt bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas &c.; ſed quoad præſens volumus proſequi de Poteſtate; & dicimus, quòd Poteſtas ſe infundat & communicet bonitati, magnitudini &c., ut bonitas habeat poteſtatem bonificandi, & magnitudo magnificandi &c.; atque illa Virtus, quæ à Poteſtate influitur in bonitatem, magnitudinem &c., refluit ad ipſammet Poteſtatem, ut ipſa Poteſtas poſſit poſſificare de ſe & de bonitate, magnitudine &c., ut poſſificare ſit bonum, magnum &c., & ut illa influentia Poteſtatis ſit fluens & refluens; quando refluit in Poteſtatem, tunc venit cum influentia bonitatis, magnitudinis &c., & iterum refluit cum influentia Poteſtatis in bonitatem, magnitudinem &c., ut bonitas poſſit bonificare, & magnitudo magnificare &c.: & ideo ille homo, in quo fit hic fluxus & refluxus, eſt in Virtute; ſi verò hic fluxus & refluxus ſit impeditus, Poteſtas influit in contrarium bonitatis, magnitudinis &c., & refluit, & ſic eſt homo in Vitio. Sicut in radicibus Animæ nunc exemplificavimus de Poteſtate, ita de eadem volumus declarare in potentiis iſto modo.

3. Poteſtas eſt in potentiis, quia Memoria poteſt recolere, & Intellectus intelligere, & Voluntas velle vel nolle; igitur, ſi Memoria recolat cum ſua poteſtate ita ordinata, ſicut nunc prædictum eſt, tunc eſt ipſum recolere in Virtute, idem eſt de intelligere & velle; ſi verò illa Poteſtas vertitur in contrarium, tunc ſunt ipſum recolere, intelligere & velle in Vitio; ſi autem ſunt in Virtute, tunc producunt verbum in Virtute, quæ Virtus eſt bona, magna &c., quia ipſum verbum eſt conſtitutum de ſimilitudinibus radicum Animæ cum ordinata poteſtate, bonitate &c.: ſi autem verbum producatur ab eis in contrarium, tunc ſunt ipſum recolere, intelligere & velle in Vitio, quia ipſum verbum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bum cum inordinata poteſtate & ſinè influentia bonitatis, magnitudinis &c. eſt conſtitutum in Vitio, unde ſequuntur vitioſi actus potentiarum, & per conſequens ipſæ potentiæ vitioſæ.

4. Præterea Virtutes & Vitia in *ordinatione* actûs & in *ordinatione* potentiarum cognoſcuntur iſto modo: quando Rationativa movet cæteras potentias quoad ſuum finem, ita, quòd cæteræ potentiæ ſint motæ per ſecundam intentionem, tunc eſt in illo motu Virtus, quia eſt juſtum, quòd Rationativa ſit finis aliarum potentiarum, quia magnitudo eſt major in bonitate, durationе, poteſtate &c. Rationativæ, quàm aliarum potentiarum; ſi verò magnitudo ſe magìs communicat poteſtati aliarum potentiarum, quàm poteſtati Rationativæ, ſic magnitudo & poteſtas ſunt in Vitio, quia eſt injuſtum & malum &c.; hoc idem ſequitur de actibus potentiarum Rationativæ, videlicet de recolere, intelligere & velle vel nolle, & de actibus & potentiis Imaginativæ, Senſitivæ & Vegetativæ, quæ injuriosè & malitiosè agunt contra ſuum finem & ſuam formam.

QUÆSTIO CXCVIII.

Utrùm Homo habeat majorem Aptitudinem habendi Virtutes, quàm Vitia?

1. SOlutio. Sicut dictum eſt, ſuperiora principia Animæ, quæ ſunt radices ejus, ſunt ordinata ad finem, quare ſunt, & ſimiliter potentiæ ipſius Animæ & radices aliarum potentiarum; ſcilicet Imaginativæ, Senſitivæ & Vegetativæ; & DEUS eſt paratus influere ſuas ſimilitudines in eas agendo, ſicut influxit eas in creando ipſas potentias & omne rationabile, imaginabile, ſenſibile & vegetabile: unde ex hoc patet, quòd meliùs ſimus apti & diſpoſiti ad habendum Virtutes, quàm Vitia. Præterea Virtutes habent ſe ad finem, nam ſunt creatæ ad habendum finem, ſed Vitia habent ſe ad nullum finem, niſi ad finem, qui eſt privatio finîs Virtutis; igitur habent ſe Virtutes ad *eſſe*, Vitia verò ad privationem. Reſtat ergo, quòd Virtutes ſint nobis magìs diſpoſitæ, quàm Vitia; & ſic habemus majorem poteſtatem quoad Virtutes, quàm quoad Vitia. Sed quia nos & noſtræ Virtutes ſumus creati de nihilo, ideo ſumus magìs apti & dediti ad habendum Vitia, quàm Virtutes quoad hoc, de quo venimus, videlicet de nihilo; & hoc iſto modo:

2. In Virtutibus eſt bonitas, magnitudo &c., in Vitiis verò eſt malitia & mala magnitudo & perverſa & injuſta & imperfecta &c.; hæc magnitudo autem eſt contraria in bonitate &c. creatæ magnitudini, quæ conſiſtit in Virtutibus; per conſequens etiam hæc mala magnitudo minorificat bonam magnitudinem &c.: & ideo, quia nos venimus de nihilo, ac etiam ipſa Vitia ſunt de nihilo convenientia cum minoritate & privatione, ſunt ipſa Vitia aptà, quòd faciliùs habeamus ea, quàm Virtutes; & ratio, quare hoc eſt, eſt dicta, & patet etiam iſto modo:

3. Quoniam in Virtutibus eſt magnitudo, & in Vitiis minoritas, & Virtutes ſunt gravioris acquiſitionis in magna magnitudine, quàm Vitia, & hoc, ut materiæ radicum Animæ magìs patiantur, & earum formæ magìs agant, quantò magìs laboriosè Virtutes acquiruntur propter majus meritum, & quia etiam proniùs evitamus magnos labores, quàm modicos, quia, cùm ſimus de modico, id eſt, de nihilo, ideo poſſumus modicum pati, & ſi modicum vel nihil appetimus pati, modicam vel nullam actionem appetimus eſſe in nobis, & per conſequens modicam vel nullam formam vel Virtutem. Sed ex hoc, quia per gratiam DEI ſumus conſtituti ex bonitate, magnitudine &c., quæ ſunt ſimilitudines DEI, ſumus apti potiùs habere Virtutes, quàm Vitia, iſto modo:

4. In phantaſtico verbo ſunt aliæ ſimilitudines quoad agens, aliæ verò quoad patiens, videlicet quoad objectum: illæ quidem, quæ ſe habent ratione agentis, habent ſe quoad formam, quia generant verbum; ſed illæ, quæ ſe habent quoad objectum, habent ſe quoad materiam, quia ſunt agibiles, ut liberum arbitrium, quod habemus, remaneat in magnitudine bonitatis, poteſtatis &c.; & ideo, quando generatur verbum, tunc agit forma, & patitur materia, & forma, videlicet bonitas, magnitudo &c. agentis agens ût forma in ſuam ſimilitudinem, tanquam in ſuámmet materiam, reducit materiam & formam, quæ ſunt ſimilitudines objecti, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. objecti; & quia ſimilitudines agentis in ipſo verbo fortificantur à radicibus, quarum ipſæ ſunt ſimilitudines, & ſimilitudines objecti quoad objectum non habent vires, quia ſunt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

deciſæ ab eo, nec agitantur ab eo, nec per conſequens tantum poſſunt iſtæ, quantum illæ agentis, cùm illæ agentis ſint bonæ &c. quoad exiſtere & creare (agere); igitur manifeſtè declaratur, quòd ſimilitudines ipſius agentis ſint magìs aptæ habere Virtutes, quàm Vitia, quæ ſunt contraria ſimilitudinibus radicum Animæ.

QUÆSTIO CXCIX.

Quomodo Virtutes habeantur per Infuſionem & per Acquiſitionem?

1. SOlutio. Quando Fides vel Spes vel Charitas, & ſic de aliis, infunditur, ita, quòd homo credit DEUM eſſe & cæteros Articulos, tunc Divinæ Dignitates influunt ſuas ſimilitudines in credentem, & ſimilitudines Animæ influuntur à radicibus Animæ infuſivè, ita, quòd ſimilitudines DEI advenientes ad *eſſe* reducant ſimilitudines Animæ iſto modo: Divina Bonitas, & ſic de Magnitudine &c., influit ſuam ſimilitudinem in bonitatem Animæ, & etiam in magnitudinem &c. illius, Anima verò recipit objectivè illas ſimilitudines transeuntes per potentias Animæ, quæ ſunt bonæ, & generat inde verbum ſubjectum Fidei, in quo ſunt ſimilitudines DEI & ſimilitudines Animæ; ſed ſimilitudines DEI ſunt in illo verbo fortiores, quàm ſimilitudines Animæ, ita, quòd potentiæ ſunt activæ quoad ſimilitudines DEI, & paſſivæ quoad ſuásmet ſimilitudines: & iſto modo Fides non acquiritur, ſed infunditur, & permanet Liberum Arbitrium, quia ſimilitudines & potentiæ Animæ agunt liberè, quia liberè recipiunt & volunt recipere majorem influentiam bonitatis, magnitudinis &c. ex ſimilitudinibus DEI, quàm ex ſuísmet ſimilitudinibus.

2. Præterea Virtutes infunduntur de potentia in habitum & in actum iſto modo: cùm homo exiſtens in peccato non habeat poteſtatem, quòd per ſe ſurgat de peccato, quia propter peccatum ejus vires adeò ſunt diminutæ in radicibus Animæ, quòd non habeant Virtutes habitu nec actu, tunc Divina Magnitudo, Bonitas & Miſericordia &c. communicant ſe bonitati, magnitudini &c. Animæ peccatoris, ita, quòd peccator infuſivè reſurgat à peccato, & hoc ita ſubitò, quòd acquiſitio Virtutum non poteſt ibi eſſe; & tunc induitunam Virtutem actu, ſed cæteras habitu & potentiâ.

3. Quando Virtutes acquiruntur, tunc ſimilitudines objectorum & ſimilitudines acquirentis habent ſe in verbo ex eis conſtituto iſto modo: ſimilitudines acquirentis, quæ ſunt bonitas, magnitudo &c., habent ſe quoad formas, ſimilitudines verò objectorum quoad materiam, quia ſimilitudines acquirentis Virtutes habent influentiam ex principiis ipſius acquirentis, quæ ſcilicet principia quoad ſe influunt ſimilitudines ipſius verbi, & hæ ſimilitudines verbi ſunt propinquæ, quibus mediantibus acquiruntur ſimilitudines remotæ, abſtractæ ab objecto, quæ ſcilicet ſimilitudines abſtractæ in verbum non habent influentiam ab objecto, & ideo ſunt paſſivæ; propinquæ ſimilitudines verò ſunt activæ; & ſic per modum agendi & patiendi ſucceſſivè acquiruntur Virtutes, & attinguntur iſto modo.

4. Juſtum eſt, quòd Infideles convertantur, & dentur Eleemoſynæ pauperibus, & cætera hujusmodi bona fiant, & hoc eſt bonum, magnum &c.; unde, quando bonitas, magnitudo &c. Animæ influunt ſuas ſimilitudines in recolere, intelligere & velle, & Memoria & Intellectus & Voluntas ſunt in Juſtitia, tunc ſimilitudines convertendi Infideles, & faciendi eleemoſynas, & ſic de aliis hujusmodi, ſubſtant ſimilitudinibus Juſtitiæ, quæ acquiruntur agendo, videlicet prædicando Infidelibus, & dando eleemoſynas, & præparando materiam ad hoc: & quia hæc omnia important ſucceſſionem, debent acquiri & attingi Virtutes per ipſam ſucceſſionem movendo ad finem id, quod ſe habet ad finem, ut ipſe finis ſit actu.

QUÆSTIO CC.

Utrùm Virtutes & Vitia ſint Creaturæ?

1. SOlutio. DEUS, quantum potuit, aſſimilavit ſibi Animam, ſecundùm quòd Anima potuit recipere ejus ſimilitudines; & ideo, ſi Virtutes Animæ ſint creaturæ, eſt Anima melior & major &c., quàm ſi ipſæ Virtutes non ſunt creaturæ; nam, quantò plus boni, magni &c. DEUS creat in Anima, tantò melior, major &c. eſt ipſa, & tantò ſimilior eſt ejus bonitas, magnitudo &c. Divinæ Bonitati, Magnitudini &c.: ergo Fides, Spes & cæteræ Virtutes in Anima ſunt creaturæ aſſituatæ habitu & potentiâ per creationem in ipſa Anima; & ideo Anima reducit mediante

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mediante DEO ſuas Virtutes ad actum iſto modo.

2. Bonitas & cætera principia Animæ ſunt creaturæ, & per conſequens potentiæ Animæ & actus earum; in his autem DEUS habituavit Virtutes quoad formas, ita, quòd bonitas quoad formam eſt in ſe & in magnitudine &c. bonificativa, ac etiam in recolere, intelligere & velle; & ſic per conſequens DEUS diſpoſuit Virtutes quoad materiam, ita, quòd bonificativum poſſit bonificare in ſe & in magnitudine &c. ſuum actum, qui eſt bonificare, ita, quòd in ſua propria materia & in propria materia magnitudinis &c. ſit bonificativum; & hoc idem ſequitur in potentiis usque ad actus earum: & ita bonitas quoad formam habet Virtutes habitu, & habet in potentia quoad materiam eas reducere ad actum iſto modo.

3. In Anima magnitudo magnificat in ſe & in bonitate, & bonitas bonificat in ſe & in magnitudine, & ſic de aliis principiis; materia verò, de qua hoc habet fieri, ſunt Virtutes, quæ ſunt habituatæ in formis, & reducuntur in actum, agente quâlibet formâ in ſua materia & in alia, reducendo ad actum id, quod habet in habitu; & ſic Virtutes Animæ reducuntur ad actum, in quo ipſæ Virtutes ſunt creaturæ & operationes Animæ; ſunt quidem creaturæ, quia, priusquàm eſſent in actu, jam erant in habitu & potentia; nam aliter bonificativum non haberet poteſtatem agendi bonum, nec ſimiliter magnificativum magnum &c.; ſunt etiam operationes Animæ, quia de potentia & habitu reducuntur ad actum.

4. Ad ſolum DEUM pertinet creare, ſed ad creaturam, quòd reducat ad actum illam creaturam, quam habet in habitu & potentia, hoc agere autem non eſt creare; & quia Virtutes bonæ, magnæ &c. concordant cum ſuis principiis, videlicet cum radicibus & potentiis Animæ, & quia Vitia ſunt contraria Virtutibus, & per conſequens ipſis principiis Virtutum, & quia etiam ſunt contraria ipſis principiis Virtutum, ſunt contraria Virtutibus: ideo Vitia non ſunt naturaliter habitu neque potentiâ in principiis Animæ, nec in potentiis ejus, quia ſic eſſet opoſitum in objecto, quod eſt impoſſibile: ſed quia Anima habet poteſtatem agendi de creaturis, reducendo eas de habitu & potentia ad actum, ideo ſunt Vitia operationes Animæ iſto modo.

Homo, ſi vult, poteſt agere quoad bonum, magnum &c., cùm habeat poteſtatem ad hoc; & ſi non agit quoad bonum, ſed quoad malum, & non quoad magnum in bono &c., ſed quoad magnum in malo &c., generantur Vitia ex malis operationibus Animæ, quorum eſſentia (ût ita loquamur) ſunt privationes bonorum operum Animæ, quæ malæ operationes quoad Animam ſunt in ipſa Anima habitu & potentiâ, ût operationes, non autem ût creaturæ, cùm ipſæ, quia ſunt privationes bonorum operum, nihil ſint in re, niſi tantùm in ratione; quod patet iſto modo.

Bonum & malum opponuntur, & ſic de aliis; & bonum & ens convertuntur, non autem malum & ens; quia ſequeretur, quòd bonum & malum eſſent idem, & per conſequens bonum & non bonum, malum & non malum, quod eſt impoſſibile: ergo privationes Virtutum non ſunt in re, ſunt autem in ratione iſto modo.

Quando Voluntas non vult agere bonum, tunc in hoc privatur bonum agere, & ducitur malum agere in actum, & tunc bonitas agit quoad malum, & per conſequens Voluntas & cæteræ potentiæ; ſubjectum autem iſtius mali agere eſt alteratio rationis, quia Voluntas debet agere ſub ratione boni, magni &c., & agit ſub ratione mali, parvi &c., & ſimiliter cæteræ potentiæ Animæ; & ita Vitia habent ſubjectum implicatum de rationibus alteratis in contrarium *eſſe* & in contrarium finem; & ſic ipſa Vitia ſunt tantùm in ratione, non autem in re; & quantum ad hoc, bene dicitur, quòd peccatum nihil ſit, quia ita eſt in rei veritate.

QUÆSTIO CCI.

Utrùm DEUS ſit magìs intelligibilis, quàm credibilis?

1. SOlutio. Suppoſitio & credere habent concordantiam, & ſimiliter demonſtratio & intelligere: unde, ſicut habent ſe ſuppoſitio & demonſtratio, quia ſuppoſitio eſt, ut ſit demonſtratio, ita habent ſe credere & intelligere, ergo credere eſt, ut ſit intelligere; igitur finis eſt intelligere, ad quem ſe habet credere; reſtat ergo, quòd DEUS ſit magìs intelligibilis, quàm credibilis; quia, niſi ſic eſſet, DEUS eſſet intelligibilis in minoritate bonitatis, magnitudinis &c., quod eſt impoſſibile.

2. Bonitates, magnitudines &c. Animæ conſti-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

constituunt potentias ipsius Animæ, ût jam dictum est; igitur, si DEUS esset magìs credibilis, quàm intelligibilis, esset magìs credibilis, quàm recolibilis & volibilis (cùm prædictæ bonitates, magnitudines &c. uniformiter concurrant, ut æquales reddant potentias, & per consequens actus earum) & hoc modo DEUS non esset objectabilis secundùm magnitudinem bonitatis, magnitudinis &c., sed potiùs secundùm minoritatem earum, quod est valde inconveniens.

3. Si DEUS esset magìs credibilis quoad Voluntatem, quàm intelligibilis quoad Intellectum, principia Animæ & potentiæ ejus essent incompleta & contraria, ita, quòd magnitudo Animæ esset contra magnitudinem bonitatis, & è converso, & sic de aliis, nec Largitas & Justitia bene se haberent cum Perfectione, Gloriâ, Veritate &c.: & hoc modo similitudines DEI & similitudines Animæ haberent majorem Concordantiam quoad incompletum & quoad Contrarietatem, quàm quoad completum & quoad Concordantiam, quod est impossibile: ergo DEUS non est magìs credibilis, quàm intelligibilis.

4. Si DEUS est magìs intelligibilis quoad se, & magìs credibilis quoad nos, formæ radicum Animæ sunt magìs completæ quoad nos, & minùs quoad DEUM: magìs quidem quoad nos, quia per eas possumus plus credere, quàm intelligere, & sic credibilitas habet majorem proportionem cum creditivo, quàm intelligibilitas cum intellectivo, & sic magnitudo Justitiæ honoris & perfectionis deficiunt in Anima bonitati, potestati, virtuti & gloriæ, & è converso, quod naturaliter est impossibile: ergo DEUS non est magìs credibilis, quàm intelligibilis.

QUÆSTIO CCII.

Utrùm Exaltatio Cognitionis Intellectûs sit Diminutio Fidei?

1. SOlutio. Intellectus & Fides concordant, quia credere & intelligere sunt actus Intellectûs; & quantò plùs Intellectus intelligit in sciendo DEUM, tantò plûs ascendit habitus Fidei in credendo DEUM; & quantò plùs ascendit Fides in credendo DEUM, tantò plus ascendit habitus Intellectûs in sciendo DEUM; & ita credere & scire habent Concordantiam secundùm suos actus & habitus, & secundùm suas potentias: nam Intellectus potest magìs ascendere per majoritatem credentiæ, quàm per minoritatem, & è converso Fides potest magìs ascendere per majoritatem cognitionis, quàm per minoritatem; & sic manifestè patet, quòd exaltatio cognitionis Intellectûs non repugnet magnitudini Fidei.

2. Credere est per secundam intentionem, intelligere verò per primam, ût dictum est; quare, si magnitudo bonitatis &c. intelligendi esset contra magnitudinem bonitatis &c. credendi, sequeretur existente credere per secundam intentionem, & intelligere per primam, quòd prima intentio & secunda se haberent in contrario, quod est impossibile: ergo per Exaltationem Cognitionis Intellectûs non diminuitur Fides.

3. Divina Voluntas vult, quòd humanus Intellectus credat illud verum Divini Intellectûs, quod non potest intelligere; & similiter Divinus Intellectus vult, quòd humanus Intellectus credat illud verum Divinæ Voluntatis, quod non potest intelligere; & per consequens sequitur, quòd humanus Intellectus intelligat illud verum Divini Intellectûs, quod potest intelligere, & Divinus Intellectus simpliciter vult, quòd intelligat illud verum Divinæ Voluntatis, quod potest intelligere: & ex hoc manifestè patet, quòd in Exaltatione Intellectûs non diminuatur Fides, quia aliàs esset Contrarietas inter Divinam Voluntatem & Intellectum, quod est impossibile.

4. Si est inconveniens, quòd homo in hac vita intelligat, DEUM esse Unum & Trinum & Incarnatum & cæteros Articulos, ne perdat meritum credendi ipsos Articulos, sic sequitur, quòd finalis intentio, quare homo est creatus, sit, ut ipse habeat magnum meritum, & per magnum meritum magnam gloriam, non autem, ut DEUS multùm cognoscatur & diligatur ab homine: ergo gloria hominis est major finis homini, quàm cognoscere & diligere DEUM, quod est impossibile & contra Bonitatem, Magnitudinem &c. DEI, & contra bonitatem, magnitndinem &c. hominis; ergo manifestè patet, quòd Fides non diminuatur in Exaltatione Cognitionis Intellectûs, sed potiùs, in quantò majori gradu cognitionis Finis est, in tantò nobiliori gradu est id, quod se habet ad finem.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CCIII.

Utrùm credendum ſit de DEO id, quod eſt magìs concordans cum Virtutibus, & etiam magìs contrarians Vitiis?

1. SOlutio. Secundùm quòd dictum eſt, Virtutes ſunt ſimilitudines radicum Animæ, ita, quòd Anima ratione bonitatis &c. eſt bona &c., & Virtutes ſimiliter ſunt bonæ &c., oppoſitum autem eſt de Vitiis; nam Vitia ſunt diſſimilitudines radicum Animæ & earum ſimilitudinum, de quibus Virtutes ſunt conſtitutæ; unde, ſi in DEO ſunt Bonitas, Magnitudo &c., habet Anima ſimilitudines Divinæ Bonitatis, Magnitudinis &c., quibus ſimilitudinibus mediantibus Virtutes, cùm habeant ſimilitudines prædictarum ſimilitudinum, de quibus ſunt conſtitutæ, habent majorem concordantiam cum DEO & cum ſe ipſis, & magìs contrariantur Vitiis; ſi autem in DEO non ſunt Bonitas, Magnitudo &c., nihilominùs ipſæ Virtutes ſunt concordantes ad invicem cum ſémet ipſis, & plùs per ſe ipſas ſimpliciter contrariantur Vitiis, quàm per DEUM, & ſic eſt poſſibile, quòd inter DEUM & Vitia ſit Concordantia, quod eſt impoſſibile: ergo in DEO ſunt Bonitas, Magnitudo &c.

2. Eſt credibile & credendum, quòd Divina Bonitas ſit bonificativa & bonificabilis, & Divina Magnitudo magnificativa & magnificabilis, & ſic de aliis: ratio autem, quare hoc eſt credibile, eſt, quia Fides eſt major in credendo iſta de Bonitate, Magnitudine &c. DEI, & eſſet minor, niſi crederet iſta: quia plus eſt credere, quòd Bonitas DEI ſit & agat, quàm quòd illa ſit & non agat, & ſic de aliis; igitur manifeſtè patet, quòd Bonitas DEI ſit in DEO bonificans, & ejus Magnitudo ſit in eo magnificans, & ſic de aliis, ita, quòd ipſa Bonitas ſit de ſe bonificans & bonificabilis, & ejus Magnitudo de ſe magnificans & magnificabilis: quia, niſi tale agere eſſet in DEO intrinſecè, eſſet Fides magna quoad ſe ſecundùm bonum verum &c., & non magna &c., ſed parva quoad DEUM, & ita Fides quoad ſe haberet contrarietatem cum Vitiis, ſed quoad DEUM & quoad verum haberet concordantiam cum Vitiis, quod eſt impoſſibile: ergo credendum eſt id, quod magìs concordat cum Virtutibus, & magìs contrariatur Vitiis.

3. Si DEUS eſt Incarnatus, ejus Bonitas plùs bonificavit creaturam, & ejus Magnitudo plùs magnificavit eam, & ſic de aliis; ſi verò non eſt incarnatus, minùs bonificavit & magnificavit eam; & quia ſecundùm Fidem eſt credendum, & ſecundùm Spem ſperandum id eſſe de DEO, per quod ſua Bonitas, ſua Magnitudo &c. agant in creatura id, per quod Charitas cum Juſtitia & Prudentia plùs poteſt reſiſtere Vitiis, & per quod maximè in ſumma Charitate poſſumus diligere DEUM: ergo DEUS eſt Incarnatus; nam aliter Virtus plus poſſet quoad hoc, quod non eſt verum, contra Vitia, minus verò quoad hoc, quod eſt verum; quod eſt impoſſibile: ergo credendum eſt id, quod magìs concordat cum Virtutibus, & contrariatur Vitiis.

4. Si in Voluntate DEI eſt noſtra Reſurrectio, ita, quòd velit nos reſuſcitare, & ſua Miſericordia nobis parcere, & ſua Juſtitia nos judicare, & ſic de aliis, plùs poſſumus in hoc credere & ſperare de DEO bonitatem, magnitudinem &c.; ſi verò non, minùs; & ſic in Divina Voluntate non eſt Magnitudo Bonitatis, quia non influit in nos illam Virtutem, per quam noſtræ Virtutes plùs poſſint accedere ad bonitatem & magnitudinem, & per quam ſe poſſint plùs elongare à Vitiis, quod eſt impoſſibile: reſtat igitur, quòd in Divina Voluntate ſit noſtra Reſurrectio ipsâ volente, potente & ſciente &c. nos reſuſcitare.

QUÆSTIO CCIV.

Utrùm Vitia ſint, ut Virtutes ſint majores?

1. SOlutio. Ignis calefacit Aërem & Terram, Aqua verò ex oppoſito frigefacit Terram & Aërem, & ſic Ignis & Aqua habent contrarietatem in Aëre & in Terra; ſed quando Ignis calefacit Aërem & Terram in tantum, quòd Aqua non poteſt tantum eos frigefacere, tunc Ignis plùs agit in Aërem & in Terram, quàm ſi Aqua non eſſet, quia agit cum Aëre & cum Terra concordando, & cum Aqua contrariando ei; nam Aqua contrariatur Igni, quantum poteſt, ſed illa contrarietas ex parte Aquæ contra Ignem non venit ad finem, quia non poteſt, ſed finis Ignîs attingitur calefaciendo Aërem & Terram, contrariando Aquæ.

2. Secundùm hanc præpoſitam metaphoram patet Solutio ad quæſtionem; nam Vitia contrariantur Virtutibus, & è converſo;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quoad Virtutes quidem ſumus in bonitate, magnitudine &c., ſed quoad Vitia ſumus in oppoſito bonitatis, magnitudinis &c.: igitur, quando quoad Virtutes nos tenemus in bonitate contra malitiam, & in magnitudine contra parvitatem, & ſic de aliis, tunc ſunt Vitia occaſiones vel materia exaltationis Virtutum, in quantum poſſibile eſt, quòd ſint occaſiones illius exaltationis; ſed quando ſunt reductiva de potentia in actum, tunc ſunt contra Virtutes in tantum, quòd Virtutes reducantur in privationem, & per conſequens earum bonitas, magnitudo &c.

3. Anima poteſt habere majorem Charitatem, ſi diligit bonum, & odit malum, quàm ſi diligit bonum, & non odit malum; & ſimiliter, ſi quis diligit Caſtitatem, & odit Luxuriam, diligit plùs Caſtitatem, quàm ſi diligeret Caſtitatem, & non odiret Luxuriam; unde, ſi malum, id eſt, Vitium non eſſet, non eſſet odibile; & ſi non eſſet odibile, non eſſet oditivum, & per conſequens Virtutes non eſſent tantum diligibiles, ſi Vitia non eſſent odibilia.

4. Bonum non eſt, ut ſit malum, quia ſic malum eſſet finis, & bonum ſe haberet ad illud, quod eſt impoſſibile: nec etiam eſſet contrarietas inter bonum & malum, quod ſimiliter eſt impoſſibile: eſt autem malum, ut ſit bonum, non tamen ita, quòd ſit concordantia inter bonum & malum, ſed per modum contrarietatis inter bonum & malum, ita, quòd per illam contrarietatem bonum ſit in altiori gradu; & propter hoc ſequitur, quòd malum ſit, ut ſit bonum, & non ita, quòd malum habeat ſuum finem in bono; quia ſi ſic, jam eſſet bonum & non bonum, quod eſt impoſſibile: quare ſecundùm hæc, quæ de bono & malo hìc dicta ſunt, poſſumus intelligere, quòd Vitia ſint occaſionaliter, ut Virtutes poſſint eſſe majores.

QUÆSTIO CCV.

Utrùm Luxuria priùs incipiat in Volibili, quàm in Volitivo?

1. SOlutio. In phyſico corpore priùs eſt appetibile in Appetitiva, quàm retentibile in Retentiva; & priùs eſt retentibile in Retentiva, quàm digeſtibile in Digeſtiva; & priùs etiam eſt digeſtibile in Digeſtiva, quàm expulſibile in Expulſiva; nam aliter in phyſico corpore non eſſet motus nec alteratio nec ſucceſſio, quod eſt impoſſibile; unde ſignificatur ſolutio ad quæſtionem iſto modo: propinquum volibile & volitivum ſunt eſſe Voluntatis, quod eſt eductum de radicibus Animæ, videlicet de bonificativo & bonificabili, magnificativo & magnificabili; & ſic bonificativum & magnificativum &c. conſtituunt volitivum, & bonificabile, magnificabile &c. conſtituunt volibile; ſed remotum volibile eſt intellectivum & intelligibile, & recolitivum & recolibile, & ſimiliter ſenſitivum & ſenſibile &c.; igitur quoad viſum incipit volitivum in remoto volibili, viro vidente mulierem, quam concupiſcit; deinde ſe transfert ad aliud remotum volibile, quod eſt intelligi mulierem & delectationem tactûs, & adhuc volitivum non eſt in actu Luxuriæ, donec ad ſuum propinquum volibile attrahat remotum volibile influens de propinquo volibili ad remotum volibile iſto modo.

2. Finalis cauſa, quare artifex fabricat domum, eſt habitare; igitur habitare eſt priùs in natura cauſæ ipſius domûs, quàm ſit ipſa domus, ſed ſecundariè priùs incipit ædificare cameram, quàm habitare in ea; ſimili modo eſt de Luxuria, nam Luxurioſus in ſuo propinquo volitivo & volibili priùs finaliter incipit luxuriari, quàm in ſuo remoto volibili; ſed in remoto priùs incipit in ſenſu, nec adhuc eſt Luxuria, ſicut domus in ædificando non eſt domus, niſi tantùm in ratione artificis; igitur in principio, quando de ſenſu incipit, quod eſt remotum volibile, non eſt adhuc Luxuria, donec à volitivo remotum volibile ſit translatum ad propinquum volibile, & tunc ipſum propinquum volibile inficit ipſum volitivum, & volitivum propinquum & remotum volibile iſto modo.

3. In propinquo volibili ſunt quoad creationem bonitas, magnitudo &c., & ſimiliter in volitivo; & ideo, quando propinquum volibile inhoneſtè ſubſtat ſuo volitivo, pervertitur ipſum volitivum in malitiam, & per conſequens volibile; & ex hac mala intenſa perverſione, quæ eſt intrà, influitur mala perverſio in remotum volibile, ita, quòd bonitas &c. remoti volibilis pervertatur in malitiam; & ex hoc patet, quòd Luxuria æqualiter incipiat in intrinſeco volitivo & volibili, non autem in remoto, quia priùs eſt in volitivo, quàm in ſenſu quoad viſum & tactum.

4. Sicut Luxuria priùs incipit in propinquo volibili, quàm in remoto, quoad Voluntatem,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tatem, ita conſequenter priùs incipit in propinquo recolibili, quàm in remoto, & ſic de Intellectu; hoc autem patet, quia bonitas eſt una eadem in radice inter Voluntatem, Memoriam & Intellectum; & ideo, quando ipſa bonitas ſe pervertit in agendo malum, pervertit ſe totam; nam, niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd eſſentia bonitatis &c. Memoriæ, Intellectûs & Voluntatis non eſſet una eadem in radice; quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO CCVI.

Quod Vitium ſit majus, aut Avaritia, aut Superbia?

1. SOlutio. Avaritia & Largitas ſunt oppoſitæ, & Superbia & Humilitas; & quia in DEO eſt Largitas, largiente DEO Patre totum ſe ipſum in Filio & Sancto Spiritu, & non eſt in DEO Humilitas humiliante Patre ſe Filio & Sancto Spiritui: igitur eſt Avaritia magìs contraria Largitati DEI, quàm Superbia Humilitati DEI, quam Humilitatem ſcilicet DEUS habet erga nos, humilians ſe creando nos & redimendo nos & parcendo nobis, & ſic de aliis; ergo illud Vitium eſt majus in nobis, quod eſt plùs contra DEUM; ſed tale eſt Avaritia, ût patet: ergo Avaritia eſt majus Vitium, quàm Superbia.

2. Quoniam in DEO eſt Largitas, & ipſe creavit nos ad ſuam ſimilitudinem, eſt Anima cujuslibet noſtrûm conſtituta de creata largitate, ſicut de creata bonitate, creata magnitudine &c.; veruntamen non creavit DEUS in nobis Humilitatem, ut per Humilitatem ſimus ſimiles DEO, quam non habet in ſe; ſed quia DEUS habet hanc Humilitatem erga nos, ideo creavit Humilitatem in nobis, ut in hoc ſimus illi ſimiles, ut habeamus Humilitatem erga DEUM, ſicut ipſe erga nos: & quia DEUS habet Largitatem erga ſe ipſum, ſimiliter etiam erga nos, & non habet Humilitatem erga ſe ipſum, ſed erga nos: igitur eſt manifeſtum, quòd Superbia non ſit in tantum contra magnitudinem bonitatis nobilitatis Humilitatis, quàm Avaritia contra magnitudinem bonitatis nobilitatis &c. Largitatis.

3. Largitas eſt una radix Animæ, & hæc ſe diffundit in alias radices Animæ, ita, quòd bonitas, magnitudo &c. habeant Largitatem; & ideo, quando in homine eſt Avaritia, tunc Largitas, quæ eſt una illarum radicum, agit ſuî oppoſitum in ſe & in cæteris radicibus; ſed quia omnes & ſingulæ radices ipſius Animæ Rationativæ, Imaginativæ, Senſitivæ & Vegetativæ ſunt diminutæ in hoc, quia de nihilo ſunt creatæ, agit non tantum Largitas ſuî oppoſitum in avaro homine, quantum Humilitas in ſuperbo homine: nam omnes radices in ſuperbo actu agunt contrarium Humilitatis, quia Humilitas eſt innata cuilibet earum actu, quia omnes & quælibet per ſe venerunt de nihilo; & ſic quælibet earum agit ſuum contrarium & contrarium cujuslibet alterius; ſed in Avaro omnes radices non agunt actu contrarium Largitatis, niſi ſola ipſa Largitas, ſed ſunt habitus & potentia illi perverſæ actioni Largitatis: ergo eſt manifeſtum, quòd Superbia iſto modo ſit pejus Vitium, quàm Avaritia.

4. Bonitas, Magnitudo &c. DEI concordant cum Majoritate, ſed bonitas, magnitudo &c. noſtrûm concordant cum minoritate; igitur, quando Superbia eſt in nobis, noſtra magnitudo contrariatur Magnitudini DEI, & è converſo, ac etiam minoritas bonitatis, magnitudinis &c. noſtrî contrariatur Majoritati Bonitatis, Magnitudinis &c. DEI, & è converſo; hæc contrarietas autem eſt major in malo &c., quàm contrarietas noſtræ Largitatis perverſæ in malum &c. & Largitatis DEI converſæ in bonum &c., quia Superbia immediatè contrariatur cuilibet Dignitati DEI, ſed Avaritia mediatè, ût ſuperiùs ſignificatum eſt: igitur in hoc Superbia ſuperat Avaritiam in malitia, ût per ſe patet.

De Fine hujus Libri.

EXpliciunt Quæſtiones, quæ per Artem Demonſtrativam ſeu Inventivam ſolvuntur vel determinantur, ad Gloriam & Benedictionem noſtri Domini DEI JESU Chriſti, in cujus protectione permaneant integræ & illæſæ; & hoc etiam ad Honorem noſtræ glorioſæ Dominæ Virginis MARIÆ.

DEO Gratìas.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

INDEX QUÆSTIONUM

Solutarum ſecundùm proceſſum Artis Demonſtrativæ ſeu Inventivæ.

Quæſtiones de DEO.

1. Utrùm DEUS ſit? pag. 2
2. Utrùm in DEO ſint Dignitates, ſcilicet Bonitas, Magnitudo &c.? 4
3. Quid eſt Eſſentia DEI? 5
4. Utrùm Dignitates DEI ſint Eſſentia DEI? 6
5. Utrùm Actus Dignitatum, ſcilicet bonificare &c. ſint de ipſa Eſſentia Dignitatum? 7
6. Utrùm Divinæ Dignitates ſint idem numero? 8
7. Utrùm Divinæ Dignitates & Actus earum ſint idem numero? 9
8. Utrùm Actus Divinarum Dignitatum ſint idem numero ſecundùm Magnitudinem & Voluntatem DEI? 10
9. Utrùm Dignitates DEI ſint æquales? 11
10. Utrùm Dignitates DEI & Actus earum ſint æquales? 12
11. Utrùm Actus Divinarum Dignitatum in DEO ſint æquales? 13
12. Utrùm DEUS ſit infinitus exiſtendo & agendo? 14
13. Utrùm DEUS in tantum ſit DEUS agendo, quantum exiſtendo, & è converſo? 15
14. Utrùm in DEO ſit Productio? 16
15. Utrùm in DEO ſit Diſtinctio? 18
16. Quomodo conſiſtat in DEO Unitas? 21
17. Utrùm in DEO ſit Generatio? 22
18. Utrùm in DEO ſit Proceſſio? 26
19. Utrùm Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio? 28
20. De Modo generandi in Divinis. 30
21. De Modo procedendi in Divinis? 33
22. Utrùm in DEO ſit tantùm Trinitas Divinorum Suppoſitorum? 35
23. Utrùm Divina Suppoſita ſint æqualia? 39
24. Utrùm ipſamet Eſſentia DEI & Divina Suppoſita ſint idem numero? 41
25. Quomodo Divina Suppoſita exiſtentia eadem numero Divina Eſſentia ſint diſtincta ratione Divinarum Similitudinum? 43
26. Utrùm in DEO ſit Compoſitio ratione Diſtinctionis Suppoſitorum? 44
27. Utrùm DEUS ſit incarnatus? 46
28. Quare DEUS non eſt incarnatus in pluribus hominibus? 48
29. Utrùm in Incarnatione DEI fuerit Principalis Divina Oſtenſio & Dilectio, vel noſtra Redemptio? 50
30. Utrùm DEUS potuiſſet creare Mundum æternum? 51
31. Quare DEUS non creavit tantum bonum, quantum poteſt creare? 53

Quæſtiones alterius Vitæ.

32. Utrùm erit Reſurrectio? 54
33. Quomodo Beata Anima in Patria habeat Gloriam? 56
34. Quomodo damnata Anima patiatur Pœnam? 58
35. Quomodo Beatum Corpus habebit Gloriam? 60
36. Quomodo damnatum Corpus patietur Pœnam? 62
37. Utrùm potentiæ Animæ in Patria habeant æqualem Gloriam? 63
38. Utrùm DEUS poſſit dare tantam Pœnam Dæmoni, quantam Gloriam Beato Angelo? 64
39. Quomodo materialis Ignis attingat Dæmonem? 65
40. Utrùm Corpora Beatorum habebunt majorem Gloriam, quàm damnatæ Animæ Pœnam? 66
41. Utrùm alia Vita ſit in æternum? 67

Quæſtiones de Angelis.

42. Utrùm ſint Angeli? 69
43. Utrùm ſint Dæmones? 70
44. Quomodo Angeli ſint conſiderabes? 70
45. Quare ſunt Angeli? 71
46. Quomodo benigni Angeli fruantur DEO? 71
47. Quomodo Dæmones odiant DEUM? 72
48. Quomodo Angelus intelligat & diligat Angelum? 72
49. Quomodo moveantur Angeli? 73
50. Quomodo Angelus intelligat Inferiora? 74
51. Quomodo Angeli moveant Inferiora? 74

Quæſtio-

(c) 2006 Ministerid de Cultura

Quæstiones de Anima.

52. Utrùm intellectiva Anima sit? pag. 75
53. Quomodo Anima sit considerabilis? 75
54. Quomodo Anima generet Verbum? 76
55. Quomodo Anima intelligat DEUM? 76
56. Utrùm sit Differentia inter Essentiam Animæ & suum *Esse?* 77
57. Ad quem finem Anima est creata? 78
58. Quomodo Anima sit Similitudo DEI? 78
59. Quomodo Anima agat in se & extra se? 79
60. Utrùm Potentiæ Animæ sint de Essentia ipsius Animæ? 80
61. Utrùm Accidentia Animæ sint de Essentia Potentiarum Animæ? 80
62. Utrùm alia Potentiarum Animæ habeat aliam? 81
63. Utrùm rationalis Anima sit immortalis? 82
64. Utrùm Intellectus sit omnibus Hominibus unus numero? 83
65. Utrùm omnes Animæ sint creatæ æquales? 83
66. Utrùm Potentiæ Animæ sint activæ & passivæ? 84
67. Utrùm Intellectivum in suo proprio intelligibili intelligat, quidquid intelligit? 84
68. Utrùm una Potentiarum Animæ plus possit mereri, quàm alia? 85
69. Utrùm in Essentia Animæ sit major Differentia, quàm in suis Accidentibus? 86
70. Utrùm Voluntas avari Hominis plùs diligat velle, quàm ipse Avarus pecuniam? 87
71. Utrùm Anima intelligat per substantialem Potestatem, Bonitatem & Magnitudinem, vel accidentalem? 87
72. Quomodo Anima sit conjuncta Corpori? 88
73. Quomodo Anima tentetur à Diabolo? 88
74. Quomodo Corpus & Anima peccent? 89
75. Quomodo Anima intelligat separatas Substantias? 89
76. Quomodo Habitus Scientiæ consistat inter Potentiam & Actum? 90
77. Quomodo Intellectus, cùm sit Universalis, possit intelligere Particularia? 91
78. Utrùm Anima possit intelligere sinè Phantasmate? 91
79. Utrùm mortuo Homine Imaginativa remaneat in Anima? 92
80. Utrùm possit fieri major Affirmatio & Demonstratio de intellectualibus Rebus, quàm de sensualibus Rebus? 92
81. Quomodo Anima appetat suum Finem intra se & extra? 93
82. Quomodo Intellectus attingat Sacramentum Altaris? 93
83. Utrùm Liberum Arbitrium sit de Essentia Animæ individuatum in Potentiis Animæ? 94
84. Utrùm Liberum Arbitrium possit cogi? 95
85. Utrùm Prædestinatio & Liberum Arbitrium possint esse simul? 95
86. Utrùm quinque Universalia & decem Prædicamenta sint aliquid realiter extra Animam? 97
87. Utrùm Anima lapsa in peccatum possit per se surgere? 98
88. Quare DEUS dimittit unam Animam ad Damnationem, & eligit alteram ad Salvationem? 98
89. Utrùm Anima possit tantum mereri, quantum demereri? 99
90. Quomodo Ratio deficiat à Realitate? 100
91. Quomodo rationalis Anima separetur à Corpore? 100

Quæstiones Imaginativæ.

92. Quomodo Imaginativa sit considerabilis? 101
93. Utrùm Imaginativa sit à Generante vel à Creante? 102
94. Utrùm Imaginativa sit activa & passiva Potentia? 103
95. Quomodo Intellectiva per Imaginativam sumat Objecta? 104
96. Utrùm Imaginativa sit in Re vel in Ratione? 104
97. Quomodo Intellectus denudet suum Intelligere ab Imaginari? 105
98. Utrùm Intellectus sinè Imaginatione possit intelligere Immensitatem DEI & Operationes ejus? 106
99. Utrùm Intellectus veriùs intelligat intelligibilia Objecta sinè Imaginatione, quàm sensibilia cum Imaginatione? 107

(c) 2006 Ministerio de Cultura

100. Quomodo Imaginatio impediat Intellectum? 107
101. Utrùm Intellectus possit intelligere Ævum sinè Imaginatione? 108

Quæstiones Sensitivæ.

102. Quomodo Sensitiva Potentia sit considerabilis? 109
103. Utrùm Sensitiva sit à Generante vel à Creante? 110
104. Utrùm Sensitiva sit activa & passiva Potentia? 111
105. Utrùm Sensitiva sentiat in se vel extra se? 112
106. Quomodo Sensitiva sentiat? 113
107. Utrùm Sensitiva sit major in agendo, quàm in patiendo? 114
108. QuomodoAnima sentiendo peccet? 115
109. Utrùm Sensitiva habeat majorem Concordantiam cum una Potentia Animæ, quàm cum alia? 115
110. Cum quo Sensu Imaginativa habet majorem concordantiam? 116
111. Quare Gustus magìs sentiat in bibendo, quàm in comedendo? 117
112. Quare Sensitiva non sentit tantum per humidum & siccum, quantum per calidum & frigidum? 117
113. Quare Homo plùs terretur de Cadavere Hominis, quàm de cadavere alterius animalis? 118
114. Quomodo Sol est sensibilis? 119
115. Utrùm Differentia inter Sensualia sit sensibilis vel imaginabilis? 119
116. Quæ Accidentia sint sensibilia, & quæ imaginabilia, & quæ intelligibilia? 120
117. In quo Sensu existit Finis in Majoritate? 121
118. Per quem Sensum Anima magìs concordet cum Virtute, & contradicat Vitio? 121
119. Utrùm Sensus priùs incipiat ab Universali, quàm à Particulari? 122
120. Utrùm Sensitiva sit major in Viro, quàm in Muliere? 122
121. Quare Sensibilitas plùs vigeat in Tactu, quàm in alio sensu? 123

Quæstiones Vegetativæ & Elementativæ?

122. Quomodo Vegetativa sit considerabilis? 124
123. Utrùm Vegetativa sit Corporeïtas vel Corpus? 125
124. Utrùm simplicia Elementa sint Potentiæ ipsius Vegetativæ? 125
125. Utrùm quatuor Potentiæ ipsius Vegetativæ habeant substantialiter in Radice unam Bonitatem, Magnitudinem, & sic de aliis hujusmodi? 126
126. Utrùm Universalis Materia possit esse sinè Universali Forma? 127
127. Utrùm Vegetativa sit activa & passiva? 128
128. Utrùm Simplicia Elementa sint mixta in suis Sphæris? 129
129. Utrùm Simplicia Elementa sint in Elementatis essentialiter vel virtualiter? 130
130. Utrùm Igneïtivum habeat propinquum & remotum Ignibile? 131
131. Utrùm Accidentia sint de Essentia Substantiæ? 132
132. Utrùm omnes Proprietates Vegetativæ sint idem in Radice sinè Differentia? 133
133. Quomodo Accidentia egrediantur de Virtute Substantiæ? 134
134. Quomodo individuetur Substantia? 135
135. Quomodo Fiat Generatio & Corruptio? 136
136. Utrùm Elementorum aliud sit in alio, & alia pars cujuslibet eorum in alia? 138
137. Quomodo fiat Transmutatio Elementorum in Elementatum? 139
138. Quæ sunt Principia Substantiæ, & quæ Accidentium? 140
139. *Quomodo investigentur Proprietates Rerum*, & id, quod dicitur per Nomen? 141
140. Quomodo Coloratum sit habituatum in Intellectu quoad Formam, & in Imaginatione quoad Materiam? 141
141. Quare Lepus fugiens à facie Leporarii citiùs appetit Montem, quàm Planitiem? 141
142. Utrùm Artificialis Figura sit de Essentia Substantiæ? 142
143. Quare sumitur Habitus per Formam, & Potentia per Materiam? 142
144. Quomodo generetur Ventus? 142
145. Utrùm quodlibet Elementum habeat proprium Colorem? 142
146. Quomodo generentur Tenebræ? 144

(c) 2006 Ministerio de Cultura

147. Utrùm Ignis ſit calidus per ſe, ſiccus verò per accidens? 144
148. Utrùm Levitas & Ponderoſitas ſint de Eſſentia Subſtantiæ? 145
149. Utrùm Aqua ſit gravior per Formam, quàm per Materiam? 146
150. Utrùm Ignis, qui eſt in Superioribus, deſcendat ad Inferiora, & Ignis, qui eſt in Inferioribus, aſcendat ad Superiora? 147
151. Quomodo Generabilia exiſtant Habitu & Potentiâ? 148
152. Quomodo de pluribus Formis poſſit fieri una Forma, & de pluribus Materiis una Materia? 149
153. Utrùm Ignis plùs contrarietur Aquæ per Caliditatem, quàm Terræ per Levitatem? 150
154. Quâ naturâ Mare Angliæ fluat & refluat? 151
155. Quâ naturâ Mare ſit ſalſum? 152
156. Quare mortuus Homo eſt ponderoſior, quàm vivus? 153
157. Quare Magnes attrahat Ferrum? 154
158. Quomodo hoc Lumen Candelæ generet Lumen alterius Candelæ? 155
159. Utrùm Alteratio incipiat intra Subſtantiam vel extra? 155
160. Quæ ſint Simplicia Elementa, & quæ Compoſita? 157
161. Quæ ſit Quidditas, & quæ ſint Species & Individua cujuslibet Prædicamenti? 157
162. Quomodo quodlibet Prædicamentum ſit in alio Prædicamento? 159
163. Cùm quælibet Pars Mixti ſit in alia, quomodo eſt ſituata quælibet earum in alia? 161
164. Quomodo Ignis calefaciat & moveat Aquam in olla? 163
165. Quomodo generentur Metalla, & quomodo Ignis liquefaciat Aurum? 164
166. Utrùm Alchymia ſit in Re vel in Ratione tantùm? 165

Quæſtiones Motivæ Potentiæ.

167. Quomodo DEUS moveat omnia? 166
168. Quæ ſit Quidditas Motûs? 167
169. Quomodo Potentiarum alia moveat aliam? 168
170. Quis ſit moralis Motus? 169
171. Utrùm Natura poſſit ſuſtinere Motum Generationis & Corruptionis in perpetuum? 170
172. Quomodo corporalis Motus ſit ſituatus? 171
173. Quomodo moveatur Flamma comburentis Ignis? 172
174. Quomodo Motus ſit in decem Prædicamentis? 173
175. Quomodo Objectum moveat Potentiam? 173
176. Quomodo Forma moveat Materiam? 174

Quæſtiones de Moralibus.

177. Quomodo Virtutes & Vitia ſint conſiderabiles? 176
178. De Fide. 177
179. De Spe. 179
180. De Charitate. 180
181. De Juſtitia. 181
182. De Prudentia. 182
183. De Fortitudine. 183
184. De Temperantia. 184
185. De Gula. 185
186. De Luxuria. 188
187. De Avaritia. 189
188. De Superbia. 190
189. De Acedia. 191
190. De Invidia. 192
191. De Ira. 193
192. De Conſcientia. 194
193. Utrùm Memoria & Intellectus poſſint habere Contritionem? 195
194. De Satisfactione? 196
195. Quomodo fiat Transmutatio in Moralibus? 196
196. Quomodo in Moralibus fiat Augmentatio vel Diminutio? 197
197. Quomodo Moralia cognoſcantur? 198
198. Utrùm Homo habeat majorem aptitudinem habendi Virtutes, quàm Vitia? 199
199. Quomodo Virtutes habeantur per Infuſionem & per Acquiſitionem? 200
200. Utrùm Virtutes & Vitia ſint creaturæ? 200
201. Utrùm DEUS ſit magìs intelligibilis, quàm credibilis? 201
202. Utrùm Exaltatio Cognitionis Intellectûs ſit Diminutio Fidei? 202
203. Utrùm credendum ſit de DEO id, quod eſt magìs concordans cum Virtutibus,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bus, & etiam magìs contrarians Vitiis? 203
204. Utrùm Vitia ſint, ut Virtutes ſint majores? 203
205. Utrùm Luxuria priùs incipiat in volibili, quàm in volitivo? 205
206. Quod Vitium ſit majus, aut Avaritia, aut Superbia? 205

(c) 2006 Ministerio de Cultura



BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI DISPUTATIO EREMITÆ ET RAYMUNDI *SUPER* ALIQUIBUS DUBIIS QUÆSTIONIBUS SENTENTIARUM MAGISTRI PETRI LOMBARDI.

DEUS, qui es Summus in omnibus Bonis, ad tuam Laudem & Honorem incipit *Disputatio Eremitæ & Raymundi super aliquibus dubiis Quæstionibus Sententiarum Magistri Petri Lombardi.*

DE PROLOGO.

1. RAymundus Parisiis studens, & considerans perversum statum hujus mundi, multùm doluit, & potissimè super hoc, quòd ipse per *Artem Generalem*, quam Dominus DEUS illi dederat pro illustrandis tenebris hujus mundi, Rempublicam Ecclesiæ Christi nondum potuerit promovere, ût optabat: sic igitur tristis & affectus tædio quâdam die ivit extra Civitatem, & ambulavit supra ripam fluminis Sequanæ causâ requirendi remedium super suo dolore & tædio, si Deus forsitan illi vellet dare; & contigit, quòd sic venerit ad quandam Arborem, sub cujus umbra invénit quendam Eremitam sedentem & legentem in quodam Libro; quem, cùm Raymundus humiliter salutâsset, resedit juxta eum, quærens ab ipso, quis esset, & de quo esset Liber, in quo legebat? & respondit ei dicens, quòd ipse esset Eremita, & quòd Parisiis diu studuisset in Theologia, ut cum Libris, in quibus studuerat, meliùs posset cognoscere & amare DEUM, & ad hoc specialiter statuisset in quodam loco solitario fieri Eremita perpetuò: veruntamen inquit, quia in isto Scripto edito super Libros Sententiarum, quod nunc lego, invenio quasdam dubias & difficiles Quæstiones, quarum veritatem non possum videre, sum valde afflictus in tantum, quòd in aliis veritatibus, quas intelligo de DEO, non possum quiescere.

2. Raymundus audiens hæc diu stetit tacens, cui Eremita dixit: Raymunde, in quo cogitas & consideras? Raymundus respondit: *cogito de quadam Arte Generali, quam DEVS mihi ostendit in quodam Monte*, cum qua libenter ad Honorem DEI & tuam pacem tentabo solvere tuas Quæstiones.

3. Raymunde, dixit Eremita, Quæstiones dubitabiles, & ût existimo, magìs difficiles circa

(c) 2006 Ministerio de Cultura

circa Libros Sententiarum ſunt *centum quadraginta*, ſuper quibus rogo te, ut videas ſecundùm tuam Artem, an de ipſis mihi poſſes oſtendere neceſſariam Veritatem, multùm enim deſidero hoc ſcire; quod ſi feceris, mihi & pluribus aliis ex hoc proveniet magnum bonum.

4. Ait Raymundus: ad Honorem DEI & ex debito charitatis, quæ nobis omnibus eſt neceſſaria ad ſalutem, cupio tibi in hac parte obedire, & juxta meum poſſe cum auxilio DEI per prædictam Artem inquirere veritatem de ſupradictis Quæſtionibus: veruntamen convenit, quòd inter te & me ſit talis ordo, videlicet, quòd tu primò proponas Quæſtionem, & ego poſtea ipſam ſolvam; & quòd tu rurſus in eligendo veritatem contra me arguas, & quòd ſic ego ſolvam tuas Rationes cum principiis dictæ Artis.

5. Ait Eremita: Raymunde, quæ ſunt Principia tuæ Artis? reſpondit Raymundus: Principia prædictæ *Artis Generalis* ſunt hæc: *Bonitas, Magnitudo, Æternitas* ſive *Duratio, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas* & *Minoritas*: per iſta octodecim Principia Generalia miſcendo unum principium cum alio, & reſpiciendo ſignificationem illius mixtionis, & applicando ſignificationem illius mixtionis ad propoſitum, ſicut in illa Arte pleniùs traditur, invenitur Veritas, quæ quæritur.

6. Valde placuerunt Eremitæ hæc verba Raymundi, qui tunc dixit Eremitæ, antequam ipſe incepiſſet proponere aliquam quæſtionem: *illa, quæ in hoc Libro propono dicere, volo, quòd ſint & intelligantur in omnibus ſalvâ Veritate, Reverentiâ & Honore ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus Correctioni hæc & omnia alia mea dicta ſubmitto.*

INCIPIUNT QUÆSTIONES SUPER Librum I. Sententiarum.

QUÆSTIO I.

Utrùm Theologia propriè ſit Scientia?

1. REſpondit Raymundus dicens: quòd Theologia ſit Scientia duobus modis, ſcilicet appropriatè & propriè; *appropriatè*, ſecundùm Fidem à Deo datam, ut Catholicus per Fidem credat Articulos Fidei & Sacram Scripturam, quæ non intelligit per argumenta; & eſt Scientia *propriè*, quia intellectui non eſt proprium credere, ſed intelligere; ſed credere eſt illi appropriatum per Supremum Objectum, ut per Fidem poſſit attingere illam veritatem, quam demonſtrativè non poteſt attingere propter aliquod impedimentum, quod habet ratione ſubjecti aut materiæ: & ſicut objectum ſenſibile reſtauratur in imaginatione in abſentia ſentiendi, ſic & multò meliùs, quando intellectus non eſt diſcurſivus per neceſſarias Rationes circa Veritatem Articulorum Fidei, ſicut intellectus mechanici aut alicujus alterius, qui ſtat ad poſitiones tantùm, reſtauratur Veritas Articulorum in credulitate intellectûs, qui ipſos credit: & hujusmodi reſtauratione multùm indiget intellectus, cùm omnes homines non ſint diſpoſiti ad inveſtigandam Veritatem Articulorum Fidei & Sacræ Scripturæ per neceſſarias Rationes, ſicut mulieres, faber, ruſticus, & ſic de ſimilibus.

2. Quòd Theologia propriè ſit Scientia, oſtendo ſic: intellectui proprium eſt intelligere, ût dictum eſt, ſicut, & multò magìs, igni eſt proprium calefacere, & oculis videre: unde cùm DEUS ſit ſubjectum Theologiæ, & ipſe ſit intelligibilis cum magnitudine ſuæ intelligibilitatis, ſequitur, quòd intellectus creatus conjunctus & etiam ſeparatus cum magnitudine intellectivitatis ſit diſpoſitus ad intelligendum DEUM; hanc autem diſpoſitionem non poſſet habere intellectus conjunctus, ſi Theologia non eſſet propriè Scientia, cùm proprium plùs dicat de magnitudine poteſtatis, virtutis,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tutis, veritatis, perfectionis &c., quàm appropriatum; & hoc naturaliter: ergò ſignificatum eſt, quòd Theologia propriè ſit Scientia, aliàs Divinæ Intelligibilitati eſſet injuriatum, in quantum humanus intellectus non poſſet intelligere Divinam Trinitatem &c. ſecundùm magnitudinem Supremi Objecti & ſecundùm magnitudinem ipſius intellectûs; & ſic deficerent Divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas &c. ex parte Supremi Objecti & ex parte ipſius intellectûs; quod eſt impoſſibile.

3. Cùm DEUS ſit ſummè bonus, ſummè magnus &c., ſicut eſt ſummè bonus, ſummè magnus &c., ſic ſe communicat intellectui creato ab ipſo, ſecundùm quòd intellectus ab ipſo poteſt recipere ſimilitudines & perfectiones; & quia per Divinam Magnitudinem poteſt recipere magnitudinẽ, poteſt per ipſam & Divinam Sapientiam recipere magnam intellectivitatem, ſicut per Divinam Bonitatem & Voluntatem poteſt recipere bonam amabilitatem, & ſic de magna poteſtate, virtute &c.; talem autem receptionem non poſſet intellectus recipere, ſi Theologia non eſſet propriè Scientia: ergò Theologia eſt propriè Scientia.

4. Iterum, manifeſtum eſt, quòd intellectus conjunctus de ſua natura poſſit uti inferioribus, ſcilicet dum intelligit, quòd triangulus habeat tres angulos, & quòd homo & aſinus non ſint ejuſdem ſpeciei, & ſic de ſimilibus: unde ſi intellectus propriè intelligit objecta, ad quæ intelligenda principaliter non eſt creatus, quantò magìs poteſt propriè uti ſuâ naturâ ad intelligendum Supremum Objectum, ad quod principaliter eſt creatus; aliàs objectum illi minùs principale eſſet illi magìs appetibile, quàm ſuum Objectum magìs principale; quod eſt impoſſibile: & idem eſſet ſuo modo de voluntate, cui Theologia non eſſet proprium objectum ad amandũ, & ſic de memoria ad recolendum; quod eſt valde inconveniens: ergò Theologia eſt propriè Scientia.

5. Ait Eremita: Raymunde, ratio, quare Theologia non eſt propriè Scientia, eſt, quia ſuum ſubjectum non eſt demonſtrabile, ſcilicet, quòd DEUS ſit Unus & Trinus & Incarnatus, & ſic de aliis pertinentibus ad Fidem; cùm Scientia non ſit, niſi de hoc, quod intellectui eſt demonſtrabile ſinè aliquo dubio: & ratio, quare Articuli non poſſunt demonſtrari, eſt, quia omnis demonſtratio fit per cauſam; & quia benedicta Trinitas DEI non habet aliquid ſupra ſe, non poteſt demonſtrari per cauſam, quòd de neceſſitate ſit Trinitas; & ſic de Divina Voluntate, quæ voluit, quòd Filius DEI incarnaretur: imò dico tibi, quòd, ſi Articuli Fidei eſſent demonſtrabiles, ſequerentur multa inconvenientia, ſcilicet, quòd humanus intellectus comprehenderet Trinitatem; quod eſt impoſſibile, videlicet, quòd finitum comprehendat infinitum: & ſi Articuli poſſent probari, amitteretur Fides, in quantum per credere non haberemus meritum, quod eſſet contra Divinam Juſtitiam, & per conſequens contra Bonitatem, Magnitudinem &c.; quod eſt impoſſibile.

6. Ait Raymundus: Eremita, intellectus duobus modis attingit ſuum objectum, ſcilicet ſubitò & ſucceſſivè; *ſubitò*, quando attingit, quòd omnis triangulus habeat tres angulos, & hoc, quia per ſenſitivam & imaginativam eſt certificatus; & non dico, quòd per hunc modum vel per ſimilem Trinitas ſit demonſtrabilis, cùm ipſa non ſit ſenſibilis nec imaginabilis, ſed ſecundùm modum *diſcurſivum*, quem intellectus habet in attingendo, eſt Trinitas demonſtrabilis, non propter quid, ſed *per æquiparantiam*; ſicut intellectus, qui conſiderat, quòd Divina Sapientia ſit magna infinitè & æternaliter, & ſic de Poteſtate & aliis Attributis DEI: & quia Divina Poteſtas & Sapientia æquiparantur in Magnitudine & Æternitate, ſequitur de neceſſitate, quòd, ſicut in DEO ſunt intellectivus, intelligibilis & intelligere per Intellectum vel per Sapientiam, ita intellectus ſit magnus & æternus per Infinitam Operationem Intrinſecam & æternam, & quòd Divina Poteſtas ſit ita magna & æterna, ſicut eſt Divinus Intellectus: unde ſequitur, quòd Poteſtas in ſe habeat conſubſtantiales poſſificativum, poſſificabilem & poſſificare, ut ſit ita infinita & æterna per ſuum intrinſecum agere, ſicut eſt per ſuum exiſtere, ut Finis agendi & exiſtendi ſit unus ſic in Poteſtate, ſicut in Intellectu: unde humanus intellectus ſic conſiderans & inquirens Divinam Sapientiam & Poteſtatem per æquiparantiam eſt practicus & ſpeculativus demonſtrativè, cùm ſit impoſſibile, quòd in Poteſtate ſit poſſificativus, poſſificabilis, & poſſificare ſinè productione; & ſic de Divino Intellectu, cùm ſit æquàlis Poteſtati in Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c.: & ſic ratio-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ratione Productionis inveſtigativus intellectus per Productionem attingit Diſtinctionem; cùm ſit impoſſibile, quòd aliqua productio ſit ſinè diſtinctione: & hujusmodi Diſtinctio eſt in Divina Trinitate, ſecundùm quòd probatum eſt in aliquibus Libris, quos fecimus: ſicut *in Arbore Scientiæ, & in Libro de Articulis Fidei, & etiam in aliquibus aliis Libris*: & intellectus certiùs attingit ſupradictam diſtinctionem, quàm quando intelligit, quòd triangulus habeat tres angulos: & ratio hujus eſt, quia attingit prædictam Diſtinctionem per Infinitas Rationes DEI, & attingit angulos trianguli per ſenſitivum & imaginativum, quæ ſunt finita.

7. Et quia dicis, quòd, ſi intellectus de neceſſitate attingeret Trinitatem, ipſam comprehenderet, malè dicis; & de hoc habemus experientiam: nam ſicut, quando tu guſtas aquam maris, per hoc, quod attingis per unam partem de aqua maris, intelligis, quòd tota aqua maris ſit ſalſa, ſicut eſt illa pars, quam guſtas; & ſi totam aquam maris poſſes guſtare, ſentires plus de ſalſedine, quàm ſentis; cùm in toto ſit plus, quàm in parte: ſic à ſimili (licèt exemplum ſit groſſum, cùm de DEO & creatura non poſſimus æqualiter exemplificare) humanus intellectus attingit de Divina Trinitate id, quod illi ſufficit; ſed tamen hoc, quod eſt plus de Trinitate, intellectus non comprehendit, ſicut (& multò minùs ſinè aliqua comparatione) tuus guſtus non comprehendit totam aquam maris.

8. Et quando dicis, quòd Divina Voluntas non ſit ſub aliquo alio, ut de neceſſitate vellet Incarnationem Filii DEI, verum dicis: ſed reſpondeo tibi per æquiparantiam, ſicut ſuperiùs dixi de Trinitate, videlicet, quòd, ſicut Sapientia DEI ſcivit finem mundi cum Magnitudine, quando ipſum creavit, ſic Voluntas dilexit finem mundi cum Magnitudine: & ſic Finis per Divinam Sapientiam & Voluntatem æqualiter fuit remotus & abſtractus à parvitate, quæ eſt oppoſitum Divinæ Magnitudinis, & ſic à malitia, quæ eſt oppoſitum Divinæ Bonitatis, & ſic à privatione, quæ eſt oppoſitum Divinæ Æternitatis, & ſic de cæteris, quæ ſunt oppoſita Divinarum Dignitatum: & ſic finis totius univerſi creati æquiparanter fuit exaltatus in altiori gradu per Divinas Dignitates, quòd non potuerit plùs exaltari; & talis exaltatio non potuit fieri ſinè Incarnatione; & ſic fuit Incarnatio Filii DEI, qui eſt Finis totius Univerſi creati; & ita eſt in altiori gradu, quòd Divinæ Dignitates non poſſint exaltare creaturam ultra illum gradum; & ſic in illo gradu quieſcunt in effectu: unde ſicut ad conſtituendum illum gradum omnes Divinæ Dignitates æqualiter concurrunt, ſic Divina Voluntas æqualiter concurrit cum ipſis; & ſic liberè voluit Incarnationem, ut tantum diligeret Incarnationem cum Magnitudine amabilitatis, quantum Divina Sapientia ſcivit cum Magnitudine intelligibilitatis, & Divina Poteſtas potuit cum Magnitudine poſſificabilitatis: & ſic per talem modum fuit facta benedicta Incarnatio Filii DEI æqualiter per Divinas Dignitates.

9. Et quia dicis, quòd, ſi intellectus poſſet attingere Articulos per Demonſtrationem, deſtrueretur Fides, malè dicis; quia quantò altiùs intellectus intelligit veritatem Articulorum, tantò majus meritum aſſequitur; cùm ſit creatus ad intelligendam veritatem Articulorum, ſicut humana voluntas ad diligendam veritatem illorum, & ſic de memoria, ût ſuprà dictum eſt: etiam ſicut intellectus eſt creatus ad intelligendam veritatem Articulorum, ita eſt creatus ad defendendam ipſam veritatem contra falſitatem Infidelium; ſed hoc non poſſet facere, ſi ignoraret veritatem Articulorum, quia ignorando ipſam ignoraret errores, qui ſunt contra ipſam, & ſola voluntas hominis catholici diligeret veritatem, & odiret errores, qui ſunt contra veritatem Articulorum, & voluntas non poſſet deſtruere errores, imò ita eſſet inter illos, ſicut ovis inter lupos; & ſic de memoria.

10. Adhuc dico tibi, quòd Chriſtus noſter Dominus DEUS argumentaverit poſt mortem in Cruce, quòd ipſe eſſet verus Homo, & per conſequens, quòd eſſet reſuſcitatus, quando apparuit Magdalenæ, & quando cum Apoſtolis comedit de favo mellis, & quando beato Thomæ oſtendit ſuum Latus, & quando præſentibus Apoſtolis aſcendit ad Cœlos, & ſic de diverſis Linguis Apoſtolorum, & de multis aliis miraculis, quæ fuerunt facta ad probandam catholicam Fidem: & licèt intellectus intelligat Articulos Fidei, non ſequitur, quòd deſtruatur Fides, quia ille, qui ipſos intelligit, intendit, quòd, ſi ipſos non intelligeret, ipſos tamen crederet.

11. Et adhuc, Fides eſt inſtrumentum & juva-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

juvamentum, ut intellectus intelligat Articulos, ût legitur: *niſi credideritis, non intelligetis.* Etiam dico tibi, quòd homo principaliter non ſit creatus ad ſe, nec per conſequens ad habendum meritum per Fidem, imò principaliter eſt creatus ad intelligendum, diligendum & recolendum DEUM; & ita principaliter ad intelligendum ipſum, ſicut ad recolendum & diligendum ipſum; quod non eſſet, ſi tua verba eſſent vera, in quantum dixiſti: quòd non eſſet bonum intelligere Articulos, ut homo non amitteret meritum Fidei.

QUÆSTIO II.

Utrùm DEUS ſit Subjectum Theologiæ ſub aliqua Ratione determinata?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: duobus modis eſt facienda reſponſio ad hanc Quæſtionem, ſcilicet *abſolutè & determinatè; abſolutè*, ſicut quando conſideramus, quòd DEUS ſit unum Ens, quod eſt infinitum & æternum nullam habens determinationem quoad ſuam Eſſentiam & Naturam; ſicut conſiderare unam bonitatem in abſtracto non contractam ad aliquid, ſed nudam & remotam ab omni alio ente, & quæ in ſe nullum habet concretum, quod ſit de ſua eſſentia nec de aliena, ſed quod per ſe ſit ſimpliciter exiſtens, ſcilicet ſe non habens ad aliquem finem: unde ſicut de tali bonitate non poteſt eſſe aliqua ſcientia ſub aliqua ratione determinata, ſic à ſimili eſt dicendum de DEO, qui ſecundùm ſuam Simpliciſſimam Unitatem & Exiſtentiam non poteſt eſſe Subjectum Theologiæ ſub aliqua ratione *determinata;* ſed ſecundùm modum Proprietatum, quas DEUS habet in ſe ipſo & in ſuo effectu, teneo affirmativam quæſtionis, dicendo ſic:

2. In DEO Exiſtentia & Natura ſunt idem numero, cujus Eſſentia eſt ſua Deitas, & in ipſa Deitate ſunt plures Rationes exiſtentes eædem numero cum ipſa, & quælibet cum alia: ſicut Divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria; & quia Deitas eſt idem cum ſua Natura, quælibet ratio requirit ſuum actum determinatum, ſicut Bonitas, quæ naturaliter requirit ſuum bonificare, & Magnitudo ſuum magnificare &c.; *cùm omnis natura requirat actum & finem, quare eſt, ut non ſit fruſtra nec otioſa;* ſicut eſſentia, quæ requirit ſubjectum, in quo poſſit exiſtere; quod ſubjectum per eſſentiam habet exiſtentiam in exiſtendo hoc, quod eſt: unde cùm hoc ita ſit, ſicut elementum ſe habet ad elementandum, planta ad vegetandum, ſenſitiva ad ſentiendum, intellectiva ad intelligendum, leo ad leonificandum, homo ad homificandum, ſic & multò plùs Divina Natura ſe habet ad naturandum, & Deitas ad deificandum, & Unitas ad uniendum: unde in Eſſentia & Natura DEI reſultant Proprietates Perſonales determinatæ, in quantum ab invicem ſunt diſtinctæ; quæ ſunt Paternitas, Filiatio & Spiratio, quæ ſunt ipſa beata Trinitas DEI: & ſic ratione hujus determinationis Deitate exiſtente Paternitate ſub una ratione, & Filiatione ſub alia ratione, & ſic ſuo modo de Spiratione, eſt DEUS Subjectum Theologiæ ſub rationibus determinatis: & ſicut diximus de Proprietatibus Perſonalibus, ſic intelligendum eſt de Proprietatibus vel Attributis DEI.

3. Præterea, DEUS eſt Subjectum Theologiæ quoad *determinatum finem*, in hoc, quòd eſt finis omnium creaturarum, quas creavit ad ſe; & iſte finis habet plures branchas, ſicut punctus, in quo participant plures lineæ, ſcilicet recolere, intelligere & amare DEUM, & cum magnitudine bonitatis, durationis, poteſtatis &c.: & quia DEUS eſt bonus, magnus &c., eſt Subjectum Theologiæ ſub ratione bonificandi, magnificandi, gubernandi, glorificandi &c. ſuos effectus, ſecundùm quòd indigent & meruerunt, cùm Theologia ſit Scientia inſtituta ex conſiderationibus prædictorum.

4. Ait Eremita: Raymunde, DEUS eſt Ens ita generale & incomprehenſibile, quòd intellectus conjunctus determinatè nihil de ipſo poſſit attingere; cùm inter infinitum & finitum nulla ſit proportio: & ſi aliquid de ipſo attingeret, attingeret & comprehenderet totum DEUM, cùm ipſe ſit ſumma Simplicitas indiviſibilis & ſinè qualitate, quantitate, & ſic de cæteris prædicamentis: unde concluditur, quòd tua ratio nulla ſit, & quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

5. Dixit Raymundus Eremitæ: ſuppoſito, quòd ſic eſſet de DEO, ſicut de bonitate, quam conſideravimus in abſtracto, verum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dicis ; veruntamen malè dicis ſecundùm Naturam Divinam & ſuum agere divinum intrinſecum ratione Finîs & Attributorum DEI ; & per conſequens ſecundùm actum extrinſecum, ût diximus : unde per hæc, quæ ſuprà dicta ſunt, patet ſolutio tuæ objectionis.

QUÆSTIO III.

Utrùm frui ſit Actus Potentiæ appetitivæ vel cognoſcitivæ?

1. ANtequam Raymundus reſpondiſſet ad hanc Quæſtionem ſecundùm Principia ſuæ Artis, conſideravit fruitionem, quæ eſt in patria, & invénit, quòd illa fruitio ſit ille terminus., qui eſt in altiori & nobiliori gradu magnitudinis, bonitatis, æternitatis, poteſtatis &c., qui poſſit eſſe inter DEUM & Beatos; & hoc convenit eſſe, ut ſequatur ille finis, quare DEUS creavit univerſum, aliàs non eſſet in prædicto gradu, nec DEUS poſſet quieſcere cum ſuis Rationibus in ſuo effectu, nec effectus in DEO, nec in ſuis Attributis; quod eſt impoſſibile : unde cùm Raymundus ſic conſideraviſſet, dixit, quòd DEUS ſit ſummè intelligibilis & ſummè amabilis, cùm ſit intelligibilis & amabilis cum ſumma magnitudine bonitatis, æternitatis, poteſtatis &c. : unde ſequitur, quòd ſecundùm hæc antecedentia ſequatur iſta conſequentia, ſcilicet, quòd frui ſit actus potentiæ appetitivæ & cognoſcitivæ ſic ad invicem proportionati, diſpoſiti & ordinati ſecundùm ſummam amabilitatem & intelligibilitatem; & ſic Raymundus dixit, quòd frui æqualiter ſit actus potentiæ appetitivæ & cognoſcitivæ Beatorum : Frui eſt etiam æqualiter actus divinarum Dignitatum, qui coadjuvat fruitionem potentiæ appetitivæ & cognoſcitivæ influendo, attrahendo & perficiendo actus earum ; & ſic frui dicit plus, quàm actus potentiarum, ratione cujus potentiæ attingunt finem intrà & extrà mediante fruitione.

2. Raymundus ſic conſiderando magnitudinem fruitionis voluit videre modum magnitudinis fruitionis dicens : *quòd intellectus in hac vita* (& ſic de voluntate) *intelligat DEVM per ſpeciem*, cùm in hac vita non ſit in illo alto gradu fruitionis, de quo ſuprà dictum eſt ; ſed in intellectu beato, qui eſt in patria, non eſt illa ſpecies nec alia ; quia ſi eſſet, prædicta fruitio non eſſet in illo altiori gradu, quem ſuprà diximus ; ſed in loco illius ſpeciei ſumma Intelligibilitas ſe communicat intelligibilitati intellectûs beati : & quia cum illa intelligibilitate participat ſicut ſimile cum ſuo ſimili, facit ſe intelligibilem cum intelligibilitate creata, & ponit ſe ſub intellectivitate intellectûs beati ; & ſicut pulchrum, verum & bonum objectum excitat potentiam, ut ab ipſa ſit apprehenſum, ſic Supremum Objectum excitat & coadjuvat & etiam movet intellectivitatem intellectûs, ut ab ipſo ſit intellectum ſinè aliquo medio extraneo : & ſic ſequitur modus prædictæ fruitionis, quem inveſtigavimus : & idem modus fruitionis eſt de voluntate beata.

3. Ait Eremita : Raymunde, ſecundùm modum, quem potentiæ animæ habent in hac vita acquirendo beatitudinem, convenit, quòd habeant in patria, ut non mutent ordinem, cujus mutatio eſſet parvitas magnitudinis, bonitatis, æternitatis, poteſtatis &c. ; ratione cujus parvitatis non poſſent eſſe in prædicto altiori gradu fruitionis, in quo convenit, quòd ſint, ût tu dicis : & quia prædictam ordinationem potentiarum convenit eſſe in patriâ, ût probatum eſt, & appetitiva ſit nobilior potentia, quàm cognoſcitiva, cùm cognoſcitiva ſit inſtrumentum inveſtigans Electorum, ut voluntas habeat ſuum objectum deſideratum, ſequitur, quòd frui ſit magìs propriè actus voluntatis, quàm intellectûs in tantum, in quantum voluntas eſt in altiori gradu, quàm intellectus.

4. Dixit Raymundus : Eremita, non bene ſcis coæquationem magnitudinis, bonitatis, durationis, poteſtatis &c., quam DEUS creat in potentiis animæ, cùm ſit æqualiter intelligibilis & amabilis, quod non eſſet, ſi verum eſſet hoc, quod dicis : & ſi DEUS eſſet magìs amabilis, quàm intelligibilis, ſua Magnitudo deficeret ſuæ Intelligibilitati, quod eſſet malum contra bonum, & eſſet parva contra ſe ipſam, & ſic de ſimilibus ; quod eſt impoſſibile. Item aliud inconveniens ſequeretur, ſcilicet quòd in fruitione appetitus eſſet medium inter Divinam Intelligibilitatem & intellectum beatum, & ſic de Divina Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c. ; ratione cujus intellectus non haberet propriam fruitionem, ſed appropriatam : unde ſequeretur, quòd eſſet bea-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

beatus & non beatus; beatus, quia eſſet in patria; non beatus, quia non quieſceret in ultimo fine fruitionis; quod eſt valde inconveniens: *& tu Eremita non bene intelligis ordinationem, quam potentiæ habent ſecundùm diſpoſitionem hujus vitæ intenſivè & extenſivè;* ſicut voluntas, quæ intenſivè & ſubitò ſe habet ad ſuum objectum deſideratum, & intellectus extenſivè, cùm ſucceſſivè ſit inquiſitivus, ut ſatisfaciat electioni voluntatis cum veritate, virtute & bonitate & ſibi ipſi: *& ſic de intenſitate & extenſitate ſequitur æqualitas bonitatis, magnitudinis &c.;* „ veruntamen homines in hac vita neſciunt „ uti prædictâ æqualitate, quia aliqui plùs „ ſtant ad intelligendum veritatem & bo„ nitatem, quàm ad diligendum, & è con„ verſo.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Ratio Differentiæ Divinorum Attributorum ſit in DEO vel in Intellectu creato?

1. SOlutio. Ait Raymundus, antequam reſpondeam ad Quæſtionem, convenit, quòd conſiderem conditiones Divinæ Eſſentiæ & Naturæ ſic: Divina Eſſentia eſt ſuus Intellectus & ſua Voluntas, aliàs non eſſet in Suprema Magnitudine Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c.; quod eſt impoſſibile, cùm ſit Suprema in omnibus Perfectionibus: item ſi Divina Voluntas differret à Sapientia, & è converſo, eſſent duæ eſſentiæ differentes, & Sapientia non eſſet per ſe amans, nec Voluntas per ſe intelligens, & ſic caderet in ipſas accidens, ſcilicet quòd Sapientia eſſet dilecta per Voluntatem, & Voluntas ſcita per Sapientiam, & non per ſe; quod accidens eſt impoſſibile, cùm accidens dicat parvitatem magnitudinis, bonitatis, æternitatis &c.: ergò Divina Sapientia & Divina Voluntas ſunt idem numero, & per conſequens earum Eſſentia eſt una indiviſa.

2. Unde quia Raymundus invénit Unitatem Eſſentiæ Sapientiæ & Voluntatis ſinè differentia, voluit inveſtigare de Unitate Naturæ Divinæ Sapientiæ & Voluntatis; & per eundem modum, per quem invénit Unitatem Eſſentiæ Sapientiæ & Voluntatis, invénit Unitatem Naturæ Sapientiæ & Voluntatis; quia ſi Sapientia & Voluntas differrent in Natura, ſequerentur prædicta inconvenientia: igitur invénit, quòd divina Eſſentia, Natura, Sapientia & Voluntas ſint idē numero ſinè differentia; & invénit idem per prædictum modum inveſtigationis de Unitate Numeri aliarum Rationum DEI.

3. Dum Raymundus ſic inveſtigabat, & affirmavit, quòd Divinæ Rationes ſint reales, & non ſint differentes eſſentialiter nec naturaliter, fuit miratus, quare in DEO conſiderabat & numerabat unam Bonitatem, unam Magnitudinem, unam Æternitatem &c., poſtquam realiter non ſunt differentes: & ſic Raymundus admirans recurrit ad Divinam Naturam, & conſideravit ipſam cum Divinis Rationibus, qui invénit, quòd Natura requirat agere, ut ſe habeat ad aliquem Finem, ſicut (& multò meliùs) quàm anima, quæ ſe habet ad recolendum, intelligendum & diligendum: & ſic Raymundus invénit rationem, quare Rationes DEI ſint reales, licèt nõ ſint differentes; quia ſicut Natura requirit agere intrinſecè, ſcilicet naturare, ſic ſua Bonitas requirit bonificare, & ſua Magnitudo magnificare, & ſua Æternitas æternificare, & ſic de aliis, cùm ſint idem numero cum ipſa Natura, ût probatum eſt: per quod demonſtratur, quòd Rationes ſint reales in Divina Productione intrinſeca; ſicut Pater, qui ratione Sapientiæ naturaliter concipit Verbum; & ad hoc concurrunt omnes aliæ Rationes reales eſſentiâ, cùm Filius ſit ita bonus per Bonitatem, magnus per Magnitudinem &c., ſicut ſapiens per Sapientiam: & hoc idem eſt de Sancto Spiritu ſecundùm Proceſſum Amoris; & ſic in DEO apparent Reales Rationes, & relucent per Diſtinctionem Divinarum Perſonarum, cum qua ita ſunt idem numero, ſicut cum Eſſentia & Natura, & quælibet ipſarum cum alia.

4. Ait Eremita: Raymunde, tu implicas contradictionem, in quantum dicis, quòd in Rationibus DEI non ſit realis diſtinctio, & dicis, quòd Filius naturaliter ſit genitus per Sapientiam, & Sanctus Spiritus non, ſed quòd ſit ſpiratus per Amorem; & quia eſt diſtinctio inter Generationem & Spirationem, & Generatio eſt per Sapientiam, & Spiratio per Amorem, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit differentia inter Sapientiam & Voluntatem; & per conſequens inter alias Rationes, quæ cum ipſis ſunt idem in Eſſentia & Natura; & quia talis contradi-

ctio

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ctio non poteſt ſtare, tua ratio eſt inanis & nulla.

5. Reſpondit Raymundus : in Divinis *Primus Motivus* (ût ita loquar) incipit per Naturam agendi, DEO conſiderante cum Intellectu ſuam Poteſtatem, ſuam Bonitatem, ſuam Magnitudinem &c. ; & ſic Divino Intellectu repræſentante DEO ſuas Rationes & Perfectiones DEUS intelligit ſe Patrem, proſequens illam repræſentationem, & eſt *occaſionatus* (ût ita loquar) ab omnibus ſuis Rationibus, qûòd ſuus Intellectus illi repræſentet & *excitet Naturam* (ût ita loquar) ut Natura & ſuæ Rationes in ſe non ſint *otioſæ*, ſed ut proſequantur Finem, in quo Fine Intellectus habet ſuum officium, ſcilicet intelligere, & Voluntas ſuum, ſcilicet diligere, & quælibet eſt Realis Ratio quoad agere, & remanent idem numero per Eſſentiam & Naturam, & diſtinctio officiorum eſt per Diſtinctionem Generationis & Spirationis ; *cùm Generatio ſit per influxum Intellectûs, & non per refluxum, Spiratio autem per influxum & refluxum Amoris*, & ad hoc communiter concurrunt omnes Dignitates, ut poſſit eſſe Diſtinctio inter Generationem & Spirationem ; ſicut Æternitas, quæ eſſentialiter & naturaliter conſervat Identitatem numeri Intellectûs & Voluntatis, & infinita Poteſtas ponit Diſtinctionem inter officium Intellectûs & Voluntatis ſuſtentatum in Divinis Perſonis ; quæ Diſtinctio eſt bona & magna &c. ; quia cum illa Diſtinctione Rationes DEI ſunt entia realia, & habent ſuos actus in agendo intrinſecè ; & ſic de divina Natura : unde cùm hoc ita ſit, non ſequitur, quòd in DEO ſit contradictio, cùm in ipſo non ſit diſtinctio *ſecundùm ſuam eſſentialem exiſtentiam*, ſed ſecundùm *ſuam agentiam intrinſecam Perſonarum*.

QUÆSTIO V.

Utrùm Potentiæ Animæ, ſcilicet Memoria, Intellectus & Voluntas ſint Accidentia Animæ ?

1. SOlutio. Anima eſt ſubſtantia, quæ eſt creata, ut recolat, intelligat & diligat DEUM, & in ſubſtantia plus eſt de bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate, virtute, veritate & perfectione, quàm in accidente ; & propter hoc ſubſtantia per ſe exiſtit & agit, accidens verò non, ſed eſt ejus inſtrumentum & ſuſtentatum in ſubſtantia, & ab ipſa habet ſuas perfectiones : unde cùm DEUS ſit ſummè recolibilis, intelligibilis & amabilis, requirit ab Anima, quòd ipſum objectet cum magnitudine bonitatis, durationis, poteſtatis, virtutis & perfectionis, non cum parvitate, ut non ſit contra ſuam Summam Recolibilitatem, Intelligibilitatem & Amabilitatem ; talem requiſitionem Animæ DEUS non poſſet facere, ſi potentiæ Animæ eſſent accidentia : ergò memoria, intellectus & voluntas ſunt entia conſubſtantialia Animæ, ut DEUS non præjudicet ſuæ Summæ Recolibilitati, Intelligibilitati & Amabilitati.

2. Præterea, ſi memoria, intellectus & voluntas eſſent accidentia, ſequerentur plura inconvenientia, ſcilicet quòd Anima non haberet partes ſubſtantiales, cum quibus ageret, ſicut elementatum, quod habet partes ſubſtantiales, per quas agit & generat ; ſicut planta plantam, & unum animal aliud ; & ſic habet agere ſubſtantiale : & ſi Anima non haberet partes ſubſtantiales, cum quibus ageret, ſubſtantia corporalis, quæ eſt minor in bonitate, magnitudine, duratione, poteſtate, appetitu, virtute, veritate, perfectione, quàm ſubſtantia ſpiritualis, eſſet major in agendo, licèt ſit minor in exiſtendo ; quod eſt impoſſibile : ergò memoria, intellectus & voluntas non ſunt accidentia Animæ.

3. Ait Eremita : Raymunde, ſecundùm tuum exemplum ſignificas, quòd una Anima generet & ſubſtantialificet aliam Animam, ſicut unum elementatum aliud ; quod eſt impoſſibile.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, non ſequitur hoc, quod tu dicis, licèt memoria, intellectus & voluntas ſint ſubſtantiales, & tu non bene ſcis quidditatem & modum agendi earum, qui ſignificatus eſt ſuprà *in Quæſtione tertia*, & etiam *in Libro, quem fecimus de Articulis damnatis Pariſiis in centeſimo decimo octavo & in centeſimo quinquageſimo octavo Capite* ; & adhuc in hac Quæſtione tibi volo declarare : & primò de intellectu.

5. Intellectus naturaliter habet in ſe tria conſubſtantialia, ſcilicet *intellectivum*, quem nominamus *intellectum agentem*, & intellectum intelligibilem, quem vocamus *intellectum poſſibilem* ; & *intelligere con-*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

conſubſtantiale, per quod intellectivus & intelligibilis intrinſecè & naturaliter participant; & illam ſpeciem, quæ de ſenſitivo & imaginativo eſt deducta, imprimit intellectivus in ſuo proprio intelligibili, in quo ipſam facit intelligibilem, cujus intelligibilitas eſt nova,& per conſequens venit novum intelligere deductum & ſuſtentatum in intelligere, quod eſt intrà, in quo eſt formatum; & ſic intellectivus, qui eſt ſubſtantialis, agit ſubſtantialiter & accidentaliter intrà & extrà, ût dictum eſt, ſinè productione & generatione alicujus ſubſtantiæ, nihil de ſe nec de ſuo proprio intelligibili nec de ſuo intelligere ſcindens, augmentans vel diminuens, cùm intellectus ſit ſpiritualis & incorruptibilis: ſed de elementato non eſt ita, ſicut leo, qui habet potentiam ſubſtantialem generativam, & ſic de planta, in quo leone potentia generativa eſt generativus ſubſtantialis, qui eſt ipſe leo, & habet ſubſtantialem & radicalem generabilem & generare; in quo generabili humidum radicale, quod fluit & refluit, potentialiter eſt generatum, & ſcindit illud à ſe, & illud ſemen ponit in leoniſſa, quod eſt ſubſtantiale & radicale, & in matrice ſuus generativus in ſuo proprio radicali generabili cum ſuo proprio intrinſeco generare convertit in ſuam ſpeciem humidum nutrimentale, quod illi influitur à leoniſſa,& de ipſo vivit, & extendit ſe, lineat & multiplicat, ſicut lumen in lampade de oleo, & pirus inſertus in pomario.

6. Ait Eremita: Raymunde, ſi verum eſſet hoc, quod tu dicis, intellectus conjunctus ſemper intelligeret in hoc, quòd in ſe habet conſubſtantiale intelligere; & ſic homo, qui dormit, aut eſt ebrius, ſemper intelligeret; quod eſt impoſſibile.

7. Reſpondit Raymundus: Eremita, non bene intellexiſti hoc, quod dixi, cùm intellectus, dum eſt in via, non poſſit intellige- re ſinè phantaſmate, ſicut oculus, dum eſt in tenebris, non poteſt videre ſinè luce; ſed ſicut oculus, qui eſt in tenebris, eſt diſpoſitus ad videndum, ſic intellectus eſt diſpoſitus ad intelligendum.

8. Item dixit Raymundus: Sicut diximus de intellectu, ita ſuo modo eſt intelligendum de voluntate & memoria; veruntamen de voluntate volo tibi plus dicere: ſi voluntas eſſet accidens, eſſet mota ab anima, quæ eſt ſubſtantia, ad volendum, cùm nullum accidens moveat ſe ipſum, ſed moveatur à ſubſtantia; ſicut agens, quod movet ſuum inſtrumentum ad agendum; & ſic Anima, antequam voluntas appeteret ſuum objectum, haberet alium appetitum intrinſecum ſubſtantialem, cum quo moveret appetitum voluntatis, & electio, libertas & deliberatio non eſſent in voluntate, ſed eſſent in appetitu intrinſeco ſubſtantiali; & ſic electio & deliberatio eſſent circa objectum, antequam eſſet, & voluntas eſſet pura paſſio, & ſic de intellectu & memoria; quod eſt impoſſibile: & de hoc habemus experientiam in recolendo, intelligendo & diligendo ad placitum.

9. Præterea dico tibi, Eremita, quòd, ſi memoria eſſet accidens, non poſſet antiquare nec gubernare ſpecies, quas intellectus & voluntas in ipſa deponunt ad cuſtodiendum; quia ſicut ens accidentale non habet naturam,quòd per ſe exiſtat & ſuſtentetur, ita non habet naturam, quòd per ſe aliquid cuſtodiat & antiquet; ſicut calor ignîs, qui eſt accidens, in ſe non ſuſtentat nec gubernat ſiccitatem, quam ignis recipit à terra; quòd ſi faceret, eſſet ſubſtantia, & ſic calor eſſet ſubſtantia & accidens; quod eſt impoſſibile: ſed ignis in proprio ignibili, quod eſt in ipſo ſubſtantiale, ſuſtentat & gubernat ſiccitatem & alia accidentia; & hoc idem ſuo modo facit memoria de ſpeciebus acquiſitis: ergò probatum eſt, quòd potentiæ Animæ ſint ſubſtantiales, & non accidentales.

10. Adhuc dico tibi, quòd, ſi potentiæ Animæ eſſent accidentia, beata Anima haberet plus gloriæ in ſuis accidentibus, quàm in ſua ſubſtantia, participando cum DEO recolendo, intelligendo & diligendo cum ſuis accidentibus, & non cum ſubſtantia; & idem ſuo modo de damnata anima, quæ haberet majorem pœnam in ſuis accidentibus, quàm in ſua ſubſtantia.

11. Dixit Eremita: Raymunde, memoria, intellectus & voluntas ſunt potentiæ Animæ, & omnis potentia in creatis eſt accidens, cùm potentia dicat inſtrumentum agentis; ſicut caliditas, quæ eſt potentia ignîs & ſuum inſtrumentum; & ſic tua ratio non procedit.

12. Reſpondit Raymundus: Eremita, potentia poteſt conſiderari duobus modis,ſcilicet ſubſtantialis & accidentalis; potentia ſubſtantialis eſt, ſicut poteſtas Animæ, quæ eſt una de ſuis ſubſtantialibus partibus, per quam Anima poteſt eſſe ſubſtantia, & poteſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

teſt per ſe exiſtere & agere; quæ, ſi eſſet accidens, ſubſtantia Animæ poſſet eſſe & poſſet agere per accidens, & non per ſe; & ſic in accidente eſſet plus magnitudinis, bonitatis, durationis, poteſtatis &c., quàm in ſubſtantia; & per conſequens plus entitatis, & ſubſtantia eſſet ſuſtentata in accidente, & non è converſo; quod eſt impoſſibile: ergò poteſtas eſt pars ſubſtantialis Animæ, & ab ipſa denominantur memoria, intellectus & voluntas potentiæ Animæ: potentiæ verò accidentales derivantur à ſubſtantialibus; quia ſicut calor eſt potentia accidentalis ignîs ad calefaciendum, ſic Anima habet poteſtatem accidentalem in recolendo, intelligendo & diligendo habitus, & ad educendum ſpecies innatas de potentia in actum; & tales potentiæ accidentales ſunt ſimilitudines & inſtrumenta prædictarum potentiarum ſubſtantialium, quæ appellantur memoria, intellectus & voluntas, quæ ſignificantur ſuprà in §. de Intellectu.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Pater genuerit Filium de neceſſitate Naturæ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, DEUS habet Naturam, per quam naturaliter intelligit & diligit ſe ipſum; aliàs ſi non haberet Naturam, ſuum intelligere & diligere eſſet accidentale & artificiale, quod eſſet malum contra bonum, & parvum contra magnum, & in tempore contra æternum, & ſic de ſimilibus; quod eſt impoſſibile: ergò DEUS de neceſſitate habet Naturam, & per conſequens naturalem Intellectivum & Intelligibilem, Volitivum & Volibilem, ſicut habet naturale Intelligere & Amare, quia Divinæ Rationes ſunt idem numero, ût ſuprà *Quæſtione quarta* probatum eſt: unde ſequitur, quòd, ſicut DEUS habet intrinſecè naturale Intelligere & Amare, ita habeat intrinſecè naturale Bonificare, Magnificare, Æternificare, Poſſificare, Virtuificare, Verificare, Glorificare & Perficere: unde, cùm DEUS abſolutè ſit ſummè bonus, ſummè magnus, æternus &c., ſicut eſt ſummè intelligens & ſummè amans, convenit, quòd ſuum Intelligere & ſuum Amare ſint abſoluta de neceſſitate; & ſic DEUS abſolutè ſe intelligit & diligit: veruntamen abſolutè non poteſt ſe bonificare, nec magnificare, æternificare, poſſificare &c., & ſe perficere, cùm ab æterno & in æternum ſit perfectus in Bonitate, Magnitudine, &c., quod non eſſet, ſi ſe ſimpliciter bonificaret; & ſi ſe magnificaret, non haberet infinitam magnitudinem, nec æternitatem, ſi ſe æternificaret; nec infinitam poteſtatem, ſi ſe poſſificaret, & ſic de ſimilibus.

2. Dum Raymundus ſic diſcurrebat per ſua principia conſiderando DEUM & Divinas Rationes, & non fuerat auſus negare, quòd DEUS abſolutè ſe intelligat & diligat, nec fuerat auſus affirmare, quòd DEUS abſolutè ſe ipſum bonificet, magnificet &c., erat valde perplexus in hac conſideratione & admiratus, uſque quò mediante divinâ gratiâ, quæ ſe communicat bonæ intentioni & voluntati, illi fuit declaratum & ſignificatum, quòd in DEO de neceſſitate ſit Diſtinctio: veruntamen adhuc fuit admiratus & conſideravit, de quibus eſſet & quæ eſſet illa Diſtinctio; & ſic Raymundus invénit, quòd DEUS, in quantum intelligit ſemetipſum, naturaliter intelligat, quòd naturaliter poſſit de ſe bonificare, magnificare &c., ut habeat ita naturale bonificare, magnificare &c., ſicut intelligere: & ſic producit de ſe Bonificatum Infinitum, Æternum &c., quia ipſum non poteſt producere de alia eſſentia, cùm nulla alia eſſentia niſi ſua ſit infinita & æterna; & ſic producens permanet Imbonificabilis &c. & Innaſcibilis; & totus ſe bonificat, magnificat &c. in Producto, producendo ipſum de tota ſua Bonitate, Magnitudine &c.

3. Et tunc Raymundus percepit, quòd in Divino Intellectu, quem antè conſideravit *communem*, eſſet unus Proprius Intellectivus Perſonalis exiſtens ille idem Producens, quem priùs conſideravit, ut ipſe ſit bonificativus, magnificativus &c.; & ſic Raymundus habuit hoc, quod deſiderabat de Diſtinctione, quæ eſt inter Patrem & Filium de neceſſitate Naturæ, ût probatum eſt, cujus perplexitas evanuit; & Producentem appellavit Patrem, quia de ſe producebat, cùm conveniat, quòd omne producens aliquid de ſua eſſentia & natura, de neceſſitate ſit pater; & de hoc habemus experientiam in plantis & in animalibus: & tunc Raymundus de neceſſitate apprehendit DEUM Patrem, qui intelligendo ſe ipſum naturaliter concipit & generat Verbum; quod Verbum appellamus Filium; cùm Pater & Filius relativè ſe habeant, & ad

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ad cujus Filii Generationem naturaliter concurrunt omnes actus Rationum DEI, ut Filius naturaliter ſit bonus, magnus, ſicut eſt ſapiens; & ſic de Patre: unde cùm Raymundus hæc omnia vidit de neceſſitate rationis, tenuit affirmativam de ſupradicta Quæſtione, ut ſupradictæ perfectiones ſint in DEO, in quo eſſent in privatione, ſi negativa hujus Quæſtionis ſecundùm veritatem eſſet tenenda.

4. Dixit Eremita: Raymunde, ſecundùm te ſequitur, quòd Sanctus Spiritus ſit Filius, cùm in prædicta Generatione DEI ita naturaliter ſit amare, ſicut intelligere & intellectivus (quem appellas Patrem) eſt amativus volens generare Filium; quia ſi nollet ipſum generare, non generaret: & quia Sanctus Spiritus eſt per amorem, & eſt intellectus per Patrem, ſic Sanctus Spiritus eſt genitus ſicut Filius; & quia hoc eſt contra Fidem, ſcilicet quòd Sanctus Spiritus ſit Filius, & cùm Fides Catholica ſit de rebus veris, concluditur, quòd tua ratio ſit falſa & nulla, & quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

5. Reſpondit Raymundus dicens: quòd amor Patris ſit infinitus in Magnitudine Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c., unde ſequitur ratione talis Magnitudinis, quòd Pater diligat *tribus modis*, ſinè quibus ſuus Amor non eſſet in prædicta Magnitudine; unus modus eſt *communis*, alius eſt *proprius* ſecundùm Generationem, alius *proprius* ſecundùm Spirationem: *primus modus* eſt, ſicut Pater, qui *communiter* ſe diligit per Eſſentiam & Naturam, & per ſuam Bonitatem, Magnitudinem &c., & ſic de ſua Unitate; & talem modum communem habent Filius & Sanctus Spiritus, ſicut omnes tres habent unam communem Eſſentiam & Naturam, & ſic de una communi Bonitate, Magnitudine &c.: *ſecundus modus* conſiſtit in hoc, quòd Pater naturaliter diligat generare Filium, quia ſi non ita eſſet, generaret ipſum contra ſuum velle; & tale diligere eſt *proprium Patri*, ratione cujus propriè & ſimpliciter diligit generare Filium de ſe ipſo & de toto hoc, quod habet; & ſic conſiſtit ſuus appetitus naturalis generandi, in quo ſibi naturaliter reſpondent omnes actus Divinarum Rationum; ſicut Bonitas, quæ requirit naturale bonificare, & Magnitudo naturale magnificare, & ſic de aliis: unde ſequitur, quòd prædictus appetitus ſit diffuſus per omnes Rationes, ut ſic per ipſum habeant *Appetitum* ad Generationem Filii, ſicut habent *Inſtinctum* (ût ita loquar) per Intellectum ad eandem Generationem; & ſic Magnitudo ſufficit de ſe ipſa & de Bonitate, Æternitate &c. ipſius Appetitûs actu exiſtentis æterni & infiniti: *tertius modus*, quem Pater habet in diligendo, eſt per reflexionem amandi, diligendo Filium ratione Bonitatis, Magnitudinis &c. Filii & ſuî ipſius, in quantum eſt bonus, magnus &c. per Generationem; & in hoc tertio modo participat Filius cum Patre, diligendo Patrem & ſe ipſum cum toto hoc, quod habet à Patre; & ſic ſufficit prædicta Magnitudo: & ſequitur alia, ut ſequatur Spiratio per Amorem, non per Naturam; & talis Amor eſt contemplatio & Debita Ratio, ſecundùm quòd in bonis moralibus ſignificatum eſt per juſtitiam & charitatem; & per talem modum amoris tua ratio vel quæſtio eſt ſoluta, aliàs Divina Magnitudo non eſſet ſufficiens Divino Amori de ſe nec de aliis Rationibus.

QUÆSTIO VII.

Utrùm Potentia generandi in Divinis dicat quid vel ad aliquid?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, ſi Potentia generandi diceret quid, eſſet abſoluta ſimpliciter per Generationem, & non haberet ſe ad aliquid quoad Filium; & hoc ideo, quia Filius ſe non poſſet bonificare nec magnificare in diligendo Patrem; & ſic Filio deficeret Magnitudo Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c. in hoc, quòd non haberet proprium actum agendi in diligendo Patrem & ſe ipſum nec ſuam Bonitatem, Magnitudinem &c.; & ſic in Filio omnes Divinæ Dignitates amitterent ſuos actus, & eſſent otioſæ, in quantum Filius non ageret cum ipſis; quod eſt impoſſibile, cùm conveniat, quòd Filius ſit ita bonus, magnus &c. in agendo de Bonitate, Magnitudine &c., ſicut Pater, ut illi non deficiat infinita Magnitudo Bonitatis: ergò Filius habet agere intrinſecè, deducendo bonificare, magnificare &c. in ſuo amare, ut ſit bonum, magnum &c. in diligendo Patrem & ſe ipſum: & ſic Pater ratione Juſtitiæ & Charitatis tenetur ita plenè & perfectè diligere Filium, ſicut Filius dili-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diligit ipſum; & ſic Amor Patris & Filii deductus per omnes actus Divinarum Rationum eſt unus, in quo conſiſtit Spirativa Potentia & Paſſiva Spirabilitas, ex quibus eſt Spirare, de quo oritur Perſona Sancti Spiritûs; & convenit, quòd iſta Tertia Perſona ſit in Divinis inter Patrem & Filium de neceſſitate, ut ipſorum Amor non ſit accidens, ſed ſubſtantia, nec Filius otioſus, nec Pater injuſtus erga Filium, nec è converſo: ergò ſequitur, quòd ita bene & perfectè conveniat Divinæ Poteſtati, quòd ſe habeat ad Spirationem, ſicut ſe habet ad Generationem: & ſic Eremita reſpondeo ad Quæſtionem, quòd Potentia Generandi dicat ad aliquid, & non quid.

2. Ait Eremita: quidquid eſt in DEO, vel eſt proprium, vel commune; proprium, ſicut Paternitas, Filiatio & Paſſiva Spiratio; commune, ſicut Eſſentia, Natura, Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas &c.; & quia tu dicis, quòd Potentia Generandi non dicat quid, ſed ad aliquid, implicas contradictionem, ſcilicet, quòd Potentia Generandi, quæ eſt abſoluta, cùm ſit infinita, ſicut Divina Bonitas, Magnitudo &c. eſt abſoluta, ſe habeat abſolutè ad Generationem, ſicut Divinus Intellectus, qui eſt idem cum ipſa: ſed in quantum dicis, quòd ſe habeat ad Spirationem, ſicut ad Generationem, dicis, quòd non ſit abſoluta, cùm ſit unus reſpectus in poteſtate generandi, & alius in poteſtate ſpirandi, cùm ſit diſtinctio inter generare & ſpirare; & quia contradictio non poteſt ſtare, tua ratio nihil valet.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, concedo tibi, quòd, quidquid eſt in DEO, ſit proprium vel commune; tamen diſtinguendum eſt inter proprium & proprium, & commune & commune; inter proprium & proprium, ſicut inter Paternitatem & Filiationem & ſpirativam Proprietatem, quæ eſt propria Patri & Filio; inter commune & commune, ſicut inter Proprietatem ſpirativam, quæ eſt communis Patri & Filio; & Eſſentiam, Bonitatem, Magnitudinem &c., quæ eſt communis omnibus tribus Perſonis: unde cùm hoc ita ſit, Potentia Generandi ſe habet *abſolutè*, in quantum conſtituit unam *communem* Proprietatem Spirativam inter Patrem & Filium; & *propriè*, in quantum illa communis Spiratio convenit ſoli Patri & Filio; & in hoc ſtat Potentia Communis & Reſpectiva in prædicta Generatione, in quantum per unum modum Potentia eſt Proprietas Paternalis, & per alium Filialis, & ipſa remanet Una Communis Indiviſa, cùm Pater ſit ipſa, & generando Filium de toto ſe ipſo eſt Filius genitus de tota Potentia; & idem ſequitur ſuo modo de Paſſiva Spiratione, quam appellamus Sanctum Spiritum, qui eſt de Patre & Filio: ad quam Potentiam ſe habet ita propriè & communiter ſecundùm modum Paſſivæ Spirationis, ſicut ſe habet ad Activam Spirationem ſuo modo: ergò Potentia eſt in beatiſſima Trinitate ſecundùm quid & ſecundùm ad aliquid, ût probatum eſt.

QUÆSTIO VIII.

Utrùm in Filio ſit Potentia, per quam potuit generari?

1. SOlutio. Ait Raymundus: in divino Intellectu ſunt Intellectivus, Intelligibilis & Intelligere: unde ſi in Intelligibili eſſet potentia, per quam Filius poſſet generari, hoc eſt, de qua poſſet eſſe Generatus, & ſi illa potentia differret ab Intellectivo, Generatus non eſſet de Eſſentia Generativi, nec de ſe ipſo ſimpliciter; & ſic eſſet generatus ſecundùm modum, per quem fit generatio in creatis; quam generationem ſignificavimus in *quinta Quæſtione*: ſicut in leone, qui eſt pater, qui, antequam generet filium, filius eſt in ipſo in potentia; & ille filius, qui eſt in potentia, habet in ſe potentiam, per quam poteſt generari; & illa potentia, quam habet, eſt humidum radicale nutrimentale, de quo poteſt generari, ſecundùm quòd exemplificatum eſt in prædicta Quæſtione: & quia talis generatio non poteſt fieri ſinè motu nec ſinè tempore, loco &c., eſt impoſſibile, quòd Suprema Generatio ſit per talem modum, qui eſt in creatis, cùm Suprema Generatio ſit ſinè motu & loco, cùm ſit infinita; & ſinè tempore, cùm ſit æterna: unde propter hoc reſpondeo ad Quæſtionem tenendo negativam: veruntamen ſi intelligas de Potentia, quæ eſt DEUS Pater exiſtens in DEO Filio, & Filius in ipſo, ſicut Intellectus, qui eſt in Intelligibili, & è converſo, affirmativa Quæſtionis eſt tenenda, ſcilicet, quòd Pater, qui eſt Potentia, ſit illa Potentia, per quam Filius poſſit Generari,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ri, hoc eſt, quòd de Eſſentia Patris poſſit generari, Filio exiſtente Genito à Patre in Infinitate & Æternitate, ut ſit Genitus infinitus & æternus, & ut remaneat in Infinita & Æterna Generabilitate, quæ eſt ſuámet Entitas.

2. Ait Eremita : ſi Filius non haberet propriam potentiam, per quam poſſet generari, non poſſet remanere generabilis in infinire & æternare, quia ſua generabilitas eſſet vacuabilis ; & per conſequens generativitas Patris eſſet impedita & ceſſabilis ; quod eſt impoſſibile : ratione cujus impoſſibilitatis affirmativa Quæſtionis ſimpliciter eſt tenenda.

3. Reſpondit Raymundus : ſecundùm hoc, quod ſuprà dixi, declaratum eſt, quòd malè dicas ; quia ſi Filius haberet aliquam propriam potentiam, per quam poſſet generari, quæ eſſet differens à Propria Potentia Patris, Filius eſſet genitus de ſua propria potentia, & non de Propria Potentia & Eſſentia Patris ; & ſic eſſet genitus ſecundùm modum generationis, qui eſt in creatis. Et quia dicis, quòd generabilitas Filii eſſet vacuabilis, non eſt verum, cùm ſit de propria Eſſentia Patris, quæ eſt æterna & infinita & ſeparata ab omni accidente ; cujus Eſſentia eſt propria Patri, in quantum Pater eſt Proprietas Paternalis, quæ eſt idem cum Eſſentia, quæ Eſſentia eſt Proprietas Filialis, & ſic de Proprietate Paſſivæ Spirationis.

unum poſſe : & idem poſſe eſt proprium & commune ; *proprium* quoad Generationem ; *commune* quoad Creationem.

2. Ait Eremita : Raymunde, poſſe generare dicit poſſe generativum & generabile, cùm relativè ſe habeant intrinſecè, & non extrinſecè ; & ſic unum poſſe eſt illud, quod eſt intrinſecum ſimpliciter, aliud eſt illud, quod eſt ab intrinſeco & extrinſeco in creando ; & ſic tua ratio non valet.

3. Reſpondit Raymundus : antequam mundus erat creatus, erat mundus in potentia DEI hoc, quod eſt ; ſed hoc, quod mundus realiter eſt in ſe, antequam fuerat, non erat realiter ; ſed Sapientia DEI attingit ipſum per unum modum ſecundùm nunc, & per alium, ſecundùm quòd præſcivit ipſum : & hoc eſt, quia per unum modum attingit ipſum in æternitate, & per alium in tempore ; & licèt modi ſint diverſi *quoad ſubjectum*, non ſunt tamen diverſi *quoad Divinum Intellectum*, cùm ſit æternus & immutabilis : à ſimili idem poſſe, ſcilicet poſſe generare & poſſe creare ; ſed quia *ſubjecta* differunt, ſcilicet generabile & creabile, videtur tibi, quòd poſſe generare & poſſe creare ſint plura poſſe : & in hoc poteris cognoſcere, quòd tuus intellectus ſit depreſſus, & non altus ; & ita eſt informis, ſicut homo reſpiciens ſe in ſpeculo obliquo, quod illi repræſentat obliquam faciem, cui videtur, quòd habeat obliquam faciem.

QUÆSTIO IX.

Utrùm poſſe generare & poſſe creare ſit unum poſſe?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : in DEO eſt proprium & commune, ût ſuprà in *Quæſtione ſeptimâ* declaratum eſt ; & in DEO generare eſt communis actus generativi & generabilis, qui ſunt Propriæ Perſonæ ; & quia Divina Poteſtas eſt idem numero cum Divino Generativo, Generabili & Generare, habet in ſe proprium & commune, qui ſunt Generativus, Generabilis & Generare ; & ratione ſuæ Proprietatis ſua Generabilitas non eſt creabilitas ; cùm creabilitas non ſit de Eſſentia Divinæ Poteſtatis ; ſed quia Poteſtas eſt Pater, Filius & Sanctus Spiritus, & tota Trinitas eſt Creatrix, Poteſtas eſt Creator ; & ſic ſequitur, quòd *poſſe* generandi & *poſſe* creandi ſint

QUÆSTIO X.

Utrùm in ſolo DEO ſit Veritas.

1. SOlutio. Ait Raymundus : quidquid eſt in DEO, eſt Veritas, ſicut ſua Eſſentia, Natura, Bonitas, Magnitudo &c., etiam Paternitas, Filiatio & Spiratio ; & ratio hujus eſt, quia DEUS eſt totus ſinè parte, cùm ſit æternus & infinitus & Summa Simplicitas & Purus Actus : unde de neceſſitate ſequitur, quòd ſit Pura Veritas ; & talis Veritas eſt ipſe ſolus & in ipſo tantùm ; ſed in creatis nullum ſuppoſitum eſt veritas, nec è converſo ; ſicut homo, qui non eſt ſua anima, nec è converſo ; & hoc eſt, quia totum non eſt ſua pars, nec è converſo : veruntamen verum eſt, quòd in homine ſit anima, & quòd homo habeat corpus ; ſed hoc non poſſet eſſe verum, niſi eſſet a-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

liqua veritas, quæ differret à Divina Veritate: ergò est alia veritas à Divina Veritate, scilicet illa veritas, per quam est verum, quòd in homine sit anima, & homo sit corpus, & quòd homo habeat corpus, & sic de similibus: veruntamen talis veritas creata est multùm debilis in hoc, quòd non potest converti cum suo subjecto, scilicet, quòd homo sit veritas: & quia veritas potest deficere in hoc, quòd homine mortuo non est verum, quòd anima sit in ipso.

2. Ait Eremita: Raymunde, Divina Ve-
a. ritas est infinita in Magnitudine Virtutis, Potestatis &c.; & sic non convenit, quòd sit aliqua veritas in alio, nisi in DEO, cùm ipsa per suam Potestatem & Virtutem possit facere, quòd sit verum, quòd anima sit in homine, & sic de similibus, ita, quòd Divina Veritas sit causa, & quòd sit verum, quòd anima sit in homine, sit effectus.

b. Adhuc dico tibi, quòd, si esset alia veritas præter Divinam, esset terminata in illa, & non esset infinita, in quantum Divina Veritas non esset omnis veritas: ergò, ut Divina Veritas sit infinita, alia veritas ab ipsa non potest esse; unde sequitur, quòd affirmativa Quæstionis sit tenenda.

3. Respondit Raymundus Eremitæ di-
a. cens: quòd Divina Veritas habeat infinitam Potestatem & Virtutem, cum qua causat aliam veritatem vel veritates immediatè; & hoc per creationem: sicut DEUS, qui immediatè creavit mundum, & immediatè gubernat ipsum; sed sicut ignis, qui est creatus à DEO, est causa secundaria combustionis vel calefactionis, & Prima Causa cum secundâ naturaliter comburit lignum, sic Prima Veritas, in quantum est DEUS, causat veritatem creatam immediatè, cum qua facit, quòd sit verum, quòd anima sit in corpore, & sic de similibus; & hujusmodi veritas secundaria necessaria est agenti naturali & artificiali, quia sinè ipsa nullum agens posset agere naturaliter nec artificialiter; & hoc patet per se: imò dico tibi, quòd, si talis veritas non esset, DEUS naturaliter non posset agere in crea-
tu turis, in quibus naturaliter non potest agere immediatè; quia si posset, posset illas convertere in se ipsum, & de ipsis generare DEUM, sicut DEUS Pater facit in se ipso, qui immediatè de se ipso naturaliter generat DEUM Filium; & quia talis generatio de DEO in creaturis est impossibilis, conve-
2. nit, quòd prædicta causa secundaria sit, ut DEUS naturaliter possit agere in creatis.

b. Et quia dicis, quòd per creatam veritatem Increata Veritas esset limitata, malè dicis, cùm finitum non possit limitare infinitum; quia si posset, Divina Potestas esset finita, in quantum non posset participare cum alia potestate finita, & remanere infinita; quod est impossibile.

QUÆSTIO XI.

Utrùm DEUS sit in Genere?

1. Solutio. Inter DEUM & creaturam est differentia, sicut inter causam & effectum, & inter infinitum & finitum; sed ista differentia non est ens reale nisi in intellectu creato, qui facit ipsam in se multiplicando speciem; sed Differentia Realis consistit in DEO per Distinctionem Divinarum Personarum, & per differentiam, quæ est in creatura, sicut inter corpus & animam &c., & ex his duobus terminis differentiæ, quæ sunt entia realia, consistit una communis realis differentia in veritate sic sustentata & verificata, sicut creatio; & ex prædicta communi differentia facit intellectus prædictam speciem: & sicut DEUM ponit in genere differentiæ, ita ipsum ponit in genere substantiæ; sed sicut Differentia Divinarum Personarum est differens ab illa, quæ est creata, per se, & è converso, sicut ignis, qui per suam caliditatem est contra aquam, & sicut aqua, quæ per suam frigiditatem est contra ignem, sic DEUS per hoc, quòd est substantia, est differens ab illa substantia, in qua intellectus ponit DEUM, in quantum dicit vel intelligit, quòd DEUS sit substantia; & sic sunt duæ substantiæ, una est illa, quæ est DEUS, alia est illa, quæ est genus: unde cùm hoc ita sit, per prædicta est declarata solutio Quæstionis, scilicet, quòd DEUS non sit in genere quoad suam substantiam, quæ non est genus, sed sit in genere quoad substantiam, quæ est genus; quæ substantia non est DEUS, cùm omne genus sit supra aliud vel sub alio; sicut genus, quod est supra species, & sicut substantia creata, quæ est sub accidentibus; & sic per unum modum negativa Quæstionis est tenenda, & per alium non.

2. Ait Eremita: Raymunde, omne illud, quod

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quod non eſt ſubſtantia nec accidens, nihil eſt; & ſic ſecundùm te DEUS non eſt aliquid: præterea, ſi DEUS non eſt in genere, non eſt in illa generali differentia, quam tu dicis, cùm differentia ſit genus, & ſit poſita in veritate ſecundùm te, ſicut creatio: unde ſequitur, quòd DEUS non differat à creatura, poſtquam non eſt in genere differentiæ; quod eſt impoſſibile. Item ſi DEUS non eſt in genere, non eſt in relatione, nec de genere actionis & paſſionis, nec eſt in iſto nunc, in quo ſumus, nec in iſto loco vel in alio, & ſic de ſimilibus: unde remotâ relatione à DEO non eſſet in DEO Diſtinctio Perſonarum; & idem de remotione actionis & paſſionis, ratione cujus in DEO non eſſent Generatio & Spiratio; & ſic de nunc & ubi, ſinè quibus DEUS nobis non poſſet eſſe præſens, nec ſua Eſſentia poſſet nobiſcum eſſe in eodem loco.

3. Ait Raymundus: Eremita, ſi bene intellexiſſes id, quòd ſuprà diximus de differentia, quæ eſt inter DEUM & creaturam, & inter ſubſtantiam & ſubſtantiam, non feciſſes objectiones, quas feciſti: & ad hoc, quod dicis, quòd omne, quod non eſt ſubſtantia nec accidens, non ſit aliquid, verum dicis; ſed propter hoc non ſequitur, quòd DEUS non ſit aliquid, licèt non ſit iſta ſubſtantia, quæ eſt genus; & hoc, quia DEUS eſt alia Subſtantia, quàm genus, exiſtens extra genus, & non exiſtens ſub aliquo accidente; & DEUS eſt Subſtantia in hoc, *quòd eſt per ſe exiſtens:* & ſicut ipſe, qui per ſuam Coëſſentialem Subſtantiam, quæ eſt eadem cum ſua Coëſſentiali Differentia, differt à ſubſtantia creata, ſic cum ſua Coëſſentiali Relatione, Productione, Infinitate, Æternitate differt à creata relatione, actione & paſſione, loco & tempore; ſed intellectus conjunctus ponit DEUM in genere, ut per aliqua media poſſit contemplari & attingere Veritates, quas DEUS habet in ſe, dicens, quòd DEUS ſit in genere ſubſtantiæ, cùm ſubſtantia ſit per ſe ſtans; & dicit, quòd ſit in genere relationis, ut in ipſo poſſit attingere pluralitatem Perſonarum; & dicit, quòd ſit in genere actionis & paſſionis, ut in DEO intelligat ſuam Operationem & Productionem Intrinſecam; & ſic per conſequens de tempore & loco, ut intelligat, quòd DEUS ſit in iſto inſtanti, in quo ſumus, per Præſentiam, & extra per Æternitatem; & ſic in loco, in quo ſumus, per Eſſentiam, & extra locum per Infinitatem.

QUÆSTIO XII.

Utrùm Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: DEUS eſt Summum Principium; ſed non poſſet eſſe Summum Principium ſinè tribus conditionibus ſibi conſubſtantialibus & eſſentialibus, quæ ſunt, quòd ipſe ſit *Principium Principians & Non Principiatum*, & quòd ſit *Principium Principians & Principiatum*, & *Principium Principiatum & Non Principians;* Principium Principians & Non Principiatum, ut ſit ante omnia, & ut nihil ſit ante ipſum, ut poſſit eſſe Summum Principium per Bonitatem & Infinitatem & Æternitatem &c.: item convenit, quòd DEUS ſit Principium Principians & Principiatum, ut de ſua Eſſentia & Natura poſſit producere Principians, & Principiare Principiatum; aliàs niſi de ſua Eſſentia, Natura, Bonitate, Infinitate &c. produceret & principiaret Principiatum, DEUS non eſſet Principium *ſubſtantialiter* nec *naturaliter*, ſed artificialiter & per accidens; & ſic careret Principiabili infinito & æterno, ratione cujus carentiæ DEUS non poſſet eſſe Supremum Principium; & quia DEUS eſt Supremum Principium Principians Non Principiatum, producit Principiatum de ſe ipſo ratione ſuæ Bonitatis, Infinitatis, Æternitatis &c., & Principium Principians appellamus Patrem, & Principiatum Filium: unde cùm ſoli Enti Infinito & Æterno conveniat tale principiare & producere, poteſt eſſe & eſt Summum Principium. Item convenit, quòd in DEO ſit Principium Principiatum & Non Principians, ut Principium Principians Non Principiatum, & Principium Principiatum Non Principians æqualiter ſibi invicem correſpondeant per Bonitatem, Infinitatem, Æternitatem &c.; aliàs ſinè tali tertio Principio, quod appellamus Sanctum Spiritum, Summum Principium non eſſet perfectum, quia natura principiandi non poſſet quieſcere per Æternitatem & Infinitatem in ſolo Principiante ſinè Principio Principiato & Non Principiante; & hoc, quia exigeret multiplicare numerum Suppoſitorum in infinitum; & ſic ille

nume-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

numerus Suppositorum semper esset in fieri, & non in facto esse; & sic deficeret perfectio Bonitatis, Infinitatis, Æternitatis &c., ratione cujus DEUS non posset esse Summum Principium; & sic principiare non haberet terminum in numero à parte post nec à parte ante, quia æqualiter æternaliter inter se correspondèrent in numero infinita & æterna suppositа; & sic nulla Persona esset Innascibilis: undè privatâ Innascibilitate in ipso careret Summitate Principiativitatis; quod est impossibile: ergò est tertia Persona, quæ procedit à Patre & Filio: à Filio procedit, ut Filius sit Principiatus & Principians: à Patre procedit, ut Pater sit æqualis Filio in Bonitate, Infinitate, Æternitate &c., „ Patre habente duas „ Actiones, unam in Generando, aliam in „ Spirando, sicut Filius habet duas, scili- „ cet unam Actionem, in quantum spirat „ Sanctum Spiritum, ût probatum est, & „ unam Passionem, in quantum à Patre „ recipit Filiationem: & sic à simili con- „ venit, quòd Sanctus Spiritus procedat à „ Patre & Filio, ut sit æqualis Patri & Fi- „ lio, & quòd sic habeat duas Passiones, „ unam à Patre, & aliam à Filio, sicut Pa- „ ter habet duas Actiones, & Filius unam „ Actionem & unam Passionem, ût dictum est: *veruntamen non dicimus duos Spiratores*, sed unum tantùm, ût probabimus.

2. Dixit Eremita: Raymunde, beatus Joa. annes Evangelista dixit: *Spiritus, qui à Patre procedit*, unde videtur, quòd si Sanctus Spiritus procederet à Filio, ipse hoc dixisset; & sic secundùm tua dicta es contra Sacram Scripturam, quia dicis, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio.

b. Item dicis contra naturam in Divinis, quia, secundùm quòd Pater & Filius differunt personaliter, convenit, quòd differant in operatione, ita, quòd non habeant similem & eandem operationem: & sic de hoc habemus experientiam in creaturis, sicut ratione differentiæ visûs & auditûs, quia visus non potest audire, nec auditus videre, nec intellectus diligere, nec voluntas intelligere, & sic de similibus; sic à simili, si DEUS Pater spirat, DEUS Filius non potest spirare, nec è converso.

3. Raymundus fuit miratus, quare con-
a. sideraverit, quòd Pater & Filius de necessitate spirent Sanctum Spiritum, ût suprà probatum est, cùm beatus Joannes non dixerit, quia ab utroque procedit: *unde Raymundus recurrit ad Principia suæ Artis ad investigandum de hoc veritatem secundùm modum suæ Artis, per quem modum Auctoritates Sanctorum possunt exponi & declarari & concordari cum necessariis Rationibus*, dicens: quòd, sicut DEUS Pater misit suum DEUM Filium ad assumendam Carnem, sic Sanctus Spiritus miserit Angelum Gabrielem ad annuntiandum beatæ Virgini Mariæ, quam Sanctus Spiritus inspiravit; & quia Sanctus Spiritus procuravit Incarnationem, beatus Joannes in supradicta Auctoritate locutus est de Sancto Spiritu & de Patre: nec convénit, quòd dixerit, Sanctum Spiritum procedere à Filio, cùm ipse Evangelista consideraverit Missionem & Spirationem Incarnationis.

b. Item dixit Raymundus: Eremita, licèt Pater & Filius distinguantur per Paternitatem & Filiationem, *tamen non distinguuntur per Amorem*, uno amante alterum in tam magna Bonitate &c., usque quò eorum Amor sit unus Personaliter, & quòd ipse Amor sit Sanctus Spiritus & Persona, & non accidens, & ut sit æqualis in Magnitudine Bonitatis &c. Patri & Filio; & sic Pater & Filius, licèt sint distinctæ Personæ, habent similem Operationem in Sancto Spiritu; & hoc & multò meliùs sicut Sol & ignis, qui differunt, & habent similem operationem in lucificando, & ignis & aër in calefaciendo, & Guillielmus & Martinus in videndo & generando; & sic, Eremita, tua ratio non valet.

QUÆSTIO XIII.

Utrùm Sanctus Spiritus realiter distingueretur à Filio, si non procederet ab eo?

1. SOlutio. Ait Raymundus: inter Filium & Sanctum Spiritum non posset esse Distinctio, nisi ipsa inter illos esset Perfecta, & in tam magna Bonitate, Æternitate, Potestate &c., sicut est inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Sanctum Spiritum, inter quos est Proprietas Distinctiva & Constitutiva in Subjecto Personali; ratione cujus Proprietatis Attributa possunt habere naturales actus, sicut Bonitas bonificare, Magnitudo magnificare &c.; & quia Distinctio non posset habere prædictam Proprie-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

prietatem inter Filium & Sanctum Spiritum, si Filius non spiraret Sanctum Spiritum, sic deficiente Proprietate Distinctivâ & Constitutivâ deficeret Distinctio inter Filium & Sanctum Spiritum; ratione cujus negatio quæstionis est tenenda: & sic esset de Beatissima Trinitate, sicut esset de *triangulo*, qui triangulus non esset, si ab ipso removeretur *una linea*; & totus ille locus, à quo esset remota illa linea, esset vacuus, ratione cujus vacuitatis duæ lineæ, quæ remanerent, non possent participare nisi per unum angulum quoad concordantiam bonitatis, magnitudinis &c.: & quia talis privatio concordantiæ non potest esse in Beatissima Trinitate DEI, declaratum est, quòd Quæstio sit fundata super impossibilitate.

2. Dixit Eremita: Raymunde, Sanctus Spiritus procedit à Patre per Amorem, & Filius est productus à Patre per Intellectum, & sic remanente distinctione inter generare & spirare, intelligere & amare, potest remanere distinctio inter Filium & Sanctum Spiritum, nec propter hoc sequeretur vacuum inter ipsos, quia possunt se intelligere & diligere & habere similitudinem in Bonitate, Magnitudine &c.

3. Ait Raymundus: Eremita, non bene intellexisti vim nostræ rationis, quæ consistit in Plenitudine Participationis constituendo Personam, quæ secundùm te non esset constituenda, nec esset relatio inter Filium & Sanctum Spiritum; quod est impossibile, ut in Bonitate sit ita magna inter Filium & Sanctum Spiritum, sicut inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Sanctum Spiritum: ergò si Sanctus Spiritus non procederet à Filio, realiter non distingueretur ab illo.

QUÆSTIO XIV.

Utrùm Pater & Filius debeant dici unus Spirator, vel duo Spiratores?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, dictum est, quòd in DEO sit *proprium* & *commune* suprà in *Quæstione septimâ*, in qua patet, quòd Pater & Filius debeant dici *unus Spirator* & *unum Principium, non duo Spiratores nec duo Principia.*

2. Sed adhuc dico tibi, quòd inter Patrem & Filium sit *Proprietas Distinctiva*, ratione cujus unus distinguit alium unum à se; sicut Pater, qui generando Filium, ipsum distinguit à se ipso; & sicut inter Patrem & Filium est Distinctio cum Infinitate Bonitatis, Æternitatis, Potestatis &c., sic per consequens inter ipsos est Concordantia, quæ est *æqualis* Distinctioni per infinitam Bonitatem, Æternitatem, Potestatem &c.; & illa Concordantia in tantum est *Proprietas Concordativa* inter Patrem & Filium, sicut Distinctio est Proprietas Distinctiva: sed hoc non posset esse, nisi Concordantia uniret Patrem & Filium in Unitate Spirativitatis, sicut Distinctio ipsos distinguit, quantum ad Proprietates Personales; aliàs Distinctio esset major in Magnitudine Bonitatis &c., quàm Concordantia; quod est impossibile, cùm in DEO non sit majus nec minus: & sic convenit, quòd Pater & Filius sint unus Spirator per Concordantiam, sicut sunt duæ Personæ per Distinctionem.

3. Item convenit, quòd sint unus Spirator, ut tantùm unus Sanctus Spiritus possit esse ex ambobus; quia si dicerentur esse plures Spiratores, essent plures Sancti Spiritus, vel unus Sanctus Spiritus esset compositus ex Spiratione Patris & ex Spiratione Filii; quod est impossibile: ergò Pater & Filius sunt unus Spirator tantùm.

4. Ait Eremita: Raymunde, in DEO est
a. Summa Simplicitas, quæ non esset, si tua dicta essent vera, cùm de necessitate conveniat, quòd, ubicunque est unio ex pluri-
b. bus, ibi sit *compositio*: sicut patet in homine, qui est unus compositus ex pluribus, & sic de omnibus elementatis, sic à simili prædictus Spirator existens unus esset compositus ex Patre & Filio: ergò Pater & Filius sunt duo Spiratores.

5. Respondit Raymundus: concedo tibi,
a. Eremita, quòd in DEO sit Summa Simplicitas, & etiam dico tibi, quòd DEUS sit *suamet Simplicitas*, sicut est suamet Bonitas, Infinitas &c.: unde sicut Pater generat Filium de sua Bonitate, Infinitate, Æternitate &c., sic per consequens de sua Simplicitate, ratione cujus Pater & Filius existentes unus Spirator sunt remoti ab omni compositione, sicut sunt remoti ab omni malitia per Bonitatem, & ab omni finitate per Infinitatem, & ab omni mutatione per Æternitatem.

b. Item dico tibi, quòd compositio non possit fieri, nisi *tertius numerus fiat ex plu-*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pluribus, & hoc extra naturam infinitatis & æternitatis; ſicut homo, qui eſt tertius numerus conſtitutus ex corpore & anima, & ſic de ſimilibus compoſitis; ſed prædictus Spirator non tranſit in tertium numerum, cùm non ſit compoſitus, ût ſuprà probatum eſt, imò eſt propriè Pater & Filius; & in ipſo Spiratore Pater & Filius ſunt ita uniformiter *idem numero* per Spirativitatem, ſicut ſunt uniformiter *idem numero* per Eſſentiam, Naturam, Bonitatem &c.; & ad hoc concurrit Divina Concordantia cum omnibus aliis Attributis DEI quoad Unitatem Eſſentiæ Patris & Filii; ſicut Divina Diſtinctio cum omnibus aliis Attributis DEI concurrit ad Relationem Patris & Filii: ergò Pater & Filius ſunt unus Spirator, & non duo Spiratores.

QUÆSTIO XV.

Utrùm Emanatio Creaturarum de neceſſitate præſupponat Generationem Filii, & Spirationem Spiritûs Sancti?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: mihi videtur, quòd Quæſtio ſit, utrùm DEUS poſſet producere creaturas, ſuppoſito, quòd in ſe non haberet Productionem Divinarum Perſonarum? & quia Quæſtio eſt fortis & ardua, oportet ſolutionem Quæſtionis inveſtigare cum Principiis *Artis Generalis*, quæ inveſtigatio ſic fit: Divina Poteſtas eſt bona & magna, & ſua Bonitas & Magnitudo eſt infinita; unde ſequitur, quòd illi ſit *magìs proprium* producere bonum magnum infinitum, quàm bonum parvum & finitum: & hoc ſignificatur in igne, qui plus producit de ſua caliditate, quàm de ſiccitate, cùm caliditas ſit qualitas ſibi magìs propria, quàm ſiccitas: unde ſi Divina Poteſtas non produceret intra ſe & de ſe bonum magnum infinitum, nec per conſequens produceret bonum parvum finitum; quia ſicut non vellet producere hoc, quod illi *magìs propriè* convenit, nec per conſequens vellet producere hoc, quod illi *minùs pròpriè* convenit; cùm ſit de naturâ cujuslibet Entis, quòd habeat majorem appetitum ad hoc, quòd illi eſt magìs proprium, quàm ad hoc, quod illi eſt minùs proprium; cujus oppoſitum non eſt intelligibile: & quia DEUS creavit bonum parvum finitum non de bonitate, magnitudine &c., ſed de nihilo, de neceſſitate ſequitur, quòd producat bonum magnum infinitum de Infinita Bonitate & Magnitudine; aliàs hoc, quod illi eſt magìs proprium, eſſet illi minùs proprium: unde ſequeretur, quòd DEUS cum magna & bona Poteſtate magìs propriè ſe haberet ad producendum partem, quàm totum; & lapidem, quàm plantam; & plantam, quàm aſinum; & aſinum, quàm hominem: etiam magìs ſe haberet ad annihilandum totum Univerſum, quàm ad gubernandum; & quia hæc omnia ſunt impoſſibilia, ergò oppoſitum eſt neceſſarium, ratione cujus declaratum eſt, quòd in Divinis ſit Productio.

2. Divina Poteſtas eſt æterna, & ſicut eſt æterna per Æternitatem, ita convenit, quòd ſit infinita per Infinitatem, ut Æternitas illi non magìs conveniat, quàm Magnitudo; & quia Poteſtas DEI eſt infinita, poteſt de Æternitate producere æternum, aliàs ſuum poſſe non eſſet infinitum: ergò poteſt de Æternitate producere æternum; & ſi non producit, non vult producere hoc, quod poteſt, de Æternitate & Infinitate: & ſicut Divina Voluntas deficit in volendo hoc, quod illi eſt proprium & amabile, ita ſimiliter deficit in hoc, quod illi non eſt proprium nec naturale & amabile: & quia voluit producere ens parvum & in tempore, quantò magìs igitur producit Ens Infinitum & Æternum: ergò ſequitur de neceſſitate, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

3. Divina Sapientia ſcit, quòd Divina Poteſtas ſit infinitè magna; hoc non poſſet ſcire, ſi ſciret, quòd Poteſtas non poſſet producere alium Infinitum de ipſamet Sapientia & de ipſamet Poteſtate & de Divina Bonitate, Magnitudine &c.; & quia ſcit, quòd Divina Poteſtas ſit magna in producendo intellectum creatum habentem parvam poteſtatem, quantò magìs ſcit, quòd Divina Poteſtas ſit magna in producendo Intellectum Infinitum habentem magnam Poteſtatem; ſi autem Sapientia neſciret talem Productum Infinitum, nec per conſequens ſciret productum finitum, cùm illi magìs conveniat ſcire hoc, quod eſt majus, quàm hoc, quod eſt minùs; ſicut Regi magìs convenit dare equum, quàm denarium: ergò emanatio creaturarum neceſſariò præſupponit Generationem & Proceſſionem in Divinis.

Divi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

4. Divina Poteſtas eſt Principium Magnum & Infinitum; ſed Principium Magnum & Infinitum non poteſt eſſe, ſi intra ſe & de ſua Eſſentia & Natura non haberet Principiabilem, quia ſinè tali Principiabili ſibi Conſubſtantiali non poſſet eſſe Infinitum & Primum Principium; & hoc ideo, quia indigeret habere extraneum principiabile, ratione cujus eſſet principium per accidens & artificialiter, non naturaliter: & in creatis agens naturale, quod de ſe & intra ſe habet ſuum principiabile, ût ſuprà in *tertia Quæſtione* ſignificatum eſt, eſſet magìs naturaliter principium, quàm DEUS; quod eſt impoſſibile: ergò Divina Poteſtas poteſt in ſe habere Conſubſtantialem Principiabilem, ut naturaliter poſſit eſſe Summum Principium non indigens aliquo extra ſe: & ſi poteſt habere Conſubſtantialem Principiabilem, & non habet Actum, ſcilicet Principiare in producendo Filium & Sanctum Spiritum, eſt naturaliter contra ſe: & ſicut non vult agere intra ſe, ut non ſit Magnum Principium, ita nec per conſequens vult agere extra ſe, ut non ſit magnum principium in creando creaturas de nihilo: & quia vult eſſe Magnum Principium in creando, quantò magìs ergò intra ſe in generando Filium, & in ſpirando Sanctum Spiritum? ergò emanatio creaturarum neceſſariò præſupponit Generationem & Proceſſionem in Divinis.

5. Ait Eremita: Raymunde, DEUS Pater non bonificat ſe, cùm jam ſit bonus; nec magnificat ſe, cùm jam ſit magnus, & ſic de ſimilibus: unde ſequitur, quòd, ſi ipſe producat creatum ratione Producti Increati, Productus Increatus ſit creans, & non DEUS Pater; quod eſt falſum & impoſſibile, cùm tota Trinitas ſit Creatrix: unde ſicut ſequitur inconveniens ex tuis verbis, ita de neceſſitate ſequitur conveniens in oppoſito; & ſic non convenit, quòd DEUS habeat operationem intra ſe, licèt producat creaturas: ergò ſequitur, quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

6. Reſpondit Raymundus: licèt DEUS Pater non producat ſe ipſum, tamen producit de ſe ipſo & de omni eo, quod habet, Productum Intrinſecum; & ſic productum creatum non poſſet eſſe ſinè Producto Increato, nec per conſequens ſinè Producente Increato: & ratio hujus eſt, quia Productum Increatum non poteſt eſſe ſinè Producente Increato: ergò mea ratio ſtat, & tua nihil valet.

QUÆSTIO XVI.

Utrùm Charitas ſit aliquid Creatum in Anima?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Sanctus Spiritus eſt Charitas, & ita eſt cauſa novæ charitatis, ſicut Divina Veritas eſt cauſa novæ veritatis, ût ſuprà in *Quæſtione decimâ* ſignificatum eſt: unde cùm Divina Charitas ſit amabilis cum Magnitudine, creavit in homine magnam voluntatem, ut haberet magnam amativitatem ad diligendum Supremam Charitatem: & ſic Suprema Charitas creavit & poſuit in humana voluntate in potentia habitum charitatis, ut illo habitu reducto de potentia in actum per voluntatem & per Summam Charitatem Summa Charitas eſſet multùm dilecta ab humana voluntate; aliàs Summa Charitas non ſatisfaceret ſuæ magnæ amabilitati de creata voluntate; quia niſi humana voluntas haberet habitum charitatis, non haberet naturaliter libertatem ad diligendum Summam Charitatem, imò eſſet pura paſſio mota, ſicut inſtrumentum, ad amandum Sanctum Spiritum; & hoc ſimpliciter ſinè merito, ſicut martellus, qui eſt inſtrumentum ſimpliciter motum ad percutiendum clavum: & ſic Sanctus Spiritus eſſet contra ſuam Magnam Amabilitatem, & per conſequens contra ſuam Magnam Bonitatem, Virtutem &c.; quod eſt falſum & impoſſibile, nec ullo modo eſt intelligibile: ergò concluditur, quòd charitas in anima ſit aliquid creatum.

2. Ait Eremita: Raymunde, ſi verum eſſet hoc, quod dicis, ſequerentur plura inconvenientia; ſicut humana voluntas, quæ liberè produceret actum ſuæ charitatis de potentia in actum, & ſic eſſet cauſa ſuæmet charitatis, ita quòd non Sanctus Spiritus, qui eſſet cauſa in creando habitum charitatis, & non reducendo agere charitatis de potentia in actum; quod eſt impoſſibile: & ſic charitas non eſt aliquid creatum in anima, ſed voluntas, de qua tu dicis, ordinat & diſponit, ut habeat in ſuo velle veſtigium charitatis, ſicut cera diſpoſita ad habendum literas ſigilli: unde ſicut ſigillum extra ſuam eſſentiam non transmittit aliquid de ſe in ceram, ſic Sanctus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ctus Spiritus, qui eſt Charitas, extra ſuam Eſſentiam non transmittit de ſe aliquid in voluntatem, licèt in ipſa imprimat ſuam ſimilitudinem, quæ ſic eſt de eſſentia voluntatis ſimpliciter, hoc eſt, de genere ſuæ qualitatis, ſicut figura literæ ceræ eſt de genere ſuæ qualitatis ſic lineativè, ſicut de quantitate quantitativè.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, DEUS, qui eſt Sanctus Spiritus, *duobus modis* agit in creatis, *immediatè* ſcilicet & *mediatè*; *immediatè* in creando, cùm DEUS ſinè inſtrumento & medio producat creaturam de *non eſſe* in *eſſe*: unde ſecundùm talem modum producendi DEUS creat habitum charitatis in potentia, ſicut habitum caliditatis in igne ſimplici; *mediatè*, ſicut DEUS poſuit in natura ignis, quòd per ſe naturaliter calefaceret in ſubjecto, in quo calefactibile ſit diſpoſitum: ſic à ſimili Sanctus Spiritus poſuit in voluntate naturam, cum qua poſſet producere ipſo coadjuvante de potentia in actum, actum charitatis; & illa natura, quæ eſt ex parte voluntatis, ſic eſt paſſiva ſub Summa Charitate ad recipiendum ſuum veſtigium & ſimilitudinem, ſicut cera ſub ſigillo ad recipiendum veſtigium & ſimilitudinem ſigilli: unde ſicut ſigillum addit in cera veſtigium literarum, quod non erat in actu in deducendo ipſum de potentia in actum, ſic (& multò magis) Sanctus Spiritus addit in voluntate actum charitatis, quem actum non habebat, dum erat in potentia; quem actum convenit eſſe aliquod ens creatum in anima, cùm nulla additio poſſit eſſe, niſi ſit additum aliquod ens creatum.

QUÆSTIO XVII.

Utrùm Charitas augeatur per Additionem Novæ Charitatis?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, humana voluntas duobus modis eſt conſideranda, ſcilicet ſecundùm *exiſtentiam*, & ſecundùm *agentiam*; & propter hoc ſecundùm ſuum exiſtere & agere recipit charitatem à Sancto Spiritu; & ſic *eſſentia charitatis* eſt ſuſtentata in *eſſentia voluntatis*, ſicut accidens in ſubſtantia; & velle voluntatis eſt indutum & formatum actu charitatis, qui ipſum informat de bonitate & magnitudine virtutis, juſtitiæ, prudentiæ &c.: & ſic actus voluntatis figuratus ex amore charitatis recipit augmentum novæ charitatis, quæ fluit & refluit, ſicut humidum nutrimentale ſuſtentatum in radicali; & illa novatio & augmentatio charitatis eſt plùs reducere ipſum amare de potentia in actum, ſicut ſigillum, quod, quantò plures vel majores literas habet, tantò plures vel majores figuras reducit de potentia in actum in cera; & licèt figuræ ſint multiplicatæ quoad numerum literarum & extenſionem literarum, tamen eſſentia ceræ non augmentatur, ſic à ſimili nec *eſſentia charitatis* augmentatur, licèt ſui *actus augmententur* & renoventur: unde propter hoc habet *proportionem* & *diſpoſitionem* cum voluntate, cujus eſſentia non augmentatur, licèt per accidens multiplicet & renovet ſuum velle: unde cùm hoc ita ſit, de Quæſtione tenemus negativam quoad eſſentiam charitatis, & affirmativam quoad ſuum agere.

2. Ait Eremita: Raymunde, homo, qui habet charitatem, quando peccat, amittit habitum charitatis; & quando conteritur & ſatisfacit & agit de virtutibus moralibus, recipit novam charitatem à Sancto Spiritu, & voluntas recuperat veſtigia primæ charitatis, ut non amittat meritum de bono, quod fecit ſub umbra antiquæ charitatis; & illa veſtigia non poſſet recuperare, niſi ſuperveniret eſſentia antiquæ charitatis: & ſic ſequitur de neceſſitate, quòd ex duabus charitatibus fiat additio & multiplicatio, ſicut ex duabus guttis aquæ fit additio & multiplicatio quoad eſſentiam aquæ & quoad quantitatem; & ſic ſequitur, quòd affirmativa Quæſtionis ſimpliciter ſit vera.

3. Ait Raymundus: homo eſt creatus ad beatitudinem, ad quam tendit, quando habet charitatem; & quando eſt lapſus in peccatum, charitas, quam habuit, non habet *ſubjectum*, in quo ſit *ſuſtentata*; quia ſi haberet, peccator, qui eſſet in mortali peccato, mediante charitate participaret cum Sancto Spiritu; quod eſt impoſſibile, cùm charitas ſit ſuus effectus: & ſic illa charitas, quam tu vocas antiquam, non revertitur ad eundem numerum, in quo priùs erat; quia ſi ſic, haberet ſubjectum: & idem eſſet de peccato mortali, ſicut de prima luxuria Martini, quæ ſimpliciter eſt annihilata, quando Martinus habet contritionem & ſatisfactionem; & aliâ vice, quan-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quando redit ad luxuriam, amittit charitatem,& habet aliam luxuriam in numero, ſed non in genere, cùm luxuria non ſit mutabilis de genere in genus, ſed de ſpecie in ſpeciem, & ſic de quolibet accidente ; à ſimili de charitate (licèt exemplum ſit groſſum) cùm charitas ſit donum datum à Sancto Spiritu, & luxuria ſit habitus electus à voluntate : unde cùm hoc ita ſit, mea ratio ſtat, & tua nihil valet : veruntamen propter antiquam charitatem homo mortuus in peccato ſic habet minorem pœnam in inferno, ſicut homo, qui fuit in peccato mortali, & eſt mortuus in charitate, debet puniri in purgatorio, niſi in hac vita fecerit pœnitentiam.

QUÆSTIO XVIII.

Utrùm Augmentum Charitatis habeat Finem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : Animæ non ſunt æquales *ſecundùm exiſtentiam*, nec per conſequens *ſecundùm operationem ;* ſicut Anima beati Petri, quæ eſt major, quàm Anima beati Guillielmi ; quia ſi eſſent æquales, ſequerentur plura inconvenientia, cùm in Patriâ non ſit dare *vacuum*, quod eſſet, ſi Animæ eſſent æquales ; ſicut Anima Guillielmi, quæ non meretur tantum gloriæ, quantum Anima beati Petri ; & ſic remaneret vacua *gloriâ*, ratione cujus vacuitatis non haberet *plenam* gloriam ; & ſic illa *quantitas ſubſtantiæ*, per quam poſſet recipere majorem gloriam, eſſet ſuperfluè creata à DEO, & impediret, quòd Anima non haberet *perfectam gloriam ;* quod eſt impoſſibile.

2. Et ſi dicis, quòd DEUS per gratiam impleat Animam Guillielmi gloriâ, ut ſit æqualis Animæ beati Petri in plenitudine gratiæ & gloriæ, dicis, quòd DEUS faciat injuriam Animæ beati Petri, in quantum illi dat plus gloriæ per gratiam, qui non meruit tantum gloriæ, quàm illi, qui meruit plus ; quod eſt impoſſibile : per quam inæqualitatem eſt demonſtratum, quòd Animæ ſint inæquales ; ratione cujus inæqualitatis reſpondeo ad Quæſtionem ſic :

3. Scilicet, quòd charitas poſſit augeri *uſque ad finem determinatum in hac vita*, ſecundùm quòd Anima eſt capax ad recipiendum charitatem à Sancto Spiritu, ût ſuprà ſignificatum eſt : veruntamen quoad Sanctum Spiritum ſemper poteſt augeri, ſed *non quoad ſubjectum*, ſicut, & multò magìs, ignis poteſt multiplicare flammam habendo ſufficientiam lignorum ; ſed deficiente materiâ deficit ignis : augmentationem autem charitatis dicimus, quæ conſiſtit per agere, ût ſuprà in *decima ſeptima Quæſtione* dictum eſt.

4. Ait Eremita : Raymunde, charitas infuſa in Animam eſt donum & effectus Sancti Spiritûs datus per gratiam, cui ipſi placet ; & quia Sanctus Spiritus eſt infinitus, poteſt ultra metas voluntatis communicare gratiam & augmentare in infinitum ; & ſic Sanctus Spiritus non menſurat charitatem ſecundùm ſubjectum, ſed ſecundùm ſuam infinitam Amabilitatem, ratione cujus augmentum charitatis non habet finem.

5. Ait Raymundus : nullum ens creatum poteſt tantum ~~gloriæ~~ ratiæ recipere, quantum Ens increatum influere ; quia ſi poſſet tantum recipere, finitum poſſet eſſe infinitum ; quod eſt impoſſibile : & ſic Sanctus Spiritus non limitat gratiam in Anima *quoad ſe*, ſed Anima, quæ eſt finita, limitat ipſam, in quantum non poteſt plus recipere ſecundùm ſuam quantitatem naturalem & virtutes acquiſitas & gloriam determinatam per Juſtitiam DEI & per ſuam Providentiam, qui omnia creata ſic menſurat & comprehendit cum ſua Sapientia, ſicut omnia, quæ ſunt in tempore, menſurat & comprehendit cum ſua Æternitate : unde cùm hoc ita ſit, tua ratio nihil valet.

QUÆSTIO XIX.

Utrùm Charitas poſſit diminui ſecundùm Eſſentiam?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : in *decima ſeptima Quæſtione* ſignificatum eſt, quòd charitas non poſſit diminui ſecundùm eſſentiam, cùm ſit ſimplex forma, quæ non habet partes ; nam ſicut non eſt augmentabilis eſſentialiter, ût probatum eſt, nec per conſequens poteſt diminui ſuum eſſe eſſentiæ : item ſi poſſet diminui, eſſet de pluribus partibus & diviſibilis, & quando homo eſſet lapſus in mortale peccatum, ſua charitas, quam priùs habuit, *ſucceſſivè* corrumperetur, & per conſequens peccatum mortale ſucceſſivè generaretur ; quod eſt impoſſibile : veruntamen *amare pra-*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

practicum charitatis poteſt diminui, ſed non *ſpeculativum*, dummodò Anima habeat habitum charitatis; ſed charitas *ſubitò* recedit, quando ſuus *actus practicus* eſt perverſus in habitum mortalis peccati.

2. Ait Eremita: Raymunde, per expe-
a. rientiam habemus, quòd charitas ſit habitus ſimplex ſinè contrarietate, ratione cujus eſſentialiter non poteſt diminui, nec per conſequens ſecundùm actum practicum, cùm potentia & ſuus actus correſpondeant, quando potentia eſt ſimplex per eſ-
b. ſentiam; ſicut intellectus & ſuum intrinſecum intelligere in ipſo concreatum; quod intelligere non poteſt perverti in ignorare, licèt intellectus poſſit ignorare impediente ſubjecto & materiâ.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, con-
a. cedo tibi, quòd charitas, quoad ſuam eſſentiam, non poſſit diminui, ût probatum eſt, ſed in quantum dicis, quòd non poſſit diminui, quantum ad actum practicum, malè dicis; & de hoc habemus experientiam in aliquibus hominibus, qui quandoque ſunt in charitate, & quandoque ſinè charitate, videlicet quando ſunt lapſi in peccatum; & ſecundùm te, poſtquam eſſent in charitate, nunquam eſſent in peccato; & ſic implicas contradictionem.

b. Item tuum exemplum non valet, cùm intellectus ſit ens *ſubſtantiale*, & charitas *accidentale*, & nullum ens accidentale habeat proprium actum per ſe, cùm ſit purum inſtrumentum potentiæ ſubſtantialis; & ſic quando humana voluntas non vellet ſtare ſub habitu charitatis, deſtructo actu practico charitatis, charitas non poſſet permanere, ût prædictum eſt.

QUÆSTIO XX.

Utrùm in DEO ſit Numerus?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: principia numeri ſunt duo, & duo non poſſunt eſſe realiter, niſi unum ab alio uno ſit diſtinctum; ſicut dicere, unus homo, duo homines, & idem de numero ternario; ſicut in DEO una Perſona, duæ Perſonæ, & tres Perſonæ; & ſic ſecundùm hunc modum dico, quòd in DEO ſit numerus; ſed hæc poſitio requirit *duo*, *primum*, quòd in DEO probetur pluralitas, & *ſecundum* eſt, quòd diſtinguatur numerus, qui eſt in DEO, à numero, qui eſt in creaturis: unde primò dicendum eſt de *primo*.

2. In DEO eſt Infinita Poteſtas, cùm omne id, quod eſt in DEO eſſentialiter, ſit infinitum; non poſſet eſſe infinita, ſi de Infinita Bonitate non poſſet producere Infinitum Bonificatum, & de Infinita Magnitudine Infinitum Magnum, & de Æternitate Æternificatum, & de ſe ipſa Poſſificatum, & de Sapientia Intellectum, & de Voluntate Amatum, & ſic de aliis Attributis; & hoc eſt, quia nullum ens poteſt eſſe infinitum, niſi ſit infinitum *exiſtendo*, & habeat *poſſe* ad agendum aliquid de infinito; ſed Poteſtas DEI eſt Infinita, ergò de prædictis *poteſt*, cùm Divina Bonitas ſit infinita, & ſic de Magnitudine &c.: unde cùm Divina Poteſtas ſit *Purus Actus Infinitus*, producit Infinitum de Infinito, & quia Producens & Productus non poſſunt eſſe ſinè Diſtinctione, cùm relativè ſe habeant, convenit de neceſſitate, quòd in DEO ſit Pluralitas, cùm Diſtinctio non poſſit eſſe ſinè pluribus: ergò ſequitur, quòd in DEO ſit Numerus Binarius, ſcilicet *unus* Producens, & *alius unus* Productus; & iſti *Duo* in DEO ſunt *Principium Numeri*: & quia principium numeri non poteſt eſſe, niſi ex ipſo ſequatur aliquid, ſcilicet tertium, convenit, quòd in DEO ſit Numerus Ternarius, ſcilicet *Unum*, *Duo*, *Tria*, ut Numerus in ipſo ſit Perfectus à parte Principii & à parte Finîs; à *parte Principii*, cùm Duo ſint Principium Numeri; à *parte Finîs*, ſicut Tertius, qui ſic perficit numerum, ſicut Duo, in quibus incipit numerus: & quia numerus perfectus eſt à parte principii & à parte finîs in numero ternario, non convenit, quòd in DEO Numerus tranſeat in numerum quaternarium, quinarium &c., & numerus quaternarius & quinarius &c. eſſet ſuperfluus; ſed in DEO nulla ſuperfluitas poteſt eſſe, cùm ipſe ſit totus perfectus, & ſua perfectio ſit infinita: ergò in DEO eſt Numerus Ternarius, & non quaternarius, ût probatum eſt, ut ſua perfectio ſit infinita & æterna.

3. Item inter Numerum, qui eſt in DEO, & inter numerum, qui eſt in creaturis, eſt magna differentia, cùm in Numerum, qui eſt in DEO, cadat nulla compoſitio nec accidens, ſed in numerum, qui eſt in creaturis, cadat, ſicut in Guillielmum, qui eſt compoſitus de anima & corpore, exiſtente corpore *uno*, & animâ *alio*, ex quibus reſultat *ter-*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tertius, qui est *homo*, qui non est anima nec corpus, nec è converso; in quo homine est quantitas, qualitas &c. Item in humana specie sunt plures homines, quàm tres, & differunt per essentiam & naturam, per ubi, per tempus, & sic de aliis, & sic de cæteris entibus creatis numeratis; sed de Numero DEI non est sic, quia Pater, Filius & Sanctus Spiritus faciunt Numerum, qui cum ipso Numero, qui est DEUS, convertuntur; & Pater est DEUS, & Filius est DEUS, & Sanctus Spiritus est DEUS; & sic DEUS quoad Personas est *Tres*, & quoad Essentiam & Naturam est *Unus* DEUS, & non plures, & hoc est, quia Personæ non multiplicant *tertium*, sicut Pater, qui est DEUS, & sic de Filio & Sancto Spiritu; & ratio est, quia non differunt in Essentia, nec in Natura, nec in Attributis: & hoc est, quia Pater de toto se ipso & de omni eo, quod habet, producit Filium, & sic Filius est Productus de tota Essentia & Natura Patris, & etiam de tota sua Bonitate, Magnitudine &c.; & sic de Sancto Spiritu Producto à Patre & Filio: unde sicut martellus, qui est de ferro, & facit clavum de ferro, non differt à clavo per essentiam & naturam ferri, sic (& multò plùs sinè comparatione) Pater & Filius & Sanctus Spiritus non differunt per Essentiam & Naturam, Deitatem, Bonitatem, Magnitudinem &c.

4. Ait Eremita: Raymunde, DEUS est Unum Ens Infinitum; sed non posset esse unum Ens Infinitum, si sua Unitas destrueretur; quia destructâ suâ Unitate esset destructa sua Infinitas; quæ Unitas esset destructa, si in DEO esset Numerus, quia unus terminaret alium: unde sequeretur, quòd in DEO esset quantitas & locus, & per consequens finitum & compositio, in quantum ex tribus finitis unus DEUS esset compositus & subjectus tempori, actioni & passioni, & sic de aliis accidentibus; & quia talia non possunt esse in DEO, cùm sua Infinitas & Unitas sit indestructibilis, sequitur, quòd in DEO non sit numerus.

5. Respondit Raymundus: secundùm distinctionem, quam fecimus inter Increatum Numerum & creatum numerum, objectio, quam feciſti, potest solvi, cùm tu arguas secundùm modum numeri creati, & non Increati; & hæc responsio sufficit ad tuam objectionem: veruntamen dico tibi, quòd sit impossibile, quòd sit limitatio inter Producens Infinitum & Productum Infinitum, Infinito Producere existente in Æternitate de Infinito Producente & Producto; nec per consequens compositio, cùm Producens sit Infinita Simplicitas, sicut est Infinita Bonitas, Magnitudo &c., & de tota sua Simplicitate producit Productum, ratione cujus compositio non potest resultare; cùm inter naturam & essentiam Simplicitatis & compositionis sit magna distantia; & sic per consequens de passione, quam tu dicis, cùm Filius sit Productus de Patre, qui est *Pura Forma*, ratione cujus in Filio non potest esse passio materialiter nec tempus, cùm sit Productus in Æternitate & de Æternitate, nec per consequens quantitas, qualitas, locus, situs & habitus, cùm sit Productus de Infinitate & in Infinitate; & sic de Sancto Spiritu; ratione cujus tua ratio non valet, sed bene valeret, si numerus, qui est in DEO, esset secundùm illum modum, qui est in creaturis.

QUÆSTIO XXI.

Utrùm isti Termini: Unus, Duo, Tres, *in Divinis dicant Rem Relativam vel Absolutam?*

1. Solutio. Dixit Raymundus: Eremita, *utrumque* potest dici, sed diversimodè, ût in *prædicta Quæstione* significatum est; *relativè* sic, Unus Pater, Unus Filius, Unus Sanctus Spiritus, cùm *unus* non possit esse *sinè alio*; convenit etiam, quòd dicant *rem relativam*, ut in ipsis possit esse Distinctio, Concordantia, Principium & Æqualitas, quæ non possunt esse sinè Relatione, cùm Relatio sit ex ipsis, sicut Distinctivus & Distinguibilis, Concordativus & Concordabilis, Principiativus & Principiabilis, Æquativus & Æquabilis, & sic de Divina Bonitate, Magnitudine &c., quæ non possent esse in prædicto Numero, nisi *Unus*, *Duo*, *Tres* dicant Rem Relativam; sicut Bonitas, quæ non esset in prædicto Numero sinè Relatione Bonificativi, Bonificabilis & Bonificare, nec Magnitudo sinè Relatione Magnificativi, Magnificabilis & Magnificare, & idem de Generativo, Generabili & Generare, Spirativo, Spirabili & Spirare: unde cùm hæc omnia constituant

Per-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Perſonas, convenit, quòd prædictus Numerus dicat Rem Relativam, ut in ipſis poſſit eſſe Diſtinctio, Concordantia, Principium, Æqualitas, quæ non poſſent eſſe ſinè Relatione, cùm Relatio ſit ex ipſis, ſicut Diſtinctivus & Diſtinguibilis &c., aliàs ipſe Numerus non poſſet eſſe.

2. Præterea *Unus, Duo, Tres* in Divinis dicunt *Rem Abſolutam*, ſicut Guillielmus, qui abſolutè eſt unus homo, & Martinus alius, & convenit, quòd hæc *alietas* remaneat ſimpliciter inter Guillielmum, qui eſt pater, & Martinum ſuum filium, cùm Guillielmus ſit *unus* individuus, & Martinus *alius*, & unus ſit *unus homo*, & alius *alius homo*; ſed in Beatiſſima Trinitate DEI non eſt ſic *ſimpliciter*, ſed *ſecundùm quid*; ſicut Pater, qui abſolutè eſt *Unum Individuum*, Filius *Aliud*, & Sanctus Spiritus *Aliud*; ſed abſolutè Pater non eſt *unus* DEUS, nec Filius *alius*, & ſic de Sancto Spiritu, ſed abſolutè *Omnes Tres* ſunt *Unus* DEUS, *Una* Eſſentia, & *Una* Natura, *Una* Bonitas, *Una* Magnitudo &c.; & quòd hoc ſit verum, eſt ſignificatum in *prædictis Quæſtionibus*.

3. Ait Eremita: Raymunde, tu implicas contradictionem, cùm non abſolutum & abſolutum non poſſint converti; quia ſi poſſent converti, poſſet ſtare contradictio; quod eſt impoſſibile, ſcilicet quòd unum abſolutum ſit unum non abſolutum: & quia in DEO eſt una abſoluta Eſſentia, Natura, Subſtantia, Bonitas &c., ſequitur, quòd in DEO non ſit aliquid unum, quod non ſit abſolutum, & hoc eſt neceſſarium: & ſi illud unum non eſt abſolutum, poſſet ſtare contradictio: ergò probatum eſt, quòd tua concluſio ſit nulla.

4. Reſpondit Raymundus: non bene intellexiſti ſupradictum exemplum, quod ſufficit ad reſpondendum tuæ objectioni, quia tu arguis ſecundùm modum, qui eſt in creaturis, ſcilicet inter abſolutum & non abſolutum, ſicut Martinus & Guillielmus, qui non poſſunt eſſe unus homo, una eſſentia, bonitas &c.; & hoc eſt, quia Martinus non eſt de toto Guillielmo, nec fuit in eodem inſtanti cum ipſo, nec eſt in illo ubi, in quo ipſe eſt, & ſic de ſimilibus: ergò patet, quòd tua objectio non valeat.

QUÆSTIO XXII.

Utrùm eadem Proprietas ſit Diſtinctiva & Conſtitutiva Divinarum Perſonarum?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: quòd eadem Proprietas ſit Diſtinctiva & Conſtitutiva Divinarum Perſonarum, ſed diverſimodè, ſecundùm quòd requiritur, quòd ſit Diſtinctio inter Generationem & Spirationem; ſicut Proprietas Diſtinctiva & Conſtitutiva, quæ ſunt eædem cum Divina Paternitate, quæ ſimpliciter eſt una Proprietas Perſonalis, & eſt Diſtinctiva, in quantum Pater à ſe diſtinguit Filium; & eſt Conſtitutiva, in quantum Paternitas conſtituit Patrem generando Filium, ut ſit Filius, ita quòd Filius non ſit Pater nec Sanctus Spiritus; & ſic Pater conſtituendo Filium determinatum diſtinguit Filium à ſe ipſo & à Sancto Spiritu; & Pater & Filius conſtituunt Sanctum Spiritum, & diſtinguunt illum à ſe ipſis, & ſunt *una* & *eadem* Proprietas Diſtinctiva & Conſtitutiva Spirando Sanctum Spiritum; & talis Proprietas Diſtinctiva & Conſtitutiva differt *ſecundùm quid* ab illa, quæ eſt in Generatione, cùm iſta ſit *ſingularis* Patri, & iſta *communis* Patri & Filio.

2. Ait Eremita: Raymunde, Pater & Filius ſunt Perſonæ Diſtinctæ, quorum Diſtinctio eſt Infinita, cùm, quidquid eſt in DEO, ſit infinitum; & ideo Pater & Filius non poſſunt participare in eadem Proprietate Diſtinctiva & Conſtitutiva, cùm Pater ſit Diſtinctivus & Conſtitutivus, & Filius Diſtinguibilis & Conſtituibilis: unde ſequitur, quòd Pater & Filius uniformiter non poſſint eſſe unus diſtinctivus & conſtitutivus.

Ait Raymundus: Eremita, tua objectio jam in *aliis Quæſtionibus* eſt ſoluta.

QUÆSTIO XXIII.

Utrùm Pater ideo ſit Pater, quia Generat, vel ideo Generet, quia Pater?

1. SOlutio. Priusquàm Raymundus voluiſſet reſpondere ad Quæſtionem, diu conſideravit, quia timebat, quòd, ſi acciperet aliquam partem quæſtionis, in DEO con-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

concluderet per *cauſam* & *effectum*, qui tunc dixit hæc verba : quia ignis eſt calidus, calefacit calefactum, unde ſequitur, quòd ignis ſit cauſa calefactionis calefacti, & quòd calefactum ſit effectus illius. Item dixit, quia calefactum eſt calefactibile, eſt ignis calidus, ut calefaciat calefactibile; & ideo ratione finîs calefactibile cauſat caliditatem ignîs, ſicut neceſſitas clavi martellum : & ut Raymundus in Divina Generatione vitaret cauſam & effectum, recurrit ad Principia ſuæ Artis, conſiderans in Attributis DEI *æqualitatem* & *æquiparantiam*, ſecundùm quòd ſe habent ad Generationem, ut nec inter ipſa nec in Generatione ſit majoritas vel minoritas ; qui dixit, quòd utraque pars quæſtionis ſit tenenda affirmativè ſuo modo, ſic:

2. Natura Divina eſt Pater & eſt Filius, & ſic de Eſſentia & de Attributis; & Natura exigit naturare, cùm de conditione naturæ ſit agere, ratione cujus ſequitur agens, agibile & agere naturaliter, & per conſequens generare, quod eſt idem cum agere & naturare; & quia Pater & Filius, Eſſentia & Attributa ſunt idem cum Divina Natura, de neceſſitate ſequitur, quòd Pater ideo ſit Pater, quia generat, & ideo generet, quia Pater; cùm Natura ita requirat cum Magnitudine Bonitatis, Æternitatis Exiſtentiam Patris, ſicut Generationem & Finem Filii, & è converſo ; aliàs Magnitudo Bonitatis &c. non communicaret ſe æqualiter Patri & Filio, nec per conſequens Bonitas Æternitatis &c.; quod eſt impoſſibile : ergò Pater ideo eſt Pater, quia generat, & è converſo.

3. Ait Eremita: Raymunde, omnis actus antè reſpicit agens, quàm agibile, cùm ſit de agente in agibili; & ideo de neceſſitate ſequitur, quòd Pater ideo generet, quia Pater, & non è converſo, ratione cujus tua ratio non valet.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, tu ſic conſideras Generationem in Divinis, ſicut in creatis, in quibus eſt ſucceſſiva generatio de uno in aliud, & in tempore, quantitate, majoritate & minoritate, ratione cujus tua ratio valet quoad generationem, quæ eſt in creatis, ſed non quoad Generationem, quæ eſt in Divinis, in Infinitate & de Infinitate, in Æternitate & de Æternitate, in Poteſtate & de Poteſtate, ratione cujus ſucceſſio, tempus, quantitas &c. non poſſunt eſſe in Generatione Divina : ergò tua ratio nihil valet.

QUÆSTIO XXIV.

Utrùm Verbum in Divinis dicatur Eſſentialiter vel Perſonaliter?

1. SOlutio. Raymundus non fuit auſus dicere, quòd Verbum in Divinis non dicatur Eſſentialiter nec Perſonaliter; quia ſi negaret Eſſentiam in Verbo, negaret Productionem in Divinis, quam probavit in *decimâ quartâ Quæſtione* & in aliquibus aliis Quæſtionibus ; & negaret, quòd Filius ſit de Eſſentia Patris, nec haberet Eſſentiale nec Conſubſtantiale Intelligere, cum quo intelligeret ſe ipſum, Patrem & Sanctum Spiritum, nec eſſet æqualis Patri & Sancto Spiritui, qui ſunt Eſſentia, nec eſſet Eſſentia Bonitatis, Magnitudinis &c., nec Natura, quæ eſt eadem cum Eſſentia & cum Attributis ; & ſic Verbum diceretur accidens, & non ſubſtantia ; quod eſt impoſſibile : ratione cujus impoſſibilitatis dixit Raymundus, quòd in Divinis Verbum de neceſſitate dicatur *Eſſentialiter*, ut non ſequantur prædicta inconvenientia; & licèt Verbum dicatur Eſſentia, & Pater & Sanctus Spiritus ſint Eſſentia, non propter hoc ſequitur, quòd non ſit Diſtinctus à Patre & Sancto Spiritu, ût in *decimâ quintâ & vigeſimâ & vigeſimâ primâ Quæſtione* probatum eſt.

2. Raymundus dubitavit dicere, quòd Verbum dicatur *Perſonaliter*, ut non diſtinguatur ab Eſſentia Patris, cùm inter Patrem & Verbum ſit Diſtinctio : item dubitavit dicere, quòd Verbum ſit Perſona, cùm Perſonæ conveniat producere per intelligere; ſicut Pater, qui eſt Perſona, & per Intelligere producit Filium; & ſic dum Raymundus dubitabat, conſideravit, an auderet dicere, quòd Verbum non ſit Perſona, qui invénit, quòd non auderet, ut non eſſet contra *ſextam, ſeptimam, decimam quintam, vigeſimam & vigeſimam primam Quæſtionem*, in quibus eſt ſignificatum, quòd Verbum ſit Perſona, aliàs veritates in prædictis Quæſtionibus probatæ eſſent deſtructæ; quarum deſtructio eſt impoſſibilis : & recoluit *octavam Quæſtionem*, in qua probatur, quòd Filius non poſſit generare. Item dixit, quòd Filius Eſſen-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſentialiter non diſtinguatur à Patre, cùm illi ſit Conſubſtantialis, licèt Perſonaliter diſtinguatur ab ipſo, ût in præallegatis Quæſtionibus probatum eſt.

3. Dixit Eremita: Raymunde, Pater intel-
a. ligendo Verbum, intelligit, quòd ipſemet ſit Pater, & non, quòd ſit Eſſentia; cùm Eſſentia abſolutè conveniat omnibus tribus Perſonis: & ratio, quare non intelligit, quòd ſit Eſſentia in generando, eſt, ut non generet ipſam; quam ſic generaret, intelligendo Eſſentiam, ſicut generat Filium,
b. intelligendo, quòd ſit Pater: & quia Eſſentia eſt *Ingenerabilis*, cùm ſit abſoluta, ſequitur, quòd Filius non dicatur Eſſentialiter Verbum, ſed *ſimpliciter* Perſonaliter.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, ſuprà
a. probatum eſt, quòd Verbum dicatur Eſſentialiter, ut prædicta impoſſibilia non ſequantur: item ſecundùm hoc, quod dicis, ſequerentur alia impoſſibilia, ſicut Pater, qui ſe intelligeret in parte, & non in toto, ſi intelligendo ſe Patrem, non intelligeret ſe Eſſentiam, nec hoc, de quo generaret Filium; quod eſt impoſſibile: ergò Pater intelligit, quòd ſit Eſſentia, ſicut intelligit, quòd ſit Pater; & licèt intelligat, quòd ſit Eſſentia, ſicut intelligit, quòd ſit Pater, non ſequitur, quòd abſolutè generet Eſſentiam; quia ſic intelligit, quòd de ſua Eſſentia generet Filium, ſicut intelligit, quòd ſit Pater in generando Filium de ſua Eſſentia.

5. Item ſi verum eſſet hoc, quod tu dicis,
b. Verbum non eſſet *ſimpliciter* Productum à Patre, ſed *ſecundùm quid*, ſcilicet ſecundùm Perſonam, non ſecundùm Eſſentiam; & ſic Filius non eſſet ſimpliciter totus Filius, nec Pater ſimpliciter totus Pater; quod eſt impoſſibile, ut in Perſonis non ſit quantitas: & ſic tua ratio non obſtat, & eſt demonſtratum, quòd Filius Eſſentialiter ſit Productus de Eſſentia, ſicut Perſonaliter de Perſona: per quam demonſtrationem ſignificatum eſt, quòd Eſſentia Filii relata ad Perſonam ſic ſit Genita, ſicut Eſſentia Patris relata ad Perſonam Patris eſt Ingenita, cùm Pater ſit Ingenitus.

QUÆSTIO XXV.

Utrùm Innaſcibilitas ſit idem, quod Paternitas?

1. SOlutio. Raymundus in hac Quæſtione timuit tenere affirmativam, cùm ſit Diſtinctio inter Patrem & Sanctum Spiritum, & Pater & Sanctus Spiritus ſint Innaſcibiles; ſed quia conſideravit, quòd ſit Diſtinctio inter Generationem & Spirationem, dixit, quòd in Generatione Innaſcibilitas & Paternitas ſint idem, ſed in Spiratione Innaſcibilitas Sancti Spiritûs non eſt idem cum Paternitate; cùm Pater ſit una Perſona, & Sanctus Spiritus ſit alia. Item dixit, quòd in Perſona Patris Paternitas & Innaſcibilitas ſint idem, ut Pater ſit Principium Principians Non Principiatum, ût in *duodecima Quæſtione* probatum eſt, & in *vigeſima* ſignificatum eſt. Item convenit, quòd in Patre Paternitas & Innaſcibilitas ſint idem, ut Filio non det Potentiam Generativam, quam daret, ſi Pater eſſet naſcibilis, & Filius poſſet eſſe Pater: unde ſequeretur, quòd Proprietas Paternitatis eſſet deſtructibilis; quod eſt impoſſibile & contra *octavam & vigeſimam Quæſtionem.*

2. Ait Eremita: Raymunde, ſecundùm hoc, quod in *decima quarta Quæſtione* dixiſti, videlicet quòd Pater & Filius ſint *unus Spirator*, ſignificatur, quòd Innaſcibilitas & Paternitas in Patre non ſint idem, cùm Sanctus Spiritus habeat Innaſcibilitatem ex Innaſcibilitate Patris, non à Paternitate; quia ſi haberet à Paternitate, haberet ab ipſa naſcibilitatem, ſicut Filius, qui ratione Paternitatis eſt Naſcibilis; & ſic ſecundùm tua verba Sanctus Spiritus eſſet Naſcibilis & Innaſcibilis; quod eſt contradictio: & quia contradictio non poteſt ſtare, concluditur, quòd Innaſcibilitas & Paternitas in Patre non ſint idem.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, non bene recolis diſtinctionem, quam fecimus inter proprium & proprium in Divinis, ſicut inter *Proprium Singulare* & *Proprium Commune*; ſicut Paternitas, quæ eſt Propria & Singularis Proprietas Patris, & Activa Spiratio, quæ eſt Proprietas Communis Patris & Filii: & ſic ad tuam objectionem eſt reſpondendum diſtinguendo, quia unum judicium eſt ſecundùm Proprietatem Singularem, & aliud ſecundùm Proprietatem Communem; & ideo reſpondeo tibi, quòd ſecundùm Proprietatem Communem Sanctus Spiritus ratione Filii non ſit Generativus, ſicut ratione Patris non eſt naſcibilis; & hoc ideo, quia eſt ex ipſis; & ideo ſecundùm hoc tua objectio eſt ſoluta, & mea ratio manet.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO XXVI.

Utrùm Pater & Filius ſint idem Principium Sancti Spiritûs?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, affirmatio Quæſtionis eſt tenenda, ût ſuprà ſignificatum eſt in *Quæſtione duodecimâ, decimâ quartâ, & vigeſimâ.*

QUÆSTIO XXVII.

Utrùm omnia ſcita à DEO habuerint Eſſe *eſſentiæ ab æterno?*

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, ſi omnia ſcita à DEO habuiſſent *Eſſe* eſſentiæ ab æterno, ſequerentur multa inconvenientia, quæ inconvenientia ſunt impoſſibilia; ſicut Martinus filius Guillielmi, qui ab æterno habuiſſet *Eſſe* humanitatis, antequam eſſet filius Guillielmi, & filiatio Guillielmi eſſet actu ſinè ſubjecto; & ſic de paternitate: unde ſequeretur, quòd earum relatio eſſet actu ſinè ſubjecto corruptibili & generabili, in quo eſſet generatio & corruptio, cùm *Eſſe* illarum eſſentiarum à DEO eſſent ſcita ab æterno: & ſic Guillielmus eſſet pater eſſentialiter, antequam eſſet pater, & non eſſet pater, antequam eſſet pater; quod eſt contradictio & contra experientiam, quam habemus; ſicut mater Martini, quæ fuit virgo, antequam Martinus fuit filius.

2. Præterea, ſi affirmatio Quæſtionis eſſet tenenda, Divina Poteſtas eſſet limitata & finita, in quantum de nihilo non poſſet producere aliquid, cùm *Eſſe* eſſentiæ totius Univerſi & ſuarum partium eſſet actu, cùm ab æterno ſit ſcitum à DEO: unde ſequeretur, quòd *ſcire* Sapientiæ DEI limitaret *poſſe* Divinæ Poteſtatis, in quantum non poſſet aliquid producere de nihilo; & per conſequens *ſcire* divinum eſſet limitatum, cùm ſit idem cum *poſſe* Divinæ Poteſtatis; & quia hæc omnia ſunt impoſſibilia, ergò omnia ſcita à DEO non habuerunt *Eſſe* eſſentiæ ab æterno.

3. Ait Eremita: cùm Divinus Intellectus ſit infinitus & æternus, convenit, quòd ita perfectè comprehendat totum Univerſum & ſuas partes in æternitate, ſicut in tempore; ſed in tempore comprehendit *Eſſe* eſſentiæ totius Univerſi & ſuarum partium, ergò ab æterno; aliàs Divinus Intellectus eſſet mutabilis & augmentabilis; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd omnia ſcita à DEO habuerint *Eſſe* eſſentiæ ab æterno.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, verum eſt, quòd DEUS ita perfectè comprehendat *Eſſe* eſſentiæ totius Univerſi & ſuarum partium in æternitate, ſicut in tempore; ſed propter hoc non ſequitur, quòd omnia ſcita à DEO habeant *Eſſe* eſſentiæ ab æterno; cùm ſit magna differentia inter ens creatum ſecundùm hoc, *quod eſt ſimpliciter per ſe*, & inter hoc, *quod ſimpliciter eſt comprehenſum ab æterno* per Divinam Sapientiam: & ratio hujus eſt, quia ens creatum actu exiſtens de neceſſitate eſt in loco & in tempore, ſed non in Æternitate & Infinita Magnitudine, cùm tempus non poſſit eſſe ab æterno nec in Infinita Magnitudine: ſed Divina Sapientia ſic comprehendit ens creatum *ab æterno*, ſicut *in tempore*; & *ſic in Infinitate*, ſicut *in loco*; & hoc, quod comprehendit, *quoad ſe immediatè ſimpliciter eſt idea*, quæ eſt idem numero cum Sapientia, Æternitate & Infinita Magnitudine DEI, cùm Divina Sapientia in ſciendo ab æterno non indigeat habere *aliquid extra ſe*, cùm ſimpliciter per ſe ſit perfecta; ſed de tuo intellectu non eſt ſic, quia *ſinè juvamine* non poteſt aliquid intelligere, quod eſt extra illum; ût quando intelligit turrim aut aliquid aliud, non comprehendit *eſſe* eſſentiæ turrîs, ſed *ſimilitudinem* ipſius; & ſic tua ratio non valet: ſed Divinus Intellectus in intelligendo creatum non indiget accipere ſimilitudinem ipſius, ſed comprehendit ipſum totum per ſe & in ſe, etiam antequam ſit, ſicut tu comprehenderes turrim, antequam eſſet, ſi ipſam poſſes intelligere ſinè ſpecie; ſed quia turris actu non poteſt eſſe, antequam ſit, ſic *quoad te* in tuo intellectu intelligibilitas turrîs intellecta eſſet de eſſentia intellectûs, ſicut in DEO idea; & ſic *eſſe* eſſentiæ turrîs, quod eſt in te, non eſt illud *eſſe* eſſentiæ turrîs realis, quæ eſt de lignis & lapidibus.

QUÆSTIO XXVIII.

Utrùm in DEO ſint Ideæ Infinitorum?

1. SOlutio. Dixit Raymundus, quòd infinitum pluribus modis poſſit conſiderari,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rari, ſcilicet infinitum *in immenſitate*, & infinitum *in duratione*, & infinitum *in numero*, & hoc tam rerum *corporalium*, quàm *ſpiritualium*: ideæ infinitorum *corporalium* non poſſunt eſſe *actu*, & hoc ideo, quia indigerent habere *locum infinitum*, cùm corpus non poſſit eſſe ſinè loco, & cùm locus non poſſit eſſe ſinè corpore, nec corpus poſſit eſſe infinitum, cùm non poſſit eſſe ſinè figura circulari, triangulari vel quadrangulari, nec per conſequens ideæ infinitorum corporalium; veruntamen ſecundùm Sapientiam DEI, quæ eſt infinita, poſſunt eſſe in DEO, cùm Divina Poteſtas *quoad ſe ipſam* poſſit producere illas, & ſic de Voluntate DEI, quæ eſt infinita, quæ habet proprietatem volendi infinitè: unde ſequitur, quòd Divina Sapientia, quæ habet proprietatem intelligendi infinitè, habeat & intelligat infinitas ideas; aliàs ſuum *intelligere* eſſet extrà finitum, & Divinum *poſſe* non, cùm ipſas poſſet producere; & ſic de Divino *velle*, quia voluntas poſſet ipſas velle; unde cùm in DEO *poſſe*, *ſcire* & *velle* ſint idem, ergò in DEO ſunt ideæ infinitorum; ſed quia *realiter actu* non poſſunt eſſe *ideatæ*, Divina Voluntas non vult, quòd in Divina Sapientia ſint illa, quæ Divina Voluntas non vult, ſed ea, quæ vult: igitur in DEO non ſunt infinitæ ideæ *actu ideatæ* reſpectu creationis corporum, ſed reſpectu Infinitatis Sapientiæ DEI, quæ *quoad ſe* poteſt intelligere infinitas ideas corporalium, & intelligit: ergò impoſſibile eſt, quòd in DEO ſint ideæ actu ideatæ entium infinitorum corporalium.

2. Præterea ideæ infinitorum *ſpiritualium* actu ideatæ non poſſunt eſſe in DEO, nec in *numero*, nec in *duratione*; quia ſi poſſent, Divina Poteſtas eſſet terminata, in quantum non poſſet producere aliquid de nihilo, nec addere ſuper numerum infinitum, cùm numerus infinitus non poſſit recipere aliquid novum additum; & cùm Divina Æternitas non poſſit ſuſtinere ideas infinitorum æternorum actu ideatas in numero contra Infinitatem Divinæ Poteſtatis, ſequitur, quòd ſit impoſſibile, quòd affirmatio Quæſtionis ſimpliciter ſit vera quoad ideas ideatas.

3. Adhuc dixit Raymundus: ſi affirmatio Quæſtionis *ſimpliciter* eſſet vera, Divina Sapientia eſſet terminata, in quantum non poſſet comprehendere nec determinare multiplicationem numeri infinitorum actu æternorum; & ſic etiam de Divina Voluntate, quæ non poſſet velle aliquid novum extra numerum infinitum: & quia hæc omnia ſunt falſa & impoſſibilia, ergo in DEO non poſſunt eſſe ideæ infinitorum *ideatæ* & productæ; ſed in DEO ſunt ideæ infinitorum ſic per *modum intelligendi*, ſicut per *modum poſſendi* & *volendi*.

4. Ait Eremita: Raymunde, Divina Sapientia eſt infinita quoad ſe ipſam & quoad ſuam infinitam Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem, quod eſſet impoſſibile, ſi non poſſet habere ideas infinitorum æternorum; & quia eſt impoſſibile, quòd Sapientia DEI quoad ſe ſit finita, & quoad ſuam Magnitudinem, Æternitatem & Poteſtatem, ergò in DEO ſunt ideæ infinitorum æternorum.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, tua objectio eſt ſoluta; item vade ad *vigeſimam ſeptimam Quæſtionem*.

QUÆSTIO XXIX.

Utrùm Angelus poſſit tranſire de loco ad locum in inſtanti?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Imaginatio attingit ſimilitudinem loci, temporis & motûs, ſed non poteſt attingere ſimilitudinem Angeli, cùm ſit inimaginabilis, nec per conſequens imaginatio poteſt imaginari operationem Angeli vel ſuum actum, ſed intellectus *conjunctus cum imaginatione* poteſt attingere ſimilitudinem Angeli & ſuam operationem, & etiam ſimilitudinem loci, temporis & motûs; & hoc ideo, quia intellectus eſt altior & potentior, quàm imaginatio: & quia imaginatio non tranſit ad ſimilitudinem Angeli & ſuam operationem, intellectus non indiget habere juvamen operationis imaginationis ad intelligendum Angelum & ſuam operationem; ſed denudando ſe de actu imaginationis non conſiderat motum nec ſucceſſionem in tranſitu Angeli de loco ad locum, ſed *ſimpliciter* conſiderat, quòd Angelus, qui erat in Oriente, *non ſit in iſto inſtanti*, in quo erat, quando eſt in Occidente, nec quòd fuiſſet in ſuo tranſitu *in certo inſtanti*, quia tunc eſſet in motu & in ſucceſſione quoad ſe & ſuum eſſe, & operationes eſſent imaginabiles; unde ſequere-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

queretur, quòd in agendo eſſet conditionatus ſecundùm entia corporalia & eorum accidentia, & non quoad ſe; quod eſt impoſſibile: ergò poteſt tranſire de loco ad locum *ſic in uno inſtanti immobili & indiviſibili*, ſicut poteſt exiſtere in uno loco determinato, & non in alio, ſinè continente & contento.

2. Ait Eremita: Raymunde, ſecundùm naturam & modum intellectûs nemo debet concedere, quòd ſit verum hoc, quod non eſt intelligibile, poſtquàm eſt intelligibile, quòd ſuum oppoſitum ſit verum; ſed non eſt intelligibile, quòd aliquod ens poſſit tranſire de loco ad locum ſinè motu & tempore, ergò de neceſſitate eſt intelligibile, quòd Angelus tranſeat de loco ad locum cum motu & tempore: unde ſequitur, quòd tua poſitio implicet, quòd impoſſibilitas ſit poſſibilis, quod non eſt verum, ſed falſum & impoſſibile.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, ſicut non eſt intelligibile cum imaginatione, quòd aliquod ens poſſit tranſire de loco ad locum, niſi habeat corpus habens partes anteriores & poſteriores, ſic non eſt intelligibile cum imaginatione, quòd aliquod ens poſſit tranſire de loco ad locum ſinè motu & tempore; ſed ſinè imaginatione bene eſt intelligibile, quòd aliquod ens, ſicut Angelus, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis ſeparata ab omni figura corporali, in inſtanti poſſit tranſire de loco ad locum ſinè motu & tempore, ût ſuprà probatum eſt: ſed tu Eremita per tuam imaginationem es ſic deceptus, quòd velis imaginari transitum Angeli, ſicut imaginaris, quòd antipodes inferiùs deſcendant; quorum deſcenſus *ſecundùm intellectum denudatum in ſuo intelligere ab actu imaginationis* eſſet aſcenſus.

QUÆSTIO XXX.

Utrùm futura realiter ſint præſentia Divinæ Æternitati?

1. SOlutio. Ait Raymundus: in DEO Magnitudo, Æternitas, Poteſtas & Sapientia ſunt idem, & ſua Magnitudo eſt infinita *eſſentialiter* & *potentialiter*, & hoc ſcit Divina Sapientia; & quia Magnitudo DEI comprehendit totum Univerſum, comprehendit, quidquid eſt futurum, cùm omnia entia includantur in Univerſo: & ideo, cùm Magnitudo ſit idem cum Æternitate & Sapientia, de neceſſitate ſequitur, quòd Divinæ Æternitati omnia futura ſint præſentia, cùm Æternitas ſit, ubicunque eſt ſua Infinita Magnitudo, & ubicunque eſt ſua Sapientia, quæ ſciendo comprehendit, quidquid eſt in Univerſo, cùm ſit ita infinita in ſciendo, ſicut Magnitudo in menſurando Univerſum, & Æternitas in menſurando tempus: unde cùm hoc ita ſit, ſequitur, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

2. Item Divina Poteſtas, quæ eſt infinita, eſt *præſentialiter* in Productione Divinarum Perſonarum, cùm ſinè ipſa non poſſit eſſe Productio in Divinis; Productio autem in Divinis eſt ubique & ultrà in infinitum, & ſuum *poſſe* eſt ab æterno & in æternum; cùm ſinè ipſo non poſſit eſſe Productio infinita & æterna: & ſic ratione Poteſtatis omnia futura poſſunt eſſe præſentia Æternitati, quæ ſinè Poteſtate DEI non poſſent eſſe præſentia Æternitati.

3. Ait Eremita: Raymunde, de contin-
a. gentibus non poteſt ſciri veritas, cùm non participent cum intellectu in tempore futuro, cùm intellectus non intelligat, niſi in tempore præſenti: unde ſequitur, quòd futura non ſint præſentia Intellectui Æterno.

b. Item de contingentibus non eſt neceſſe, quòd ſit unum, & non aliud, ratione cujus Divinus Intellectus non poteſt ſcire neceſſitatem ab æterno, quodnam de duobus oppoſitis eveniet; cùm unum ſit ita poſſibile, ſicut aliud: unde ſequitur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, ma-
a. lè facis, in quantum ſic conſideras de Divino Intellectu, qui eſt æternus & infinitus, ſicut de tuo, qui eſt in tempore & finitus: & quia non conſideras, quòd Divinus Intellectus ſic comprehendat tuum intellectum & tuum intelligere in omni tempore & in contingentibus, ſicut in Æternitate & in Infinitate.

b. Et quia dicis, quòd in contingentibus DEUS non poſſit ſcire determinatè hoc, quod eveniet, cùm ſit poſſibile, quòd ſuum oppoſitum eveniat, ignoras hoc, quod ſuprà diximus, cùm, quidquid in Univerſo eſt poſſibile, ſit impoſſibile ſinè Divina Poteſtate, Æternitate, Sapientia & Infinitate: & vade ad *vigeſimam ſeptimam Quæſtionem*, in qua declaratur ſolutio tuæ objectionis.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO XXXI.

Utrùm sit possibile, quòd DEUS non præsciverit illud, quod præscivit?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Divina Potestas est infinita in Bonitate & Sapientia, unde sequitur, quòd DEUS de nihilo potuerit producere totum Universum creatum, ex quo ipsum produxit: unde si DEUS potuisset non præsciviſse hoc, quod præscit, potuisset ei esse bonum ignorare hoc, quod scit per Præscientiam: & quia de Natura Divini Intellectûs non est ignorare, sed intelligere, non est possibile, quòd DEUS non præsciverit hoc, quod præscit; cùm ignorare illi esset malum & impedimentum sui Intellectûs & Potestatis, & contra naturam intelligendi.

2. Item mundus est, & de hoc habemus experientiam; & quia est à DEO, est præscitus ab æterno; cùm sit creatus de novo, ût probatum est: unde si fuisset possibile, quòd DEUS non præsciviſſet ipsum, antequam esset creatus, fuisset simpliciter possibile, quòd eum non præsciviſſet per Divinam Voluntatem, nec per suam Sapientiam, Bonitatem, Æternitatem, Potestatem, Virtutem & Veritatem; quæ Voluntas potuisset velle, quòd mundus non esset creatus; sed Sapientia non potuit scire, quòd mundus non sit creatus, postquam scivit, quòd voluntas voluit, quòd mundus sit creatus, in cujus velle fuit actus Bonitatis, Magnitudinis &c., quarum actus non essent in ipso *velle*, si Voluntas ab æterno potuisset non velle hoc, quod Sapientia DEI sciebat esse verum ab æterno, scilicet novitatem mundi: & ideo cùm Divina Voluntas & aliæ Rationes DEI sint in Concordantia, & omninò remotæ ab omni contrarietate, sequitur, quòd Divina Voluntas non potuerit velle, quòd Divina Sapientia non præsciviſſet hoc, quod præscivit, cùm suum *præscire* fuisset cum Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c.

3. Ait Eremita: Raymunde, Divina Voluntas est infinita in Potestate, & sic, quidquid vult, liberè vult, & non coactè; sed non posset habere tale liberum *velle*, si esset verum hoc, quod dicis, scilicet, quòd, postquam Sapientia præscivit ab æterno, Voluntas non potuerit non velle hoc, quod Sapientia præscivit: unde sequitur, quòd Sapientia omnia liberè præsciat, & Voluntas omnia liberè non velit, sed coactè; quod est falsum & impossibile, cùm Voluntas sit ita infinita in Bonitate, Magnitudine &c., sicut Sapientia.

4. Respondit Raymundus: Eremita, verum dicis, quòd Divina Voluntas sit ita infinita, sicut Divina Sapientia, cùm sint idem numero: unde sicut Sapientia non potuit præsciviſſe, si Voluntas non voluit ipsam præsciviſſe, sic Voluntas non potuit non velle hoc, quod Sapientia præscivit ab æterno; & hoc ideo, quia non *velle* & *præscire* in æternitate essent in contrarietate & in electione quoad Voluntatem, non quoad *velle* & *præscire*; quod est contradictio, quæ non potest stare. Et quia dicis, quòd Voluntas esset coacta, non sequitur; cùm Divina Voluntas se habeat ita liberè ad diligendum hoc, quod Sapientia præscivit, sicut Sapientia se habet ad liberè intelligendum hoc, quod Voluntas prædilexit; & sic de præcessu Divinæ Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis &c., quæ omnia creata præcesserunt antequam fuissent creata.

QUÆSTIO XXXII.

Utrùm unum Infinitum sit majus, quàm aliud?

1. SOlutio. Raymundus consideravit, de quo infinito quæratur, videlicet utrùm de Personis Divinis, vel Attributis DEI, vel de DEO, & mundo, suppositò, quòd mundus sit æternus, vel de partibus mundi; & sic secundùm hæc quatuor membra proposuit facere responsionem.

2. DEUS Pater est infinitus, & sic DEUS Filius est infinitus, & sic de Sancto Spiritu; & licèt unus non sit alius, non sequitur, quòd sint tres infinitates, sicut non sunt tres Deitates nec tres Dii, tres Bonitates, nec tres Magnitudines &c.: & hoc est, quia Filius est de toto Patre, & Sanctus Spiritus de toto Patre & Filio: unde cùm Pater sit tota Infinitas, tota Deitas, totus DEUS, tota Divina Bonitas &c., in Divinis unum infinitum non potest esse majus, quàm aliud: & de hac materia fumus locuti in *vigesima & vigesima prima Quæstione*: unde cùm hoc ita sit, quoad hoc, quod diximus de Divinis, tenemus negativam.

3. In Attributis DEI unum infinitum non potest

(c) 2006 Ministerio de Cultura

poteſt eſſe majus, quàm aliud, cùm majoritas non poſſit eſſe ſinè minoritate; & quia in Infinitate non poteſt eſſe minoritas, nec per conſequens majoritas, & cùm Divina Bonitas ſit infinita, & ſic de Divina Magnitudine, Æternitate &c., in Infinitate earum non poteſt eſſe majoritas nec minoritas, nec per conſequens in ipſis poteſt unum infinitum eſſe majus, quàm alterum, cùm Rationes ſint æquales in Infinitate in *exiſtendo* & *agendo*; ſicut Bonitas, quæ eſt ita infinita in bonificando, ſicut in exiſtendo; & in tantum eſt infinita in exiſtendo & agendo, quantum Sapientia in exiſtendo & intelligendo, & Voluntas in exiſtendo & volendo, & ſic de aliis Attributis: & hoc de neceſſitate convenit eſſe, ut eorum Finis ſit unus indiviſibilis ſinè majoritate & minoritate, ſicut una Infinitas, Æternitas, Eſſentia, Natura & Deitas: ergò in Attributis DEI unum infinitum non poteſt eſſe majus, quàm aliud.

4. Suppoſito, quòd mundus ſit æternus, unum infinitum eſt majus, quàm aliud *ſecundùm quid*, & *non ſimpliciter*; ſicut DEUS, qui eſt infinitus, qui eſt major, quàm mundus, cùm DEUS ſit cauſa, & mundus ſit effectus; & Divina Bonitas, quæ eſt infinita, eſt major, quàm bonitas mundi, quæ quoad ſe *ſimpliciter* eſt finita, ſed *ſecundùm quid* eſt infinita, ſcilicet ſecundùm infinitam durationem mundi; & ſic de Magnitudine DEI & magnitudine mundi, & de Poteſtate & poteſtate, Sapientia & ſapientia, & ſic de aliis; ſed de Æternitate DEI & æternitate mundi non eſt ſic, licèt æternitas mundi ſit effectus, & Æternitas DEI cauſa: & ratio hujus eſt, quia æternitas mundi quoad *eſſe* ſuæ eſſentiæ eſt infinita duratio, per quam mundus eſt unum Univerſum infinitum *æquiparans* Supremo Infinito per infinitam durationem *ſimpliciter*: & ſic ſuppoſito, quòd mundus ſit æternus, cujus contrarium probamus in *Libro*, quem fecimus *de Articulis damnatis octuageſimo ſeptimo Capite*, & etiam in pluribus aliis noſtris Libris; eſt tamen unum infinitum majus, quàm aliud, ſcilicet *reſpectu cauſæ & effectûs*, & *non ſimpliciter* reſpectu infinitæ durationis: ſed cùm DEUS ſimpliciter & abſolutè per ſe ſit infinitus, ſicut ſua Bonitas ſimpliciter comprehendit bonitatem mundi, ſic Æternitas DEI ſimpliciter comprehendit durationem mundi, ut ſit ita magna in comprehenſione ſui effectûs, ſicut Bonitas, & per conſequens ſicut Divina Magnitudo, quæ ſimpliciter comprehendit magnitudinem mundi finitam, & ſic de aliis comprehenſionibus Divinorum Attributorum, quæ ſimpliciter comprehendunt partes mundi: unde ſequitur, quòd mundus ita ſimpliciter ſit comprehenſus quoad ſuam durationem per Divinam Æternitatem, ſicut quoad ſuam bonitatem per Divinam Bonitatem: unde de neceſſitate ſequitur, quòd mundus ſit novus, & non æternus; aliàs Divina Æternitas non eſſet tantum comprehenſiva, quantum Divina Bonitas, Divina Magnitudo &c.: unde ſequeretur, quòd poſſet dici, quòd in DEO unum Attributum ſit majus quàm aliud; quod eſt falſum & impoſſibile: ergò ſuppoſito, quòd mundus eſſet æternus, unum infinitum eſſet majus, quàm aliud.

5. Item ſuppoſito, quòd mundus ſit æternus, ſuæ partes generales eſſent omnes infinitæ *per durationem* æternitatis, *non per ſe ipſas*; ſicut ſua bonitas, quæ non eſt infinita in bonificando, nec ſua magnitudo in magnificando, nec ſua poteſtas in poſſificando, & ſic de aliis: unde ſequeretur, quòd durificatum eſſet magìs infinitum, quàm bonificatum, magnificatum, poſſificatum &c.; & ſic ſola duratio eſſet finis mundi ratione ſuæ infinitatis, & alia principia quoad ſe eſſent finita: unde ſequeretur, quòd omne ens *magìs durabile* eſſet magìs perfectum, quàm *minùs durabile*, ſicut lapis, quàm homo; quod eſt falſum & impoſſibile, cùm homo ſit melior per ſuum intelligere & amare, & per procreationem boni filii & acquiſitionem virtutum, quàm lapis per durationem: ergò ſequitur, quòd mundus non ſit æternus, ut non ſequantur ſupradicta inconvenientia & plura alia, quæ longum eſſet narrare.

6. Eremita conſideravit, quòd Raymundo faceret objectionem, ſecundùm quòd alii faciunt, ſuppoſito, quòd mundus ſit æternus; ſed vidit, quòd ſua objectio eſſet ſoluta per hoc, quod Raymundus ſuprà dixit, & ſic mutavit objectionem, quam proponebat facere, dicens: quòd Divinus Intellectus ſit magìs infinitus in intelligendo effectum, quàm Divina Bonitas & Voluntas; cùm Divinus Intellectus intelligendo comprehendat totum Univerſum, ſed Divina Bonitas non bonificet omnes partes univerſi, ſicut eſt homo peccator, quem non

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non bonificat, nec Divina Voluntas ipſum diligit, ſed Divina Sapientia ipſum intelligit: unde ſequitur, quòd unum Attributum in DEO habeat majorem actum in effectu, quàm aliud, ratione cujus convenit, quòd in Eſſentia DEI unum infinitum ſit majus, quàm aliud; cùm DEUS non poſſet agere in effectu, niſi ageret intra ſe, ût in *decima quinta Quæſtione* dictum eſt.

7. Reſpondit Raymundus: quidquid DEUS agit, agit ſecundùm ſua Attributa, & ſecundùm quòd partes mundi ſunt capaces & diſpoſitæ, quòd Attributa DEI in ipſis agant; ſicut totum Univerſum, & ſuæ partes, eſt diſpoſitum, quòd à Divina Sapientia intelligatur; ſed homo malus, cùm ſit contra Divinam Bonitatem, non eſt diſpoſitus, quòd à Divina Bonitate bonificetur, cùm inter bonum & malum nulla ſit concordantia; & ſic de Divina Voluntate, quæ non poteſt habere concordantiam cum mala voluntate: ſed ſi homo eſt juſtus, tantum eſt bonificabilis à Bonitate, quantum eſt intelligibilis à Sapientia, & ſic de Amabilitate; & ideo tua ratio nihil valet.

8. Item poſſes arguere, quòd Magnitudo DEI magìs magnificet montes, arbores & equos, quàm homines, ſed Bonitas magìs bonificet homines, & Voluntas DEI magìs diligat ipſos; veruntamen non ſequitur, quòd Bonitas producat plus vel minus in homine, quàm Magnitudo, & ſic de Voluntate, cùm in DEO ſint idem numero; ſed ſecundùm quòd mundus eſt diſpoſitus, & ſic de ſuis partibus, ut ſit magìs æqualis, & in aliquibus magìs convenit Magnitudo corporis, quàm in aliis: ſicut caput in homine, quod magìs indiget habere magnitudinem, quàm naſus; & homo magnitudinem bonitatis & amabilitatis, quàm magnitudinem corporis, & ſic de aliis.

QUÆSTIO XXXIII.

Utrùm Prædeſtinatus de neceſſitate ſalvetur?

1. SOlutio. Antequam Raymundus voluit reſpondere ad Quæſtionem, dixit, quòd DEUS *duobus modis* agat in creaturis, ſcilicet *immediatè* & *mediatè*; *immediatè*, quando creat creaturam ſinè inſtrumento & ſinè aliquo alio juvamine extraneo creans hoc, quod vult creare, ſecundùm ideam, in qua habet hoc, quod creat, ab æterno, ût in *vigeſima octava Quæſtione* dictum eſt; quod eſſe creatum differt ab idea, in quantum eſt productum & *creatum ex nihilo*; *mediatè* agit DEUS in creaturis, ſicut in igne multiplicans cum Sole calorem ignîs in calefacto; & hoc, quod DEUS agit, eſt juvamen Soli, igni & calefacto; & hoc, quod Sol facit in igne, & ignis in calefacto, eſt natura vel actus naturalis, & ſic de aliis rebus naturalibus, quæ ita indigent adjutorio DEI in agendo, ſicut in gubernando.

2. Per prædicta, quæ Raymundus dixit, voluit ſolvere Quæſtionem, & dixit: homo prædeſtinatus quoad ideam eſt DEUS, cùm idea & DEUS ſint idem; & prædeſtinatio illius hominis, *ſecundùm quòd eſt idea*, eſt infallibilis & immutabilis; ſed *ſecundùm quòd prædeſtinatio eſt in homine creato*, eſt *nova*, cùm ſuum ſubjectum ſit novum: & licèt homo novus creatus non differat ab homine ideato per ideam, differt tamen ab ipſo homine ideato, in quantum homo creatus eſt *novus* habens quantitatem, tempus, locum &c.: & ideo *ſecundùm novam prædeſtinationem*, quam probavimus, quæ etiam ſignificata eſt in *vigeſima ſeptima Quæſtione*, homo prædeſtinatus *de neceſſitate non ſalvatur*, cùm ſit prædeſtinatus ſecundùm modum, per quem DEUS agit in creatis *mediatè*; videlicet DEUS prædeſtinavit beatum Petrum ſic cum bonis, quæ fecit, & ratione meritorum illorum bonorum, ſicut calefacit calefactum cum Sole & cum igne; & convenit, quòd hoc ita ſit ratione Divinæ Ordinationis, Juſtitiæ, & ſic de aliis ſuis Attributis, etiam ratione liberi arbitrii beati Petri, & ſuæ juſtitiæ, prudentiæ &c.: aliàs ſi Petrus immediatè eſſet prædeſtinatus ſecundùm modum, per quem DEUS immediatè agit in creatis, eſſet prædeſtinatus ſinè Juſtitia & Ordinatione; & idem ſequeretur ſuo modo de Juda, qui immediatè eſſet præſcitus ſinè injuria ſuî & demerito ſuorum vitiorum; quod eſt falſum & impoſſibile ſecundùm Divinam Bonitatem, Magnitudinem &c.: unde ſequitur, quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

3. Ait Eremita: Raymunde, Sapientia DEI eſt æterna & immutabilis, ratione cujus de neceſſitate ſequitur, quòd prædeſtinatus ſalvetur; aliàs ſapientia DEI eſſet mutabilis & fallibilis, & ſuum intelligere non eſſet æternum nec perfectum; & hoc eſt impoſſibile:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

sibile : quod impossibile esset possibile secundùm tua dicta, videlicet si prædestinatus de necessitate non salvetur, & possit simul & semel esse præscitus & prædestinatus; & sic Divinus Intellectus non potest scire de homine, antequàm moriatur, utrùm salvabitur vel damnabitur, suppositò, quòd homo habeat libertatem faciendi bonum, per quod salvetur, vel malum, per quod damnetur. Item secundùm tua dicta Divinus Intellectus est *unus* secundùm ideam & antiquam prædestinationem, & est *alius* secundùm creationem & novam prædestinationem, & sic mutabilis de uno in aliud; & sic per consequens non est æternus, cùm nulla mutatio sit æterna : & quia omnis mutatio in DEO est impossibilis, tua verba nihil concludunt, & de Quæstione affirmativa est tenenda.

4. Respondit Raymundus: Eremita, tua objectio est soluta in hoc, quod suprà diximus; nec bene recolis hoc, quòd suprà diximus in *vigesima septima Quæstione*, de qua secundùm tua dicta affirmatio quæstionis esset tenenda; ratione cujus sequeretur, quòd nullum ens esset creatum nec novum : sed quia Universum est creatum & novum, ût suprà probatum est in *proxima Quæstione*, & etiam significatum est in *vigesima septima* & in *vigesima octava Quæstione*, tua ratio non valet, cùm *una* sit *prædestinatio, quæ est DEVS*, ût causa, & *alia* sit *prædestinatio, quæ est effectus*, & *in novo subjecto* sustentata & creata; & hoc sinè mutatione Divini Intellectûs, qui non mutatur per suum effectum, cùm suus effectus non sit *novus*, *in quantum idea*, ût suprà demonstratum est, sed est *novus quoad se ipsum*, cùm ex nihilo de novo sit productus; & quia tu non scis distinguere inter ens ideatum & creatum, cùm ens creatum sit in eodem numero cum ente ideato, & sit distinctum ab ipso per creationem & per *esse* suæ essentiæ & per conditiones suæ naturæ, facis falsam objectionem.

5. Item, quando dicis, quòd DEUS nesciret, an Petrus, antequàm moreretur, salvaretur vel damnaretur : respondeo, sicut non convenit dicere, omnis homo est mortalis vel immortalis, sic non convenit dicere, quòd DEUS sciat, quòd Petrus sit prædestinatus vel præscitus, cùm DEUS nihil *distinctivè* consideret; sed sufficit illi considerare unam partem propositionis *distinctè* & *determinatè*; cùm illa pars, quæ est falsa, esset superflua in sua consideratione: & sic quando prædestinavit beatum Petrum *secundùm modum mediatum*, de quo superiùs dictum est, DEUS *non curavit*, quòd Petrus posset damnari, postquam sciebat ipsum prædestinatum; sed solus homo, dum est in via, potest considerare, quòd sit prædestinatus vel præscitus: & hoc potest considerare, quia *ignorat* suam salvationem vel damnationem: ergò tua objectio non valet.

QUÆSTIO XXXIV.

Utrùm Præscientia Meritorum sit Causa vel Ratio Prædestinationis Salvandorum, vel utrùm detur aliqua alia causa?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, hæc Quæstio requirit similem solutionem, sicut supradicta Quæstio, ita quòd distinguatur inter prædestinationem & prædestinationem, secundùm quòd suprà distinximus, videlicet, quòd præscientia meritorum sit causa novæ prædestinationis, tamen cum juvamine Præscientiæ, quæ est DEUS, scilicet mediante gratiâ DEI, sinè qua nullus homo potest esse prædestinatus nec electus ad salvationem, cùm merita, quæ sunt finita, non sufficiant ad acquirendam æternam beatitudinem datam per gratiam & per justitiam ratione meritorum.

2. Ait Eremita : Raymunde, quia Præscientia DEI est, antequam merita, est causa vel ratio prædestinationis salvandorum, nec datur aliqua alia causa, nisi merita; cùm Præscientia DEI sit æterna, & æternaliter attingat merita, cum quibus ab æterno prædestinavit prædestinatum, ut suum *præscire* maneat æternum & immutabile.

3. Respondit Raymundus: Eremita, tua objectio est soluta per ea, quæ diximus in hac Quæstione & in *Quæstione proxima præcedenti*. Et in hoc, quòd dicis, quòd Præscientia DEI sit, antequam sint merita, verum dicis secundùm *merita nova creata*, non secundùm *merita antiqua ideata*, quæ per ideam idem sunt cum Præscientia : & quia non distinguis inter merita antiqua & nova, habes falsum intelligere sinè forma, ratione cujus tua objectio est soluta : & hoc ideo, quia concludis cum meri-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

meritis antiquis, & ego cum novis, quæ non possent esse sinè Divina gratia & auxilio.

QUÆSTIO XXXV.

Utrùm DEUS possit facere aliquam Magnitudinem vel Multitudinem infinitam in actu?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, hæc Quæstio quærit, utrùm DEUS posset facere mundum æternum: & quòd mundus non sit æternus, satìs probatum est in *Quæstione trigesima secunda*: ad hanc quæstionem respondemus sic: quidquid DEUS facit, facit secundùm suum *Ordinem Intrinsecum*, ût in *decima quinta Quæstione* significatum est, & non potest aliquid facere contra suum Ordinem Intrinsecum; sed posset contra ipsum facere, si affirmatio quæstionis esset vera, cùm soli DEO sit propria Infinitas Magnitudinis, ratione cujus illi Magnitudini est propria Infinitas Bonitatis, Æternitatis, Potestatis, Sapientiæ &c., aliàs Divina Magnitudo non posset esse infinita; & sicut diximus de Magnitudine DEI, ita intelligitur de aliis Attributis: unde si DEUS posset facere unam magnitudinem vel multitudinem infinitam, quæ non esset de *esse* suæ Essentiæ, hoc, quod illi est *proprium* & *singulare*, scilicet Infinitas Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, Potestatis &c., posset appropriari illi infinitæ magnitudini vel multitudini factæ; quam infinitatem bonitatis, magnitudinis &c. conveniret esse propriam in subjecto magno facto cum infinitate bonitatis, magnitudinis &c. per proprium, & non per appropriatum; cùm de necessitate conveniat, quòd omne appropriatum sit finitum: & sic novum magnum productũ infinitum esset alius DEUS secundus differens per essentiam à primo; qui secundus DEUS est impossibilis: quia si esset possibilis, Divinæ Rationes immediatè possent appropriare infinitatem in subjecto extraneo, in quantum propriè habent ipsam; quod est valde impossibile: ratione cujus negatio Quæstionis est tenenda.

2. Ait Eremita: Divina Potestas est Infinita Magnitudo, Infinita Sapientia & Infinita Voluntas, unde sequitur, quòd affirmatio Quæstionis sit tenenda: & hoc ideo est, quia, sicut Divina Voluntas potest velle productum novum magnum infinitum, sic Sapientia potest ipsum intelligere, & Potestas potest ipsum producere; & talis possibilitas est necessaria, ut Divina Magnitudo se æqualiter communicet illis tribus Rationibus, cùm sit idem cum ipsis: verùntamen non dico, quòd DEUS producat vel possit producere magnum infinitum vel multitudinem mobilem & extensam; sed intendo concludere de magnitudine durationis: sicut DEUS potest facere ens magnum æternum, scilicet magnum per æternitatem, sicut mundum, Angelum, & sic de aliis incorruptibilibus.

3. Respondit Raymundus: Eremita, sicut DEUS extra se non potest facere magnum infinitum secundùm magnitudinem infinitatis, ita nec per consequens potest hoc facere secundùm magnitudinem æternitatis, cùm in DEO Magnitudo & Æternitas sint idem: quia sicut Divinæ Potestati non convenit, quòd producat magnum infinitum, ut non coæquet ipsum cum magno Infinito Divino, sic per consequens non potest producere magnum æternum, ut non coæquet durationem illius cum Duratione Divinæ Æternitatis. Et quia dicis, quòd possit producere, si Divina Voluntas velit, verum dicis; sed dico, quòd, sicut Divina Voluntas non potest velle aliquam coæquationem inter productum extraneum habens esse & quidquid habet, appropriatum, & inter ens antiquum habens per se suas proprietates, sic per consequens nec Potestas possit: unde sequitur, quòd tua ratio non valeat.

QUÆSTIO XXXVI.

Utrùm DEUS possit damnare Petrum, & salvare Judam?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Sicut DEUS non potest aliquid facere sinè Potestate, sic non potest aliquid facere sinè Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c., aliàs in suo agere esset actus Potestatis, scilicet *posse*, & non actus Bonitatis, qui est *bonificare*; nec actus Magnitudinis, qui est *magnificare*; & sic de *durare*, quod est actus Æternitatis; & sic de *intelligere*, *amare* &c.; quod est impossibile: ergò DEUS non potest damnare Petrum, & salvare Judam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dam per ſuum *poſſe* tantùm, nec per alios ſupradictos actus : non per *bonificare*, cùm Petrus ſit bonus, & Judas malus ; quia eſſet *malificare* contra *bonificare*, cùm malum eſſet facere bonum malo, & malum bono ; in quo *malificare* non poſſet eſſe *magnificare* bonum, ſed malum ; nec *amare*, ſed *odire* ; nec *juſtificare*, ſed *injuriari* ; & ſic de aliis : unde ſequitur, quòd DEUS non poſſit damnare Petrum, nec ſalvare Judam : & tale *non poſſe* non eſt *ens reale*, ſed *intentionale* in humano intellectu, qui facit ipſum, cùm DEUS, ſicut non diligit ſalvare Judam, & damnare Petrum, ſic non intelligit damnare Petrum, & ſalvare Judam : & de ente non reali ſumus locuti in *trigeſima tertia Quæſtione*, quæ eſt de Prædeſtinatione.

2. Ait Eremita : Raymunde, eſt impoſſibile, quòd conditio finita poſſit impedire vel limitare infinitam, ſed eſſet poſſibile, ſi tua dicta eſſent vera : unde cùm Divina Poteſtas ſit infinita, habens unam Infinitatem cum Voluntate, poteſt agere ad placitum de Petro & de Juda, ſicut Voluntas de ipſis vult ad placitum : ergò Voluntas poteſt de ipſis eligere utrumque, ut in eligendo non ſit impedita, & Poteſtas poteſt perficere, cùm ſit idem cum Voluntate : ergò DEUS poteſt damnare Petrum, & ſalvare Judam.

3. Reſpondit Raymundus : Eremita, ſicut Divina Poteſtas non poteſt aliquid facere ſinè Bonitate, Magnitudine &c., ſic Divina Voluntas non poteſt aliquid velle ſinè Bonitate, Magnitudine &c. ; & hæc reſponſio ſufficit ad ſolvendum tuam objectionem ſecundùm modum, quem ſuprà diximus.

INCIPIUNT
QUÆSTIONES
SUPER
Librum II. Sententiarum.

QUÆSTIO XXXVII.
Utrùm Creatio realiter differat à Creatura?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : imago vel figura, quæ appareret in ſpeculo, eſt in ſpeculo, quod ab extrà recipit illam imaginem nihil extrà mittendo de ſua eſſentia & natura ; ſicut ſigillum, quod in ceram transmittit ſuum characterem nihil extrà mittendo de eſſe ſuæ eſſentiæ : item dixit, quòd mundus & partes ejus ab æterno fuerint in Intellectu Divino per ideam vel ideas, Intellectu Divino nihil extrà mittente de ſua Eſſentia & Natura, nec de *eſſe* Eſſentiæ ſuorum Attributorum : unde quando DEUS creavit mundum, nihil de *eſſe* ideæ in creando extrà ſe miſit ; quia ſi transmiſiſſet, idea eſſet alterata, & non æterna ; quod eſt impoſſibile, cùm idea ſit DEUS : ſed Divina Voluntas voluit, quòd de nihilo eſſet creatum hoc, quod ab æterno habuit per ideam ; & ſicut voluit, ſic potuit per ſuam infinitam Poteſtatem, & Æternitas habuit intra ſe *velle* Voluntatis, & *poſſe* Poteſtatis, ut *velle* & *poſſe* non tranſirent in tempus ; & ſic de Divina Magnitudine, quæ eſt infinita, in qua fuerunt *poſſe* & *velle*, ut non tranſirent in quantitatem, tempus nec in motum ; & ſic de *intelligere*, ſicut de *velle* & *poſſe* ; & ſic de *bonificare*, per quod creatura fuit bonificata ; & ſic de *virtuificare*, per quod fuit virtuificata ; & de *verificare*, per quod fuit verificata ; & de *perficere*, per quod fuit perfecta ſecundùm illam perfectionem, quam potuit recipere quoad ſe : & ideo quoad omnes prædictos actus, qui abſolutè fuerunt in creatione intra Æternitatem & Infinitatem, convenit, quòd creatio *realiter* & *ſimpliciter* ſit creatura ; aliàs ſi creatio eſſet ex DEO & creatura, eſſet impoſſibile, quòd prædicti actus Attributorum ſimpliciter fuiſſent, quando creatio fuit intra Æternitatem & Infinitatem : ergò creatio eſt *realiter* & *totaliter* creatura ſinè aliqua differentia inter ipſam & creaturam.

2. Ait Eremita : Raymunde, eſt impoſſi-*a*. bile, quòd ſit amatio ſinè actione & paſſione, & quin actio amantis tranſeat in paſſionem amati ; & ſic de operatione in corporalibus : ſicut faber, qui non poteſt agere in clavum, niſi transmittat ſuam manum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in motum, quando movet martellum, cum quo percutit clavum : unde ſequitur, quòd creatio ſit ex Actione Divina, & paſſione creaturæ, ût per ſupradicta exempla ſignificatum eſt.

b. Item, ſi creatio ſimpliciter eſt creatura, creatura non poteſt ſimpliciter participare cum Creatore, ſuppoſito, ût dicis, quòd Creator non habeat actionem in creatione : unde ſequitur, quòd creatura ſit creatura, & non creatura; & per conſequens quòd ſit creator, & non creator; quod eſt contradictio : & quia contradictio non poteſt ſtare, tua verba ſunt falſa & impoſſibilia.

3. Reſpondit Raymundus : Eremita, eſt
a. magna differentia inter *creare* & *facere*, & tu deducis exemplum de *creare* ad *facere*, quod exemplum nihil facit ad propoſitum ; cùm *creare* ſit per modum, quem ſuprà dixi, & in amatione *facere* ſit ſpecies amoris exiſtens inter amantem & amatum; & extra eorum eſſentiam, in quantum non eſt de eſſentia amborum; ſed inter Creatorem & creaturam non eſt ſic, inter quos non datur medium ; cùm, quidquid eſt, ſit DEUS vel creatura. Et hoc idem eſt de exemplo, quod dediſti de artificiali operatione, in qua motus non eſt de eſſentia manûs moventis martellum, nec de eſſentia martelli.

b. Item, quando dicis, quòd, niſi Creator haberet actionem in creatura, non poſſet cum ipſa participare, verum dicis, nec nego, quòd DEUS habeat actionem in creatura; quia jam dixi, quòd Divina Voluntas voluerit, quòd creatura de *non eſſe* deduceretur in *eſſe ;* & illa actio eſt DEUS, cùm non tranſeat extra Æternitatem & Infinitatem, ût probavimus : ergò Creator realiter differt à creatione.

QUÆSTIO XXXVIII.

Utrùm Creatio & Conſervatio ſint idem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : Eremita, DEUS agit in creaturis duobus modis, *immediatè* & *mediatè*, ût in *trigeſima tertia Quæſtione* diximus ; *immediatè*, quando producit creaturam de *non eſſe* in *eſſe ; mediatè*, quando cum una creatura conſervat aliam ; ſicut DEUS, qui cum motu cœli, qui eſt creatura, conſervat motum elementorum & elementatorum, quæ etiam ſunt creaturæ, & ſic de ſimilibus : unde *ſecundùm diverſos reſpectus* unum eſt creatio, & aliud conſervatio, ſicut creatio cœli & conſervatio cœli ; creatio cœli eſt creatura, cùm cœlum de *non eſſe* ſit productum in *eſſe ;* & conſervatio eſt alia creatura, cum qua DEUS conſervat & gubernat cœlum : & quia creatio ita eſt per creare creaturam, quæ conſervat aliam creaturam, ſicut eſt per creare illam creaturam conſervatam, ergò ſequitur, quòd *creatio & conſervatio ſint idem.*

2. Ait Eremita : Raymunde, inter creaturam creatam, quæ non conſervat ſémet ipſam, & creaturam, quæ illam conſervat, eſt differentia ; ratione cujus differentiæ de neceſſitate ſequitur, quòd ſit differentia inter creationem & conſervationem; aliàs ſi eſſent idem, omnis creatura conſervaret ſémet ipſam, & eſſet per ſe conſervata; quod eſt impoſſibile ; cùm nullum ens poſſit conſervare ſe ipſum cum *eſſe* ſuæ eſſentiæ.

3. Reſpondit Raymundus : verum eſt Eremita, quòd nullum ens conſervet ſe ipſum cum *eſſe* ſuæ eſſentiæ in corruptibilibus ; ſicut homo, qui non poteſt conſervare ſémet ipſum cum *eſſe* ſuæ humanitatis *ſimpliciter*, cùm indigeat habere cibum & potum, aërem & plura ſimilia : veruntamen calor naturalis eſt de *eſſe* ſuæ eſſentiæ, & ſic de ſua vegetativa, cùm qua conſervat ſe ipſum ad vivendum coadjuvantibus illis, quæ de extrà veniunt : unde ſequitur, quòd homo habeat in ſe virtutem conſervativam, quæ eſt pars *eſſe* ſuæ eſſentiæ ſic deputata ad conſervationem, ſicut voluntas ad volendum, & oculus ad videndum : & quia illa potentia conſervativa eſt creatura, ſequitur, quod conſervatio ſit creatura : & ſic tua objectio non valet.

4. Si tamen dicis, quòd conſervatio ſit Æternitas DEI, quæ conſervat mundum, reſpondeo tibi ſecundùm modum, per quem tibi reſpondi in *Quæſtione trigeſima ſeptima.*

QUÆSTIO XXXIX.

Utrùm alicui Creaturæ poſſit communicari Potentia creandi?

1. SOlutio. Ait Raymundus : in DEO eſt *proprium* & *commune*, ût in *aliquibus*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bus Quæſtionibus ſuprà dictum eſt: unde ſi DEUS creaturæ poſſet communicare potentiam creandi, aut illa potentia communicata eſſet *propria* creaturæ, aut *communis;* non poteſt eſſe *propria,* cùm eſſet appropriata creaturæ à DEO, cùm nullum appropriatum poſſit eſſe proprium; ſicut caliditas, quæ non poteſt eſſe propria qualitas aëris, poſtquam illi eſt appropriata, & eſt propria ignîs; nec poteſt eſſe *communis,* cùm DEUS & creatura non poſſint æqualiter participare in *eſſendo* unum principium creativum; quia ſi poſſent, eſſent unum principium creativum, ſicut Pater & Filius ſunt Unum Principium Spirativum, ût in *Quæſtione vigeſima ſexta* dictum eſt: & ſic DEUS & creatura creativa deificarent & crearent unam creaturam compoſitam ex DEO & creatura creativa; quæ creatura creativa de ſe crearet aliam creaturam; & ſic creatura producta eſſet creatura & non creatura; quod eſt contradictio, quæ non poteſt ſtare: unde ſequitur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda.

2. Ait Eremita: Raymunde, DEUS ha-
a. bet infinitam Poteſtatem, ratione cujus nullum ens ipſam poteſt impedire; quia ſi poſſet, non eſſet infinita: ergò ſequitur, quòd Poteſtas poſſit communicare potentiam creandi.

b. Item videmus per experientiam ſecundùm viſionem Fidei, quòd DEUS Presbytero communicet poteſtatem conficiendi Sacramentum Altaris, Baptizandi, Abſolvendi &c.: unde ſicut DEUS Presbytero poteſt communicare ſuam Poteſtatem in prædictis, ſic poteſt alicui creaturæ communicare potentiam creandi: ergò alicui creaturæ poteſt communicari potentia creandi.

3. Ait Raymundus: Eremita, licèt DEUS
a. habeat infinitam Poteſtatem, duo tamen ſunt, quæ non poteſt facere, ſcilicet peccatum & contradictionem; & talis impotentia non eſt contra ſuam infinitam Poteſtatem &c., quod per ſe manifeſtum eſt: & quia ſuprà probavimus, quòd in DEO & in creatura eſſet contradictio, ſi DEUS & creatura poſſent eſſe unum principium, tua objectio eſt ſoluta.

b. Et ad hoc, quòd dicis, quòd DEUS Presbytero communicet poteſtatem conficiendi Sacramentum Altaris, & ſic de cæteris Sacramentis, verum dicis; exemplum tamen non procedit, cùm non ſit ſimile facere aliquid de aliquo, & creare aliquid de nihilo: quia Presbyter non creat, ſed facit de Pane Corpus Chriſti, & de Vino Sanguinem; & hoc facit cum Divina Potentia, quæ ſe communicat Presbytero tanquam *inſtrumento,* & ſic ſuo modo de Baptiſmo, in quo DEUS creat Characterem Baptiſmi communicans Presbytero ſuam Poteſtatem, ut verba Presbyteri habeant virtutem imprimendi *inſtrumentaliter* in ſubjecto Characterem à DEO creatum; & ſic de aliis Sacramentis.

QUÆSTIO XL.

Utrùm DEUS potuerit facere aliquam rem, eſſentialiter à ſe differentem, æternam?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, hæc Quæſtio ſonat, utrùm DEUS potuiſſet facere, quòd mundus eſſet æternus? & quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda, probatum eſt in *Quæſtione trigeſima ſecunda & trigeſima quintâ.*

2. Ait Eremita: Raymunde, inter DEUM & creaturam eſt infinita differentia, cùm inter Infinitum & finitum ſit infinita diſtantia, & inter ipſos ſit nulla proportio: & quia iſta differentia eſt per infinitam & finitam magnitudinem, ſic poteſt eſſe per infinitam & finitam durationem *quoad quantitatem,* & non poteſt eſſe per infinitam durationem *quoad tempus,* ſi non poſſet eſſe aliquod ens æternum actu finitum; ſinè quo etiam non poſſet eſſe infinita differentia inter infinitam & finitam magnitudinem: unde dico tibi, Raymunde, quòd DEUS non tantùm poſſet facere mundum æternum, imò dico tibi, quòd de neceſſitate conveniat, quòd mundus ſit æternus, ut ſupradicta infinita differentia habeat ſubjectum quoad infinitam magnitudinem & durationem, ût ſuprà dictum eſt.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, diſtinguendum eſt inter differentiam & differentiam, videlicet inter *realem* differentiam & *intentionalem* differentiam; *realis* differentia eſt, ſicut inter hominem & hominem, & hominem & aſinum, & ſic de ſimilibus; & talis differentia eſt creatura & principium *generale,* per quod creaturæ poſſint differre, & per ſpecificas differentias derivatas à differentia *generali;* ſed *intentionalis* differentia eſt, ſicut inter Infinitum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tum & finitum, nec poteſt eſſe ens reale nec principium generale ; quia ſi eſſet, daretur *tertium*, quod non eſſet DEUS, nec creatura ; quod eſt impoſſibile : ſed DEUS differt à creatura per Diſtinctionem Divinarum Perſonarum, & creatura differt à DEO per differentiam, quam creatura habet in ſe ; & ſic Eremita tua ratio non obſtat : & illa generalis differentia, quam facis, non eſt realis, ſed *intentionalis* & *phantaſtica*, quam intellectus facit.

QUÆSTIO XLI.

Utrùm Ævum ſit Menſura habens partem poſt partem, vel ſit tota ſimul?

SOlutio. Ait Raymundus : *ævum* eſt *una pars temporis remota ab omni motu naturali*, & in ipſo ita ſtat Angelus menſuratus ſinè tempore quoad durationem, ſicut ſtat in loco ſinè menſuratione loci, & occupatione continentis & contenti : & ratio hujus eſt, quia Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis non habens partem poſt partem, ratione cujus non poteſt tranſire in motum ; cùm nulla ſubſtantia poſſit tranſire in motum ſinè quantitate ſuſtentata in ſubjecto habente longum, latum & profundum ; & de hac materia ſufficienter eſt dictum in *vigeſima nona Quæſtione* : unde cùm Angelus non tranſeat in motum, quoad ſe non tranſit in tempus, quod non poteſt eſſe ſinè motu ; ſed tranſit in tempus æviternatum, in quo eſt menſuratus cum *menſura indiviſibili* & *immobili* & *inalterabili* ; & ideo illa menſura eſt ſinè parte poſt partem tota ſimul exiſtens : & illam menſuram vocamus *ævum* vel *æviternitatem*, & Angelus in ipſa exiſtens eſt æviternus.

2. Ait Eremita : Raymunde, Angelus ſe-
a. cundùm hoc, quod dicis, non eſſet mobilis de uno loco in alium ; ſed quia in uno tempore eſt in uno loco, & in alio tempore in alio, convenit, quòd tranſeat in motum ; & ideo ſua menſura habet partem poſt partem, & non eſt tota ſimul.

b. Item dico tibi, quòd ſecundùm tuam rationem DEUS non poſſet annihilare Angelum, poſtquam eſſet poſitus in natura æviternitatis ; quod eſt valde inconveniens, cùm DEUS ſit ita potens in reducendo totum Univerſum creatum ad *non eſſe*, ſicut fuit potens in creando ipſum de *non eſſe* ad *eſſe*.

3. Reſpondit Raymundus : Eremita, qui
a. dicit, quòd aliquid ſit motum de uno loco in alterum, imaginatur, quòd illud ſit motum de uno loco in alium *ſucceſſivè* : unde ſecundùm talem modum non dico, quòd Angelus tranſeat de loco in locum, ſed tranſit *in inſtanti*, cujus tranſitum imaginatio non poteſt imaginari, cùm imaginatio non poſſit imaginari ſinè ſucceſſione, & ſuus tranſitus ita eſt extra motum, ſicut ſua ſubſtantia eſt extra locum *ſinè occupatione* : & ſic tua ratio non valet.

b. Item ad hoc, quod dicis, quòd DEUS non poſſet annihilare Angelum poſitum in æviternitate, malè dicis reſpectu contradictionis, quam contradictionem DEUS non poteſt facere, ſcilicet, quòd Angelus ſit æviternatus & annihilatus ſimul & ſemel ; ſed DEUS bene poſſet annihilare equum Martini, & ſic de aliis corruptibilibus, quæ non ſunt poſita in æviternitate ; ſed illa, quæ ſunt poſita in æviternitate, DEUS non poteſt annihilare, poſtquam vult, quòd ipſa ſint æviterna.

QUÆSTIO XLII.

Utrùm Ævum dicat aliquid abſolutum ultra Æviternum?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : dictum eſt, quòd *ævum* ſit *pars temporis æviternata*, & quòd Angelus ſit æviternus : unde cùm ſint plures Angeli menſurati ſub unica abſoluta æviternitate, *ævum dicit aliquid abſolutum ultra æviternum* ; quod æviternum eſt ita menſuratum ab *ævo abſoluto*, ſicut temporificatum eſt menſuratum à tempore : veruntamen eſt unum aliud ævum, quod non dicit aliquid ultra æviternum ; ſicut ævum beati Michaëlis (& ſic de ævo aliorum Angelorum) qui eſt æviternus per ſuum *ævum ſpecificum* & proprium, ſicut eſſentia Arietis, Saturni & Solis, quæ eſt poſita in æviternitate, cùm ſit incorruptibilis ; quorum quælibet eſſentia habet ſuam propriam durationem.

2. Ait Eremita : Raymunde, ſi ævum eſt abſolutum, & ſub ipſo ſunt plura æva ſpecifica, ſicut tu dicis, ſequitur de neceſſitate, quòd omnia æva ſpecifica ſint de eſſentia

ævi

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ævi absoluti; & per consequens quilibet Angelus est de essentia temporis; quod est impossibile, cùm Angelus sit substantia spiritualis non indigens habere tempus nec motum secundùm suam essentiam & naturam.

3. Respondit Raymundus: in creaturis est duratio *duobus modis*, una est de *essentia subjecti*, alia de *essentia temporis*; sicut duratio Martini, cujus est sic intima pars, sicut sua naturalis bonitas, magnitudo, & sic de aliis principiis illi consubstantialibus, ex quibus est constitutus: & illa duratio est mensurata per *durationem temporalem*, sicut de uno *nunc* in alio, & de pluribus *nunc* in una hora, & de pluribus horis in uno die: unde sicut suprædictæ durationes differunt per essentias, sic de ævo Angelorum, & de duratione, quam quilibet Angelus habet per essentiam; & sic tua ratio non valet.

QUÆSTIO XLIII.

Utrùm sit tantùm unum Ævum numero?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, secundùm quòd diximus in *quadragesima prima & quadragesima secunda Quæstione*, est *unum ævum absolutum* tantùm, sicut est *unum tempus absolutum*, in quo omnia creata sunt principiata & temporificata; & sic de loco, in quo omnia creata sunt collocata; & sic de aliis accidentibus universalibus, quæ fuerunt creata, ut substantiæ cum ipsis possint esse, sinè quibus accidentibus substantiæ non potuerunt creari: & illud ævum dicimus *absolutum*, quod est *unum numero*, sicut est unum tempus universale, & sic de aliis accidentibus generalibus; & illud ævum absolutum est pars temporis æviternata, ût dictum est.

2. Ait Eremita: Raymunde, si est unum ævum tantùm, convenit, quòd habeat unum subjectum substantiale, cùm ævum sit accidens, & accidens non possit esse sinè substantia: unde sequitur, quòd illud subjectum sit Angelus generalis omnibus Angelis; quod est impossibile: ratione cujus impossibilitatis hoc, quod dicis, est falsum & impossibile.

3. Respondit Raymundus: Eremita, non bene intellexisti solutionem *quadragesimæ secundæ Quæstionis*, in qua distinximus *de ævo*, quod est *secundùm tempus*, & *de duratione*, quæ est *de essentia subjecti*; sicut de duratione Martini, quæ est una pars sui corporis, & differt à duratione diei, in qua Martinus est temporificatus: & subjectum generale, quod tu dicis, non est Angelus, cùm Angelus non sit de essentia temporis, sed est substantia mundi, sicut cœlum & quatuor substantiæ mundi, scilicet elementa & elementata, in qua substantia mundi tempus est sustentatum, sicut accidens in suo subjecto: & hoc *generale tempus* est *coëssentialis proprietas* substantiæ mundi; cum qua substantia mundi mensurat, quidquid includitur in ipsa; & hoc duobus modis, ût dictum est, scilicet *quoad tempus*, quod sequitur motum, & *quoad tempus æviternatum*.

QUÆSTIO XLIV.

Utrùm Angelus sit in loco per suam Operationem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Nulla propria qualitas transit extra suum proprium subjectum; sicut caliditas ignîs, quæ est propria qualitas ejus: unde sequitur, quòd, ubicunque est ignis operativus per calorem, ibi sit per suam essentiam & naturam *substantialiter & præsentialiter*; aliàs sua caliditas in uno loco esset calefaciens, in quo ipse non esset præsentialiter; & sic sua caliditas dimitteret suum proprium subjectum, & accidens posset esse sinè proprio subjecto; quod est impossibile: à simili, Eremita, dico tibi, quòd, ubicunque Angelus est operativus, conveniat, quòd Angelus in illo loco sit præsens *essentialiter* vel *substantialiter*; aliàs suæ propriæ qualitates vel potentiæ dimitterent suum proprium subjectum, & accidens esset sinè proprio subjecto; sicut si Romæ ageret, & si sua substantia esset Parisiis; vel si in Martino ageret intrinsecè, & sua substantia esset extra corpus Martini: ergò Angelus est in illo loco, in quo agit, sed *non est collocatus* in illo loco, *nec continet subjectum*, in quo habet operationem, cùm sit substantia spiritualis.

2. Ait Eremita: Raymunde, Sol agit in horto virtualiter & effectivè in calefaciendo, illuminando, & sic de cæteris influentiis superioribus, quæ influuntur ad inferiora,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

riora, licèt Sol non ſit eſſentialiter in horto. Item dico, quòd faber non ſit eſſentialiter in loco clavi, in quem agit cum martello: à ſimili Angelus poſſet eſſe in uno loco, & ſuum agere poſſet eſſe in alio; & maximè, cùm habeat majorem poteſtatem & virtutem, quàm Sol vel quàm faber.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, unum *agere* eſt illud, quod eſt *ſinè medio*, & aliud eſt illud, quod eſt *cum medio*; illud *agere*, quod eſt *ſinè medio*, eſt ſicut manus fabri, quæ immediatè movet martellum, excludo tamen animam fabri; illud *agere* quod eſt *cum medio*, eſt ſicut motus clavi, qui eſt à manu movente martellum; & ſic per talem modum reſpondeo tibi: unde ſicut convenit, quòd manus fabri ſit in loco, in quo eſt manica martelli ratione tactûs immediati, ſic convenit, quòd Angelus ſit in loco, in quo agit, quando immediatè agit in ſubjecto: ſed ſicut Sol, qui agit in horto mediatè dando ſuam ſimilitudinem & virtutem Veneri, & Venus dat illam Mercurio, & Mercurius Lunæ, & Luna elementis, quam ſimilitudinem & virtutem elementa recipiunt ſuperiùs in concavitate Lunæ, & deprimunt ipſam uſque ad hortum ſucceſſivè, ſic Angelus poteſt ſtare cum voluntate fabri in uno loco, & ipſam immediatè movere, ut voluntas moveat manum Martini, & manus martellum, & martellus clavum: & ſic per talem modum concedo tibi, quòd Angelus eſſentialiter per medium poſſit eſſe in uno loco, & ſua operatio in alio.

QUÆSTIO XIV.

Utrùm Angelus ſit compoſitus ex Forma & Materia?

1. SOlutio. Raymundus voluit inveſtigare, utrùm poſſet in Angelo invenire materiam, qui dixit, quòd omne ens habens propriam potentiam vel qualitatem naturaliter magìs appetat agere cum ſua propria qualitate propter ſuam utilitatem, quàm propter alienam; ſicut ignis, qui plùs appetit agere cum caliditate, quæ eſt ſua propria qualitas, propter ſuam utilitatem, quàm propter alienam utilitatem; & propter hoc calefacit aërem & omnia alia calefactibilia, ut poſſit habere *calefacere* in ſua propria materia, quæ eſt fons calefactibilitatis, in qua calefacit omnia calefactibilia vel calefacta, imprimendo in eis characterem calefactibilitatis, per quam ſunt calefacta, vel per quam ſunt in potentia ad calefaciendum: & ſicut ignis, quantum poteſt, appetit multiplicare ſuam ſimilitudinem, quam multiplicat in ſe ipſo per ſuam naturam; & ſic multiplicando ſuam ſimilitudinem ſe multiplicat in bonitate, magnitudine, poteſtate, inſtinctu, appetitu & virtute, cujus multiplicatio eſt acquiſita naturaliter, & per ipſam quieſcit & habet ſuam delectationem.

2. Dum Raymundus ſic conſiderabat de actione & multiplicatione in rebus corporalibus, tranſivit ad conſiderandum in ſubſtantiis ſeparatis, cogitando, an per primam conſiderationem in Angelo poſſet invenire materiam, qui dixit, quòd Angelus naturaliter intelligat, & quòd illi ſit magìs naturale intelligere, quàm igni calefacere, cùm ſit nobilior ſubſtantia per ſuam bonitatem, magnitudinem &c., quàm ignis per ſuam bonitatem, magnitudinem &c.; quod non eſſet, ſi ſuus intellectus non haberet proprium intelligibile ſibi conſubſtantiale, in quo imprimeret intelligibilitates aliorum entium, quæ intelligit, deducendo eorum intelligibilitates de potentia in actum; hoc idem dixit de voluntate & memoria Angeli, ût in *vigeſima nona & trigeſima Quæſtione* ſignificatum eſt.

3. Item dixit, quòd Angelus habeat poteſtatem, quæ illi eſt ita propria conſubſtantialis proprietas vel ſubſtantia, ſicut ſuus intellectus, ſua voluntas & ſua memoria; & hoc requirit ſua naturalis bonitas, magnitudo, duratio, virtus & veritas, ex quibus Angelus eſt conſtitutus, ut non ſint defectivæ ratione parvæ poteſtatis; quæ parva poteſtas eſſet mala contra bonitatem, parva contra magnitudinem & durationem, & eſſet vitium contra virtutem & veritatem, & eſſet pœna contra delectationem; ergò Angelus habet plenam & ita perfectam poteſtatem naturaliter, ſicut habet intellectum, voluntatem & memoriam, ût probatum eſt: unde ſequitur, quòd habeat proprium & conſubſtantiale poſſificabile, in quo imprimit entia poſſibilia, per quæ ſuus intellectus poteſt intelligere, & ſua voluntas velle, & ſua memoria recolere, & ſic de ſua bonitate, magnitudine &c.; per quod ſcilicet conſubſtantiale & intrinſecum poſſificabile ſua bonitas poteſt bonificare, & ſua magnitudo magnificare, (& ſic

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſic de aliis) angelicum *intelligere, amare* & *recolere.*

4. Raymundus adhuc conſideravit, quòd de neceſſitate conveniat ratione magnitudinis Angeli, quòd in ipſo ſit conſubſtantiale magnificabile, per quod Angelus poſſit habere magnum *intelligere, recolere* & *amare;* aliàs magnitudo haberet naturam ſui contrarii, quæ eſt parvitas; & poteſtas eſſet magna per ſuum poſſificabile, & intellectus eſſet magnus per ſuum intelligibile; & ſic de magnitudine voluntatis & memoriæ: unde ſequeretur, quòd eſſet magna quoad alias rationes, & parva quoad ſe ipſam; quod eſt impoſſibile: ergò Angelus habet conſubſtantiale magnificabile per ſuam magnitudinem, & per conſequens bonificabile per ſuam bonitatem, & durabile per ſuam durationem, virtuificabile per ſuam virtutem, verificabile per ſuam veritatem, glorificabile per ſuam gloriam.

5. Raymundus conſideravit inveſtigationem, quam fecit, ut in Angelo poſſet invenire materiam, & dixit: quòd omne-*bile*, quod invenit in primis principiis, ex quibus Angelus eſt conſtitutus, ſicut intelligibile, amabile &c. faciant & conſtituant unam materiam Angeli; & per conſequens, quòd omne-*tivum*, quod eſt coëſſentiale in Angelo, ſicut intellectivum, amativum &c. faciant & conſtituant unam formam Angeli; & quòd omne-*are*, ſicut *intelligere, amare* &c., quæ ſunt ex eſſentia formæ & materiæ, ſint una connexio & unus actus, per quem forma & materia Angeli ſe invicem conjungunt, & conſtituunt & componunt *tertium*, quod eſt ſubſtantia Angeli compoſita & congregata ex ipſis; & ipſe Angelus per ſuam formam in ſua propria materia acquirit extraneas intelligibilitates & alia objectabilia per ſuum actum intrinſecum, ſcilicet *intelligere, amare* & *recolere*, & ipſa accidentaliter induit de ſimilitudinibus ſupervenientibus, ut poſſit habere habitum ſcientiæ & charitatis, & conſervare illos habitus in ſua memoria: & per conſequens ſuum *intelligere, recolere* & *amare* cum prædictis habitibus accidentaliter bonificare, magnificare &c.

6. Ait Eremita: Raymunde, ſi Angelus
a. eſſet compoſitus ex forma & materia, ſequeretur, quòd Angelus eſſet generabilis & corruptibilis, cùm materia dicat generationem & corruptionem; quod eſt impoſſibile, cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis.

b. Item ſi eſſet, ſicut tu dicis, ſicut Angelus intelligit ſe ipſum, ſic bonificaret & magnificaret ſe ipſum: unde ſequeretur, quòd Angelus produceret ſémet ipſum; quod eſt impoſſibile: ergò Angelus non eſt compoſitus ex materia & forma.

7. Dixit Raymundus: Eremita, materia
a. non ſemper dicit generationem & corruptionem, ſicut apparet in Sole, qui eſt compoſitus ex materia & forma, & ſic de cæteris corporibus ſupracœleſtibus.

b. Et quando dicis, quòd Angelus ſic ſe bonificaret, magnificaret &c., ſicut ſe intelligit & amat, verum dicis *ſecundùm accidens*, ſed *non ſecundùm ſubſtantiam*, in quantum bonificat, magnificat &c. ſuum *intelligere, amare* & *recolere* per habitum ſcientiæ & charitatis acquiſitum per ſpecies acquiſitas, ut ſuum *agere* ſit bonum, magnum &c.

QUÆSTIO XLVI.

Utrùm Angelus ſe intelligat per ſuam Eſſentiam, vel per Speciem?

1. SOlutio. Raymundus recoluit *tertiam & quintam Quæſtionem*, in quibus ſolutio hujus Quæſtionis ſignificatur, & dixit, quòd in fruitione Angeli, qui fruitur DEO, DEUS ſe faciat intelligibilem repræſentando ſuam Propriam & Conſubſtantialem Intelligibilitatem Angelo, & hoc immediatè & ſinè aliquo inſtrumento; & Angelus in ſua propria intelligibilitate, de qua in *præcedenti Quæſtione* dictum eſt, attingit DEUM ſinè medio, ut cum ipſo immediatè poſſit participare; & hoc eſt ratione Coëſſentialis Intelligibilitatis DEI, quæ ſe facit intelligibilem in coëſſentiali intelligibilitate Angeli: & ſic Angelus beatus intelligit DEUM per ſuam eſſentiam ſinè ſpecie, ſcilicet per ſuam formam & materiam, ex quibus eſt conſtitutus, ût in *præcedenti Quæſtione* probatum eſt.

2. Dum Raymundus ſic conſideravit, videlicet, quòd Angelus attingat Eſſentiam DEI per ſuam Eſſentiam ſinè ſpecie, dixit, quòd, ſi Angelus ſémet ipſum intelligeret per eſſentiam ſinè ſpecie, non haberet altiorem modum fruendi DEO, quàm in intelligendo ſe ipſum; & frueretur ſe ipſo intelligendo & diligendo; & eſſet ſimilis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

malo Angelo, qui appetit frui ſe ipſo, ratione cujus appetitûs cecidit & eſt perverſus; & ſic Angelus bonus eſſet beatus & non beatus; quod eſt contradictio: ergò *Angelus non intelligit ſémet ipſum per eſſentiam ſinè ſpecie, ſed cum ſpecie tanquam cum inſtrumento intelligit ſémet ipſum*, intelligendo cum ſua intellectivitate ſémet ipſum in ſua propria intelligibilitate, deducendo ſuas ſpecies innatas & alias, quas appetit acquirere, & facit ipſas intelligibiles in ſuo proprio intelligibili, in quo illi relucent & apparent ſua eſſentia & natura & ſuæ partes conſubſtantiales, & per conſequens actus earum, ſcilicet *intelligere, amare & recolere;* & hoc ſecundùm modum, quem diximus in *prædicta Quæſtione.*

3. Ait Eremita: Raymunde, intellectus non poteſt intelligere per ſpeciem ſinè abſentia objecti; & quia Angelus ſemper eſt objectum præſens ſuæ intellectivitati, cùm per ſe intelligat, & non ſit conjunctus cum alia eſſentia, quæ ipſum poſſet impedire, de neceſſitate ſequitur, quòd Angelus per ſuam eſſentiam intelligat ſémet ipſum.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, vade ad prædictam Quæſtionem, in qua tua objectio eſt ſoluta. Et quando dicis, quòd Angelus ſemper objectet ſémet ipſum, verum dicis, quòd objectet ſémet ipſum cum ſuis propriis ſpeciebus innatis, ût in *ſupradicta Quæſtione* dictum eſt, & ſinè adjutorio ſenſitivi & imaginativi; cum quo adjutorio intellectus conjunctus per ſpeciem attingit in abſentia objecti.

QUÆSTIO XLVII.

Utrùm in Actu intelligendi Hominis requiratur Species propter Potentialitatem Intellectûs, vel propter Abſentiam Objecti?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: eſſentia requirit *eſſe*, & *eſſe* eſſentiæ requirit *agere;* ſicut igneitas requirit, quòd ignis ſit, & ignis requirit ignire, calefacere & lucere; & ſicut humanitas requirit, quòd ſit homo, & homo requirit homificare, intelligere & amare, videre, comedere &c.: per hæc prædicta cogitavit Raymundus inveſtigare ſolutionem hujus Quæſtionis, & incepit à voluntate hominis dicens: eſſentia voluntatis requirit amatum, ſcilicet hominem, in quo ſit ſecundùm quid *eſſe* voluntatis: & ſic homo per voluntatem requirit *amare* & amatum, & hoc per *potentialem voluntatem*, cum qua homo eſt amans, ſinè qua homo non poſſet requirere *amare* nec amatum vel amabilem: & quia amans ſe non poſſet habere ad ſuum proprium objectum per *amare* ſinè inſtrumento, ût in *quadrageſima quinta Quæſtione* ſignificatum eſt, appetit inſtrumentum vel inſtrumenta, ſicut bonum objectum, cum quo ratione finîs illi ſit bonum *amare:* etiam requirit, quòd objectum ſit magnum bonum per durationem, poteſtatem, ſapientiam, virtutem, veritatem, gloriam vel delectationem, ut in ſuo *agere* poſſit habere bonum magnum &c. *amare* & amatum; quod *amare principaliter* eſt ſuus *finis*, cùm ſit de genere amoris; ſed bonum magnum &c. non, imò *per accidens* appetit prædicta objecta, ut ſuum amatum quoad bonum magnum &c. ſit dilectum; & ſic de ſuo *amare*, & etiam de amante, ut ſit amans quoad bonum magnum: ſed quia amans hoc non poteſt facere ſinè ſubjecto extraneo, ex quo in abſentia objecti deducat ſpeciem de ſenſitivo in imaginativum, & de imaginativo in ſuum proprium amabile, ût in *quadrageſima quinta Quæſtione* ſignificatum eſt, requirit ipſam ſpeciem propter abſentiam objecti, ſed non principaliter; cùm illud objectum non ſit de genere amoris, ſicut mulier, filius, vinum, aurum &c., ſed *principaliter* appetit ſpeciem propter ſuum *amare* & ſuum amatum, quæ ſunt de ſuo genere, ût dictum eſt: unde cùm hoc ita ſit, ſecundùm quòd dictum eſt de voluntate, metaphoricè declaratum eſt, quòd in actu intelligendi hominis primò & *principaliter* requiratur ſpecies propter *potentialitatem* intellectûs, & *ſecundariò* propter *abſentiam objecti;* aliàs *eſſe* unius eſſentiæ antè naturaliter appeteret plùs agere propter *eſſe* alterius eſſentiæ, quàm propter ſémet ipſum; quod eſt impoſſibile.

2. Ait Eremita: Raymunde, in actu intelligendi requiritur ſpecies propter abſentiam objecti, ut ipſa ſpecies informet potentiam ad intelligendum, cùm intellectus non poſſit intelligere ſinè ſpecie; aliàs ſi requirerentur ſpecies propter potentialitatem intellectûs, & non propter abſentiam objecti, in quocunque inſtanti, in quo intellectus appeteret, intelligeret & attinge-

ret

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ret objecta; & ſic non eſſet inveſtigativus, nec diſcurſivus, nec poſſet ignorare; quod eſt impoſſibile.

3. Ait Raymundus: Eremita, non bene intellexiſti antedictam ſolutionem, in qua tua objectio eſt ſoluta: & nunquid tu ſcis, quòd homo priùs ſe habeat ad appetendum vivere, quàm comedere, & ad comedendum, quàm ad faciendum panem, ita à ſimili potentia priùs ſe habet ad *objectum propinquum*, quàm *ad remotum*; ſed quia ſe non poſſet habere ad propinquum ſinè remoto, appetit ſimilitudinem objecti remoti, ut intra ſe habeat actum & ſuum proprium objectum, quod eſt *ſuus ultimus finis*, & in ipſo quieſcit, ſicut ferrum in magnete.

QUÆSTIO XLVIII.

Utrùm Natura Humana in Chriſto ſit Nobilior quàm natura angelica, ſecundùm quòd conſideratur in puris naturalibus?

1. SOlutio. Ait Raymundus: convenit, quòd illa natura, quæ eſt nobilior, ſit nobilior per majorem magnitudinem bonitatis, ſapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis & gloriæ, ſinè quarum majore magnitudine nulla natura poſſet eſſe major, quàm alia: unde ſicut Divina Voluntas plùs diligit Naturam Humanam Chriſti, quàm naturam Angeli, ſic convenit, quòd Divina Magnitudo plùs magnificet Humanam Naturam Chriſti, quàm naturam Angeli; aliàs Divina Magnitudo deficeret majori Amabilitati Naturæ Humanæ Chriſti; & *non* Divina Voluntas, & Divina Magnitudo plùs participaret in magnificando cum natura Angeli, quàm cum Natura Humana Chriſti; & ſic inter Divinam Voluntatem & Magnitudinem eſſet alteratio & contrarietas propter Naturam Humanam Chriſti & propter naturam Angeli, quod eſt impoſſibile; cùm omnia Divina Attributa æqualiter habuerint & habeant concordantiam in Incarnatione Filii DEI ſinè omni contrarietate: unde ſequitur, quòd, ſicut DEUS magìs diligit Naturam, quam aſſumpſit, quàm illam, quam non aſſumpſit, & etiam quàm omnes naturas creatas, ſic ipſam magìs magnificaverit & exaltaverit per Magnitudinem, & per conſequens per Bonitatem, Poteſtatem, Sapientiam, Virtutem &c.: ergò concluditur, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

2. Ait Eremita: Raymunde, natura An-
a. geli eſt incorruptibilis & immortalis, & non indiget aliquo extra ſe ad vivendum; ſed natura hominis eſt corruptibilis & mortalis, nec homo poteſt vivere ſinè cibo & potu &c.

b. Item Angelus non eſt, ut ex ipſo fiat aliud tertium, cùm non ſit, niſi ex una natura, & per ſe ſit perſona; ſed in homine ſunt plures naturæ, ſicut Anima, quæ per ſe non eſt perſona, & ſic de corpore, quarum nulla eſt, ut ipſa ſit, ſed eſt, ut ſit homo.

c. Item Angelus non eſt impeditus ad intelligendum, recolendum & amandum, ſed totus intelligit, recolit & amat, & nihil de ipſo deducitur de potentia in actum, ſed in homine eſt per oppoſitum: unde cùm Chriſtus ſit Homo, ſequitur, quòd natura Angeli ſit nobilior, quàm Natura Humana Chriſti.

3. Ait Raymundus: Eremita, malè facis,
a. quòd non diſtinguas inter Naturam Humanam Chriſti & naturam aliorum hominum; cùm natura aliorum hominum ſit mortalis & impedita ad intelligendum, ſicut tu dicis, propter peccatum Primorum Parentum; ſed Humanitas Chriſti in inſtanti, in quo à DEO fuit aſſumpta & producta Natura, fuit innocens & ſeparata ab omni peccato originali & actuali; & ideo non fuit corruptibilis nec impedita ad intelligendum &c.; cùm corruptio, mortalitas & impedimentum in homine ſint propter peccatum originale: veruntamen Chriſtus, in quantum Homo, fuit *mortalis*, ſed *non naturaliter*, ſed *per accidens* ratione finîs, ſcilicet ad honorandum Divinam Naturam, quæ ipſum tantum exaltavit, & ad recreandum humanum genus: ſicut homo ſanus, dum eſt ſanus, non eſt mortalis naturaliter, ſed eſt mortalis per accidens, quando alius homo ipſum vulnerat & interficit.

b. Et quando dicis, quòd Angelus ſit nobilior, quàm humana natura, cùm non habeat, niſi unam naturam, & ipſe ſit, ut ipſe per ſe ſit perſona, ſed Anima hominis non, & ſic de corpore, verum dicis; ſed *naturaliter* in Chriſto non fuit ſic, ſed ſua Anima & ſuum Corpus fuerunt, ut DEUS eſſet Homo, qui eſt Perſona: & per hunc modum Natura Humana Chriſti fuit exaltata ſuper omnes alias creaturas & naturas creatas,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tas, & in Divina Natura fuit ſuſtentata & aſſumpta; & ſic tua ratio non valet.

c. Item dico tibi, quòd in quolibet homine, ſuppoſito, quòd nec peccatum originale nec actuale eſſet in ipſo, natura humana haberet avantagium ſuper naturam angelicam quoad Animam; cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, & ex ſimilibus principiis, ex quibus eſt Angelus, videlicet ex ſubſtantiali bonitate, magnitudine &c.: unde ſequitur, quòd humana natura Animæ ſit ita intenſa in ſpiritualitate, ſicut natura Angeli, & ſit magìs extenſa per conjunctum, ſcilicet per corpus humanum, cum quo naturaliter participat, & ipſum informat & perficit; & corpus eſt ſuum naturale inſtrumentum, & movet ipſum augmentando & alterando de uno *ubi* in aliud: movet etiam potentiam imaginativam ad imaginandum, ſenſitivam ad ſentiendum, vegetativam ad vegetandum, & elementativam ad elementandum; & hoc naturaliter: & ideo natura hominis eſt magìs extenſa, quàm natura Angeli, qui extra ſe nihil agit naturaliter: unde cùm natura plùs dicat in uno ſubjecto per intenſum & extenſum, quàm per intenſum tantùm, ſecundùm prædictum modum eſt poſſibile, quòd *humana natura in aliquibus hominibus quoad ſe remota à peccato originali poſſit eſſe nobilior, quàm natura Angeli.*

QUÆSTIO XLIX.

Utrùm malus Angelus poſſit pœnitere?

1. SOlutio. Raymundus voluit inveſtigare ſolutionem hujus Quæſtionis per ſenſitivum, imaginativum & rationativum & Angelum malignum, dicens: guſtativus in ſuo proprio guſtabili attingit ſaporem pomi, & ſic de ſimilibus; & attingit ſaporem pomi dulcem, quando organum eſt ſanum; ſed ſi ſanitas recedit ab organo, & ſupervenit infirmitas, ſentit ſaporem pomi, quod eſt dulce, amarum: & ideo eſt ligatus per infirmitatem organi, quod de ſapore pomi facit falſum judicium, in quantum illi videtur, quòd hoc, quod eſt dulce, ſit amarum: unde de neceſſitate ſequitur, quòd, antequam poſſit facere verum judicium, infirmitas organi recedat, & quòd ſanitas organi, quæ eſt abſens, redeat. In *tertia Quæſtione* ſignificata eſt ſolutio Quæſtionis metaphoricè; ſic: homo exiſtens in peccato mortali habet infirmitatem in ſuo proprio intelligibili & amabili; unde ſequitur, quòd, quidquid intellectivus deducit in ſuum proprium intelligibile de intelligibili remoto, ſit perverſum in ipſo intelligibili, hoc eſt, recipiat characterem in contrarium; ſicut ſapor pomi, quod eſt dulce, in guſtabili infirmo; & hoc idem eſt ſuo modo de amativo, qui in ſuo proprio amabili infirmo pervertit objecta in contrarium: & hoc eſt propter peccatum, per quod ſua creata objecta ſunt deviata à fine illius peccatoris, à quo gratia DEI eſt abſentata propter peccatum; unde ſicut homo non poſſet generare filium, nec planta plantam in abſentia influentiæ corporum cœleſtium, ſic & multò magìs peccator non poteſt ſe facere juſtum cum ſuo infirmo intelligibili & amabili, niſi gratia DEI ſuperveniat, & niſi DEUS ſit coadjutor; quia nemo poteſt facere bonum ſinè gratia DEI, nec DEUS poteſt juvare peccatorem, dum ſuum intelligibile & amabile ſunt infirma: & hoc eſt, quia DEUS per ſuam Bonitatem & Virtutem non poteſt participare cum malitia & vitio, nec DEUS poteſt agere contra ſuam Juſtitiam.

2. Dum Raymundus ſic conſiderabat, valde fuit miratus de magna ligatione peccatoris & abſentiâ gratiæ DEI: item fuit miratus de peccatore, qui habet libertatem pœnitendi, & tunc dixit: quòd peccator habeat libertatem intelligendi ſuum peccatum, & diligendi pœnitentiam & Divinam Miſericordiam; ſed dæmon non habet libertatem odiendi ſuum peccatum, nec etiam diligendi DEUM, quia eſt ligatus: & quòd hoc ſit verum, quilibet peccator, ſi ſubtiliter voluerit conſiderare, poteſt experiri in ſe; veruntamen ſi peccator multùm multiplicat ſuum intelligere in objectando DEUM & ſua Attributa, & vilitatem peccati, culpam & pœnam infernalem & cœleſtem gloriam, & multùm diligit agere pœnitentiam de commiſſis, tunc ſe diſponit ad habendam contritionem & pœnitentiam, & tunc venit gratia DEI cum Miſericordia & Juſtitia, quæ de proprio amabili peccatoris ſic removent characterem peccati, per quem eſt amatum, ſicut guſtativus removet amaritudinem pomi de ſuo guſtabili per ſanitatem organi, quæ evenit; & tunc peccatum, quod antea erat dilectum, eſt oditum, & homo eſt curatus.

Ray-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

3. Raymundus ſic conſiderando, quomodo peccator habeat libertatem pœnitendi, & per quem modum exeat è carcere peccati, voluit ſolutionem Quæſtionis inveſtigare, Raymundus recoluit *quadrageſimam quintam & quadrageſimam ſextam Quæſtionem*, ut per illas quæſtiones poſſet habere adjutorium ad attingendam veritatem quæſtionis, & dixit: quando DEUS creavit Angelum, qui poſtea fuit malus, ipſum principaliter creavit, ut Angelus ipſo frueretur ſecundùm modum, qui dictus eſt in *tertia Quæſtione;* & Angelus, quando fuit creatus, incepit & voluit frui ſe ipſo: & tunc ſuum proprium intelligibile & amabile fuerunt infirma & deviata à fine; & quia Angelus non poteſt intelligere nec amare DEUM *mediante ſpecie*, nec DEUS poteſt ipſum dirigere neque eum juvare cum *ſpecie*, cùm malus Angelus habeat perverſum intelligere & amare, eſt ligatus & incarceratus in peccato, ratione cujus non habet libertatem ad pœnitendum: quia quidquid deducit in ſuo proprio & naturali amabili, objectat per odibilitatem, malitiam & vitium & contra finem omnium entium amabilium, ratione cujus eſt ita obſtinatus, ſicut guſtus infirmus per infirmitatem organi: ſed ſi Angelus malus poſſet multiplicare ſpeciem, ſicut homo peccator, ût ſuprà dictum eſt, & ipſam ponere inter DEUM verum & ſe ipſum, tunc poſſet pœnitere ſecundùm modum, qui ſuprà dictus eſt de homine.

4. Ait Eremita: Raymunde, angelus malus per Attributa DEI intelligit DEUM bonum, magnum, æternum &c., aliàs non poſſet ipſum intelligere ſinè Attributis; & quia intelligit DEUM, poteſt ipſum intelligere: ergò angelus malus habet actum poteſtatis in intelligendo DEUM, ſinè quo ipſum non poſſet intelligere: & quia ſua poteſtas æqualiter ſe communicat ſuo intellectui & voluntati, ſequitur, quòd, ſicut DEUM poteſt intelligere per poteſtatem, ſic DEUM poſſit diligere per voluntatem; & ideo ſi poteſt diligere DEUM, ſequitur de neceſſitate, quòd poſſit pœnitere; aliàs ſua poteſtas eſſet ligata à parte voluntatis, & non à parte intellectûs; quod eſt impoſſibile, ſcilicet quòd eadem potentia ſit ſecundùm quid ligata, & non ſimpliciter.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, eſt impoſſibile, quòd ſit intelligibile, quòd hoc ſit poſſibile, quod eſt impoſſibile; ſed ratione voluntatis non eſt ſic, cùm ſit poſſibile, quòd hoc, quod eſt amabile, ſit odibile, & è converſo; & hæc poſſibilitas eſt per libertatem voluntatis, quæ ſe poteſt habere ad utrumque: ſed libertas intellectûs non eſt per talem modum; quia ſi eſſet, ſuus appetitus non eſſet de rebus veris: unde quando Angelus fuit creatus, non fuit ei poſſibile intelligere, quòd poſſit ſe ipſo frui, ſed fuit ei poſſibile diligere, quòd ſe ipſo fruatur: & ſic tunc incepit appetitus infirmari per non licitum diligere, & per conſequens ſuum proprium conſubſtantiale amabile, in quo angelus malus infirmavit ſuum intelligere & ſuum amare, & ſic de omnibus ſuis conſubſtantialibus partibus, ſicut actum ſuæ naturalis bonitatis, qui fuit perverſus in malitiam: unde ſicut omnes partes corporis ſunt infirmæ per dolorem vel per vulnus corporis, ſic intellectus & aliæ rationes fuerunt infirmatæ & perverſæ in læſione ſuæ voluntatis; & licèt ſuus intellectus intelligat DEUM bonum, magnum &c., tamen ſua voluntas odit, quidquid intellectus intelligit de DEO: & ſic tua ratio non valet.

QUÆSTIO L.

Utrùm Angeli poſſint inducere veras formas?

1. SOlutio. Ait Raymundus: probatum eſt in *trigeſima nona Queſtione*, quòd ſoli DEO conveniat creare; & ideo Angelus non poteſt inducere veras formas: item ſoli agenti naturali convenit naturare & producere naturatum; Angelus ſecundùm ſuam naturam non appetit naturare nec producere ſubſtantiam naturatam, cùm illi non ſit proprium generare aliquid de ſe ipſo, & hoc ideo, quia non requirit multiplicare ſuam ſpeciem, cùm ſua ſubſtantia ſit indiviſibilis & incorruptibilis: ergò Angelus non poteſt inducere veras formas in ſubſtantiam ſpiritualem, cùm ſubſtantia non poſſit habere veras formas, niſi per modum naturalem, quæ ſint de materia naturalis agentis & patientis; nec poteſt inducere veras formas in generabilia & corruptibilia, quæ indigent habere agentem naturalem, & ſubjectum, ex quibus ſint, & per quos in propria ſpecie ponantur; ſicut homo filius, qui eſt de patre & matre, qui per ipſos eſt poſitus in humana ſpecie, & ſic de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de ſimilibus: hoc Angelus non poteſt facere, cùm natura formaliter & materialiter requirat habere naturale principium, medium & finem, & non poſſit ſuſtinere vacuitatem, quam ſuſtineret, ſi Angelus poſſet inducere veras formas; quia illud naturatum productum de veris formis conſtitutum à parte antè vel à parte principii non haberet parentes, neque eſſet de aliquo naturaliter, ſed artificialiter eſſet naturatum; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda.

2. Ait Eremita: Raymunde, manifeſtum
a. eſt, quòd Angelus ſit potentius & nobilius agens, quàm agentia inferiora: unde ſi asinus, ſerpens, planta, & ſic de ſimilibus, inducunt veras formas, quantò magìs Angelus poteſt inducere veras formas.

b. Et quando dicis, quòd productum naturatum & ſubſtantiatum neceſſariò indigeat habere agentem naturalem, de quo ſit, non ſequitur in omnibus, ſicut in muribus & locuſtis, qui fiunt per putrefactionem & corruptionem, qui non habent patrem nec matrem, de quibus ſint, & tamen habent veras formas: unde ſi prædictæ formæ veniunt per putrefactionem & corruptionem, & ſunt poſitæ in naturis & in ſpeciebus, quantò magìs poſſunt evenire per Angelum.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, licèt
a. Angeli ſint potentiores & nobiliores ſubſtantiæ, quàm inferiores, non tamen ſequitur, quòd poſſint agere in hoc, quod eis non eſt proprium; quod proprium agere ſpectat ad ſubſtantias inferiores: ſicut homo, qui, licèt ſit nobilior ſubſtantia, quàm planta, ſerpens & ſic de aliis, non tamen ſequitur, quòd, ſi planta poteſt generare plantam, homo ipſam poſſit generare.

b. Et quando dicis, quòd Angelus poſſit inducere formas in animalia, quæ fiunt per corruptionem, intendis dicere, quòd ſint coadjutores, & bene dicis, quia ſic poſſunt præparare materiam, ex qua ſunt, ſicut medicus, qui præparat medicinam, ut infirmus ſit ſanus; tamen licèt aliqui vermes & locuſtæ ſint per corruptionem, naturaliter fiunt, & habent principia naturalia, ſicut corpora ſupracœleſtia, & fiunt ex corruptione aëris, in quo eſt materia ſuarum præcedentium ſpecierum: ergò Angeli non poſſunt inducere veras formas.

QUÆSTIO LI.

Utrùm Angelus per ſolam Potentiam Intellectivam & Volitivam moveat Corpus?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: quòd de neceſſitate conveniat, quòd in omni triangulo unus angulus participet cum alio: cùm triangulus ſit ex tribus lineis & ex tribus angulis; poſtquam Raymundus dixit de triangulo figurato & lineato, dixit, quòd in triangulo, qui eſt de igne, aëre & terra, unus angulus participet cum alio; ſicut angulus, qui eſt de igne, participat per calidum & ſiccum cum angulo aëris; & angulus, qui eſt de aëre, participat cum angulo terræ per calidum & humidum; & angulus terræ participat cum angulo ignîs per ſiccum & frigidum: poſtmodum transivit ad triangulum de rationativo, ſenſitivo & imaginativo; & de hinc tranſivit ad triangulum, qui eſt de intellectivo, volitivo & recolitivo; & poſtmodum ad triangulum, qui eſt de DEO, Angelo & Corpore. Dum ſic conſiderabat ipſos triangulos, dixit, quòd DEUS moveat Angelum, ut Angelus moveat ſe ipſum ad bonum, magnum &c. recolere, intelligere & amare; & DEUS movet rationativum, ut rationativum in conjuncto moveat imaginativum & ſenſitivum, & moveat imaginativum cum ſenſitivo, & ſenſitivum cum imaginativo, & cum ipſis moveat ſémet ipſum ad bonum, magnum &c. recolere, intelligere & amare: ſimili modo eſt de triangulo, qui eſt de igne, aëre & terra, & ſic de aliis tribus triangulis, ex quibus corpus elementatum eſt lineatum & compoſitum, ſicut triangulus de aëre, igne & aqua; & triangulus de aqua, aëre & terra; & triangulus de terra, igne & aqua, DEO movente aërem cum igne, ut ignis ſe moveat ad calefaciendum aërem, & ut ignis moveat aërem ad calefaciendam aquam circulariter.

2. Dum Raymundus ſic conſideravit, quòd DEUS ſit Primus Motor movens unum immediatè, & mediatè unum cum alio, ût dictum eſt, dixit, quòd DEUS moveat Angelum, ut Angelus moveat Corpus, ut DEUS moveat Corpus cum Angelo; aliàs DEUS non comprehenderet omnes modos movendi, quod eſt impoſſibile; cùm DEUS ſit Supremus Motor & perfectus in omnibus motibus: ergò DEUS movet Cor-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Corpus cum Angelo; unde ſequitur, quòd Angelus moveat Corpus cum DEO: ſicut manus, quæ movet martellum cum voluntate, & martellus clavum cum manu, & in triangulo unus angulus movet alium cum alio, ut ſubjectum ſit plenum & circulatum: & ideo Eremita, dixit Raymundus, *Angelus non tantùm movet corpus cum potentia intellectiva & volitiva, ſed movet ipſum cum DEO*, ût ſuprà probatum eſt.

3. Item Raymundus conſideravit alium triangulum, qui eſt de poteſtate, intellectu & voluntate, qui triangulus eſt in Angelo, & quilibet angulus participat cum alio; ſicut intellectus, qui intelligit poteſtatem & voluntatem, & voluntas diligit intellectum & poteſtatem, & poteſtas communicat ſe intellectui, ut poſſit intelligere, & voluntati, ut poſſit diligere: unde ſequitur, quòd, quando Angelus movet Corpus, movet ipſum per poteſtatem, ut poteſtas ita propriè habeat *poſſe* ad movendum Corpus, ſicut intellectus ad intelligendum illum motum & finem ipſius motûs, & voluntas ad diligendum illum motum & finem ipſius motûs corporis; aliàs intellectus & voluntas poſſent movere corpus ſinè *poſſe*; quod eſt impoſſibile: & ideo, Eremita, ſequitur, quòd *Angelus non tantùm moveat Corpus cum intellectu & voluntate, ſed cum poteſtate, & etiam cum ſine, bonitate, magnitudine & virtute.*

4. Ait Eremita: Raymunde, antiqui Philoſophi dicunt, quòd Angelus moveat cœlum per potentiam intellectivam & volitivam *tantùm*, nec indigeat habere aliam potentiam; quia ſufficit, quòd per intellectum objectet corpus, & quòd per voluntatem illi præcipiat, ut moveatur: hoc concedo, ſcilicet, quòd ambæ potentiæ ſint motæ à DEO in movendo corpus; & ſic de poteſtate Angeli, & etiam de ſua bonitate, magnitudine &c., quæ ſunt coadjutores; ſed quæſtio dicit *principaliter*, quòd potentia intellectiva & volitiva *tantùm* moveant Corpus, vel primum mobile & aliqua alia in inferioribus; & hoc eſt neceſſarium, poſtquam per ſe ſufficiunt ad eſſendum *principales* motui Corporis, cùm natura non requirat vacuum nec ſuperfluitatem, ſecundùm primam ordinationem, quæ eſt inter Primam Cauſam & effectum.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, non eſt comparatio inter motorem, qui movet immediatè, & motorem, qui movet mediatè, qui motus eſt ab alio; & quia DEUS movet immediatè, eſt magìs *principalis* motor in movendo Corpus, quàm Angelus, cùm DEUS immediatè moveat Angelum, & mediatè moveat Corpus, ut cum Angelo moveat Corpus: unde ſequitur, quòd Angelus *principaliùs* moveat per DEUM, quàm per ſémet ipſum vel quàm per ſuas partes, cùm ſimpliciter ſit motus à DEO, ût ſuprà dictum eſt.

6. Et quando dicis, quòd potentia intellectiva & volitiva ſint *principaliores* ad movendum Corpus, quàm poteſtas Angeli, non bene recolis hoc, quod ſuprà dictum eſt: imò dico tibi, quòd, ſi ſubtiliter conſideretur, magìs propriè conveniat poteſtati movere Corpus, ut ſuus motus ſit poſſibilis per angelicam poteſtatem, quàm per intellectivitatem & volitivitatem Angeli: ergò Angelus non movet corpus per ſolam potentiam intellectivam & volitivam.

QUÆSTIO LII.

Utrùm Angeli receperint Gratiam & Gloriam ſecundùm Capacitatem naturalium?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, in *tertia, quarta* & in *ſexta Quæſtione* ſignificatur ſolutio Quæſtionis; cùm DEUS ſit magìs intelligibilis & amabilis, quàm Angelus ſit intellectivus & amativus: unde ſicut magnes per majorem virtutem ad ſe attrahit ferrum, quod habet minorem virtutem, ſic à ſimili Summa Intelligibilitas & Amabilitas DEI implent & attrahunt intellectivitatem & amativitatem Angeli gratiâ & gloriâ, quæ gratia & gloria ſic & multò plùs faciunt redundare gloriam & gratiam ſupra capacitatem naturalem intellectivitatis & amativitatis Angeli, quàm *flamma ferrum multùm ignitum*; & hoc influendo & refluendo, ut DEUS, quoad ſe magìs ſatisfaciat intellectui & voluntati de gratia & de gloria, quàm Angelus poſſit recipere, cùm DEO conveniat plus dare, quàm Angelus poſſit recipere ſecundùm ſuam naturam.

2. Item, ſicut Angelus intelligit, quòd debeat intelligere, quòd DEUS ſit magìs bonus, magnus &c., quàm poſſit intelligere, & ſicut Angelus magìs diligit DEUM, quàm ſémet ipſum, ſic DEUS ſecundùm prædictum *majus* magìs debet ſatisfacere de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de gratia & gloria, quàm Angelus naturaliter poſſit recipere; aliàs DEUS non eſſet juſtus nec liberalis erga Angelum; cùm Angelus ſuprà ſe fruatur DEO, & illam fruitionem, quam habet ſuprà ſe, DEUS non impleret gratiâ & gloriâ; quod eſt impoſſibile: ergò *Angeli recipiunt gratiam & gloriam ſupra capacitatem naturalium.*

3. Ait Eremita: non eſt intelligibile, quòd in aliquam ſubſtantiam poſſit intrare plus gratiæ & gloriæ, quàm ipſa poſſit continere; ſicut patet in amphora plena vino, quæ non poteſt plus recipere: unde ſequitur, quòd tua verba non ſint vera.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, tu dicis verum, in quantum ſimpliciter ſic conſideras gratiam & gloriam contentam ſicut vinum in amphora; ſed per talem modum non dico, ſed dico ſecundùm exemplum, quod dedi de *ferro multùm ignito*, in quo una eadem flamma eſt per totam ſubſtantiam ipſius & extra.

QUÆSTIO LIII.

Utrùm dato quocunque Angelo DEUS ſemper poſſit facere nobiliorem, ita, quòd ſemper ſit aſcendere ſuperiùs in infinitum in Perfectionibus?

1. SOlutio. Ait Raymundus: perfectio Angeli eſt, quòd ſit perfectus per eſſentiam & naturam, & per magnam bonitatem, durationem, poteſtatem, ſapientiam, voluntatem, finem & gloriam, aliàs non poſſet eſſe perfectus: unde ſuppono, quòd Angelus ſit ita perfectus, ût diximus, & quòd vocetur A., Sapientia DEI, quæ eſt infinita, bene poteſt ſcire unum alium Angelum in duplo perfectiorem, qui vocetur B., & poteſt ſcire alium, qui ſit nobilior in quadruplo, qui vocetur C., & poteſt ſcire alium, qui ſit nobilior in octuplo, & ſic multiplicando uſque ad Y. Z., & per conſequens uſque ad Lunam & ad Mercurium, & ſic aſcendendo per omnes ſtellas Cœli, & per omnes guttas aquæ maris, & ſic de omnibus partibus Univerſi & ultrà; ſed poteſtas DEI bene poteſt multiplicare Angelum *intra Univerſum*, ſed *non ultrà*; cùm conveniat, quòd Angelus ſit pars Univerſi ratione novi principii & loci, magnitudinis & durationis; ſed quia Poteſtas DEI tantum poteſt, quantum Sapientia poteſt ſcire, cùm ſit Una Infinita Magnitudo; Poteſtas, quæ non poteſt multiplicare Angelum in nobilitate eſſentiæ & naturæ bonitatis, magnitudinis &c., non deficit *quoad ſe*, ſed deficit *quoad ſubjectum multiplicationis*: ſicut, ſuppoſito, quòd ignis haberet intellectum, bene poſſet ſecundùm ſuam virtutem conſiderare, quòd ipſe poſſet comburere plura ligna, & ex ipſis multiplicare flammam, quàm aliquid ei de lignis ſufficere, ſuppoſito, quòd non eſſet impeditus quoad ſubjectum & locum ejus: unde cùm hoc ita ſit, ſecundùm quòd ſuprà dictum eſt, & ſecundùm metaphoram datam de igne, dico tibi, Eremita, quòd DEUS non poſſit multiplicare nobilitatem & ſpeciem unius Angeli ſuper alium in infinitum.

2. Item dico, quòd, ſicut eſt impoſſibile diminuere & *dividere* Ens in infinitum, ita ſit impoſſibile finitum *multiplicare* & *infinire* in infinitum; quia ſicut eſt inconveniens & impoſſibile, quòd capra homificetur in fœmina, & fœmina caprificetur in capra, ſic & multò magis eſt impoſſibile, quòd aliquod ens finitum poſſit eſſe infinitatum & infinibile, cui proprium eſt, quòd in ipſo Infinitatus ſit Filius DEI & Generatus, quem DEUS Pater ita facit Infinitum per Generationem, ſicut per Magnitudinem & Æternitatem; & ſic ſuo modo de Sancto Spiritu: qui Filius DEI, qui eſt Summus in Nobilitate Bonitatis, Magnitudinis &c., non poſſet ſuſtinere, quòd aliquod ens novum eſſet deductum & multiplicatum in infinita nobilitate; quia Filius DEI jam non eſſet Summus omnibus modis, & ſic de Sancto Spiritu; quod eſt impoſſibile: ergò *DEVS non poteſt multiplicare nobilitatem & ſpeciem unius Angeli ſuper alium in infinitum*, & vade ad *trigeſimam quintam Quæſtionem*.

3. Ait Eremita: DEUS habet Infinitam Virtutem & Voluntatem, quæ ſunt idem cum ſua Poteſtate; & quia Divina Voluntas poteſt infinitè velle exaltationem nobilitatis alicujus Angeli, Poteſtas poteſt ſic perficere, ſicut Voluntas poteſt velle, & ſic de Virtute: unde ſequitur, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, tua objectio eſt ſoluta in hoc, quod ſuprà dictum eſt; & non tantùm hæc objectio, quam facis, imò omnes objectiones, quas poſſes facere.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LIV.

Utrùm unus Angelus poſſit loqui cum altero, & per quem modum?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, in *quinquageſima prima Quæſtione* dictum eſt de triangulo, & adhuc propono dicere, licèt per hoc, quod ſuprà diximus in *dicta Quæſtione*, ſignificetur ſolutio hujus Quæſtionis: ſicut in triangulo unus angulus participat cum alio, ſic in Viſione DEI beatus Michaël & beatus Gabriel participant; & per illam participationem beatus Michaël & beatus Gabriel, & ſic de aliis Angelis, ſe invicem intelligunt & diligunt, aliàs eorum Viſio, quam habent in DEO intelligendo & diligendo, non eſſet perfecta, cùm perfectio Viſionis requirat intelligere & diligere DEUM & hoc, quod DEUS intelligit & diligit, & illos, qui DEUM intelligunt, diligunt, laudant & benedicunt: unde ſicut duo homines ſe intelligunt & diligunt per affatum, auditum & viſum, ſic & multò magìs beatus Michaël & beatus Gabriel ſe invicem intelligunt & diligunt *per DEVM*, uno alteri manifeſtante & repræſentante gloriam, quam recipiunt à DEO, & bonitatem, magnitudinem &c., quas in DEO attingunt per modum, qui ſignificatus eſt in *tertia* & in *quadrageſima ſexta* & in *quinquageſima ſecunda Quæſtione*: & ad hæc ſic & multò plùs ſinè comparatione ſufficit Viſio DEI, ſicut affatus, auditus & viſio ſufficiunt ad dilectionem & intellectionem duorum hominum, quorum intellectio & dilectio eſt eorum locutio, & modus locutionis eorum conſiſtit ſecundùm modum, quem diximus de triangulo; ſed adhuc per alium triangulum dicemus de modo locutionis eorum.

2. Quando duo ſpecula ſe invicem reſpiciunt, quorum unum eſt magnum, & aliud eſt parvum, & convenit, quòd unum ſit magnum, & aliud parvum, ut in magno poſſit videri figura parvi, apparent in magno tres circuli, unus major, qui eſt figura circuli parvi ſpeculi, qui continet in ſe unum circulum, qui eſt figura circuli magni ſpeculi, qui in ſe continet unum circulum parvum, qui eſt figura parvi ſpeculi; ſed homo, qui bene videt, poteſt videre quatuor & quinque, etiam naturaliter plures circulos, qui ſunt inviſibiles; ſed nos tantùm volumus exemplificare de tribus circulis, & vocamus majorem circulum A., & mediocrem B., & circulum minorem C.; & ſic per conſequens fiunt in parvo ſpeculo alii tres circuli, & majorem vocamus D., & eſt de magno ſpeculo, & mediocrem vocamus E., & eſt de parvo ſpeculo, & minorem vocamus F., qui eſt de majori ſpeculo, & G. vocamus majus ſpeculum, & H. minus.; & idem poſſet fieri de pluribus ſpeculis, ſed aſſituatio & locus impediunt hominem ad videndum conſpectionem eorum: & ſic G. repræſentando ſe ipſum ipſi H., & è converſo, recipit A. ab H., & ipſo H. repræſentante ſe ipſi G. recipit G. in A. ſuam ſimilitudinem, quæ eſt B.; & G. repræſentat ipſum B. ipſi H., & G. per ipſum B. recipit C., quæ eſt ſua ſimilitudo H.: & ideo G. præſentat & recipit & repræſentat, ratione cujus continet in ſe A. B. C., & idem facit H. in G.; & hæc repræſentatio eſt recta, quando ſpecula ſunt recta: & ſi unum eſt rectum, & aliud obliquum, ſpeculatio eſt neutralis: & ſi ambo ſunt obliqua, ſpeculatio abſolutè eſt obliqua; & ſecundùm hunc prædictum modum conſiſtit Locutio Angelorum, ſive ſint boni, ſive ſint mali, quolibet eorum præſentante alteri ſuum conceptum, & quolibet eorum repræſentante hoc, quod ab alio recipit, ſicut C. ipſi F., & F. ipſi C.: & ſi Angeli ſunt boni, & ſe non poſſunt intelligere per rectam repræſentationem, mutant ſe in objectando ſecundùm C. F. per lineas neutrales, & ſic de malis Angelis: & ſi unus eſt bonus, alius malus, bonus quoad ſe attingit malum per rectam lineam, & quoad Angelum malum per obliquam; ſed Angelus malus facit in contrarium: & ideo datus eſt modus, quomodo Angeli inter ſe loquantur.

3. Ait Eremita: Raymunde, tua metaphora quoad Angelos nihil valet, cùm ſpecula ſint entia corporalia, & Angeli ſint entia ſpiritualia, qui non poſſunt loqui, cùm eis deficiant inſtrumenta corporalia, ſinè quibus non poteſt eſſe locutio.

a.

b. Item quando dicis, quòd viſio, quam beatus Michaël & Gabriel habent in DEO, ſufficiat ad locutiones eorum ſinè ſenſitivo, hoc non haberet locum in locutione boni Angeli & mali, nec mali cum malo, cùm malus Angelus non videat DEUM.

4. Ait Raymundus: Eremita, ſicut viſus non

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non indiget conditionibus auditûs in videndo, nec è converſo, ſic & multò magìs in locutione Angelorum non ſunt neceſſariæ conditiones ſenſitivi nec imaginativi, cùm non ſint conjuncti cum corpore : & tu dicis, ſicut ſi homo cæcus non poteſt videre, nec per conſequens poteſt audire. Et quando dicis, quòd metaphora non valeat, cùm ſit de diſſimilibus, verum dicis ſecundùm modum corporalem, ſed non ſecundùm modum ſpiritualem, qui ita eſt in locutione Angelorum per intellectivitatem & amativitatem, ſicut modus ſpeculationis in ſpeculis per *luciditatem* & *diaphanitatem* & *umbram*.

b. Et quando dicis, quòd malus Angelus non videat DEUM, dicis, quòd non intelligas *quadrageſimam nonam Quæſtionem*, in qua probatum eſt, quòd mali Angeli intelligant DEUM, & hoc poſt privationem gratiæ & gloriæ DEI, ſic & multò magìs mali poſſunt loqui, ſicut homines per ſenſitivum.

QUÆSTIO LV.

Utrùm unus Angelus poſſit illuminare alium, & per quem modum?

1. SOlutio. Ait Raymundus : Eremita, vade ad *quinquageſimam primam Quæſtionem*, in qua ſignificata eſt ſolutio hujus Quæſtionis.

2. Iterum dico tibi, quòd, ſicut cryſtallum ſuprà literas poſitum ex literis attrahit ſimilitudines & ſpecies, quas multiplicat, ſic unus Angelus repræſentando alteri ſua principia naturalia, quæ ſunt bonitas, magnitudo &c., recipiat ab ipſo ſimilitudines principiorum naturalium illius, cui ſua principia naturalia repræſentat ſecundùm dictum modum de duobus ſpeculis in *proxìma Quæſtione*, ita, quòd Angelus, qui eſt in ſuperiori hierarchia, attrahat ſimilitudines illius, qui eſt in inferiori hierarchia, & ipſas multiplicat in ſuis principiis, & repræſentat Angelo inferiori, & Angelus inferior recuperat ipſas multiplicatas ; per quam multiplicationem eſt illuminatus ab Angelo ſuperiori ; ſicut ignis, qui infundit ſuam caliditatem in aërem, & cum aëre in aquam, & cum aëre & aqua in terram, & à terra recuperat ſuam eandem caliditatem multiplicatam per participationem humiditatis, frigiditatis & ſiccitatis, quam caliditas ignîs habet cum prædictis qualitatibus in ſubjecto elementato : unde ſicut ignis ſe multiplicat componendo ſe cum aliis elementis in recuperando caliditatem multiplicatam, ſic à ſimili ſuo modo Angelus inferior recuperando ſimilitudines multiplicatas recipit illuminationem ab Angelo ſuperiori ; & iſte eſt modus, per quem Angeli ſuperiores illuminant inferiores : & talis modus eſt neceſſarius, ut Angeli inferiores naturaliter poſſint participare cum ſuperioribus ; aliàs eſſet major participatio inter duo ſpecula, de quibus ſuprà dictum eſt, quolibet ſpeculo recipiente ſuam ſimilitudinem multiplicatam in pluribus circulis, & ſic de prædicta caliditate ignîs, quàm inter Angelos ſuperiores & inferiores ; quod eſt impoſſibile, cùm Angeli ſint nobiliores & potentiores ſubſtantiæ, quàm inferiores ſubſtantiæ corporales : unde cùm hoc ita ſit, Angeli ſuperiores poſſunt illuminare inferiores, ût probatum eſt.

3. Ait Eremita : Raymunde, beatitudo Angelorum inferiorum ſimpliciter conſiſtit in Viſione DEI, & ſecundùm te non, ſed ſecundùm quid, in hoc, quòd dicis, quòd Angeli inferiores recuperent ſimilitudines multiplicatas, per quas Angelus inferior eſſet bonificatus, magnificatus &c. à ſuperiori ; & ſic ſolus DEUS non ſufficeret ad beatificandum ipſum ; quod eſt impoſſibile : per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd tua objectio non valeat.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, in *quinquageſima prima Quæſtione* dictum eſt, & etiam in pluribus aliis Quæſtionibus, quòd DEUS in ſuo effectu agat mediatè & immediatè ; & in quantum agit immediatè, non indiget habere medium nec inſtrumentum ad beatificandum Angelos ; ſed quia nullus Angelus poteſt agere ſinè Divino adjutorio, nec ſinè DEO poteſt habere naturale agere, unus Angelus agit cum adjutorio DEI in alio, ſcilicet illuminando & diligendo ; & hoc eſt neceſſe, ut in participatione unius Angeli cum alio poſſit eſſe Divinum *agere* ; aliàs eorum participatio non eſſet perfecta in beatitudine, ſed vacua.

5. Et quando dicis, quòd ſic Angelus ſuperior bonificaret, magnificaret &c. inferiorem, & non DEUS, non ſequitur hoc, quod dicis ; cùm Angeli ſuperiores ſint inſtru-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſtrumenta DEI, ut cum ipſis illuminet inferiores; quam illuminationem convenit eſſe, ût ſuprà probatum eſt.

QUÆSTIO LVI.

Utrùm DEUS poſſet facere, quòd Materia exiſtat ſinè Forma?

1. SOlutio. Ait Raymundus: forma & materia differunt, & ex iſtis conſiſtit ſubſtantia; ſicut ignis, qui eſt eſſe ſuæ eſſentiæ, cujus eſſentia eſt igneitas, & ipſe ignis exiſtit per eſſentiam, & habet naturam ratione finîs, ſcilicet naturam ignificandi, calefaciendi, lucificandi &c.: unde ſicut Sapientia DEI præſcivit nudam materiam ignîs, antequam ipſum creaviſſet, ſinè adjutorio formæ ignîs, ſic Poteſtas DEI, quæ eſt idem cum Sapientia, potuit ipſum produxiſſe ſinè forma, cùm ſit æqualis Sapientiæ per Magnitudinem & Virtutem: ergò DEUS poteſt producere materiam ſinè forma, & ipſam ſuſtentare & gubernare per Æternitatem, quæ eſt ita magna in Virtute, ſicut Sapientia & Poteſtas: & idem eſt de Divina Voluntate, quæ poteſt velle & in actum deducere materiam ignîs ſinè forma, & ſic de aliis materiis; & ſic Raymundus conceſſit, quòd DEUS *quoad exiſtere materiæ* illam *ſimpliciter* poſſit creare, ſuſtinere & gubernare ſinè forma; ſed quia illa materia ſinè forma non poſſet habere naturam, nec ſe poſſet habere ad aliquem finem, nec DEUS ex ipſa poſſet facere aliquod bonum, Divina Bonitas, quæ eſt ita magna in Virtute, ſicut ſunt Divina Sapientia, Poteſtas & Voluntas, non poſſet ſuſtinere, quòd DEUS poſſit aliquid producere & gubernare ſinè bonitate, fine & utilitate, quia ex ipſo non ſequeretur aliquod bonum, imò eſſet evacuatum ab omni fine & utilitate; quod eſſet malum contra Divinam Bonitatem, & parvum contra Divinam Magnitudinem, & vitium contra Divinam Virtutem, & per conſequens contra Divinam Voluntatem, Sapientiam & Poteſtatem; quæ contrarietas eſt impoſſibilis: & ideo dixit Raymundus, quòd DEUS *reſpectu naturæ & finîs* non poſſit producere & gubernare materiam ſinè forma, cùm DEUS non poſſit aliquid ſinè ſua Bonitate, Magnitudine & Virtute.

2. Ait Eremita: Raymunde, Divina Poteſtas eſt infinita, & ideo ratione ſuæ Infinitatis poteſt in creaturis producere immediatè unam creaturam ſinè alia, videlicet materiam ſinè forma; aliàs non poſſet in una creatura ſinè alia, & ſic eſſet limitata & finita; quod eſt impoſſibile: ergò DEUS poteſt facere, quòd materia exiſtat ſinè forma.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, non bene recolis diſtinctionem, quam feci in prædicta ſolutione, ratione cujus diſtinctionis tua objectio eſt ſoluta.

QUÆSTIO LVII.

Utrùm Materia exiſtens ſub Quantitate habeat aliam extenſionem ab extenſione Quantitatis?

SOlutio. Ait Raymundus: martellus, qui percutit clavum, extendit ipſum, qui eſt compoſitus ex forma & materia; & ſola ſubſtantia recipit ictum martelli, non quantitas nec aliud accidens, cùm accidens ſit tanquam inſtrumentum, & quoad ſe nullam paſſionem poſſit habere; quia ſi poſſet habere paſſionem, eſſet de genere materiæ: unde quia quantitas non recipit paſſionem per ictum martelli, non extenditur, ſed per extenſionem ſubſtantiæ, quæ recipit ictum & paſſionem, ſubſtantiâ producente per ſuam extenſionem multiplicationem quantitatis de potentia in actum: unde ſequuntur *duæ extenſitates*, una, quæ eſt *de genere ſubſtantiæ*, alia, quæ eſt *de genere accidentis*; & ideo affirmatio Quæſtionis eſt tenenda: ſed quia extenſitas materiæ non eſt imaginabilis, & extenſitas quantitatis eſt imaginabilis, videtur, quòd non ſit niſi extenſitas quantitatis.

2. Item quando lapis deſcendit, quantò magìs appropinquat ad centrum, tantò magìs multiplicat ſuum motum; & hoc eſt ratione multiplicationis appetitûs, qui appetitus eſt de ſubſtantia, & non de ſuo motu: unde ſequitur, quòd in multiplicatione appetitûs ſequatur multiplicatio motûs per accidens: & hoc idem eſt de potentia ſenſitiva; nam quantò magìs appropinquat ad ſuum ſenſibile optatum, tantò magìs multiplicat ſuam delectationem; & hoc apparet per coitum & per guſtum. Ergò ſubſtantia plùs gaudet per ſuam multiplicationem, quàm per multiplicationem ſuorum

(c) 2006 Ministério de Cultura

rum accidentium ; & ratio hujus eſt, quia finis plùs ſpectat ad ſubſtantiam,quàm ad accidentia, cùm ſubſtantia ſit domina & motrix ſuorum accidentium. Ergò patet, quòd *ſubſtantia* habeat *propriam extenſionem ſibi conſubſtantialem :* & ita ſua extenſitas eſt *menſurata* per extenſionem, quæ eſt de genere quantitatis, ſicut corpus eſt coloratum per colorem,& figuratum per figuram : ergò affirmativa quæſtionis eſt tenenda.

3. Ait Eremita : Raymunde, nullum corpus eſt diviſibile ſinè quantitate,unde quando dividitur, dividitur per quantitatem : unde, ſuppoſito, quòd verum eſſet, quod tu dicis, ſi DEUS à ſubſtantia removeret quantitatem, ſubſtantia adhuc remaneret diviſibilis per ſuam extenſitatem ; & quia eſt indiviſibilis ſinè quantitate,ergò negativa quæſtionis eſt tenenda. Item natura nihil facit ſuperfluum per ſua principia generalia, quod faceret, ſi verum eſſet hoc, quod dicis, quòd in genere eſſent duæ quantitates, & duæ albedines, & duo colores, & ſic de aliis ; quod eſt valde inconveniens, cùm naturæ ſufficiat una quantitas,una albedo, unus color : ergò ſequitur, quòd tua ratio non procedat, & quòd negativa quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, concedo tibi, quòd corpus ſinè quantitate non ſit diviſibile, nec per conſequens ſinè differentia : unde ſicut ſubſtantia ſinè quantitate remaneret diviſibilis per differentiam,ſic remaneret diviſibilis per ſuam conſubſtantialem extenſitatem : veruntamen ſinè quantitate non ſufficeret differentia & extenſitas diviſibilitati ſubſtantiæ, ſicut quantitas non ſufficeret diviſibilitati ſubſtantiæ ſinè differentia & extenſitate ; cùm quantitas ita ſit menſura, cum qua menſurans menſurat menſuratum,ſicut extenſitas eſt menſura menſurata, in qua quantitas eſt ſuſtentata, & *per augmentationem ſubſtantiæ* multiplicata, ut ſuprà dictum eſt, & ſic nihil eſt ſuperfluum. Ergò affirmatio Quæſtionis eſt tenenda.

QUÆSTIO LVIII.

Utrùm eſſe vacuum *includat contradictionem?*

SOlutio. Raymundus voluit inveſtigare *vacuum* quatuor modis, ſcilicet in DEO, & inter DEUM & creaturam, & in ſubſtantiis ſeparatis, & in ſubſtantiis corporalibus ; & primò in DEO ſic :

1. In DEO ſunt Attributa, ſcilicet Bonitas, Magnitudo &c. ; unde ſequitur, quòd DEUS ſit bonus per Bonitatem, magnus per Magnitudinem, & ſic de aliis : unde cùm hoc ita ſit, Raymundus voluit videre, an DEUS ſit ita perfectus & remotus ab omni vacuitate per Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem & Veritatem, ſicut per ſuam Sapientiam & Voluntatem ; & dixit, quòd DEUS per ſuam Sapientiam ſe intelligat, & per ſuam Voluntatem ſe diligat, ſed per ſuam Bonitatem ſe non bonificet, cùm ſit bonus ab æterno & in æternum ; & ſic de Magnitudine, Æternitate, Poteſtate & Veritate : unde videtur, quòd DEUS ſit plenus quoad actum intelligendi & diligendi, non quoad actum bonificandi, magnificandi &c. : & per talem conſiderationem videtur, quòd DEUS ſit plenus & vacuus per Bonitatem, Magnitudinem &c. ; plenus per Bonitatem, cùm ſua Bonitas ſit infinita Magnitudo & Æternitas ; non plenus per Bonitatem, ſi per ipſam non habet ita magnum bonificare, ſicut habet magnum intelligere per Sapientiam, & magnum amare per Voluntatem ; ſed quia contradictio non poteſt ſtare, dixit, quòd DEUS ſe bonificet, ſicut ſe intelligit, & ſe non bonificet, cùm ſit bonus ab æterno ; & ſic Raymundus adhuc remanſit in contradictione ; ſed voluit evadere ab ipſa, & dixit : quòd DEUS per ſuam Bonitatem bonificet ſuum intelligere & amare ; ſed poſtea dixit, quòd hoc non ſufficiat, quia DEUS ſe non bonificaret, ſicut ſe intelligeret & amaret : unde ſequeretur,quòd finis eſſet per intelligere & amare, & non per bonificare, ratione cujus Bonitas remaneret in vacuitate finîs & perfectionis.

Dum Raymundus ſic ſtetiſſet in perplexitate, voluit exire à contradictione, & dixit, quòd, ſi in DEO eſt Productio Divinarum Perſonarum, Producens ita ſe poſſit bonificare in producendo de tota ſua Bonitate Bonum Productum, ſicut ſe poſſet intelligere & amare ; ideo Raymundus exivit à contradictione, & omnibus modis negavit vacuum in Divina Bonitate & in Magnitudine &c. ; ſinè qua Productione non poſſet intelligere Divinam Bonitatem ſinè vacuitate & imperfectione ; & ſic de Magnitudine, Æternitate &c.

Inter

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. Inter DEUM & creaturam eſt differentia in tantum, quòd DEUS abſolutè non ſit creatura, nec creatura ſit DEUS, & participant ſicut cauſa & effectus; & illa participatio eſt perfecta, cùm DEUS ſit Cauſa Perfecta, per quam ſequitur perfectum creatum; ſed *perfecta participatio* non poſſet eſſe *per ſolam differentiam*; imò indiget habere *ita magnam & perfectam concordantiam* in bonitate, poteſtate, ſapientia, voluntate, virtute, veritate & gloria, quòd Prima Cauſa cum aliqua parte Univerſi ſit Unum Suppoſitum & Una Perſona; aliàs ſinè tali Suppoſito, quod appellamus Chriſtum, eſſet vacuitas inter Primam Cauſam & ſuum effectum, & non eſſet vacuitas, cùm ipſa Cauſa ſit perfecta, & effectus per ſuam cauſam ſit perfectus; quod eſſet contradictio: & quia contradictio non poteſt ſtare, negavit Raymundus, quòd inter Primam Cauſam & ſuum effectum vacuum, quod non eſt, (ſuppoſito, quòd ſit Incarnatio) non implicet contradictionem; & ſic non eſt vacuum & contradictio, ût ſuprà eſt dictum.

3. In ſubſtantiis ſeparatis, ſicut in dæmonibus & in animabus damnatis, eſt vacuitas, quæ non includit contradictionem; quæ vacuitas eſt ratione privationis finîs potentiarum animæ vel malignorum angelorum; ſicut voluntas, quæ ſemper habebit appetitum ad deſideratum, quod eſt ſuus finis, quod nunquam habebit, ût in *quadrageſima nona Quæſtione* dictum eſt: & ſic illa voluntas erit vacua, quam DEUS poteſt facere vacuam per ſuam Juſtitiam & per abſentiam ſuæ Amabilitatis, quam illa voluntas non poteſt diligere.

4. Dixit Raymundus: DEUS poteſt annihilare omnia elementa & omnia elementata, & quidquid eſt ſub ſphæra Lunæ; & ſi hoc faceret, eſſet vacuum, ubi erant elementa &c.; ſed illud vacuum nihil eſſet quoad intellectum, ſed eſſet quoad imaginationem hominis, qui ſic imaginaretur vacuum imaginando circulum Lunæ, & non aliquid intrà, ſicut in amphora imaginatur vacuum, quando in ipſa non eſt vinum nec aqua nec aliquod corpus viſibile, ſed ſolus aër, qui eſt intelligibilis, ſed non imaginabilis; & ſic intellectus in amphora negat vacuitatem, & imaginatio ipſam affirmat: & quia intellectus eſt potentior & verior potentia, quàm imaginatio, vincitur imaginatio, quam intellectus vincit; & idem è contrario ſequeretur de annihilatione elementorum, ſed imaginatio ſemper repugnaret imaginando circulum, tenendo affirmationem quæſtionis. Sed deſtructo primo mobili & omnibus circulis, quadrangulis & triangulis imaginatio non haberet, cum quo poſſet imaginari reale vacuum: & ſic eſt de intellectu, qui non poteſt intelligere reale vacuum; & tunc intellectus & imaginatio haberent concordantiam tenendo affirmativam quæſtionis.

5. Ait Eremita: Raymunde, ſuppoſitò, quòd omnia elementa & elementata & quidquid eſt ſub globo lunari, eſſent deſtructa, eſſet impoſſibile, quòd intellectus non poſſet intelligere vacuum intelligendo circulum: & ſic tua ratio non procedit.

6. Ait Raymundus: Eremita, tu dicis verum, ſi intellectus conſentiret imaginationi intelligendo & imaginando circulum; ſed ſi intellectus ſe denudaret ab imaginatione, & nullum circulum nec figuram intelligeret, ſic nullum vacuum poſſet intelligere, ſicut imaginatio nullum vacuum imaginaretur privatis omnibus circulis & figuris; cùm imaginatio non poſſit imaginari & agere ſinè circulis & figuris continentibus & contentis.

QUÆSTIO LIX.

Utrùm Angelus & Anima differant ſpecie, & per quam differentiam?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: ſicut corpus hominis & corpus leonis differunt per ſpeciem, cùm corpus leonis ſit ſub ſpecie leonitatis, & corpus hominis ſub ſpecie humanitatis, ſic ſuo modo Angelus & Anima *differunt per ſpeciem*, cùm Anima ſit ſub ſpecie hominis, & Angelus ſit ſub nulla ſpecie, qui ſic eſt *ſuámet ſpecies*, ſicut Sol & Luna, caliditas ignîs, humiditas aëris, & cætera hujusmodi ſunt ſuæmet ſpecies.

2. Item Angelus & Anima differunt ſpecie ratione *naturæ*, *operationis* & *finîs*; ratione *naturæ* differunt, quia Anima habet naturam, quòd ſit *conjuncta* cum corpore, & quòd naturaliter informet & moveat corpus, Angelus verò non; ratione *operationis* differunt, quia Angelus attingit per ſuas *ſpecies innatas* entia, quæ non ſunt de ſua eſſentia, ſed Anima *conjuncta* attingit per *ſpecies acquiſitas*; & Angelus in-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

incipit *intrà* intelligere entia, quæ ſunt extrà; ſed Anima incipit *extrà* per ſenſitivum & imaginativum, & *intrà* attingit *conceptiones* entium; ratione *finîs* differunt ſpecie Anima & Angelus, cùm Anima ſit, ut ſit homo, qui non eſt Anima, ſed Angelus non eſt, ut de ipſo ſit aliud, ſed eſt, ut ipſe ſit ſuúmmet eſſe perfectum per ſuámmet ſpeciem.

3. Ait Raymundus: Eremita, dictum eſt, quòd Angelus & Anima *conjuncta* cum corpore *differant ſpecie*, & per quam differentiam: modò tibi dicam, quòd Anima *ſeparata* & Angelus ſpecie differant; nam Anima ſeparata non eſt perſona, quia ſi eſſet perſona, in homine fuiſſent duæ perſonæ, dum erat conjuncta; quod eſt impoſſibile: & ſic Anima *ſeparata* non eſt ita perfecta ſecundùm ſuam ſpeciem, ſicut Angelus, qui per ſe ipſum eſt perſona. Sed in quantum Anima per ſe eſt ſuámet ſpecies & de nihilo producta, & eſt ſubſtantia ſpiritualis immortalis & de ſimilibus principiis conſtituta & compoſita, ex quibus Angelus eſt conſtitutus & compoſitus, ût in *quadrageſima quinta Quæſtione* dictum eſt, eſt ſimilis Angelo per ſpeciem, etiam per intelligere, diligere & recolere, ût in *quadrageſima tertia & quinta Quæſtione* eſt ſignificatum: veruntamen differunt; nam quando Anima recedit à corpore, ſécum deducit characteres vel impreſſiones potentiæ ſenſitivæ & imaginativæ, quas recepit in ſuo proprio intelligibili, recolibili & amabili, dum erat conjuncta, per quarum impreſſiones habet ſcientiam de rebus ſenſibilibus & imaginabilibus; ſed Angelus non habet tales impreſſiones, cùm non indigeat ſenſitivo nec imaginativo, ût in *quadrageſima ſexta Quæſtione* dictum eſt.

4. Ait Eremita: Raymunde, Angelus & *a.* Anima non differunt ſpecie per proprium, ſed per appropriatum; quia ſicut Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis & immortalis, ſic Anima; & ſicut Angelus eſt de memoria, intellectu & voluntate, ſic ſimiliter Anima: ergò Angelus & Anima ſunt ejusdem ſpeciei per ſpiritualitatem & rationalitatem; & appropriationes, quas Anima habet à corpore, non poſſunt propriè mutare Animam, nec ipſam differentiare à ſpecie Angeli; cùm ita proprium ſit Animæ diligere, recolere & intelligere, ſicut eſt proprium Angelo: & quia proprium plus dicit, quàm appropriatum per magnitudinem bonitatis, durationis, poteſtatis &c., eſt impoſſibile, quòd appropriatum mutet proprium: unde ſequitur, quòd Anima & Angelus propriè non differant ſpecie, ſed per accidens, ſcilicet per appropriatum; & ſi differrent, appropriatum plus diceret, quàm proprium; quod eſt impoſſibile.

b. Item dico tibi, quòd, ſi different, ſequeretur aliud inconveniens, ſcilicet, quòd differrent per intellectum, voluntatem & memoriam, ita, quòd, ſi unus haberet prædictas tres potentias, alius ipſas non haberet, ut ſpecies eſſent differentes; & quia prædictæ potentiæ ſunt inſeparabiles à ſubſtantia Angeli & à ſubſtantia Animæ, de neceſſitate ſequitur, quòd Angelus & Anima ſint ejuſdem ſpeciei.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, ſe-
a. cundùm quòd ſignificatum eſt in *quadrageſima ſexta Quæſtione*, quilibet Angelus habet ſua propria principia, ex quibus eſt conſtitutus: unde ſequitur, quòd quilibet Angelus *numeraliter* & *propriè* ſit *ſuámet ſpecies*; ſed in quantum quilibet Angelus habet ſua propria principia æqualia & ſimilia *ſecundùm genus*, ſicut bonitas & bonitas, magnitudo & magnitudo &c., *ſunt ejusdem ſpeciei*: unde ſequitur, quòd *ſecundùm individuationem numeri* Angeli *differant ſpecie*, ſed non differunt *ſecundùm modum aſſimilationis principiorum*: & ideo dico tibi, quòd *Anima & Angelus differant per ſpeciem ſecundùm individuationem numeri*; & talis differentia non poteſt mutari per appropriatum; ſed per modum aſſimilationis ſuorum principiorum Anima & Angelus non differunt ſpecie, tamen per appropriationes Animæ, ût ſuprà dictum eſt; cùm prædictæ appropriationes ſint ita inſeparabiles ab Anima, ſicut caliditas aëris, quæ eſt inſeparabilis ab illo, licèt illi ſit qualitas appropriata. Et quando dicis, quòd Animæ ſit appropriatum, quòd non ſit perſona, & ſic de ſimilibus, malè dicis, cùm Animæ ſit proprium, quòd non ſit perſona; & etiam ſic eſt illi proprium ratione finîs, ut ipſa ſit, ut ſit homo, ſicut ei eſt proprium, ut ipſa per ſuum exiſtere ſit hoc, quod eſt.

b. Et quando dicis, quòd, ſi Anima & Angelus differrent per ſpeciem, aut Angelus aut Anima eſſet mutatus de ſpecie rationalitatis, malè dicis, quia ſic poſſent remanere in ſpecie rationalitatis, uno exiſtente numero

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mero diſtincto ab alio, ſicut unus Angelus ab alio.

QUÆSTIO LX.

Utrùm Cœlum empyreum influat in hæc Inferiora?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Ratio, quare cœlum empyreum eſt, eſt, *ut ſit quies in ultimo fine;* ſicut mare, quod recipit omnes aquas, & omnia flumina appetunt quieſcere in illo: unde ſicut mare eſt quies omnium fluminum, & maximè eſſet quies, ſi nulla aqua ab ipſo exiret, ſic ſuo modo cœlum empyreum eſt quies beatitudinis omnium Beatorum, cùm ſit locus ad hoc deputatus: unde ſicut magnes attrahit ferrum ratione finîs, quem ferrum appetit, ut ſcilicet quieſcat in ipſo magnete, ſic cœlum empyreum, quod eſt finis omnium mobilium, *attrahit* finem eorum ad ſe ipſum, quod ſic eſt *fons quietis*, ſicut primum mobile eſt fons omnium mobilium: & illa *attractio*, quam cœlum empyreum facit de finibus inferioribus, *eſt influentia*, quam facit in inferiora; ſicut bonitas, quæ influit in bonum, ut agat bonum, ut quieſcat in ipſa illud bonum, quod fecit; & idem eſt de agente naturali vel artificiali, ſicut finis generationis, qui movet agentem ad generandum; & ſicut habitatio, quæ movet artificem ad ædificandum domum, & ſic de aliis: & talis influentia cœli empyrei, quæ eſt per attractionem, eſt neceſſaria, ut corpora beatorum naturaliter appetant cœlum empyreum, cùm ſint creata ad beatitudinem, quæ beatitudo eſt in cœlo empyreo; & mediante appetitu corporum Beatorum appetitus aliorum corporum, quæ ſunt deputata ad ſervitium hominis, appetunt cœlum empyreum.

2. Ait Eremita: Raymunde, omnis influentia eſt per motum, cùm non poſſit eſſe ſinè motu influentis & recipientis; & quia nullus motus poteſt eſſe de eſſentia cœli empyrei, quod eſt ſupremum corpus immobile, eſt impoſſibile, quòd per motum poſſit influere in inferiora, nec per conſequens per attractionem, cùm nulla attractio poſſit fieri ſinè motu, cùm attrahens, in quantum recipit, ſit mobile: unde ſequitur, quòd tua ratio non valeat.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, non bene intellexiſti prædictam ſolutionem, nec facis diſtinctionem inter *motum*, qui fit *per influentiam*, & inter *motum*, qui fit *per attractionem;* ſicut agens, qui influit movendo formam, & per formam & materiam aliquod influxum & productum; ſicut homo, qui producit hominem, & artifex cameram; ſed magnes attrahens ferrum non movet ſe ipſum, nec recipit ullum motum à motu ferri; & ſic de habitatione, ût dictum eſt, quæ ſinè ſuo motu movet artificem ad ædificandum: ergò affirmatio quæſtionis eſt tenenda.

QUÆSTIO LXI.

Utrùm Materia omnium ſit eadem ſecundùm Eſſentiam & ſecundùm Numerum?

1. SOlutio. Ait Raymundus: ſi ſunt plures materiæ, & non eſt una materia omnium, differunt per eſſentiam & per numerum, & earum differentia non habet *proprium ſubjectum*, & eſt commune principium, per quod differunt; & quia differentia per ſe non poteſt eſſe ſinè proprio ſubjecto, ſi eſſent plures materiæ, ſequeretur contradictio, ſcilicet quòd eſſent per differentiam, ſinè qua non poſſunt eſſe; & non eſſent per differentiam, quia illa non eſſet privato ſubjecto proprio & communi; & idem ſequeretur de concordantia communi inter materiam & materiam, ſinè qua concordantia non poſſent concordari; & ſic eſſet fracta & deciſa participatio inter materiam & materiam, & influentiam continuam & ſucceſſivam corporum ſuperiorum & inferiorum, quod eſt impoſſibile: ergò *eſt una materia omnium ſecundùm eſſentiam & ſecundùm numerum*, ut communis differentia & concordantia habeant *ſubjectum abſolutum & proprium*, & ut omnia entia corporalia per *communem lineam continuam* influxam & refluxam poſſint participare: ergò eſt una communis materia omnium, ut ipſa ſit *generale principium*, & ut ipſa ſic ſufficiat, quòd ſit unum generale principium, ſicut ſufficit una generalis bonitas, quæ eſt de genere corporalitatis, una magnitudo, unum tempus, unus locus, una albedo, unus ignis, unus calor, & ſic de ſimilibus.

2. Ait Eremita: Raymunde, ſi eſſet una *a.* materia omnium ſecundùm eſſentiam & numerum, ſequerentur plura inconvenientia,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tia, ſicut corpora cœleſtia, quæ eſſent corruptibilia, cùm omnia entia exiſtentia ſub eadem materia ſint transmutabilia & corruptibilia : & quia corpora cœleſtia ſunt incorruptibilia, ergò negatio Quæſtionis eſt tenenda.

b. Item dico tibi, quòd, ſi omnia entia haberent eandem materiam ſecundùm numerum, & numerus dicat *quid* perfectum per formam, & materia non habet formam, de neceſſitate ſequitur, quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, ubi *a.* non eſt contrarietas, non poteſt eſſe transmutatio nec corruptio : unde *materia generalis*, quæ eſt in omnibus corporibus ſupracœleſtibus, eſt in ipſis per differentiam & concordantiam ſinè contrarietate ; & ideo corpora ſupracœleſtia ſunt incorruptibilia : & in quantum materia eſt in corporibus inferioribus per differentiam, concordantiam & contrarietatem, ſunt corpora inferiora generabilia & corruptibilia.

b. Et quando dicis, quòd numerus dicat *quid* perfectum per formam, verum dicis ſecundùm perfectionem compoſiti ex forma & materia ; poteſt etiam dici *quid* ſecundùm proprium numerum materiæ ; ſicut materia generalis ſic exiſtens ſub omnibus formis omnium *unum quid* in numero, ſicut una aqua in horto, de qua rigantur plures plantæ.

QUÆSTIO LXII.

Utrùm ſint plures Angeli ejusdem Speciei ?

1. SOlutio. Ait Raymundus : Eremita, in *quinquageſima quinta* & in *quinquageſima nona Quæſtione* ſignificata eſt ſolutio hujus quæſtionis ; veruntamen dico tibi, quòd conveniat, quòd *plures Angeli ſint ejusdem ſpeciei*, cùm DEUS ſit multò magìs fruibilis ab Angelis, qui ſunt ejusdem ſpeciei, quàm ab Angelis, qui non ſunt ejusdem ſpeciei ; & ratio hujus eſt, quia identitas ſpeciei eſt coadjuvans ad DEUM multùm recolendum, intelligendum & amandum, & hoc patet in hominibus & in aliis individuis exiſtentibus ſub eadem ſpecie : ſicut unus homo, qui naturaliter plùs poteſt intelligere & diligere alium hominem, quàm equum vel plantam, & ſic de ſimilibus.

2. Item dico tibi, quòd omnes ſpecies ſint *in tribus modis*, ſcilicet ſpecies, quæ eſt *de ſenſualibus*, & ſpecies, quæ eſt *de ſenſualibus & intellectualibus*, & ſpecies, quæ *ſimpliciter* eſt *de intellectualibus* ; ſpecies, quæ eſt de ſenſualibus, eſt ſicut leonitas, aſineitas ; ſpecies, quæ eſt de ſenſualibus & intellectualibus, eſt ſicut humanitas ; & ſpecies, quæ eſt de intellectualibus, eſt angeleïtas : unde ſi non eſſent plures Angeli ejusdem ſpeciei, privatâ ſpecie eorum privaretur ab eis major concordantia & participatio intelligentiæ & amoris, virtutis & delectationis ; quæ major concordantia &c. non poſſet eſſe in ipſis ſinè identitate ſpeciei, & individua inferiora eſſent magìs diſpoſita per ſpeciem ad participandum ad invicem, quàm Angeli, ſi non eſſent ejusdem ſpeciei ; quod eſt impoſſibile : ergò ſunt plures Angeli ejusdem ſpeciei.

3. Ait Eremita : Raymunde, quòd non ſint plures Angeli ejuſdem ſpeciei, ſic arguitur : quidquid differt, differt per materiam individuantem ; ſed Angeli non habent materiam, ergò differunt per formam ſpecificam, & non per materiam : unde ſequitur, quòd non poſſint eſſe ejusdem ſpeciei, cùm ſpecies non poſſit eſſe ſinè materia.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, in *quadrageſima quinta Quæſtione* probatum eſt, quòd Angelus ſit compoſitus ex materia & ex forma ; veruntamen non dico, quòd Angeli ſint ſub eadem materia numero, ſed quilibet habet ſuam materiam ſpecificam & propriam, & quilibet eſt ſuámet ſpecies, ût probatum eſt in *quinquageſima nona Quæſtione* ; & omnes ſpecies *ſpecificæ* Angelorum ſic ſubſiſtunt *ſub una ſpecie*, quam vocamus *angeleïtatem*, ſicut omnes ſtellæ ſub una ſtelleïtate, & ſicut omnes homines ſubſiſterent ſub una ſpecie humanitatis, ſi unus non eſſet genitus nec individuatus ab alio nec ab aliquo alio.

QUÆSTIO LXIII.

Utrùm Cauſa Individuationis ſit Materia vel aliquid aliud ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus, quòd ad individuandum individuum habens numerum ſpecificum requirantur plures cauſæ & inſtrumenta, ſicut materia, forma, effi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

efficiens, finis, differentia, concordantia, quantitas &c., cùm ſinè iſtis non poſſit fieri individuatum.

2. Item dixit, quòd, quando cera recipit characteres ſigilli, characteres non tantùm ſint individuati per ceram, ſed per figuras productas de potentia in actum, quæ figuræ antè erant in potentia in eſſentia ceræ, quæ cera eſt compoſita ex materia & forma, & figuræ literarum ſunt ſimilitudines formæ ceræ, quæ forma mediante ſigillo transmittit ſuas ſimilitudines in cera de potentia in actum: ſicut ignis in calefacto elementato, in quod transmittit ſuam caliditatem, quæ eſt ſimilitudo ſuæ formæ. Sic in propoſito ſuo modo, quando generans generat generatum, individuat ipſum per formam & materiam, & ponit ipſum in ſua ſpecie; ſicut homo pater, qui generat hominem filium, & de ſua materia ſcindit materiam influxam à *materia generali*, per quam ſtabat in potentia in *materia ſpecifica* generantis; & idem eſt de forma corporis generantis, qui extra ſe transmittit *formam ſpecificam*, quam in ſe habebat in potentia influxam per *formam generalem*, ex qua forma generali & materia generali conſiſtit *unum Univerſum compoſitum & confuſum*, in quo & ex quo ſunt omnes formæ, quæ actu exiſtunt, & de ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnes formæ, quæ ſunt in potentia in formis, quæ ſunt actu: „ unde quando individua „ individuantur in numero ſpecifico, tunc „ forma generalis & materia generalis ſunt „ cauſa individuationis eorum, & per con„ ſequens forma ſpecifica & materia gene„ rantis „: ſicut vir, qui cauſat ſuum filium ſcindens à ſe ipſo ſemen compoſitũ ex materia & forma poſitum in fœmina ratione finîs, ſcilicet ut ſequatur corpus hominis; & ut corpus ſit, concurrunt principia generalia per principia ſpecifica generantis, ſcilicet quantitas, figura & alia accidentia, quæ ſunt de conditione corporum: ergò *ſunt plures cauſæ individuationis præter materiam*, ſinè quibus individuatum non poſſet eſſe, quia non haberet, de quo eſſet, nec per quod numerum ſpecificum poſſet habere, nec in quo ſuus numerus poſſet exiſtere & gubernari.

3. Ait Eremita: Raymunde, ſicut faber producit clavum de maſſa ferri, quæ eſt materia clavi, ſic agens naturale, quando individuat generatum, individuat ipſum per materiam, & de ipſa materia eſt individuatum in tantum, quòd ſola materia ponat numerum clavi, non forma; cùm faber non introducat formam clavi, ſed figuram, quam de potentia producit in actum: à ſimili agens naturale individuat individuatum ex ſola materia, ergò non ex aliquo alio.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, faber, qui de maſſa ferri facit clavum, *dividit & ſcindit corpus de corpore*; & ſic non tantùm ſcindit materiam de materia, ſed & formam de forma; cùm corpus clavi non poſſit eſſe ſinè forma & materia: ſic à ſimili quando generans transmittit ſemen, non tantùm ſcindit de ſe materiam ſeminis, ſed etiam formam; cùm ſemen ſit corpus; ſed forma, quam introducit in materiam ſciſſam, non eſt de ſua forma ſpecifica, ſed eſt forma, quam generans habuit in potentia, deducta de generali forma in ipſo poſita in potentia, & ipſe generans in ſuo proprio generabili, quod habuit à ſuo patre, ipſam generat & producit de potentia in actum; & quia ipſam habebat & gubernabat in ſua eſſentia, ponit illam in ſuam ſpeciem, & facit naſci; & forma nova, quæ eſt de forma generali, *augmentat ſe ipſam* de forma generali, quouſque habeat *completum eſſe*, & idem de materia nova genita, ex quibus genitum eſt individuatum, & in numero ſpecifico poſitum, & eſt ſic influxum à forma generali & à materia generali (& multò magìs naturaliter) ſicut ſi „ unum dolium eſſet ple„ num vino, & aliud dolium plenum aquâ „ eſſet ſuper ipſum, quolibet habente fora„ men, per quod aqua & vinũ inſimul par„ ticiparent, & dolium vini comparamus „ generanti, & dolium aquæ formæ gene„ rali & materiæ generali; & quia vinum „ eſt aqua putrefacta, dolium vini & doli„ um aquæ per naturam participant, & ex„ tractâ unâ menſurâ de dolio vini illa eſt in„ dividuata à dolio vini, & remanet in ſpe„ cie vini, & menſuram individuatam com„ paramus individuo genito, quod geni„ tum ita ſtat in chãos, quod eſt compo„ ſitum ex forma generali & materia gene„ rali, & ab ipſis recipit augmentum, ſicut „ ſuppoſito, quòd menſura vini eſſet poſita „ in dolio aquæ, & quòd remaneret in ſua „ ſpecie, & quòd reciperet augmentatio„ nem ab aqua „; & prædictus modus generationis eſt *vera & naturalis* individuatio,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tio, & non ille, quem tu dicis de clavo, qui eſt *artificialis*.

QUÆSTIO LXIV.

Utrùm Angeli intelligant per Species innatas vel acquiſitas?

SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, in *quadrageſima ſexta & quinquageſima quarta & quinquageſima quinta Quæſtione* ſolutio hujus quæſtionis eſt ſignificata; ad hanc tamen Quæſtionem reſpondemus ſic:

1. Dictum eſt de ſpeculis in *quinquageſima quarta Quæſtione*, quomodo unũ alteri dat ſuam ſimilitudinem, & quomodo unum ab alio recipit ſimilitudinem, & hoc per *ſimilitudines* vel per *ſpecies innatas*, & hoc, quia non indigent habere ſenſitivum neque imaginativum; ſic à ſimili & multò magìs Angeli intelligunt per *ſpecies innatas*, cùm non indigeant habere ſenſitivum & imaginativum, qui *intra ſe* ſic *incipiunt* intelligere objectabilia, quæ ſunt *extra ſpecies* eorum, ſicut intellectus conjunctus, qui extrà per ſenſitivum & imaginativum incipit intelligere acquiſitas ſpecies entium, quas intra ſe deducit & intelligit; veruntamen Angelus intelligit per ſpecies acquiſitas mediantibus ſuis ſpeciebus innatis; ſicut Angelus, qui, quando vult ſcire, utrùm Petrus ſit in ſtatu virtutis vel vitii, & in qua virtute, & in quo vitio, & in quo ſpecifico objecto, tunc in ſuo proprio intelligibili recipit *conditiones* Petri, per quas acquirit ſpecies acquiſitas Petri, ſecundùm quòd Petrus eſt diſpoſitus, ut ab ipſo poſſint haberi ſpecies acquiſitæ, quia Petrus non ſemper eſt diſpoſitus, ut habeantur ab ipſo ſpecies acquiſitæ, ſicut quando dormit, vel eſt ebrius, vel ignorat, vel etiam quando tenet ſpecies ita ſecretas, quòd Angelus ipſas non poſſit attingere in ſuis ſpeciebus innatis; ſicut quando homo imaginatur luxuriari, tunc, ſi ſuæ carnes non ſunt in motu, Angelus non poteſt attingere ſimilitudinem illius; ſed quando ſunt in motu, ſic attingit ſimilitudinem imaginationis in ſuis ſpeciebus innatis & per ipſas in ſuo proprio intelligibili, ſicut attingit in ipſo per ſuas ſpecies innatas in corporalibus figuram, colorem, motum & cætera accidentia & etiam entia ſubſtantialia; & hoc ſecundùm exemplum datum de duobus ſpeculis: & ideo Eremita teneo in hac quæſtione, quòd Angelus *per ſpecies innatas naturaliter*, & per *acquiſitas diverſimodè* intelligat, ût ſuprà probatum eſt.

2. Ait Eremita: Raymunde, Angelus non poteſt acquirere novas ſpecies per ſpecies innatas; quia ſuppoſito, quòd Angelus ipſas habeat, ſunt illi connaturales & antiquæ; ratione cujus non poteſt acquirere novas ſpecies de contingentibus, cùm omnia contingentia ſint extra naturam & antiquitatem, & nova ſint fallibilia: & quia Angelus intelligit, quòd Petrus quandoque ſit juſtus, quandoque injuſtus, ergò attingit per ſpecies acquiſitas, & non per innatas.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, tua objectio eſt ſoluta in prædicta reſponſione, in qua diximus, quòd Angelus *naturaliter* intelligat per ſpecies innatas; ſicut enim unum ſpeculum *naturaliter repræſentat* alteri ſpeculo ſuam ſimilitudinem, & *naturaliter* ab alio *recuperat* ipſam, ſic Angelus à ſimili *naturaliter intelligit per ſpecies innatas*, cum quibus attingit Solem, ignem, caliditatem & calefactum, & ſic de omnibus entibus corporalibus: ſed cum *ſpeciebus acquiſitis intelligit operationes intrinſecas* hominum, quæ ſunt *per contingentiam*, & ipſas *artificialiter attingit*, ût ſuprà dictum eſt, per operationes hominum, quæ ſunt *extrà*; quas operationes attingit per ſpecies innatas.

QUÆSTIO LXV.

Utrùm Angelus naturali Dilectione plùs diligat DEUM, quàm ſe ipſum?

1. SOlutio. Ait Raymundus: ita naturale eſt angelico intellectui intelligere, ſicut ſuæ voluntati naturale eſt amare; & idem eſt de naturali bonitate Angeli, de cujus natura eſt bonificare; & idem de ſua naturali magnitudine; & ſic de aliis ſuis principiis naturalibus, ex quibus eſt compoſitus: unde ſicut ipſe per ſuum intellectum intelligit, quòd DEUS ſit Summum Bonum Infinitum, ſic intelligit, quòd ſit ſummè Amabilis; ad cujus *intelligere* concurrunt natura bonitatis, magnitudinis &c., quæ participant in natura cum intellectu & cum voluntate: unde ſequitur, quòd, ſicut intelle-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tellectus Angeli naturaliter intelligit, quòd DEUS sit summè amabilis, sic voluntas Angeli naturaliter magis debeat diligere DEUM, quàm Angelum; & ad hoc concurrunt natura suæ bonitatis, magnitudinis &c., quæ ita propriè participant cum natura voluntatis, sicut cum natura intellectûs: & ideo sequitur, quòd Angelus *naturali dilectione plùs possit diligere DEVM, quàm se ipsum;* & hoc ostensivè probatum est.

2. Item potest probari per impossibile: quia si Angelus naturali dilectione posset tantum vel plùs diligere se ipsum, quàm DEUM, per naturam bonitatis, magnitudinis &c. posset hoc facere; quod est impossibile & contra naturam intellectûs Angeli, qui non posset consentire, quòd secundùm naturalem dilectionem Summum Bonum Infinitum non sit magis & multò magis sinè omni comparatione & æstimatione diligibile, quàm Angelus, qui est bonum finitum & de nihilo productum, & à DEO gubernatum, à quo habet omnia bona, quæ habet, & sinè ipso nihil esset; & ideo affirmatio Quæstionis est tenenda.

3. Ait Eremita: Raymunde, si Angelus naturaliter posset magis diligere DEUM, quàm se ipsum, quando fuit creatus, non potuit acquirere meritum; quia natura, quam DEUS illi dedit, ut per ipsam magis posset diligere DEUM, quàm semet ipsum, ligavit suam libertatem in tantum, quòd non poterat diligere DEUM electivè, sed naturaliter & de necessitate; & sic non acquisivit meritum per dilectionem, quod est impossibile: etiam Angelus malignus non potuit peccare, cùm ratione naturæ non potuerit habere electionem peccandi: unde sequitur, quòd non sit malignus, & habeat pœnam sinè culpa; quod est impossibile: & ideo tua ratio non procedit.

3. Respondit Raymundus: Eremita, DEUS creavit naturam Angeli ita nobilem, virtuosam & magnam, bonam & potentem quoad intellectum Angeli, sicut quoad voluntatem, cùm DEUS æqualiter est intelligibilis & amabilis; & quia DEUS est magis fruibilis, quàm Angelus amabilis, ût suprà probatum est, magis creavit Angelum propter suam amabilitatem & intelligibilitatem, quàm propter meritum Angeli: unde sequitur, quòd secundùm principium & finem naturæ Angeli, quæ sunt ejus conditiones, non potuerit Angelus secundùm naturam se magis diligere, quàm DEUM; quia si posset, esset in sua natura transmutatio & in suis conditionibus: & quia DEUS est intelligibilis & amabilis cum magna magnitudine bonitatis, potestatis, virtutis & veritatis, creavit in Angelo libertatem, ut liberè posset sequi conditiones suæ naturæ & conditiones suorum principiorum naturalium, ut posset habere charitatem, & meritum per charitatem; & cum illa libertate DEUS taliter conditionavit naturam, quòd fuerit concordantia inter libertatem & naturam, ut Angelus sic consentiret in diligendo DEUM per libertatem naturaliter, sicut potuit consentire in diligendo magis vel æqualiter se ipsum, quàm DEUM; & ideo ratione liberi arbitrii tua ratio non valet; sed valeret, si DEUS in Angelo non creâsset liberum arbitrium.

QUÆSTIO LXVI.

Utrùm Angeli sint creati in Gratia?

1. SOlutio. Ait Raymundus: in DEO non est nisi *una gratia*, sed quando creavit Angelos, *diversimodè* communicavit in ipsis suam gratiam; unus modus fuit, in quantum creavit Angelos, & produxit de non *esse* ad *esse;* cùm *facere* gratiam sit *dare esse*, & *facere* magnam gratiam sit *dare* magnum *esse* per magnam magnitunem bonitatis, magnitudinis &c. illis, qui per se ipsos non meruerunt *esse*, cùm sint de nihilo: ergò DEUS creavit Angelos in gratia in producendo ipsos de non *esse* in *esse*, & in dando eis magnum *esse* & multa magna bona naturalia; aliàs nisi ipsos creavisset in gratia, conveniret de necessitate, quòd Angeli, antequam fuissent, meruissent *esse*, & multùm magnum bonum *esse;* quod est impossibile.

2. Item DEUS creavit Angelos in gratia ratione finîs, scilicet ratione suæ fruitionis & eorum beatitudinis: item creavit ipsos in gratia, in quantum eis dedit potestatem & libertatem eligendi beatitudinem, & evitandi pœnam, & ut possent acquirere charitatem; & hæc omnia dona DEUS dedit eis immediatè sinè merito, quod non habebant, antequam habuissent charitatem; „ sed boni Angeli, quando se inclinaverunt „ ad finem, propter quem fuerunt creati, „ DEUS

(c) 2006 Ministerio de Cultura

„ DEUS per meritum inclinationis in illos „ introduxit charitatem, movendo ipſos „ mediante charitate, quam deſideraverunt, & ſic DEUS confirmavit ipſos in „ charitate & gratia.

3. Ait Eremita: Raymunde, ſi Angeli fuiſſent creati in gratia, fuiſſent creati in gratia per charitatem, ſinè qua DEUS non poteſt facere gratiam; & ſi fuiſſent creati in gratia per charitatem, nullus Angelus potuiſſet peccare nec cadere; cùm charitas ſit gubernatio bonorum virtuoſorum: & quia Angeli peccaverunt & ceciderunt, ſequitur, quòd Angeli non fuerint creati in gratia.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, ſicut cauſa ſecunda naturaliter diligit ſuum effectum, ſic & multò magis Prima Cauſa diligit ſuum effectum, & diligit ipſum per charitatem; ſed *reſpectu effectûs* diligit ipſum duobus modis; unus eſt, in quantum eſt *Cauſa* effectûs; alius eſt, in quantum effectus eſt *bonus per meritum & acquiſitionem virtutum;* ſicut homo pater, qui *naturaliter* diligit ſuum filium, & *moraliter* diligit ipſum, quando ſuus filius eſt bonus per virtutes acquiſitas: ſic in propoſito DEUS *naturaliter* diligit Angelũ, & diligit ipſum *propter virtutes acquiſitas*, in quantum habuit virtuoſum *intelligere*, intelligendo, quòd debeat diligere DEUM ſuper omnia, & deſiderabat à DEO habere charitatem, cum qua poſſit DEUM diligere; & talis Angelus fuit bonus & à DEO amabilis, malus Angelus non, cùm habuerit vitioſum *intelligere* & *amare*, cùm ſuppoſuerit, quòd ſit poſſibile, quòd habeat æquiparantiam cum DEO, ratione cujus peccavit & cecidit, & fuit contra DEUM.

QUÆSTIO LXVII.

Utrùm Lucifer habuerit nobiliora Naturalia, quàm aliquis alius Angelus?

1. SOlutio. Antequam Raymundus voluit reſpondere ad Quæſtionem, diu conſideravit Nobilitatem DEI, & per quem modum DEUS habeat Nobilitatem Naturalem exiſtendo & agendo; qui tunc dixit: quòd eſſet magnum inconveniens, ſi Lucifer habuiſſet nobiliora naturalia, quàm alius Angelus; quia nobilior natura creata eſſet contra Summam Naturam & Nobilitatem Increatam; & major natura creata non eſſet in concordantia cum Summa Natura Increata, & eſſet damnata, & minor natura creata haberet concordantiam cum Natura Increata, & eſſet ſalvata; & tale inconveniens Summa Bonitas, Magnitudo &c. non poſſunt permittere, cùm Divina Sapientia ſciviſſet, antequam creaviſſet Luciferum, quòd eſſet peccaturus: ergò negativa Quæſtionis eſt tenenda.

2. Item dixit Raymundus, quòd poſitâ unciâ naturæ bonitatis magnitudinis, poteſtatis, voluntatis, virtutis & veritatis in natura intellectûs unius Angeli, & poſitâ unâ librâ naturæ bonitatis, magnitudinis, poteſtatis, virtutis & veritatis in natura intellectûs alterius Angeli, Angelus, qui habet libram prædictæ naturæ, ſit magis diſpoſitus ad intelligendum, quòd DEUS, qui eſt Summus in Bonitate, Magnitudine &c., ſit magis amabilis, quàm aliquod ens creatum, & quàm totum Univerſum creatum, quàm Angelus, qui habet unam unciam; aliàs bonitas, magnitudo &c. non haberent naturam agendi, ſcilicet bonificandi & magnificandi &c.; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd nobilior Angelus ſit magis diſpoſitus ad intelligendum, quòd DEUS ſit ſummè amabilis, quàm Angelus minùs nobilis: & hoc idem ſequitur, ſi poſita eſſet una libra naturæ bonitatis, magnitudinis &c. in natura voluntatis illius Angeli, qui habet libram in ſuo intellectu, & una uncia in natura voluntatis illius Angeli, qui in ſuo intellectu habet unam unciam; ſcilicet quòd Angelus, qui habet unam libram in natura voluntatis, naturaliter plùs poſſet diligere DEUM, quàm Angelus, qui habet unam unciam; aliàs inter libram & libram eſſet alteratio & remota participatio, & inter unciam & unciam eſſet concordantia & propinqua participatio; quod eſt impoſſibile: quod impoſſibile eſſet poſſibile, ſi Lucifer habuiſſet nobiliorem naturam per prædictas libras, quàm alius Angelus bonus per duas uncias: & ratio hujus eſt, quia duæ libræ naturaliter eſſent devictæ per hoc, quod naturaliter non habent; & duæ unciæ naturaliter vincerent per hoc, quod naturaliter non habent; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda.

3. Dixit Eremita: Raymunde, unus cõmes magis eſt diſpoſitus, quòd diligat, quòd ſit ſimilis Regi in magnitudine bonitatis, pote-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

poteſtatis &c., quàm unus miles; cùm comes ſit in altiori gradu nobilitatis, quàm miles; aliàs nobilitas comitis non eſſet propinquior nobilitati Regis, quàm nobilitas militis; quod eſt impoſſibile: à ſimili, cùm Lucifer habuerit nobiliorem naturam, quàm omnes alii Angeli, magìs fuit diſpoſitus ad appetendum, quòd eſſet ſimilis DEO, quàm aliquis alius Angelus; & ideo affirmatio Quæſtionis eſt tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, tuum exemplum non eſt ſimile, cùm tu facias comparationem de finito & finito, & ratio ſit de infinito & finito, inter quæ nulla eſt proportio. Adhuç dico tibi, quòd exemplum, quod das, ſit contra te, ſuppoſito, quòd comes ſit ſubditus, & Rex ſit Dominus, quia comes haberet tantò majorem invidiam contra Regem, quàm miles, quantò magìs injurioſus eſſet contra Regem, qui ipſum magìs honoravit & ditavit, quàm militem: etiam comes eſſet magìs injurioſus contra ſuam magnam nobilitatem perverſam in ignobilitatem, quàm miles, qui habet parvam nobilitatem: ergò tua ratio non valet.

QUÆSTIO LXVIII.

Utrùm Confirmatio vel Obſtinatio mutet vel minuat Libertatem Arbitrii?

1. SOlutio. Raymundus conſideravit liberum arbitrium hominis, qui dixit, quòd „liberum arbitrium ſit *potentia & inſtrumentum*, per quod homo poteſt eli„gere bonum, & vitare malum; & eſt *eſſentiale* animæ, non corpori: ſed quia anima conjuncta participat cum corpore, & córpus appetit ſentire per ſenſitivum, ſicut comedere, coire &c., & non habet habitum de ſe electivum, anima ad honeſtum vel inhoneſtum per accidens habet liberum arbitrium, ut ratione naturæ ſenſitivæ poſſit appetere inhoneſtum comedere, coire, mingere &c., & per inhoneſtum ſentire habet liberum arbitrium ad imaginandum, intelligendum, recolendum & diligendum vitium.

2. Item dixit, quòd quoddam liberum arbitrium ſit *ſpeculativum*, & quoddam *practicum*; liberum arbitrium *ſpeculativum* eſt, quando homo facit deliberationem inter unum & aliud; ſicut quando homo conſiderat, utrùm debeat facere eleemoſynam, vel non; vel utrùm velit eſſe caſtus vel luxurioſus, & ſic de aliis; & iſtud liberũ arbitrium *electivum* quoad bonum dependet à *natura rationativa*, & quoad malum à *natura ſenſitiva* infecta per peccatum originale; ſed liberum arbitrium *practicum* eſt poſt deliberationem factam; ſicut homo, qui liberè conſiſtit in virtute vel in peccato, ſcilicet liberè recolit, intelligit & diligit virtutem vel peccatum, & liberè recolit, intelligit & odit virtutem vel peccatum.

3. Item dixit Raymundus: quòd confirmatio vel obſtinatio conſiſtat *in fine*, quem homo eligit, ſive ſit bonus, ſive ſit malus, & in ipſo *quieſcit* per liberum arbitrium *practicum* omninò *denudatum* & *ſeparatum* à ſpeculativo; cujus ſeparatio & denudatio fit *duobus modis*: uno modo, quando DEUS confirmat juſtum in virtute *per bonum meritum*, & injuſtum in vitio *per malum meritum*: alio modo, quando ſcilicet juſtus in bono eſt confirmatus *per bona naturalia* & per *magnum uſum* & *perſeverantiam* in bono virtuoſo, ſequendo finem, ad quem eſt creatus; ſicut homo, qui ita fortiter vincit gulam & luxuriam, quòd de illis nullam habeat tentationem nec repugnantiam; & talis confirmatio *non diminuit* liberum arbitrium, ſed *perficit* ipſum, veruntamen mutat ipſum de ſpeculatione in practicam: ſed quando peccator habet liberum arbitrium in practica peccandi, in qua eſt confirmatus à DEO, ut *per juſtitiam ſit incarceratus*, tunc liberum arbitrium eſt diminutum & mutatum de gratia in Iram DEI, & eſt deviatum & mutatum à *fine*, ad quem fuit creatum, cujus natura per peccatum eſt *infecta*, ratione cujus infectionis homo ſtat obſtinatus in peccato; per cujus obſtinationem eſt obſtinatus & impeditus, habens liberum arbitrium *infectum* de bono in malum &c.

4. Ait Eremita: Raymunde, ſi liberum
a. arbitrium eſſet mutatum & diminutum per confirmationem & obſtinationem, ſequerentur plura inconvenientia, ſcilicet, quòd Miſericordia DEI non poſſet parcere peccatori confirmato & obſtinato, quia non poſſet eligere contritionem nec pœnitentiam & ſatisfactionem, nec etiam peccator poſſet habere ſpem in DEO; & hæc omnia ſunt valde inconvenientia.

b. Item homo juſtus, poſtquam eſſet con-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

firmatus, non haberet meritum in agendo bonum, cùm meritum requirat liberum arbitrium electivum ad bonum vel ad malum; & ſic Juſtitia DEI non poſſet remunerare hominem facientem bonum; quod eſt valde inconveniens: unde ſequitur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, ſu-
a. periùs dictum eſt, quòd liberum arbitrium ſit de *eſſentia animæ*, & non corporis; & quamvis homo ſit confirmatus vel obſtinatus, natura liberi arbitrii non eſt corrupta, cùm liberum arbitrium per eſſentiam ſit incorruptibile, tamen ſua natura *per accidens* eſt *infecta*, cujus infectio illi eſt *appropriata* per peccatum, obſtinationem & confirmationem: & quia libero arbitrio eſt *proprium* habere naturam electivam ad bonum, ût ſuprà dictum eſt, per illam proprietatem homo confirmatus vel obſtinatus habet naturam præparandi & diſponendi contritionem, pœnitentiam & ſatisfactionem; & hoc ideo, quia *proprium* in natura plus dicit, quàm *appropriatum:* & ſi facit talem præparationem & diſpoſitionem, tunc homo facit ſe juſtum, in quantum facit talem præparationem & diſpoſitionem, & tunc habet concordantiam cum Juſtitia DEI, & per conſequens cum Miſericordia, quæ liberum arbitrium *practicum mutant in ſpeculativum*, ratione cujus homo poteſt eligere pœnitentiam de commiſſis, & in DEO habere ſpem.

b. Et quando dicis, quòd homo obſtinatus vel confirmatus in agendo bonum non acquirat meritum, vel in agendo malum, demeritum, non bene intellexiſti prædictam ſolutionem; quia quantò magìs homo agit per liberum arbitrium practicum, tantò magìs multiplicat meritum ratione perſeverantiæ vel obſtinationis & multiplicationis operationis animæ & corporis.

QUÆSTIO LXIX.

Utrùm Impoſſibilitas peccandi ſit in Beatis ex hoc ſolo, quòd videant & ament DEVM, vel ex aliqua alia ſpeciali Manutenentia DEI?

1. SOlutio. Ait Raymundus: ſicut Sapientia DEI illuminat viſionem Beatorum, & Voluntas DEI amorificat voluntatem Beatorum in Paradiſo, ita Æternitas æviternat & gubernat viſionem & amorem Beatorum, quem habent erga DEUM; & ſic de Bonitate DEI, quæ bonificat viſionem & amorem; & ſic de Magnitudine, quæ magnificat; & ſic de Poteſtate & aliis Attributis; & hoc faciunt, ut Beati habeant ita magnam gloriam per ipſas, ſicut per Divinam Sapientiam & Voluntatem; aliàs eſſent defectivæ in glorificando Beatos; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd non tantùm ex hoc ſolo, quòd Beati videant & ament DEUM, eis ſit impoſſibilitas peccandi, ſed & ex Divina Bonitate, Magnitudine &c., ût ſuprà dictum eſt.

2. Item ait Raymundus: quidquid eſt, eſt vel in *principio*, vel in *medio*, vel in *fine:* unde ſicut *ante principium* non poteſt eſſe poſſibilitas peccandi, cùm ante principium non ſit aliquid, ſic *poſt finem* non poteſt eſſe poſſibilitas peccandi, cùm poſt *Ultimum Finem* Beatorum non ſit aliquid; quod eſſet, ſi poſſent peccare poſt Finem Salvationis, Judicii & Confirmationis; & ideo ſupradictus *finis eſt cauſa*, quare Beati non poſſunt peccare; & idem ſequitur de *libero arbitrio* eorum, quod de ſpeculativo mutatum eſt in practicum, ût in *proxima Quæſtione* dictum eſt.

3. Ait Eremita: Raymunde, in DEO ſunt plura, quæ Beati non poſſunt videre, ſicut ſunt Infinita Attributa, quæ non poſſunt videre; quia ſi illa viderent, haberent viſionem infinitam; quod eſt impoſſibile: & quia non poſſunt videre Infinita Attributa, poſſunt aliqua videre inordinatè, quia ſic poſſunt deficere in ordine viſionis, ſicut deficiunt in comprehendendo Infinita Attributa; & ſicut poſſunt deficere in ordine viſionis, ſic poſſunt deficere in ordine amoris; & hæc omnia ſequerentur, ſi tua poſitio eſſet vera, & eſſet impoſſibile, quòd per viſionem & amorem DEI Beatis eſſet impoſſibile peccare; ſed quia per viſionem & amorem eſt eis poſſibile peccare, de neceſſitate ſequitur, quòd impoſſibilitas peccandi in Beatis ſit per aliud, quàm per ſolam viſionem & amorem DEI.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, jam probatum eſt, quòd ſequerentur plura inconvenientia, ſi impoſſibilitas peccandi non eſſet ſic in Beatis per Divinam Bonitatem, Magnitudinem &c., ſicut per Divinam Sapientiam & Voluntatem. Et quando dicis, quòd poſſint peccare ignorando infinita Attributa, verum dicis, ſuppoſito, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd Æternitas non gubernaret nec æviternaret ordinem, quem Beati habent per Divinam viſionem, amorificationem, bonificationem, magnificationem &c. ; ſed quia Æternitas gubernat & æviternat prædicta in beatis, tua ratio non valet.

QUÆSTIO LXX.

Utrùm Corpora aſſumpta ab Angelis vel Dæmonibus ſint imputribilia, in quantum ſunt aſſumpta?

1. SOlutio. Ait Raymundus : eſt impoſſibile, quòd ſit putrefactio *ſinè vegetatione*, & de hoc habemus experientiam in plantis & in animalibus, in quibus eſt vegetatio; & quando corrumpuntur, putrefiunt : ſed in aliis elementatis, in quibus non eſt vegetatio, non eſt putrefactio, ſicut in lapidibus & metallis: & quia in corpore aſſumpto ab Angelo non eſt vegetatio, cùm ſit corpus artificiatum, cum quo Angelus participat ſinè conjunctione & natura, illud corpus non poteſt putrefieri.

2. Item omnis putrefactio fit in *terra* vel in *aqua* vel in *corpore*, quod *participat* cum terra & aqua, ſed in igne & in aëre non; ſed Angelus benignus & malignus in aëre & de aëre, & ſic de igne, tantùm aſſumit corpus, ergò affirmatio Quæſtionis eſt tenenda.

3. Ait Eremita: Raymunde, aër, in quo
a. generantur mures & locuſtæ, eſt corruptus, cùm eorum generatio ſit per corruptionem aëris; & quia mures & locuſtæ ſunt putrefactibiles per corruptionem, ſequitur, quòd corpus aſſumptum ab Angelo in aëre & de aëre corrupto ſit putrefactibile.

b. Item habemus experientiam, quòd, licèt ferrum non ſit vegetatum, tamen quando diu eſt in terra, vel in ligno, ſit putrefactibile; à ſimili corpus aſſumptum ab Angelo, licèt non ſit vegetatum, eſt putrefactibile: unde ſequitur, quòd tua ratio non valeat, & quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus : eſt *differen-*
a.tia inter *putrefactionem* & *corruptionem*; quia corruptio poteſt eſſe ſinè putrefactione; ſicut in vino, quod corrumpitur, quando ex ipſo fit acetum ; & in aqua dulci, quæ corrumpitur, quando ex ipſa fit aqua ſalſa; & ſic de ſubtili aëre, qui corrumpitur in ſpiſſo aëre, qui componitur ex groſſis vaporibus, ex quibus fiunt nubes ; & hæc omnia fiunt ſinè vegetatione, & per
b. conſequens ſinè putrefactione. Idem eſt de ferro, quod eſt corruptibile ſinè vegetatione, quam non poteſt habere, cùm ſit factum *artificialiter*, & *non naturaliter*, & vegetatio non poſſit fieri artificialiter, ſed naturaliter ; ſed aqua in vite putrefit & naturaliter & per vegetationem, & ſic de aliis putrefactibilibus: igitur eſt differentia inter putrefactionem & corruptionem.

a. Et quando dicis, quòd mures & locuſtæ generentur in aëre & de aëre, verum dicis, ſed generantur per corruptionem *naturaliter*, non *artificialiter*, coadjuvantibus corporibus ſupracœleſtibus, & inſtinctu & appetitu naturalibus deducentibus de potentia in actum vegetativam in ſubjecto genito *per corruptionem* : dico per corruptionem *reſpectu generationis*, quæ fit per maſculum & fœmellam ; & illa vegetativa, quæ deducitur de potentia in actum in muribus & locuſtis, conſiſtit in *ſubjecto corrupto*, ſed *non* in *vegetato*, antequam fiat generatio; quod ſubjectum corruptum eſt *maſſa confuſa de animalibus corruptis*, & ita eſt congregata in aëre corrupto, ſicut ſunt nubes in aëre, ex quibus generatur pluvia, grando & nix ; & hoc ideo, quia *nubes* ita *generatæ* ſunt ex *vaporibus elementorum*, ſicut *maſſa*, ex qua generantur mures & locuſtæ, eſt aggregata ex *vaporibus elementatorum vegetabilium* & *ſenſibilium* : ſed quia Angelus non poteſt de illa maſſa naturaliter deducere de potentia in actum vegetativam nec vegetatum, cùm non habeat proprietatem vegetandi nec generandi, non poteſt ex illa prædicta maſſa accipere corpus vegetatum, nec per conſequens corpus putrefactibile.

QUÆSTIO LXXI.

Utrùm Dæmones poſſint illudere humanos Senſus, & per quem modum?

1. SOlutio. Ait Raymundus : Eremita, hoc, quod per experientiam notum eſt, non indiget probatione ; & quia necromantia eſt vera ars, igitur dæmones ſecundùm necromantiam poſſunt accipere corpus, & facere, ſe videri, & illudere ſenſus homi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

hominum, tamen mediante necromante, qui per virtutem, quæ conſiſtit in verbis, movet dæmones ad illudendum ſenſus hominum: unde ſicut dæmones mediante necromante poſſunt illudere ſenſus hominum, ſic *mediantibus corporibus ſupracœleſtibus* poſſunt illudere ſenſus hominum: quia ſicut *ſpeculum obliquum* ordinatè repræſentat figuras obliquas, quia obliquum eſt compoſitum ex obliquis principiis, ex quibus eſt, ſic malignus angelus recipit influentias, quas corpora ſupracœleſtia influunt ad inferiora, quas mutat in earum oppoſita, ut faciat obliquas figuras, per quas illudat ſenſus hominum; ſicut infirmitas, quæ inficit organum guſtûs, per cujus infectionem videtur guſtui, quòd guſtabile, quod eſt dulce, ſit amarum; & ſicut ſophiſticus, qui videtur concludere verum, & concludit falſum; & ſic de ſimilibus.

2. Modus, per quem dæmon illudit ſenſus hominum, ſuprà ſignificatus eſt; ſed adhuc dicimus, quòd, ſuppoſito, quòd ſint antipodes in loco, in quo nos ſumus, ſecundùm noſtram imaginationem videatur nobis, quòd antipodes cadant inferiùs quoad nos, quod inferius eſt ſuperius quoad ipſos, & videtur eis ſecundùm eorum imaginationem, quòd nos cadamus: unde per hujusmodi imaginari imaginatio eorum & noſtra eſt infecta & decepta; & talis deceptio eſt *per rectas lineas exiſtentes in oppoſito* inter Arietem & Libram, & inter Taurum & Scorpionem, & inter Geminos & Sagittarium, & ſic de aliis, quæ ſe reſpiciunt in oppoſitum. Unde ſicut noſtra imaginatio decipitur *per rectas lineas oppoſitas*, ſic ſenſus hominum illuduntur & decipiuntur, quando dæmones recipiunt ſimilitudines influentiarum Libræ & Martis contra Arietem & Jovem, quando ſunt ſupra noſtrum ſitum, in quo ſumus, Librâ & Marte exiſtentibus ſupra antipodes, & illas ſimilitudines repræſentant noſtris ſenſibus, cum quibus illudunt ſenſus hominum, & per conſequens imaginationem hominum; quæ contrarietas recipit figuras per colorem objectatum viſui infecto: ſicut ſi dæmon acciperet umbram Serpentis de ſitu, in quo habitant antipodes, & nobis ipſam repræſentaret in palea, filo vel ligno; & ſic de aliis: & hic eſt modus, per quem dæmones illudunt ſenſus hominum, & per illuſiones ſenſuum imaginationes, & per imaginationes potentias animæ; etiam per hunc modum faciunt hominibus tentationes vigilando, dormiendo & ſomniando.

3. Ait Eremita: Raymunde, ſi dæmones poſſent illudere ſenſus hominum, ſicut dicis, & per ſenſus inficere imaginationem, & ſic de potentiis animæ, ſequerentur multa inconvenientia contra Attributa Divina; quia DEUS permitteret, quòd dæmones illuderent & deciperent homines bonos, juſtos & virtuoſos; & hoc eſſet contra ſuam Bonitatem, Juſtitiam & Virtutem; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd negatio quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, verum eſſet hoc, quod dicis, ſi DEUS permitteret, quòd homines juſti caderent quoad potentias animæ; ſed licèt permittat ipſos cadere quoad ſenſus & imaginationem, tamen conſervat homines juſtos quoad potentias animæ, per quas credunt, quòd illuſiones dæmonum ſint malæ & falſæ, & reſiſtunt eorum tentationibus, per quam reſiſtentiam acquirunt meritum, & laudant & benedicunt DEUM, & confidunt in ejus gratia.

QUÆSTIO LXXII.

Utrùm Angelus ſinè aſſumpto Corpore poſſit docere vel illuminare Hominem?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, in *quinquageſima quarta & in quinquageſima quinta Quæſtione* ſignificatum eſt, quòd affirmatio hujus Quæſtionis ſit tenenda: quia ſicut unus Angelus loquitur cum alio ſinè corpore, & unus illuminat alium, ſic Anima hominis, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, poteſt ab Angelo recipere illuminationem, & mediante illâ illuminatione poteſt homo ab Anima habere ſcientiam & doctrinam.

2. Hoc idem eſt ſecundùm *ſexageſimam quartam Quæſtionem*, in qua dicitur, quòd Angelus intelligat per ſpecies *innatas & acquiſitas*; ſicut Angelus, qui intelligit motum ſenſitivi, & per motum ſenſitivi motum vel operationem imaginationis, & Angelus multiplicat, diminuit vel mutat ſpeciem acceptam ab imaginatione, & repræſentat ipſam intellectui; per quam repræſentationem homo ab Angelo recipit lumen & doctrinam, quia frequenter accidti,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dit, quòd imaginatio hominis diſcurrat *à caſu*, & per illum diſcurſum Angeli deductum de objecto in objectum intellectus hominis eſt excitatus & illuminatus in intelligendo aliquid, quod non intelligebat, nec habebat appetitum ad intelligendum.

3. Ait Eremita : intellectus hominis naturaliter incipit *intelligere* per ſenſitivum & imaginativum, ſinè quibus non poteſt multiplicare ſpecies ; & quia Angelus non habet corpus, eſt inviſibilis, inaudibilis & intangibilis, nec poteſt ſinè corpore docere nec illuminare hominem : quia ſi poſſet, ſequeretur contradictio, ſcilicet quòd Angelus eſſet ſenſibilis & non ſenſibilis, & quòd homo poſſet intelligere ſinè ſenſitivo & imaginativo, & non ſinè ipſis ; & quia hæc omnia ſunt impoſſibilia, ſequitur, quòd negatio quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, non bene intellexiſti prædictam ſolutionem, in qua dicitur, quòd Angelus & Anima *participent per naturam ſpiritualitatis :* quia ſicut in triangulo quilibet angulus participat cum aliis, ſic per participationem Angeli & Animæ & participationem corporis & Animæ Angelus & homo poſſunt participare, licèt Angelus non aſſumat corpus ; & ideo hoc, quod dicis, quòd ſit contradictio, non eſt contradictio, ſed eſſet contradictio ſinè prædicta participatione, & vade ad *quinquageſimam quintam Quæſtionem.*

QUÆSTIO LXXIII.

Utrùm Lumen educatur de Potentia Medii?

1. SOlutio. Ait Raymundus : probatum eſt in *ſexageſima prima Quæſtione*, quòd una ſit materia omnium corporalium ſecundùm eſſentiam & numerum : unde ſequitur, quòd octava ſphæra & omnes aliæ ſphæræ uſque inferiùs participent per materiam.

2. Item dixit Raymundus, quòd flamma, ignis & olla *per contactum participent* in aqua & olla : unde ſicut ignis deducit caliditatem, quæ eſt in potentia in aqua frigida, in actum, & reducit frigiditatem aquæ, quæ actu erat in aqua exiſtente in olla, quam flamma percutit, in potentiam, ſic flamma educit lumen candelæ de potentia in actum in camera, in qua erant tenebræ actu, & illa reducit tenebras, quæ actu exiſtebant in aëre cameræ, in potentiam ; & idem eſt de lumine Solis.

3. Item dixit Raymundus, quòd lumen ſit *color Solis & ignîs*, & umbra vel tenebræ *color terræ*, & diaphanitas *color aëris*, in cujus diaphanitate educitur lumen de potentia in actum, quando in ipſa ſunt tenebræ vel umbra : & quando deficit lumen Solis vel flamma ignîs, tenebræ deducuntur de potentia in actum in ipſa diaphanitate ; & ideo affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

4. Ait Eremita : Sol vel flamma ignîs in inſtanti educit lumen in aëre ſinè ſucceſſione temporis ; & quia eductio de potentia in actum non poteſt fieri ſinè ſucceſſione temporis, lumen non poteſt educi de potentia medii ; quia ſi poſſet, educeretur ſucceſſivè.

5. Reſpondit Raymundus : Eremita, nulla qualitas vel proprietas dimittit ſuum proprium ſubjectum ; & quia lumen Solis vel ignîs non dimittit ſubſtantiam Solis vel ignîs, Sol communicat ſimilitudinem ſuæ lucis Veneri, & Venus Mercurio, & Mercurius Lunæ, & Luna ſphæræ ignîs, & ſphæra ignîs ſphæræ aëris ; & illa ſimilitudo ſic multiplicata de ſphæra in ſphæram uſque ad ſphæram aëris, (ſicut lux literæ multiplicata in diaphanitate cryſtalli poſiti ſuper literas) educit lumen de potentia medii & ſic *ſucceſſivè & in tempore*, ſicut ſimilitudo ſucceſſivè venit ; quia antè recipitur ſimilitudo Solis in Venere, quàm in Mercurio ; & in Mercurio, quàm in Luna &c. : & quia convenit, quòd, ubicunque eſt *antè & poſt*, ſit ſucceſſio, ergò probatum eſt, quòd lux ſucceſſivè educatur de potentia medii ; & ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO LXXIV.

Utrùm Lumen multiplicetur in tempore *vel in inſtanti ?*

1. SOlutio. Ait Raymundus : Eremita, hæc quæſtio eſt ſoluta per ſolutionem *prædictæ Quæſtionis*, veruntamen adhuc volo exemplificare & probare, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda : quantò altiùs Sol aſcendit, tantò plùs multiplicat calorem ignîs, & multiplicando facit ſimilitudinem ſuæ lucis in Venere, ût dictum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſt, & conſumendo vapores : & quia calor ignîs *ſucceſſivè* multiplicatur, videtur, quòd ſua cauſa motiva *ſucceſſivè* ſit multiplicata ; idem ſequitur de cereo ardente in camera, quia flamma, quæ eſt actu, ſucceſſivè educit de potentia flammam, quæ eſt in cera ; & illa, quæ actu erat in lichno, recedit in fumum : & quia ſucceſſio & multiplicatio temporis eſt in ſubſtantia flammæ, convenit, quòd ſit in ſuis accidentibus, ſcilicet in ſua caliditate & luciditate ; & de hoc habemus experientiam in igne, quando lumen accenditur in candela, non ita intensè illuminat & calefacit aërem, ſicut quando eſt benè accenſa.

2. Item calor & lux flammæ candelæ ſunt magìs intenſi circa flammam candelæ, quàm in extremitatibus aëris cameræ, quod non eſſet, ſi calor & lux eſſent multiplicati in inſtanti, & non in tempore.

3. Ait Eremita : Raymunde, eſt inſtans, quod eſt indiviſibile & commune, & eſt inſtans, quod eſt diviſibile & ſpecificum, & in diviſibili ſpecifico ſunt plura inſtantia, quæ multiplicant tempus, & tempus eſt inſtans merè commune & indiviſibile ; & de tali inſtanti non dico, quòd lumen ſit multiplicatum, quia ita eſt cauſa multiplicationis tenebrarum, ſicut eſt cauſa multiplicationis lucis ; ſed intendo dicere de *inſtanti ſecundario*, quod eſt per *ſecundam lineam :* ſicut quando Sol oritur & in inſtanti illuminat totum aërem ſinè quantitate diſcreta & per continuam lineam multiplicando lucem ſinè tempore ; cùm multiplicatio temporis ſit de inſtanti in inſtans, & de hora in horam, & de die in diem.

4. Reſpondit Raymundus : Eremita, tua objectio ſuprà ſoluta eſt, tamen adhuc dico tibi, quòd *linea*, quæ eſt de *inſtanti ſecundario*, de quo dicis, ſit ſuſtentata ſub pluribus ſubſtantiis, ſcilicet in Venere, Mercurio & Luna &c., ût ſuprà dictum eſt : & quia priùs eſt in uno, quàm in alio, cùm ſit genita de Sole in Venere, & de Venere in Mercurio &c., convenit, quòd ſit compoſita de pluribus inſtantibus, & multiplicata in tempore : ergò tua ratio non valet.

QUÆSTIO LXXV.

Utrùm Luminaria Cæli in ſuis Orbibus moveantur propriis Motibus?

1. SOlutio. Ait Raymundus : Prima Cauſa naturaliter movet ſecundariam cauſam *mediante propriâ proprietate*, quàm dat cauſæ ſecundariæ, ut cauſa ſecundaria propriè per ſuam proprietatem naturaliter moveat ſuum effectum : ſicut ignis, qui cum ſuo proprio calore movet aquam ad calefiendum & ad calefaciendum carnes, hoc ignis non poſſet facere, ſi ſua caliditas illi non eſſet *propria qualitas*, nec DEUS propriè poſſet movere ignem ad calefaciendum, ſi ignis non haberet propriam caliditatem. Item ſi ſiccitas non eſſet propria qualitas terræ, DEUS non poſſet movere ignem cum ſiccitate terræ ad deſiccandum ignem per ſiccitatem, quæ illi eſt *qualitas appropriata* à terra : ergò DEUS movet ignem ad agendum per *qualitatem propriam* & per *appropriatam ;* & hoc *naturaliter*.

2. Eſt & alius motus, qui eſt *ſupra naturam*, ſicut DEUS, qui movet cauſas ſecundarias de *non eſſe* in *eſſe*, & facit *miracula*, & quidquid illi placet. Item eſt alius motus, qui eſt *artificialis*, ſicut quando DEUS movet voluntatem hominis, ut moveat manum ad movendum martellum, ut cum martello moveat clavum. In iſtis *quatuor modis* conſiſtit omnis motus in rebus corporalibus : & in *duobus primis* conſiſtit motus *naturalis*, ex quibus ſequitur motus augmentationis & alterationis : & in *duobus ultimis* conſiſtit motus *artificialis*, qui ſunt extra naturam ; ſicut DEUS, qui artificialiter creavit mundum, & ſicut homo, qui ſe artificialiter movet de uno *ubi* in aliud, movendo ſuos pedes, equitando & navigando.

3. Ait Raymundus : Eremita, ſi Sol (& ſic de aliis corporibus ſupracœleſtibus) non haberet *proprium motum ad per ſe movendum*, ſicut de igne dictum eſt, Sol non haberet proprium motum in agendo in inferioribus, nec DEUS cum ipſo *naturaliter* & *propriè* moveret Solem ad generandum flores & fructus in arboribus, & ſic de aliis ; nec Sol haberet *proprium appetitum* ad generandum generabilia, ſed haberet appe-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

appetitum appropriatum per alium; & ſic eſſet vacuus proprio motu & appetitu, qui eſt major & *magis naturalis*, quàm appropriatus: DEUS etiam eſſet impeditus, in quantum non poſſet movere Solem ad generandum flores per proprium motum & appetitum Solis; & quia hæc omnia ſunt impoſſibilia & contra ordinem Univerſi & contra ordinem, quem Divinæ Dignitates habent in cauſis ſecundariis & in ſuis effectibus, ſequitur, quòd *luminaria cœli in ſuis orbibus moveantur propriis motibus.*

4. Ait Eremita: Raymunde, ſi luminaria cœli in ſuis orbibus moverentur propriis motibus, ſequeretur vacuum; ſicut Sol, ſi in ſuo orbe ſe moveret proprio motu de uno *ubi* in aliud, relinqueret vacuum; & quia eſt impoſſibile, quòd ſit vacuum, ſequitur, quòd tua ratio non procedat; ſed ſi Sol eſſet motus per aliud & per contactum, non relinquit vacuum.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, ſicut homo movendo ſe de uno *ubi* in aliud, *frangendo* aërem à parte *antè*, à parte *poſt* clauditur aëre, qui implet locum, in quo erat; & hoc idem ſequitur de piſcibus natantibus per aquam: à ſimili, quando Sol & alia luminaria ſe movent de uno *ubi* in aliud, locus, in quo erant, clauditur & impletur à parte *poſt*, qui locus eſt de eſſentia materiæ & formæ univerſalis, de quibus dictum eſt in *ſexageſima prima Quæſtione.* Item Sol cum ſuo orbe ita ſe movet de uno *ubi* in aliud, ſicut flamma candelæ per alium mota de camera in cameram ſe movet cum ſua luciditate. Item, quia motus Solis eſt circularis, circulariter movet ſuum corpus, ſicut ſuppoſito, quòd in globo fili eſſet principium motûs flammæ in capite fili, quod eſt intrà in centro globi, & quòd motus eſſet per lineam continuam in filo uſque ad aliud caput, quod eſt in ſuperficie globi, ratione cujus globus eſſet per ſe motus circulariter.

QUÆSTIO LXXVI.

Utrùm Anima Brutorum ſit de alio?

1. SOlutio. Raymundus inveſtigavit id, de quo anima brutorum eſt, & dixit, quòd in capra, & ſic de aliis brutis, ſit potentia nutritiva & augmentativa per vegetativam; & quia anima vegetativa eſt extenſa, extenſitatem, quam habent, habent per ipſam. Item in capra eſt *appetitus* ſenſitivæ, per quem appetit comedere & coire &c.: & in capra eſt *æſtimativa* & *memorativa* per imaginativam; per æſtimativam multiplicat ſpecies, quas memorativa conſervat, & per æſtimativam habet induſtriam ad vivendum, & notitiam de amico & inimico; ſicut capra, quæ diligit ſuum filium, quem cognoſcit, & odit lupum, quem ſimiliter cognoſcit.

2. Dum Raymundus ſic conſideravit, dixit, quòd *anima brutorum ſit de tribus potentiis*, quæ ſunt *ſimilitudines* animæ rationativæ, quæ ſunt *æſtimativa*, *appetitiva* & *memorativa*, & cum iſtis facit, quidquid facit; & dixit, quòd iſtæ tres potentiæ ſint de *vegetativa*, *imaginativa* & *ſenſitiva*, ſicut *accidentia*, quæ ſunt de ſubſtantia *inſtrumentaliter*, & vegetativa, ſenſitiva & imaginativa ſunt *potentiæ ſubſtantiales*, ut anima capræ ſit ſubſtantia; de vegetativa ſunt per extenſitatem, ut ſint extenſivè per totum corpus, quod totum eſt vegetabile, & quod eſt de potentia elementativa, quæ eſt compoſita ex quatuor elementis, & ſic vegetativa eſt tota ſuſtentata in elementativa, & de ipſa recipit humidum nutrimentale, per quod creſcit & nutritur; & deficiente elementativâ deficit vegetativa, ſicut deſtructo fundamento deſtruitur tectum & parietes; & deſtructâ vegetativâ deſtruuntur ſenſitiva & imaginativa; & deſtructis ſenſitivâ & imaginativâ deſtruuntur æſtimativa, appetitiva & memorativa; & ideo mortuâ caprâ annihilatur numerus ſuæ animæ & ſui corporis. Igitur anima capræ eſt de prædictis; aliàs ſi ſimpliciter eſſet de ſenſitiva & imaginativa, & non de vegetativa, eſſet incorruptibilis, & eſſet in qualibet parte corporis, ſicut anima rationativa, quæ eſt immortalis & in qualibet parte corporis, cum quo eſt conjuncta; quod eſt inconveniens.

3. Ait Eremita: Raymunde, tu dicis, quòd anima brutorum ſit de vegetativa, ſenſitiva & imaginativa: unde quæro à te, de quo ſunt potentiæ vegetativa, ſenſitiva & imaginativa; & ſi dicis, quòd ſint de aliquo determinato, quæro à te, de quo eſt illud, & ſic gradatim de uno in aliud uſque ad ultimum, quod eſt de nihilo.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, prædictæ potentiæ ſunt de primis principiis, ſicut

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſicut de bonitate, magnitudine, duratione, poteſtate, inſtinctu, appetitu, & ſic de aliis, quæ ſpectant ad corpora; & iſta ſunt principia ſubſtantialia producta de nihilo, & ex ipſis eſt conſtitutum totum corpus Univerſi, ſecundùm quòd in *ſexageſima prima Quæſtione* ſignificatum eſt, ſicut de una *bonitate generali* omnes bonitates, quæ ſunt de natura corporeïtatis, & deductæ per omnes ſpecies & individua, & ſic de magnitudine, duratione &c.

5. Ait Eremita: quæro à te Raymunde, de quo ſunt eſſentialiter æſtimativa, appetitiva & memorativa capræ, & ſic de aliis brutis?

6. Reſpondit Raymundus: Eremita, quodlibet *principium ſubſtantiale* & *generale* eſt creatum cum *alio accidentali innato*, quod eſt de ſuo genere; ſicut accidentalis innata bonitas, quæ eſt accidens ſubſtantialis bonitatis, ut ſubſtantialis bonitas cum accidentali naturali bonitate bonificet magnitudinem, durationem &c.; & ex *primis principiis accidentalibus conſtituuntur accidentales formæ* vel *potentiæ*, ſicut æſtimativa, appetitiva & memorativa capræ; etiam caliditas ignîs, & humiditas aëris, & ſic de aliis: & ideo æſtimativa &c., quæ eſt de bonitate, magnitudine &c., eſt bona per bonitatem, magna per magnitudinem &c.; & ex iſtis accidentibus naturalibus conſequuntur accidentia in moralibus, ſicut vulpes, quæ habet bonam & magnam induſtriam ad venandum, & apis ad faciendum favum, & ſic de aliis.

QUÆSTIO LXXVII.

Utrùm Anima Brutorum ſit Forma extenſa, vel ſit tota in qualibet parte corporis?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: in *quinquageſima ſeptima Quæſtione* dictum eſt, quòd *extenſitas ſubſtantialis* ſpectet ad *corpus*, & *accidentalis* ad *quantitatem* corporis.

2. Item dixit, quòd in arbore, in qua pirus in caule eſt inſertus, & pomerium in piro, ſit una extenſitas indiviſa ſubſtantialiter & accidentaliter, cùm tota arbor ſubſtantialiter & accidentaliter ſit continua; ſed vegetativa, quæ eſt in trunco caulis, non eſt ſub illa ſpecie, ſub qua eſt in trunco piri & in trunco pomi: & ſic de vegetativa, quæ eſt in trunco piri, quæ non eſt ſub illa ſpecie, ſub qua eſt in trunco caulis & pomerii, ſed vegetativa eſt per totam arborem extenſa & indiviſa; & hoc ſubſtantialiter, in quantum eſt ſubſtantia, & accidentaliter, in quantum habet quantitatem continuam: igitur extenſitas conſiſtit in *diſcreta quantitate quoad ſpecies, non quoad ſe ipſam*; & ideo *tota vegetativa non conſiſtit in qualibet parte arboris*.

3. Item dixit Raymundus, quòd anima brutorum ſit de vegetativa, ſenſitiva & imaginativa, ût ſuprà dictum eſt; & eſt de vegetativa, in quantum ſenſitiva eſt *inſerta* in vegetativa; & eſt de ſenſitiva, in quantum imaginativa eſt *inſerta* in ipſa, & anima bruti ita eſt extenſa per corpus bruti, ſicut vegetativa per totum truncum ſupradictæ arboris; & corpus bruti eſt de elementativa, in quâ vegetativa *formalis* animæ bruti eſt *inſerta*, ſcilicet in vegetativa *materiali* corporis, quæ vegetativa corporis ſimpliciter eſt de eſſentia potentiæ elementativæ, quæ eſt fons & radix, à quo procedit augmentativa & nutritiva corporis bruti moti per ſuam animam ad vivendum, nutriendum & augmentandum, & ad movendum ſe de uno *ubi* in aliud; & ideo Eremita, anima bruti eſt extenſa per totum corpus, & ſic non eſt in qualibet parte corporis, ſicut dictum eſt de vegetativa arboris, cùm habeat unam naturam quoad vegetativam, & aliam quoad ſenſitivam, & aliam quoad imaginativam.

4. Ait Eremita: Raymunde, convenit, quòd omnis extenſitas ſit per materiam, cùm per materiam ſit longum, latum & profundum; & quia anima bruti eſt forma, quæ differt à corpore, quod eſt materia, eſt impoſſibile, quòd anima bruti ſit forma extenſa, cùm forma non habeat longum, latum nec profundum, ſinè quibus non poteſt habere extenſibilitatem, & eſt tota in qualibet parte corporis; cùm moveat corpus ad vivendum, nutriendum, augmentandum, & de uno *ubi* in aliud; hoc autem non poſſet facere, niſi in qualibet parte corporis eſſet eſſentialiter & virtualiter.

5. Ait Raymundus: Eremita, convenit quòd anima bruti ſit de vegetativa, mediante quâ poſſit participare cum elementativa, ſinè qua non poſſet participare cum ipſa, ſed eſt de vegetativa *formaliter*, & *vegetatio materialis* ſpectat ad corpus; & quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia corpus eſt compoſitum ex materia & forma, ſequitur, quòd extenſitas ſubjecta longitudini, latitudini & profunditati ſit ex forma & materia, & *forma* tranſit ad *vegetativam formalem*, & *materia* ad *vegetativam materialem;* ſicut vegetativa in arbore vel in ſanguine: & ideo illa forma, quam habet anima bruti per vegetativam, ſic eſt cauſa ſuæ extenſitatis formaliter, ſicut in vegetativa arboris vel ſanguinis, in quibus vegetativa habet formam extenſam; & ideo *forma extenſa*, quæ eſt in brutis, *formaliter* habet longum, latum & profundum; & ideo tua ratio non valet. Nec ſequitur, quòd tota anima bruti ſit in qualibet parte corporis, quia ſequeretur illud, quod ſequeretur, ſi tota vegetativa prædictæ arboris eſſet in qualibet parte ſui corporis.

6. Item dico tibi, quòd, ſi anima bruti non eſſet de vegetativa, imaginativa & de ſenſitiva, non haberet naturam menſurandi in imaginando ſubjectum figuratum extenſum per longum, latum & profundum, ſinè quibus non poteſt attingere objectum; & ſic de ſenſitiva, quæ non poteſt ſentire ſinè longo, lato & profundo. Et adhuc dico tibi, quòd, ſi ſenſitiva & imaginativa non eſſent de vegetativa, eſſent incorruptibiles & immortales, & remanerent mortuo animali, ſicut Anima rationalis remanet poſt mortem hominis: unde ſequeretur, quòd anima bruti conjuncta cum corpore acquireret meritum per virtutes, aliàs fruſtra eſſet poſt mortem bruti, & non poſſet attingere DEUM & ſubſtantias ſeparatas; quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO LXXVIII.

Utrùm aliqua Forma extenſa poſſit eſſe ſufficiens Motor?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: eſt *motor inanimatus* & *motor animatus; inanimatus*, ſicut ignis & lapis; *animatus*, ſicut arbor, brutum & homo.

2. Item dixit, quòd lapis habeat formam extenſam, & quando non eſt impeditus, moveat ſe ad centrum, & moveat ſe cum ſua gravitate & appetitu, qui ſunt *formæ accidentales*, cum quibus forma lapidis ſe movet in materiam lapidis, motâ materiâ ad centrum, quod appetit; ſicut in arbore vegetativa ſe movet cum augmentativa & nutritiva, cum quibus movet arborem, ut nutriatur & augmentetur, & ideo in Quæſtione affirmativa eſt tenenda.

3. Item dixit, quòd in brutis, in quibus forma eſt extenſa, ût in *ſupradicta Quæſtione* dictum eſt, forma extenſa ſit ſufficiens motor, cùm ipſa ſit motor movens ſémet ipſam, ſic movendo corpus de uno *ubi* in aliud, ſicut in homine Anima rationalis, quæ ſe movet in movendo corpus, cum quo eſt conjuncta; & ſicut Anima rationalis ſe movet cum ſuis potentiis, ſic forma bruti, ſcilicet anima, ſe movet cum ſuis potentiis, quæ ſunt æſtimativa, appetitiva & memorativa, ût ſuprà dictum eſt; & ideo forma bruti eſt motor extenſus & perfectus, in quantum cum ſuis potentiis ſe movet in movendo aliud, cum quo eſt conjuncta: ſicut capra, quæ imaginatur fontem, quem appetit, æſtimando ſitim, quæ eſt imaginabilis, & ſic de ſpecie fontis & ſitîs, quam tenet in ſua memorativa.

4. Ait Eremita: Raymunde, ſi forma eſſet motor extenſus, & eſſet in qualibet parte corporis, cum quo eſt conjuncta, eſſet in qualibet parte corporis mota de uno *ubi* in aliud; unde ſequeretur contradictio, ſcilicet, quòd forma eſſet extenſa & continua, & indiſcreta & diviſa quantitativè de uno *ubi* in aliud: & quia contradictio non poteſt ſtare, ergò negativa Quæſtionis eſt tenenda.

5. Ait Raymundus: Eremita, non bene intellexiſti ſupradictam ſolutionem, & verum diceres, ſi forma extenſa ſimpliciter moveret ſémet ipſam ſinè aliqua ſua potentia propria, & talis motus non eſt poſſibilis nec intelligibilis; ſed quòd capra ſe moveat cum ſuis pedibus de uno *ubi* in aliud, eſt poſſibile & intelligibile, ſinè ipſis non; ſic à ſimili ſua forma extenſa poteſt ſe movere movendo corpus & ſémet ipſam cum ſuis potentiis.

QUÆSTIO LXXIX.

Utrùm Corpus humanum poſt peccatum potuiſſet perpetuari per Eſum Ligni Vitæ?

1. SOlutio. Raymundus conſideravit proprietatem & virtutem Ligni Vitæ, quam habet, ut per ipſam homo comedens de ipſo perpetuò poſſit vivere, & dixit, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ad talem perpetuationem ſit neceſſaria virtus, quæ temperet & ordinet qualitates corporis hominis, ſcilicet caliditatem, humiditatem &c. tali modo, quòd omnino ſint in concordantia, & quòd ab ipſis ſit remota omnis contrarietas; aliàs corpus hominis per eſum Ligni Vitæ naturaliter non poſſet perpetuari.

2. Præterea dixit, quòd corpus hominis infectum per peccatum non poſſit eſſe ſinè contrarietate ſuarum qualitatum; quia ſi poſſet eſſe, naturaliter poſſet eſſe immortale, & eſſet inculpabile & impunibile; quod eſt impoſſibile & contra magnitudinem Divinæ Juſtitiæ: unde ſequitur, quòd, licèt Lignum Vitæ *poſſit* perpetuare per eſum corpus infectum per peccatum, ipſum tamen corpus infectum ab ipſo *non poſſet recipere* virtutem perpetuandi; ſicut homo exiſtens in peccato mortali, qui à DEO non poteſt recipere miſericordiam ſinè contritione, licèt DEUS quoad ſe illi poſſit parcere.

3. Ait Eremita: eſt poſſibile, quòd Lignum Vitæ habeat aliquam proprietatem vel virtutem, per quam per eſum poſſet perpetuare corpus hominis ſinè ligatione vel temperamento ſuarum qualitatum; ſicut accidit de quadam puella, quæ per ſeptem annos non comedit nec bibit: & hoc fuit per aliquam virtutem & ordinationem corporum ſupracœleſtium & per bonam conſtellationem, in qua fuit nata.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, quæcunque ſit virtus Ligni Vitæ non poſſet eſſe contra Divinam Juſtitiam, quæ requirit judicium & vindictam de homine peccatore, ſicut fecit de puella; quia quocunque modo fuiſſet nata, in fine fuit mortua, quia illius corpus erat infectum per peccatum originale.

QUÆSTIO LXXX.

Utrùm Adam & Eva potuiſſent coire, antequam aliquid comediſſent?

1. SOlutio. Raymundus inveſtigavit prima principia coitûs, quæ ſunt generativum, generabile & generare; & hoc ideo, quia natura hominis appetit multiplicare ſuam ſpeciem, cujus appetitus eſt diffuſus per tria prædicta principia, ſinè quibus non poſſet eſſe: & quia DEUS in Adam & Eva creavit perfectam naturam, quando fuit creata, habuit perfectum appetitum ad generandum hominem; ſicut ignis habet perfectum appetitum ad calefaciendum vel illuminandum: & ideo Adam & Eva potuerunt coire, antequam aliquid comediſſent.

2. Item ſubſtantia plena ſuis conſubſtantialibus principiis, quando generat, antè ſe evacuat & transmittit, quàm ſe repleat; aliàs natura plena priùs appeteret repleri, quàm ſe communicare, & ex ſe producere aliquid; quod eſt impoſſibile, cùm illi ſit magis proprium agere & ſe dilatare, quàm pati & repleri: ergò affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

3. Ait Eremita: Raymunde, in potentia vegetativa ſunt appetitiva, retentiva, digeſtiva & expulſiva; per appetitivam animal appetit comedere, bibere & reſpirare aërem; per retentivam conſervat hoc, quod recipit, quouſque per digeſtivam ſit digeſtum & ſit factum nutrimentum; per expulſivam expellit materiam, quæ non poteſt intrare in nutrimentum, & per ipſam expellit ſperma, quod ſic non poſſet expellere, ſicut non poſſet expellere fæces, niſi comediſſet: igitur patet, quòd Adam & Eva non potuerint coire, antequam comediſſent; quia ſi potuiſſent, digeſtiva poſſet nutrire & digerere aliquid de nihilo, & expulſiva expellere; quod eſt impoſſibile.

4. Ait Raymundus: Eremita, ſecundùm quòd tu conſideras generationem & corruptionem, verum dicis, cùm generatio non poſſit fieri ſinè corruptione: unde propter hoc appetitiva animalis appetit ab extrà recipere, ut intrà fiat generatio & transmutatio hujus, quod venit in ſpeciem animalis, ſicut panîs in carnem, & vini in ſanguinem; & hoc ideo, ut homo ſe poſſit ſuſtinere & prolongare à morte, cùm ſit corruptibilis & mortalis: ſed de influentia ſpermatis non eſt ſic, quia appetitus hominis non transmittit ſperma, ut homo intra ſe transmutet panem & vinum, ut vivat, ſed transmittit ſperma, ut multiplicet ſuam ſpeciem; & quia Primi Parentes, antequam peccâſſent, non habebant naturam corruptam, non indigebant transmittere ſperma deductum de corruptione in generationem per transmutationem de cibo in carnem, & de potu in ſanguinem; cùm eorum ſperma ſic fuerit cum ipſis concreatum, ſicut eorum humidum radicale & nutrimentale, & ſic de omnibus membris corporis: unde

(c) 2006 Ministerio de Cultura

unde ſicut Primi Parentes potuerunt facere phlebotomiam, antequam comediſſent, ſic potuerunt transmittere ſperma ex *humido nutrimentali* cum *charactere humidi radicalis.*

QUÆSTIO LXXXI.

Utrùm, ſi Adam & Eva non peccaſſent in prima tentatione, potuiſſent ex tunc peccare vel ipſi, vel aliquis de genere eorum?

1. SOlutio. Raymundus conſideravit id, de quo Primi Parentes fuerunt, & finem, propter quem fuerunt creati, & dixit, quòd Adam (& ſic de Eva) fuerit de Anima rationali & de corpore elementato, vegetato, ſenſato & imaginato, & ſuus finis fuerit recolere, intelligere & amare DEUM, & hoc cum bono, magno, durante, potente, virtuoſo, vero *recolere, intelligere* & *amare*, cùm DEUS ſit multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis cum bono, magno, durabili &c. *recolere, diligere* & *intelligere.*

2. Item dixit Raymundus, quòd in homine ſenſitivum *naturaliter* & *ſimpliciter per ſe* non habeat appetitum ad acquirendum virtutes, ſcilicet juſtitiam, prudentiam, fortitudinem & temperantiam, ſed *abſolutè* appetat delectari in omni delectabili ſenſibili; & quia homo non poteſt habere bonum, magnum &c. *recolere, intelligere* & *amare* ſinè virtutibus, DEUS dedit Animæ hominis virtutem & poteſtatem ſupra corpus, ut ipſum poſſet refrænare & ordinare, ut ſibi & corpori poſſet acquirere meritum, & cum ipſo habere magnam gloriam; & ideo licèt Adam & Eva (& ſic de ſequentibus eorum) in prima tentatione non peccâſſent, non potuerunt habere impoſſibilitatem peccati: quia ſi potüiſſent, non potuiſſent perſeverare in virtutibus cum *libero arbitrio*, nec multiplicare & frequentare virtutes, reſiſtendo pluribus tentationibus & in pluribus temporibus: unde ſequeretur diminutio meriti & gloriæ, & ſuperfluitas abſolutæ naturæ ſenſitivi: ergò negativa Quæſtionis eſt tenenda.

3. Ait Eremita: Raymunde, quando Angeli fuerunt creati, illi, qui dilexerunt DEUM, ſtatim fuerunt confirmati in gratia, & poſt eorum confirmationem non potuerunt peccare, nec Lucifer nec ſui ſequentes, poſtquam peccaverunt, potuerunt facere bonum, quia fuerunt confirmati in peccato: ſic à ſimili de Primis Parentibus, ſi in prima tentatione reſtitiſſent, poſtmodum non potuiſſent peccare; aliàs DEUS illos non poſuiſſet in tali ordinatione, in quali poſuit Angelos, & feciſſet eis injuriam; quod eſt impoſſibile: ergò affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, non eſt ſimile de Angelo & de homine, quia *totus* Angelus ſe convertit ad bonum, vel ſe pervertit ad malum; & hoc ideo, quia eſt ſubſtantia ſpiritualis non conjuncta cum corpore; ſed homo, qui eſt de corpore & anima, non poteſt ſe *totum* convertere ad bonum, nec ſe pervertere ad malum, cùm ſit de pluribus naturis differentibus; & ſi poſſet, natura ſui ſenſitivi eſſet mutabilis de una ſpecie in aliam, quia non eſſet *abſoluta* ad appetendum omnia ſenſibilia delectabilia, & ſic tunc eſſet alia, quæ modò non eſt, & eſſet illa, quæ nunc eſt; quod eſt contradictio: ergò tua ratio non valet.

QUÆSTIO LXXXII.

Utrùm ad Actum intelligendi ſit neceſſarium ponere Intellectum agentem naturalem differentem à poſſibili?

1. SOlutio. Ait Raymundus: in homine eſt una voluntas, quæ in ſe habet tria *concreta*, quæ illi ſunt conſubſtantialia & naturalia, ût in *tertia* & in *quinta Quæſtione* ſignificatum eſt; & illa tria concreta ſunt *volitivum, volibile* & *velle*, & hoc eſt neceſſarium ſecundùm naturam voluntatis & ſui liberi arbitrii & ſui finîs, ad quem eſt creata, qui eſt DEUS; cùm DEUS ſit ſummè volibilis & amabilis: & ideo ad actum *volendi* eſt neceſſarium *volens agens*, quod ſit de eſſentia voluntatis, ut habeat libertatem ad agendum, ut poſſit acquirere meritum, & ut ipſum *volens* habeat *proprium* & *naturale volibile*, in quod poſſit deducere electas ſpecies, & illas in ipſo facere volibiles, mediante ſuo *velle conſubſtantiali*, in quod imprimat *velle accidentale*, quod fluit & refluit; ſicut quando homo diligit caſtrum, aurum vel aliquid acquiſitum per *velle.*

2. A ſimili dico tibi, Eremita, quòd ad actum intelligendi ſit neceſſarius *intellectus*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ctus agens naturalis differens ab *intellectu poſſibili*, qui ſit de eſſentia intellectûs, & idem de intellectu poſſibili, & qui invicem habeant *intrinſecum intelligere conſubſtantiale;* & quòd ex omnibus tribus ſit unus intellectus; & quòd *intellectivus*, quem vocamus *intellectum agentem*, in ſuum *proprium intelligibile*, quem vocamus *intellectum poſſibilem*, deducat ſpecies acquiſitas, & in ipſo imprimat, & faciat intelligibiles, & in ipſo ipſas intelligat, ut intus ipſum in eſſentia & in natura intellectûs entia ſint intelligibilia, & ſit acquiſitum *intelligere accidentale*, quod fluit & refluit in *intelligere conſubſtantiale*, quod eſt *intrà;* & hoc eſt neceſſarium, ut intellectus habeat meritum & libertatem per *agere* activè & paſſivè in ſúo proprio *eſſe*, eſſentia & natura; quod meritum & liberum arbitrium non poſſet habere ſinè intellectu agente, qui eſſet de eſſentia intellectûs, qui eſt una potentia Animæ, cum qua Anima vel homo agit, quando intelligit.

3. Ait Eremita: ad actum intelligendi non eſt neceſſarium ponere intellectum agentem, quia ſufficit intellectus poſſibilis, qui per ſe poteſt intelligere; ſicut ad actum ſentiendi non eſt neceſſarium ponere ſenſum agentem, quia ſufficit ſenſus poſſibilis aliàs ſenſibilis, cui eſt poſſibile ſentire: & quia natura non requirit vacuum nec ſuperfluum, ſic non datur in actu intelligendi intellectus agens, ſicut in actu ſentiendi non datur ſenſus agens.

4. Reſpondit Raymundus: in potentia vegetativæ ſunt neceſſaria *proprium vegetativum*, & *proprium vegetabile*, & *proprium vegetare*, aliàs non poſſet eſſe generatio nec transmutatio materiæ de una ſpecie in aliam, & quòd iſta tria ſint de eſſentia vegetativæ, & quòd illa ex ipſis ſit conſtituta: adhuc ad actum vegetandi requiritur *appropriatum vegetabile* & *vegetare*, ſicut cibus in ſtomacho eſt vegetabilis in proprio vegetabili, in quo recipit *characterem vegetationis*, quando materia cibi eſt vegetata, & transmutata in carnem & in ſpeciem animalis: unde de neceſſitate in actu vegetandi ſequitur *agens vegetans*, quod deducat vegetabile *remotum* per accidens in ſuum proprium vegetabile; aliàs vegetabile remotum vel appropriatum non poſſet ſe vegetare nec tranſubſtantiare, cùm illi non ſit propriũ vegetare, nec habeat in ſe proprium locum vegetandi. Sic à ſimili eſt de potentia ſenſitiva, ſicut de vegetativa; in qua potentia ſenſitiva convenit, quòd ſit *ſenſus agens*, ut deducat *ſenſibile remotum* in ſuum *proprium ſenſibile*, in quo ſit *ſentitum;* ſicut ſapor cibi, qui ſentitur in *guſtabili propinquo*, quod eſt de eſſentia guſtûs. A ſimili eſt de *intellectu poſſibili*, qui ſinè *intellectu agente* non poſſet eſſe *intelligibilis*, in quo ſpecies acquiſitæ reciperent *characterem intelligibilitatis;* quæ ſpecies non ſunt de genere intellectûs; nec *intellectus poſſibilis*, poſtquam eſt poſitus in *genere paſſionis* per creationem, poteſt ſe facere *intelligentem*, qui eſt poſitus in *genere actionis* per creationem.

QUÆSTIO LXXXIII.

Utrùm Liberum Arbitrium ſit Potentia diſtincta contra Rationem & Voluntatem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: inter intellectum & voluntatem hominis eſt differentia, cùm ſint diverſæ potentiæ per objectum & actum, & per conſequens per eſſentiam: unde ſi liberum arbitrium non eſſet potentia diſtincta ab ipſis potentiis, eſſet tertium conſtitutum ab ipſis, & intellectus & voluntas eſſent ipſum liberum arbitrium: unde ſequeretur, quòd totum eſſet pars, & pars eſſet totum; quod eſt impoſſibile: vel ſimpliciter eſſet ſimile Divinæ Trinitati, in qua una Perſona non eſt alia, ſed omnes Tres ſunt Unus DEUS & Una Eſſentia, & DEUS eſt Quælibet Perſona; & quia nulla creatura ſimpliciter poteſt habere talem ſimilitudinem, ergò affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

2. Ait Eremita: Raymunde, per experientiam habemus, quòd voluntas habeat liberum arbitrium; cùm homo per voluntatem habeat poteſtatem eligendi ad diligendum vel faciendum unum vel aliud: etiam habemus experientiam, quòd intellectus habeat libertatem ad intelligendum conſcientiam, contritionem & honeſtum, cum quibus affligit voluntatem, & intelligit aliquid, de quo dolet voluntas, quæ optat, quòd intellectus illud non intelligeret, ſed ignoraret; & ideo de neceſſitate convenit, quòd in homine ſint duo libera arbitria, unum, quod ſit idem cum voluntate,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

te, & aliud cum intellectu ; vel quòd ſit unum liberum arbitrium non differens ab intellectu & voluntate : & quia eſt inconveniens, quòd in homine ſint duo libera arbitria, poſtquam unum poteſt ſufficere, ergò negatio Quæſtionis eſt tenenda.

3. Ait Raymundus: Eremita, concedo tibi, quòd ſit inconveniens, quòd in homine ſint duo libera arbitria; quia ſi eſſent, intellectus per ſuum liberum arbitrium nunquàm poſſet conſtringere voluntatem, quia voluntas ſe defenderet cum ſuo libero arbitrio, & è converſo; ſed non eſt inconveniens, quòd intellectus & voluntas *communiter* habeant *unum liberum arbitrium*, quod illis ſit *inſtrumentum*, cum quo liberè agant; ſicut non eſt inconveniens, quòd vir & mulier habeant unum filium & unum hoſpitium, ex quibus habeant uſum: nec ſequitur, quòd ſit inconveniens, quòd liberum arbitrium ſit differens ab intellectu & voluntate, licèt ſit eis *commune inſtrumentum*, ſicut non eſt inconveniens, quòd caliditas, quæ eſt inſtrumentum ignîs, cum quo calefacit, ſit differens ab ipſo igne, cùm ignis ſit ſubſtantia, & calor accidens.

QUÆSTIO LXXXIV.

Utrùm Liberum Arbitrium poſſit eligere Malum ſub ratione mali?

SOlutio. Dixit Raymundus: in *ſexageſima octava & octuageſima prima Quæſtione* ſolutio Quæſtionis eſt ſignificata.

1. Item Eremita, dico tibi, quòd Ratio vel intellectus, in quantum eſt creatura, ſit bonus, & ſic de libero arbitrio: unde ſequitur, quòd intellectus & liberum arbitrium ſimpliciter & naturaliter habeant concordantiam ſub ratione boni contra malum; cùm bonum & malum ſint contraria: unde ſequitur, quòd *liberum arbitrium non poſſit eligere malum ſub ratione mali*, ſed *per accidens ratione ſenſitivi*, cujus bonum ſive delectationem quando voluntas plùs diligit, quàm bonum intellectûs, cum libero arbitrio eligit malum, cui conſentit intellectus, quando voluntas habet plus poteſtatis in libero arbitrio, quàm habeat intellectus: ſicut quandoque accidit, quòd mulier habeat plus poteſtatis in rebus communibus, quàm vir, ſuo viro conſentiente: ſicut accidit de quadam muliere, quæ nepotem ſui viri, qui erat bonus, pauperem & nudum expulit de hoſpitio, & ſuum malum nepotem poſuit in hoſpitio, ut ipſum ditaret, ſciente ſuo viro, quòd ſuus nepos eſſet bonus & fidelis, & nepos ſuæ uxoris malus & infidelis; & ideo *ſecundùm quid*, & *non ſimpliciter*, affirmatio Quæſtionis eſt tenenda.

2. Ait Eremita: Raymunde, liberum arbitrium eſt id, per quod Ratio ſe poteſt habere ad eligendum bonum vel malum, & ſic de voluntate; aliàs liberum arbitrium non eſſet hoc, quod eſt: unde ſequitur, quòd Ratio ſub ratione mali poſſit eligere malum, ſicut dixiſti de viro, qui intelligebat, quòd malè faceret, in quantum conſentiebat ſuæ uxori, tamen voluit conſentire malo contra bonum per ſuum liberum arbitrium: unde ſequitur, quòd ſimpliciter affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, tua verba eſſent vera, ſuppoſito, quòd intellectus viri haberet ſuum proprium liberum arbitrium, & voluntas ſuum, vel quòd non eſſent potentiæ differentes, & quòd haberent unum liberum arbitrium, cum quo eſſent idem numero; ſed iſta ſuppoſitio jam ſuperiùs eſt deſtructa; ſed vir *liberè* conſenſit mulieri, & *ſua Voluntas gaudebat*, quia *habebat majus dominium* in libero arbitrio, quàm Ratio, quæ per ſyntheſin & in ſuppeditando voluntati habebat *conſcientiam, triſtitiam & dolorem in ſuo conſenſu ;* veruntamen ipſa Ratio habebat *poteſtatem* in diverſificando ſe ſuper liberum arbitrium & voluntatem, & in ſuppeditando voluntati cum ſyntheſi & conſcientia, ſi ipſas frequenter voluiſſet intelligere, & multiplicare actus earum: & ideo liberum arbitrium in eligendo malum non habebat culpam, ſed Ratio, quæ malè agebat de ipſo, & non conſervabat ſuum dominium in ipſo, & *plùs diligebat voluntatem, quàm ſe ipſam.*

QUÆSTIO LXXXV.

Utrùm Gratia primò ſit in Subſtantia Animæ vel in Potentiis?

SOlutio. Dixit Raymundus: Anima eſt de ſuis *conſubſtantialibus* potentiis,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tiis, ût in *tertia & quinta Quæſtione* ſignificatum eſt, & quidquid facit, facit cum ipſis, ſinè quibus nihil facit.

2. Item Anima eſt imago Sanctiſſimæ Trinitatis DEI per ſuas potentias, & per unitatem ſuæ ſubſtantiæ, eſſentiæ & naturæ eſt imago Unitatis Divinæ Eſſentiæ, Subſtantiæ & Naturæ ; & quia Divina Gratia eſt una quoad Unitatem Subſtantiæ, & quoad Perſonas, *uniformiter & in eodem inſtanti influitur gratia ſubſtantiæ Animæ & ſuis potentiis ;* aliàs Anima non eſſet perfecta imago DEI per gratiam ; quod eſt impoſſibile, cùm gratia dicat perfectionem *ſimilantis & ſimilati.*

3. Præterea dixit Raymundus : gratia non poteſt tranſire ad ſubſtantiam Animæ, niſi per potentias animæ ; ſicut homo non poteſt intrare in cameram clauſo oſtio, nec potentiæ poſſunt recipere gratiam, niſi Anima ipſas moveat & diſponat ad recipiendum ; ſicut in homine intellectus non poteſt intelligere, nec voluntas diligere, nec memoria recolere, niſi homo iſtas potentias moveat ad agendum : & ideo dico tibi, quòd gratia uniformiter & in eodem inſtanti ſit in ſubſtantia Animæ & ejus potentiis.

4. Ait Eremita : Raymunde, potentiæ Animæ naturaliter influuntur à ſubſtantia Animæ, ſicut partes à ſuo toto ; & ideo Divina Gratia priùs influitur ſubſtantiæ Animæ, quàm ſuis potentiis, ut influatur ſecundùm naturam ſubſtantiæ Animæ & ſuarum potentiarum ; aliàs ſi gratia influeretur contra diſpoſitionem & naturam ſubſtantiæ Animæ & ſuarum potentiarum, in illa influentia non eſſet ordo, nec per conſequens gratia : ergò tua ratio non valet.

Iterum ait Eremita : Raymunde, ſubſtantia nihil poteſt recipere de gratia, niſi per potentias, ût tu dicis, ſicut homo non poteſt intrare cameram clauſo oſtio, ſed aperto oſtio antè intrat per oſtium, quàm ſit in camera ; ſed quia aperire antè eſt, quàm intrare, igitur convenit, quòd ſubſtantia Animæ aperiat potentias, ut gratia intret ; ſed non poſſet aperire potentias, niſi in illa ſit gratia : ergò gratia priùs eſt in ſubſtantia Animæ, quàm in potentiis Animæ ; & hoc eſt immediatè, ſed mediatè primò eſt in potentiis : & ideo in reſpondendo ad Quæſtionem diſtinguendum eſt, ût ſuprà dictum eſt : & quia tu dicis, quòd gratia æqualiter intret, & introitus immediatus priùs eſt, quàm mediatus, tua ratio non procedit.

5. Ait Raymundus : Eremita, in introitu gratiæ in animam tria ſunt conſideranda, quæ ſunt *finis, locus & tempus ;* finis eſt conſiderandus, in quantum Anima eſt, ut recolat, intelligat & diligat DEUM ; & quia Anima eſt de ſuis potentiis, finis eſt unus, quantum ad ſubſtantiam Animæ & quantum ad potentias ; & idem eſt de tempore & loco, cùm Anima ſit ſubſtantia *ſpiritualis,* quæ quoad ſe non indiget loco, nec tempore, ût in *quadrageſima quarta Quæſtione* ſignificatum eſt : & quia gratia influitur ratione finîs, quando influitur in *ſubjectum ſpirituale, non indiget tempore nec loco nec medio,* ſed influitur *immediatè ;* aliàs gratia non eſſet hoc, quod eſt, ſi indigeret medio & ſucceſſione ; & ſic tua ratio non valet ; ſed in rebus *corporalibus* bene valeret, quia ſecundùm dona naturalia gratia influitur ſucceſſivè & per medium ; ſicut filio Regis, cui mediante patre fit gratia dominii & honoris, & ſic de ſimilibus.

QUÆSTIO LXXXVI.

Utrùm Gratia gratum faciens *& Virtus* gratuita *differant per Eſſentiam?*

1. SOlutio. Dixit Raymundus : *Virtus gratuita* eſt Fides, Spes, Charitas, quæ differunt per eſſentiam, cùm una non ſit alia, & quælibet habeat ſuum *proprium actum :* ſicut Fides, quæ habet *credere,* Spes *ſperare,* Charitas *amare ;* ſed *Gratia* eſt *una,* & habet *unum actum,* ſcilicet *gratiari ;* ergò affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

2. Item prædictæ virtutes ſpectant ad meritum, quia ratione meriti ſunt datæ, licèt gratìs ſint datæ ; & ſpectant ad meritum, quia ſi non ſpectarent ad meritum, implicaretur contradictio, & ipſi *credere, ſperare* & ipſi *amare* conveniret acquirere meritum, & non acquirere ; quod eſt impoſſibile : ſed *gratuitò facere gratiam* non ſpectat ad meritum *quoad ipſum,* qui facit gratiam ; quia ſi ſpectaret, *gratia gratìs facta* non eſſet hoc, quod eſt. Item gratia gratìs facta eſt etiam quoad dona naturalia & bona temporalia, ſed virtus gratuita non ; & ideo *gratia gratìs facta & vir-*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

virtus gratuita differunt per eſſentiam, conſequenter etiam *gratia gratum faciens.*

3. Ait Eremita: Raymunde, DEUS non poteſt facere gratiam ſinè Charitate, quia, niſi diligeret illum, cui facit gratiam, non faceret illi gratiam; & idem eſt è converſo: quia DEUS non poteſt dare Charitatem ſinè gratia, & ſic de Fide & Spe; & ideo gratia gratum faciens & virtus gratuita ſunt idem per eſſentiam, cùm una non poſſit eſſe ſinè alia in agente nec in patiente.

4. Raymundus reſpondit: ſubſtantia non poteſt creari ſinè accidente, nec è converſo, cùm relativè ſe habeant; ſicut ſubſtantia mundi, quæ non potuit creari ſinè quantitate, nec quantitas ſinè ſubjecto: verumtamen quamvis ſubſtantia *naturaliter* non poſſit eſſe ſinè accidente, nec è converſo, nec DEUS poſſit unum facere ſinè alio, non tamen ſequitur, quòd ſubſtantia ſit accidens, nec accidens ſubſtantia; ſimiliter eſt de *gratia* & *virtute;* & ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO LXXXVII.

Utrùm aliquid *tranſeat in Veritatem humanæ Naturæ per Actum* Generativæ?

SOlutio. Ait Raymundus: in *ſexageſima tertia Quæſtione* ſignificata eſt ſolutio hujus Quæſtionis.

1. Item quando DEUS creavit mundum, ſicut ædificavit & plantavit qualitates in elementis, uti caliditatem in igne, & humiditatem in aëre, & frigiditatem in aqua, & ſiccitatem in terra, ſic creavit, plantavit & ædificavit in potentia elementativa vegetativam, ſenſitivam & imaginativam, ut per vegetativam eſſent vegetabilia, per ſenſitivam ſenſibilia, & per imaginativam imaginabilia, & ex iſtis creavit primos efficientes naturales, videlicet *in prima linea* primam ſiculneam, primum leonem, primum hominem, & ſic de ſimilibus, ut prædictas *potentias deduceret in actum;* ſicut ſemen, quod per viam generationis deducit de potentia in actum aliam plantam, & ſic de ſemine ſenſitivi, per quod ſenſitivum generat & producit aliud ſenſitivum imaginatum, *potentiâ elementativâ exeunte ſicut fons*, ex quo derivantur plures rivi: „ & ideo quando homo in ſua ve„ getativa de cibo generat carnes, & ſic de „ potu, homo in ſua vegetativa eſt vege„ tans, in qua vegetativa habet *proprium* „ *vegetabile*, in quo de cibo *educit* & ge„ nerat vegetatum, *materiâ cibi* per cor„ ruptionem *dimittente* illam *ſpeciem, in* „ *qua erat*, quæ *tranſit in ſpeciem homi*„ *nis*, hoc eſt, in vegetationem, quæ eſt de „ eſſentiâ hominis „; & *de illa materia* homo gignens generat & attrahit in ſuo ſenſibili carnes *ſenſatas*, & ſic de eſſentia imaginationis: unde de neceſſitate ſequitur, quòd aliquid tranſeat in veritatem humanæ naturæ per actum generativæ; aliàs in prædicta corruptione & generatione eſſet vacuitas naturæ & ſubſtantiæ, quod eſt impoſſibile; & ideo hoc, quod *tranſit*, *implet;* ſed ſecundùm quòd dictum eſt in *ſeptuageſima ſeptima Quæſtione* per unum modum ſtat ſub ſpecie vegetativæ, & per alium ſub ſpecie ſenſitivæ, & per alium modum ſub ſpecie imaginativæ, & hoc *continuè*, cùm una ſpecies ſit in alia: & quia corpus hominis ex iſtis quatuor eſt conſtitutum & compoſitum, *tranſit aliquid ab extrinſeco in veritatem humanæ naturæ per actum generativæ.*

2. Ait Eremita: Raymunde, ſi verum
a. eſſet hoc, quod tu dicis, ſequerentur multa inconvenientia; ſicut ſi homo comederet hominem, eſſentia corporis hominis comeſti tranſiret in eſſentiam hominis comedentis; & ſic ſuus numerus eſſet deſtructus & annihilatus, ratione cujus non poſſet reſurgere, quod eſt contra Fidem Catholicam.

b. Item ſi materia cibi tranſiret in veritatem humanæ naturæ, humana natura comedentis non eſſet plena, ſed vacua, ratione cujus vacuitatis per ſe non poſſet exiſtere ſub propria ſpecie, ſed per accidens, ſcilicet per hoc, quod comeditur; quod eſt valde inconveniens: & ideo tua ratio non procedit, ſed mea.

3. Reſpondit Raymundus: in homine
a. ſunt *duæ humiditates*, una eſt *radicalis*, alia *nutrimentalis; radicalis* eſt illa, quæ eſt ex primis Parentibus; *nutrimentalis* eſt illa, per quam humidum radicale vivit; & eſt *duplex*, una eſt, quæ eſt ex primis Parentibus; alia eſt, quæ fluit & refluit; & hæc eſt ab *extrinſeco*, quæ *convertitur* in *intrinſecam*, ut tranſeat in veritatem humanæ naturæ, & illa, quæ eſt *adveniens*, *trans-*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tranſit intrà, & per corruptionem *extrà expellit* illam, quæ erat intrà: exemplum eſt de flamma candelæ, in qua flamma, quæ in cera eſt in potentia, educitur de potentia in actum, & *antiqua recedit in fumum;* ſed flamma candelæ, in quantum flamma, permanet in ſua ſpecie, & eſt *radix*, in qua ſpecies flammæ eſt ædificata, & *durat* per illam, quæ *evenit*: & ideo reſpondeo tibi ſecundùm prædictum exemplum, quòd corpus hominis comeſtum tranſeat in veritatem humanæ naturæ hominis comedentis; & hoc idem ſequeretur, ſi lupus ipſum comediſſet; ſed potentia expulſiva ſic *expellit* illam per fæces, ſicut dictum eſt de fumo flammæ candelæ; ſed *illa materia eſt conſervabilis in ſuo proprio numero uſque ad diem Judicii per Divinam Poteſtatem, Sapientiam, Voluntatem & Juſtitiam &c.*

b. Et quando dicis, quòd ſpecies humanæ naturæ comedentis non eſſet plena, niſi per hoc, quod evenit ex cibo & potu, malè dicis, cùm ſit *plena ex humido radicali & nutrimentali, quæ habet à primis Parentibus;* veruntamen *ſinè humido nutrimentali, quod advenit, non poſſet vivere.*

QUÆSTIO LXXXVIII.

Utrùm aliquid extrinſecum *tranſeat in Veritatem humanæ Naturæ per Actum* Nutritivæ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: pirus inſerta in pomo nutritur & vivit de materia, quæ illi *evenit* de trunco pomi; & hoc non poſſet fieri, niſi materia de trunco pomi tranſiret in veritatem naturæ piri: ergò *materia dimittens unam ſpeciem, & accipiens aliam, tranſit*, & per illum tranſitum ſequitur nutrimentum & reaugmentum piri: à ſimili, Eremita, dico tibi, quòd *cibus & potus tranſeant in vegetativam & ſenſitivam hominis*, ratione cujus corpus hominis recipit nutrimentum & augmentum; aliàs non haberet, de quo poſſet nutriri & augmentari.

2. Ait Eremita: Raymunde, exemplum,
a. quod dediſti de piro inſerta in pomo, non eſt ſimile ad nutrimentum hominis, cùm materia arboris ſit una & continua per totam arborem; ſed de cibo & corpore hominis non eſt ſic, cùm cibus habeat ſuam propriam materiam, & corpus ſuam; & ſic non participant per quantitatem continuam, ſed per diſcretam, ratione cujus diſcretæ quantitatis non poteſt aliquid de cibo intrare in veritatem humanæ naturæ, per quod corpus hominis nutriatur.
b. Sed nutrimentum corporis hominis eſt per potentiam augmentativam, quæ eſt de eſſentia corporis, per quam corpus hominis nutritur & augmentatur: veruntamen cibus (& ſic de potu) ſunt coadjuvantes ad nutrimentum & augmentum corporis hominis, ſicut corpora ſupracœleſtia, quæ coadjuvant ad generandum, nutriendum & augmentandum corpora inferiora, licèt ex eorum eſſentiis nihil intret in hæc inferiora.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita, em-
a. brio in matrice fœminæ eſt *inſertus* per generationem; & hoc apparet, quando puer eſt natus, in quo continuatur inteſtinum cum ſuo umbilico; per quod inteſtinum embrio recipit cibum, nutrimentum & augmentum: & quando puer eſt natus, recipit per os, & reducitur per ſtomachum, ubi fit *digeſtio per participationem & contactum*, & vegetatio, quæ eſt de ſua eſſentia, *attrahit ad ſuam ſpeciem* hoc, quod advenit, ût ſuprà dictum eſt; per quam attractionem & vegetationem fit generatio, nutrimentum & augmentatio ex hoc, quod advenit.
b. Et quando dicis, quòd nutrimentum fiat per nutritivam, quæ eſt de eſſentia hominis, & ſic de augmentativa, verum dicis, ſed nutritiva hominis nutrit ſe ipſam ex hoc, quod advenit; aliàs augmentativa hominis non haberet, de quo augmentaret ſe ipſam: ergò augmentat ſe ipſam ex hoc, quod advenit, *transmutando illud in ſuam ſpeciem;* & hoc apparet in homine macro, cujus carnes per cibum & potum augmentantur. Et etiam in fæcibus eſt ſignificatum, quòd tua ratio non procedat; quia ſinè *transmutatione de una ſpecie in aliam* nec fæces neque urina in homine poſſunt fieri; ſed fiunt intrà per generationem, quia aliquid intrat de hoc, quod evenit, ex quo intrà fit nutrimentum & augmentum.

QUÆ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO LXXXIX.

Utrùm Anima Senſitiva in Hominibus ſit à Generante?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, Sol, lapis, terra & planta, & ſic de ſimilibus coloratis, non ſunt de natura ſenſibilitatis; ſed animal ſenſitivum facit ipſa ſenſibilia in ſuo proprio ſenſibili, ſicut per ſuum *viſivum* facit ipſa viſibilia in ſuo *proprio viſibili*, imprimendo *in ipſis* characteres viſibilitatis, per quos poſſunt videri, & in illis characteribus viſivum ſic videt res viſibiles, ſicut homo in ſpeculo ſuam faciem; & iſtæ res viſibiles, quæ per ſe non ſunt viſibiles, ſed per aliud, ût ſuprà dictum eſt, per eundem modum ſunt viſibiles per bruta animalia, ſicut per homines; & idem eſt dicendum de aliis ſenſibus, ſicut leo, qui per eundem modum guſtat, audit, odoratur & tangit, ſicut homo: unde ſequitur, quòd anima ſenſitiva ſit una in genere, ſcilicet *una ſenſitiva communis* omnibus animalibus tam brutis, quàm rationalibus; aliàs ſi eſſent duæ ſenſitivæ, quarum una eſſet à generante, & alia à creante, eſſet impoſſibile, quòd homines & bruta haberent æqualem modum ſentiendi & faciendi res ſenſibiles; cùm ſenſitiva brutorum eſſet generalis & à generante; & in quolibet homine eſſet ſua ſenſitiva à creante & ſpecificata, non derivata à generali: & quia anima brutorum eſt à generante, etiam per conſequens anima ſenſitiva hominum.

2. Item ſi anima ſenſitiva hominum eſſet à Creante, & anima ſenſitiva brutorum à generante, ſequerentur multa inconvenientia contra ordinem naturæ; ſicut ſequeretur, quòd eſſent duæ albedines, duæ caliditates, duæ humiditates, duæ frigiditates & duæ ſiccitates, duæ quantitates, duo tempora, duo loca, duæ corporales bonitates, magnitudines &c., etiam duæ vegetativæ & duæ elementativæ; & hoc ideo, quia natura eſſet vacua perfectione, & haberet ſuperfluitatem, cùm tantum poſſet facere cum una ſenſitiva, quantum cum duabus.

3. Item quando corpus hominis eſt mortuum, ſic fiunt in ipſo vermes, ſicut in cadavere bruti, & vermes, qui ſunt in cadavere hominis, ſunt ita vegetati & ſenſati, ſicut vermes, qui ſunt in cadavere bruti.

4. Præterea ſi anima ſenſitiva hominum eſſet à Creante, eſſet plus parentelæ inter brutum & brutum, quàm inter hominem & hominem; & ſic inter hominem patrem & ſuum filium non eſſet parentela per ſenſitivum, nec per conſequens naturalis dilectio, ſed inter aſinum & ſuum filium eſſet; etiam aſinus plùs appeteret aſinam, quàm vir mulierem: etiam corpora ſupracœleſtia influerent plus de motibus naturalibus per ſenſitivum in bruta, quàm in homines; & hæc omnia ſunt valde inconvenientia; & hoc, quod plus eſt, quàm quidquid diximus, videlicet Filius DEI non aſſumpſiſſet Carnem Senſatam à Beata MARIA Virgine, ſed carnem mortuam non ſenſatam, in qua eſſet creata & infuſa Anima Senſitiva Chriſti; unde ſequeretur, quòd Beata Virgo non eſſet Mater Chriſti per ſenſitivum, nec per conſequens per vegetativum; cùm vegetativum Beatæ Virginis ſinè ſenſitivo non potuiſſet tranſire in Naturam Humanam Chriſti; cùm *vegetativum in corpore ſenſato ſe non poſſit denudare à ſenſitiva, niſi per corruptionem:* & ſic Beata Virgo ſimpliciter eſſet Mater per elementativam; quod eſt impoſſibile: & tu Eremita vade ad *octuageſimam ſeptimam* & *octuageſimam octavam Quæſtionem.*

5. Item dico tibi, quòd, ſi tua opinio eſſet vera, Filius DEI per Suam Carnem aſſumptam *non participaret* in parentela cum humano genere per ſenſitivam & vegetativam, nec per conſequens potuiſſet recreare humanum genus, cùm per *ſenſitivum* & *vegetativum* in Primis Parentibus maſſa hominum ſit corrupta & non corrupta; quod eſt contradictio, ſi meum ſenſitivum & vegetativum & tuum & omnium aliorum hominum non eſſent de Primis Parentibus.

6. Adhuc dico tibi, & plus poſſem dicere, quòd bruta & plantæ per ſenſitivum & vegetativum non poſſent participare cum Chriſto nec cum hominibus; quod eſt valde inconveniens & contra perfectionem Univerſi: ergò anima ſenſitiva in hominibus eſt à generante; & vade ad *LXI. Quæſtionem.*

7. Ait Eremita: ſi ſenſitiva hominum eſ-
a. ſet à generante, ſequerentur plura inconvenientia, ſcilicet mortuo homine remaneret ſenſitiva denudata à rationativa, &

(c) 2006 Ministerio de Cultura

corpus eſſet ſenſatum, vel ſuus numerus ſpecificus eſſet annihilatus; ratione cujus annihilationis corpus non poſſet reſurgere.

b. Item ſi ſenſitiva remaneret in hac vita, Anima rationalis in alia vita non haberet ſcientiam de hac vita; quia ſicut dimitteret ſenſitivam, ita dimitteret imaginativam, ſinè qua non poſſet imaginari res inferiores: ſed ſi imaginativa & ſenſitiva ſunt potentiæ coëſſentiales rationativæ & cum ipſa concreatæ, corpus hominis poteſt reſurgere permanente ſenſitivâ in ſuo numero, & per imaginativam poteſt imaginari inferiora.

c. Item dico tibi, quòd, ſi ſenſitiva & imaginativa non ſunt potentiæ innatæ Animæ rationalis, anima, dum eſt in corpore, non habeat, cum quo ſit forma illius, quia non habet, cum quo faciat hominem imaginari & corpus ſentire; & idem ſequeretur de vegetativa, quam convenit eſſe à creante, & quòd ſit potentia innata animæ, ut per ipſam faciat corpus vegetare: ergò anima ſenſitiva in hominibus non eſt à generante.

8. Reſpondit Raymundus: Eremita, licèt *a.* ſenſitiva remaneat mortuo homine, non ſequitur, quòd corpus remaneat ſenſatum, cùm ſenſitiva ſit *corruptibilis* per infirmitatem corporis, vel per vulnerationem vel per ſuffocationem: & quòd ſit corruptibilis, apparet in cadavere hominis, in quo vermes ab ipſo accipiunt ſenſitivam & vegetativam. Et quando dicis, quòd numerus ſpecificus ſenſitivæ hominis eſſet annihilatus, malè dicis, quia ita poſſes dicere de ſua elementativa, per quam homo habet corpus, oſſa, membra & carnes, longum, latum & profundum: & ſicut DEUS elementativam poteſt *reſtaurare & gubernare in eodem numero* uſque ad Diem Judicii, ſic poteſt ſenſitivam cujuslibet hominis gubernare & reſtaurare uſque ad Diem Reſurrectionis.

b. Et quia dicis, quòd, ſi anima ſenſitiva remaneret in hac vita, rationativa in alia vita non haberet ſcientiam de rebus inferioribus ſenſibilibus & imaginabilibus, malè dicis, quia rationativa in ſuo proprio memorabili *deducit* ſpecies imaginabiles & ſenſibiles, quas in hac vita *recepit*, & illas *reddit* intellectivo, qui in ſuo intelligibili ipſas *acquiſivit*; & hoc rationativa poteſt facere, cùm poſt mortem *non ſit impedita* à corpore.

c. Item quando dicis, quòd conveniat, quòd imaginativa, ſenſitiva & vegetativa ſint potentiæ innatæ Animæ rationalis, ut per ipſas faciat corpus ſentire, vegetare & hominem imaginari, non ſequitur; quia ſicut ignis cum ſua caliditate in elementato movet aquam ad calefaciendum, licèt differant per eſſentiam & naturam, & voluntas movet manum ad ſcribendum, ſic Anima conjuncta corpori poteſt movere imaginativam ad imaginandum, & ſenſitivam ad ſentiendum, & vegetativam ad vegetandum; ſicut movet elementativam corporis ad elementandum materiam, quæ venit ab extrà per cibum & potum, licèt elementativa non ſit potentia innata Animæ rationalis, nec creata cum ipſa in uno tempore; & ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO XC.

Utrùm Anima poſſit inſici à Carne?

SOlutio. Raymundus reſpondit *duobus modis* ad hanc Quæſtionem, ſcilicet per *participationem* & per *diſpoſitionem*; per *participationem* dicens: „ vinum rubeum mixtum cum aqua in mixto, quod eſt *tertium* ex ipſis, eſt *fractum* „ & *remiſſum* quoad ſuam intenſitatem „ coloris & ſaporis; & hoc eſt ideo, quia „ *participat* cum aqua, quæ eſt *frigida & humida*, & ipſum eſt *calidum & ſiccum*; & ideo eſt mutatum & alteratum „ de *intenſa quantitate* in *extenſam* ratione *participationis contrarietatis*: „ à ſimili, quando Anima *creatur* & *infunditur* in corpus hominis, ipſa *venit munda* & *pura* & cum ſuo connaturali libero arbitrio, & corpus cum ſua elementativa, vegetativa, ſenſitiva & imaginativa; & *per elementativam*, quæ eſt de elementis contrariis, eſt corruptibile; & *per vegetativam* eſt nutribile & augmentabile & alterabile; & *per ſenſitivam* habet magnam poteſtatem & malam appetendi magna delectabilia ſenſibilia contra caſtitatem, temperantiam, juſtitiam, prudentiam, fortitudinem, patientiam & abſtinentiam, & ſic de ſimilibus virtutibus: & hoc eſt, quia ſenſitiva naturaliter eſt abſoluta ad appetendam magnam inhoneſtam & inordinatam delectabilitatem; *per imaginativam* habet corpus naturam multiplicandi concupi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cupiſcibile & iraſcibile & inflammationem & augmentationem carnis, & ſic de aliis. Unde quando anima ſic venit ad corpus, & corpus ad animam, ût ſuprà dictum eſt, conſtituunt *tertium*, quod eſt homo, *in quo* anima eſt *mutata & infecta, non quoad ſuam eſſentiam & naturam*, ſed *quoad hoc, quod ipſa eſt in homine*, qui *naturaliter de ipſa agit* in corpore, ut ſit ejus forma, & ipſum moveat ad elementandum, vegetandum, ſentiendum & imaginandum, permanente corpore cum ſuis connaturalibus ſupradictis proprietatibus; & ideo Anima recipit infectionem à carne *agendo de corpore naturaliter* ſecundùm naturam corporis, quæ natura eſt diffuſa in prædictis potentiis corporis.

2. Præterea Anima recipit infectionem à carne, dum homo per liberum arbitrium Animæ *deliberat* ad agendum bonum vel malum, honeſtum vel inhoneſtum; cùm Anima non habeat ſuum liberum arbitrium perinde ad bonum & malum, ſed *ſimpliciter ad bonum;* ſed homo, qui eſt ex duabus naturis, cum libero arbitrio deliberat ad agendum ſecundùm appetitum cujuslibet naturæ: unde ſequitur, quòd Anima *per accidens* ſit infecta & remiſſa *in participando cum corpore:* ſicut caſtitas, quæ eſt infecta & remiſſa in homine caſto, qui tentatur à luxuria, & deliberat, utrùm velit luxuriari, vel non: & ſicut Anima eſt mutata & infecta per liberum arbitrium, ſic eſt mutata & infecta per ſuam voluntatem, intellectum & memoriam, cum quibus homo agit in diligendo inhoneſtam delectationem corporis, & intelligendo & recolendo ipſam; & ideo, Eremita, per prædicta patet, quòd *Anima ſit infecta à carne per participationem;* & *infectio carnis eſt à Primis Parentibus.*

3. Item Anima poteſt infici *per diſpoſitionem*, & hoc vice versâ; quia ſicut homo exiſtens in mortali peccato non poteſt exire à peccato, niſi ſe diſponat per conſcientiam vel contritionem, pœnitentiam, confeſſionem & ſatisfactionem, ita niſi Anima *ſe diſponat ad conſentiendum* appetitui inhoneſto corporis, caro non poteſt inficere Animam per peccatum actuale, cùm Anima ſit forma corporis, & naturaliter prædominans corpori; ſed quando *ſe diſponit* ad volendum, intelligendum & recolendum delectabilia corporis, *non refrænando* ipſum, nec conſtringendo ipſum cum bonis virtutibus, ſed conſentit appetitui corporis, ſic Anima inficit ſe cum corpore; ſicut homo, qui cum ſuo gladio & brachio ſe interficit: ergò affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

4. Ait Eremita: mea Anima non eſt de
a. Primis Parentibus; unde ſicut meum corpus eſt infectum propter hoc, quia eſt de Primis Parentibus, qui fuerunt infecti per peccatum, ſic è contrario mea Anima non poteſt infici à corpore, cùm non ſit de Primis Parentibus.

b. Præterea, Raymunde, tu ſcis, quòd forma ſit fortior & nobilior, quàm materia; & quia Anima eſt forma corporis, eſt impoſſibile; quòd corpus poſſit inficere Animam ſecundùm ſuam puram potentiam; & maximè, cùm corpus ſit de natura brutali, quæ non eſt obligata ad acquirendum virtutes, quia non habet, cum quo ipſas poſſit acquirere; & ideo tua ratio non procedit.

5. Ait Raymundus: Eremita, non bene
a. intellexiſti ſolutionem Quæſtionis; quia, licèt tua Anima non ſit de Primis Parentibus, tamen eſt infecta à carne *per participationem*, & in quantum *homo cum ipſa deliberat ad agendum inhoneſtum*, diligendo delectabilia & naturalia corpori, ût prædictum eſt: veruntamen tua ratio valeret, ſi homo non eſſet *de eſſentia* Animæ, nec *cum ipſa ageret* inhoneſtum cum corpore; ſed quando *totum* eſt infectum, convenit, quòd *partes* ipſius ſint infectæ.

b. Et quando dicis, quòd forma ſit nobilior, quàm materia, verum dicis, & tua ratio valeret, ſi Anima ageret de corpore, & non homo; ſed quia *homo agit de ſuis partibus*, inficit cum ſuo corpore Animam, ût ſuprà probatum eſt, ergò tua ratio non valet.

QUÆSTIO XCI.

Utrùm Peccatum corrumpat aliquod bonum in Anima?

1. SOlutio. Raymundus conſideravit corruptionem boni *duobus modis*, dicens, quòd una ſit *corruptio boni ſubſtantialis*, & alia *corruptio boni accidentalis; corruptio boni ſubſtantialis* eſt, ſicut corruptio corporis hominis (quod eſt bonum) quando moritur; *corruptio boni accidentalis* eſt, ſicut corrumpere bonum *recolere*,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

re, intelligere & *diligere*, quæ corrumpuntur per peccatum : ſicut quando homo recolit, intelligit & diligit peccatum, & recolit, intelligit & odit virtutem ; & quia *actus ſecundarii* ſunt à potentiis Animæ, Anima inficit & corrumpit *ſua bona accidentalia* cum peccato, ſcilicet ſuos actus ſecundarios, per quod corrumpit *ſuum bonum conſubſtantiale*, in quantum *deviat* ipſum à *fine*, quare eſt creatum, & deducit ipſum ad pœnas infernales : & ideo dico tibi, Eremita, quòd quoad talem corruptionem affirmatio Quæſtionis ſit tenenda ; verumtamen *non quoad corruptionem eſſentiæ Animæ*, cùm ſua eſſentia ſit incorruptibilis & immortalis, & per conſequens ſua ſubſtantialis & naturalis bonitas & ſuæ potentiæ, *quæ naturaliter ſunt bonæ*.

2. Ait Eremita : Raymunde, peccatum eſt nihil ; ſed nihil poteſt nullam actionem habere ; quia ſi poſſet, jam eſſet aliquid ; quod eſt contradictio ; quæ contradictio eſt impoſſibilis : & ideo peccatum poteſt nullum bonum corrumpere in Anima.

3. Raymundus reſpondit : Eremita, verum dicis, quòd, in quantum peccatum eſt nihil, non poſſit corrumpere aliquod bonum in Anima ; ſed non dicis verum, in quantum homo poteſt corrumpere aliquod bonum in ſua Anima cum peccato ; nam licèt *peccatum ſit nihil quoad ſe ſimpliciter*, *non* tamen *eſt nihil quoad privationem habituum virtutum*, cùm privatio habituum virtutum ſit peccatum ; ſicut luxuria, quæ eſt privatio caſtitatis : & quia caſtus homo poterit eſſe non caſtus, poterit eſſe luxurioſus, & cum ſua luxuria poteſt corrumpere bonum ſuæ caſtitatis ; quæ caſtitas eſt habitus bonus per juſtitiam in ipſa Anima, cum qua homo diligit, recolit & intelligit caſtitatem ; & ſic de ſimilibus.

QUÆSTIO XCII.

Utrùm Peccatum in Sanctum Spiritum ſit irremiſſibile ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : in DEO non eſt, niſi *una* Miſericordia & *una* Juſtitia, ſicut in ipſo non eſt niſi *una* Bonitas, una Magnitudo &c. : unde ſequitur, quòd, ſicut Sanctus Spiritus eſt contra peccatum per Juſtitiam, Bonitatem, Magnitudinem &c., ſic Pater & Filius ſint contra peccatum per eandem Juſtitiam, Bonitatem &c. : unde ſequitur ex hoc, quòd, ſicut Pater & Filius ſunt contra peccatum per Miſericordiam, Bonitatem, Magnitudinem &c., ſic Sanctus Spiritus ſit contra peccatum per *eandem* Miſericordiam, Bonitatem, Magnitudinem &c. : ergò concluditur, quòd, qui peccat contra Sanctum Spiritum, ſic illi poſſit remitti peccatum, ſicut illi poteſt remitti, qui peccat contra Patrem & Filium ; aliàs in Perſonis eſſent *diviſæ* & *diminutæ* Juſtitia, Miſericordia, Bonitas, Magnitudo &c. ; quod eſt impoſſibile. Ergò concluditur, *quòd peccatum in Sanctum Spiritum poſſit remitti*, aliàs peccatum in Patrem & Filium non poſſet remitti ; quod eſt impoſſibile & contra Divinam Juſtitiam, Miſericordiam, Bonitatem, Magnitudinem &c.

2. Ait Eremita : Raymunde, Chriſtus dixit in Evangelio, quòd, qui peccat in Sanctum Spiritum, non remittitur ei ; & quia de neceſſitate convenit, quòd verba Chriſti ſint vera, ſequitur, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda ; aliàs Chriſtus non eſſet DEUS, nec per conſequens Veritas.

3. Reſpondit Raymundus : Eremita, quando Chriſtus dixit, quòd, qui peccat contra Sanctum Spiritum, non remittetur ei, hoc dixit *ad ſignificandum proceſſum & proprietatem Sancti Spiritûs* ; videlicet, quòd Pater ſit Principium Principians Non Principiatum, & Filius ſit Principium Principiatum & Principians, & Sanctus Spiritus ſit Principium Principiatum & Non Principians ; & hoc probatum eſt in *vigeſima Quæſtione*. Et ideo Chriſtus intendit dicere, quòd, qui peccat *in morte per obſtinationem*, poſtquam homo poſt mortem non poteſt *ſatisfacere*, non remittetur ei peccatum, quia ſua definitiva ſententia jam eſt data. Præterea quia Sanctus Spiritus per Amorem vel per Charitatem eſt ex Patre & Filio, nos illi plùs attribuimus Charitatem, quàm Patri & Filio ; & ideo Chriſtus dixit, *quòd, qui peccat contra Sanctum Spiritum, peccet contra charitatem ; & qui peccat contra charitatem in nolendo ipſam, nec in diſponendo ſe, ut habeat ipſam, non poteſt illi remitti peccatum, cum ſinè charitate nullus homo poſſit habere ſalvationem.*

INCI-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

INCIPIUNT QUÆSTIONES SUPER Librum III. Sententiarum.

QUÆSTIO XCIII.

Utrùm DEUS sibi potuerit unire aliquam creaturam irrationalem, sicut sibi univit Humanam Naturam?

1. SOlutio. Ait Raymundus: Eremita, DEUS cum sua Potestate non potest facere contra magnam Bonitatem & Virtutem suæ Sapientiæ & Voluntatis, quod posset, si sibi potuisset unire aliquam irrationalem creaturam, sicut sibi univit humanam Naturam; & ratio hujus est, quia Divina Sapientia & Voluntas non possent ita *participare* cum irrationali creatura per intelligere & diligere, sicut possunt in Humana Natura Christi; cùm irrationalis creatura non habeat sapientiam nec voluntatem, cum quibus possit intelligere & amare DEUM, homo verò habet illas; cùm in Christo Divinum Intelligere & Amare *participent* cum humano intelligere & amare; ad quam participationem concurrunt Divinum Bonificare & humanum bonificare Christi, & sic de Magnificare & magnificare &c.: & quia talis participatio non potest esse sinè rationali natura, non potest DEUS *sibi ipsi injuriari*, nec de se ipso *suo effectui*, quod faceret toti Universo & humanæ Naturæ, quam assumpsit, si affirmatio Quæstionis esset tenenda; „ in qua scilicet humana Natura, quam assumpsit, potest esse „ *finis* omnium corporalium entium mediante Animâ Christi conjunctâ cum „ corpore, sinè qua omnia corporalia entia non possunt in DEO attingere *finem*, „ cùm DEUS sit immobilis, inelementabilis, invegetabilis, insensibilis, inimaginabilis, & sit recolibilis, intelligibilis & „ amabilis „: ergò sequitur, quòd negatio Quæstionis sit tenenda.

2. Ait Eremita: Raymunde, Divina Potestas est infinita, & omne creatum ens est finitum; unde sequitur, quòd DEUS cum sua Potestate possit facere in finito ente, quidquid vult; cùm conveniat, quòd omne finitum ens sit obediens Infinito Enti: aliàs, si finitum ens posset resistere Infinito Enti, haberet aliquam proprietatem vel naturam infinitam, per quam posset resistere Infinito Enti; quod est impossibile: ergò concluditur, quòd DEUS ita potuisset assumere aliquam irrationalem creaturam, sicut sibi univit humanam naturam.

3. Respondit Raymundus: *Tria* sunt, quæ DEUS non potest facere; *unum* est, quòd non possit facere aliquam essentiam sibi *æqualem simpliciter* nec *secundùm quid*; *aliud* est, quòd non possit facere *contradictionem*; *tertium* est, quòd non possit facere *peccatum*. Ratio, quare DEUS non potest facere aliam sibi æqualem essentiam, est, quia illi est *proprium*, quòd Ipse sit Unum Summum Bonum Magnum &c.; & hoc est illi multò magìs necessarium, quàm sit necessarium igni, quòd sit magìs calefactivus, quàm aër, aqua vel terra, quibus calor non est propria qualitas, sed igni. Et ratio, quare DEUS non potest facere contradictionem, est, quia sua Voluntas, & sic de suis aliis Rationibus, non potest velle contra suum *Velle*; sicut non potest velle, quòd homo sit homo & non homo in eodem instanti: & sic de suo Intellectu, qui non potest intelligere, quòd homo sit homo & non sit homo: & idem de Divina Potestate, quæ hoc non potest facere, nec Divina Bonitas bonificare, & sic de aliis; & ratione hujus „ omnes Dignitates concordant ad *unum* „ sic determinatum aut non determinatum „. Et ratio, quare DEUS non potest facere peccatum, est, quia peccatum est contra bonum & contra magnum *Bonum* virtuosum, verum & glorioſum; & quia peccatum est *malum*, si DEUS pos-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſet facere peccatum, poſſet ipſum facere *cum malitia* contra Bonitatem & contra magnum Bonum &c.; quod eſt impoſſibile: ergò DEUS non poteſt facere peccatum. Et ideo, Eremita, eſt ſignificatum per hos tres modos, quòd tua concluſio non procedat: non quoad primum, quia, licèt creatura ſit finita, non poteſt eſſe obediens ſuo Creatori, quòd illi ſit æqualis; cùm Unum Summum non poſſit facere aliud ſummum extra ſuam eſſentiam: quoad ſecundum etiam non valet, quia creatura non poteſt obedire DEO, quòd per ipſam faciat contradictionem: & ſic de tertio, quoniam DEUS cum creatura non poteſt facere peccatum. Unde, ſicut probavimus, quòd rationalis creatura non poſſit obedire DEO per prædictos tres modos, ita etiam per conſequens non poteſt illi obedire irrationalis creatura, quòd cum ipſo ſit unita, quia ex hoc ſequerentur inconvenientia, quæ ſuprà diximus, & etiam contradictio & peccatum. Ergò tua ratio non valet.

QUÆSTIO XCIV.

Utrùm DEUS per Unionem *aliter exiſtat in aſſumpta Humanitate, quàm in aliis creaturis.*

1. SOlutio. Raymundus dixit: DEUS exiſtit pluribus modis in à ſe aſſumpta Humanitate, quibus non exiſtit in aliis creaturis; ſed per *tres Modos* tibi volo oſtendere, & per *primum* ſic: DEUS eſt cum aſſumpta Natura *una Perſona* ex *duabus Naturis*, ſcilicet ex Divina & humana; & Perſona, quæ eſt Chriſtus, *non eſt tertium ex ipſis*: unde ſequitur, quòd Chriſtus *DEUS* ſit ipſa Perſona, & *Homo* Chriſtus etiam, & Perſona *DEUS* ſit Homo; eſt DEUS per Deitatem, & Homo per Humanitatem, & una eſt Deitas, & alia Humanitas: & ſecundùm talem mòdum exiſtendi DEUS non exiſtit cum aliqua creatura; nam ſi cum aliqua alia creatura ita eſſet unitus, per illam eſſet creatura, ſicut per Humanitatem, quam aſſumpſit, eſt Homo; imò dico tibi, quòd nullum creatum ens ſic poſſit eſſe unitum cum alio, ſicut in Chriſto ſunt unitæ duæ Naturæ: non in ſubſtantia Solis, cùm Sol ſit *tertium* compoſitum ex forma & materia, qui non eſt ſua forma nec materia, nec forma eſt Sol, & ſic de ſua materia; ſed in Chriſto DEUS eſt Homo, & Homo eſt DEUS, & DEUS eſt Chriſtus, & Homo eſt Chriſtus, & Chriſtus eſt Homo DEUS; & ratio eſt, quia „ Humana Natura in „ Chriſto nec *per ſe* nec *in ſe* facit ſuppo„ ſitum vel hominem, ſed *de ipſa* factus „ eſt Homo in Divina Natura, vel in Di„ vino Suppoſito, quod *in Se* facit *Se* Ho„ minem de Humana Natura. „ Et ſicut dictum eſt de Sole, ita poteſt dici de elementato, in quo unum elementum non eſt aliud, nec elementum eſt elementatum; ſicut pomum non eſt ignis nec aër nec terra nec aqua, neque ipſa ſunt pomum; & ſic de ſimilibus, ſicut in plantis & brutis & in homine, in quo anima non eſt corpus, nec è converſo, nec homo eſt anima nec corpus, nec è converſo; & ſic de Angelis & de omni creato.

2. Item DEUS per unionem humanæ Naturæ eſt *finis omnium corporalium*: & ratio hujus eſt, quia DEUS Filius exiſtens Corpus Chriſti, quod eſt DEUS, participat in natura cum omnibus corporalibus entibus; cùm ſit una materia omnium corporalium entium, ût in *ſexageſima prima Quæſtione* probatum eſt: & ideo ratione participationis Corporis Chriſti, quam habet cum tota corporali natura in Univerſo, eſt exaltata & ſublimata in Univerſo tota corporalis natura; & idem eſt de ſpirituali natura tam Angelorum, quàm rationalium Animarum, cum quibus Anima Chriſti participat in natura: & talem exaltationem & ſublimationem non facit DEUS cum aliis creaturis *naturaliter immediatè*, ſed *mediatè* per Unionem Humanæ Naturæ Chriſti: unde ſequitur, quòd DEUS aliter exiſtat in Humanitate, quam aſſumpſit, & aliter in creaturis non aſſumptis.

3. Præterea DEUS, in quantum eſt incarnatus, eſt factus creatura, & eſt poſitus in tempore & in loco, motu, quantitate & figura, ſinè quibus creatura non poteſt eſſe; ſed DEUS exiſtens cum aliis creaturis *præſentialiter, potentialiter & eſſentialiter* non propter hoc eſt creatura, nec habet conditiones creaturarum, ſcilicet tempus, locum &c., ſed habet Suas, quæ illi ſunt coëſſentiales infinitè & æternaliter, cum quibus tantum diſtat à creato ente, quanta eſt diſtantia inter Infinitum Ens & finitum ens.

4. Ait

(c) 2006 Ministerio de Cultura

4. Ait Eremita : DEUS exiſtit cum omnibus creaturis præſentialiter, potentialiter & eſſentialiter, ût dicis, & verum dicis; & quia Chriſtus Homo eſt creatura, ita uniformiter exiſtit DEUS cum Chriſto Homine præſentialiter, potentialiter & eſſentialiter, ſicut cum aliis creaturis; aliàs aut Chriſtus Homo non eſſet creatura, aut eſſet mutatio in aliis creaturis; quod eſt impoſſibile : ergò DEUS ita uniformiter exiſtit cum Humanitate Chriſti, ſicut cum aliis creaturis, licèt DEUS ſit unitus cum Humanitate Chriſti.

5. Reſpondit Raymundus : DEUS in Humanitate à ſe aſſumpta exiſtit duobus modis, *immediatè* & *mediatè;* immediatè, ſicut Creator & creatura, quæ per nullum medium in natura participant; & ſic per talem modum DEUS ita exiſtit cum aſſumpta Humana Natura præſentialiter, potentialiter & eſſentialiter, ſicut exiſtit in lapide vel in Angelo, in homine & in aliis : DEUS exiſtit in lapide præſentialiter, cùm ſit intra lapidem & extra eſſentialiter, & per conſequens potentialiter, ſic habens ſuam poteſtatem in lapide, ſicut in ſe ipſo, cùm ſua Eſſentia ſit in lapide; & ſic per conſequens in Homine Chriſto : unde in quantum Homo, non dico, quòd DEUS aliter exiſtat cum Humanitate, quam aſſumpſit, quàm cum aliis creaturis; verumtamen *mediante Unione* & Incarnatione aliter exiſtit cum Humanitate, quam aſſumpſit, quàm cum aliis creaturis; ût ſuprà dictum eſt.

QUÆSTIO XCV.

Utrùm DEUS ſibi potuerit unire Animam non beatam?

1. SOlutio. Raymundus conſideravit modum Unionis & Incarnationis, & dixit, quòd conveniat, quòd ipſe reſpondeat ad quæſtionem ſecundùm modum Unionis & Incarnationis, & dixit : quòd, ſicut DEUS non potuit aſſumere *hominem*, ſed *Humanitatem*, ut *Suppoſitum non aſſumeret ſuppoſitum*, non aſſumpſit hominem, ut non eſſent duo ſuppoſita, ſed unum, vel ut ſuppoſitum ſuperveniens non eſſet diminutum & remiſſum; ſed aſſumpſit Humanitatem, & in ſe ipſo fecit de ipſa & per ipſam exiſtere Hominem : ſimili modo non potuit ſibi unire Animam beatam, cùm Anima beata non poſſit creari ſinè humano ſuppoſito : ergò DEUS potuit ſibi unire Animam non beatam; ſed ipſa unita ſic fuit beata in Divino Suppoſito, ſicut ex Humana Natura fuit factus Homo in Divino Suppoſito; & hoc fuit neceſſe, ut per eundem modum eſſet beatificatio, ſicut fuit homificatio.

2. Ait Eremita : DEUS non aſſumpſit corpus glorificatum, quia ſi aſſumpſiſſet, non potuiſſet mori; & ſicut corpus non fuit glorificatum, licèt fuerit aſſumptum, ſic per conſequens Anima aſſumpta non fuit beata : ergò DEUS potuiſſet aſſumere Animam non beatam exiſtentem actu non beatam ſic à parte pòſt, ſicut à parte antè, quod eſt impoſſibile; cùm beatum & non beatum ſint in contrario, cùm unum dicat perfectum, & aliud imperfectum.

3. Reſpondit Raymundus : DEUS potuit aſſumere Animam non beatam, ût ſuprà dictum eſt, & licèt fuiſſet non beata, non erat per peccatum contra DEUM; ſed erat non beata, in quantum *per ſe* non habebat *completum eſſe*, ſed aſſumpta fuit beata, & in eodem inſtanti de non beata facta beata : & ideo tua ratio non valet. Et hoc, quod dicis, quòd *DEUS non aſſumpſerit corpus glorificatum*, licèt Chriſtus fuerit factus Homo, verum dicis; & ratio, quare hoc fuit, conſiſtit in hoc, ut illud corpus comederet & biberet, ut Chriſtus appareret verus Homo : etiam oportuit, quòd corpus eſſet mortale, ut poſſet redimere humanum genus : & adhuc, quia iſte locus inferior non ſpectat ad corpus glorificatum, ſed cœlum : de Anima Chriſti verò non eſt ſic, cùm ſit immortalis, non plùs indigens uno loco, quàm alio : ergò tua ratio non valet.

QUÆSTIO XCVI.

Utrùm Beata Virgo contraxerit Peccatum originale?

1. SOlutio. Raymundus reſpondit : niſi Beata Virgo fuiſſet diſpoſita, quòd Filius DEI de ipſa aſſumeret Carnem, ſcilicet quòd non eſſet corrupta, nec in aliquo peccato ſive actuali ſive originali, Filius DEI non potuiſſet ab ipſa aſſumere Carnem; cùm *DEUS & peccatum non poſſint concordari in aliquo ſubjecto :* & quia illa aſſum-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

aſſumptio Carnis, quam DEUS aſſumpſit in Beata Virgine, fuit in majori magnitudine bonitatis, poteſtatis, virtutis & finîs, quam DEUS potuit facere in creatura, convénit, quòd *ex parte ſubjecti*, in quo aſſumpſit Carnem, eſſet major magnitudo poteſtatis, bonitatis, virtutis & finîs, quæ potuit eſſe *ex parte patientis & agentis*; aliàs non eſſet proportio inter DEUM Filium & Beatam Virginem in aſſumendo Carnem: ergò concluditur, quòd Beata Virgo non contraxerit originale peccatum, imò fuerit ſanctificata ſciſſo ſemine, de quo fuit, à ſuis Parentibus; aliàs, ſi fuiſſet concepta in originali peccato, ſuus totus triangulus, de quo fuit, ſcilicet *principium, medium & finis*, non fuiſſet ſanctificatus, & ſuum *principium* fuiſſet malum & vitioſum per peccatum, ratione cujus non fuiſſet digna participare cum *majori medio & fine* magnitudinis poteſtatis, bonitatis & virtutis, de quibus ſuprà dictum eſt.

2. Item, ſicut DEUS non aſſumpſit Hominem, ſed humanam Naturam, ſic ſemen, de quo fuit Beata Virgo, non aſſumpſit peccatum à ſuis Parentibus, ſed Sanctificationem à Sancto Spiritu, qui „ ſic „ præparavit *Viam* Incarnationis per San„ ctificationem, ſicut Sol diem per auro„ ram. „

3. Fuit etiam conveniens, quòd Beata Virgo conciperetur ſinè peccato, ut ſua Conceptio & Conceptio Sui Filii invicem relativè ſibi correſponderent, & ut inter ipſas poſſet eſſe major ſimilitudo & concordantia, & inter Filium & Matrem major amor.

4. Adhuc dico tibi, Eremita, quòd, ſicut Adam & Eva fuerunt in innocentia ante originale peccatum, ſic, quando incepit Recreatio per *eſſe* Beatæ Virginis Mariæ & Sui Filii, convénit, quòd Vir & Mulier eſſent in ſtatu innocentiæ *ſimpliciter* & *continuè* de *principio* uſque ad *finem*; aliàs Recreatio non potuiſſet *principiari*; ſed *fuit principiata*, ergò Beata Virgo Maria fuit concepta ſinè originali peccato.

5. Ait Eremita: totum humanum genus
a. fuit corruptum per originale peccatum, & per conſequens Beata Virgo contraxit originale peccatum, cùm ſit concepta de humano genere, antequam fuit Recreatio.

b. Item ſi eſſet, ſicut tu dicis, Beata Virgo non indiguiſſet recreari per ſuum Filium; & ſic totum genus corruptum per peccatum non indiguiſſet reſtaurari ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; quod eſt contradictio: ergò concluditur, quòd Beata Virgo contraxerit originale peccatum.

6. Reſpondit Raymundus: antequam ar-
a. tifex ædificet cameram, *finis* cameræ, qui eſt *habitare*, eſt conceptus, & poſtmodum ſequitur camera in re, & *aliud habitare*, quod eſt actu reale à primo cauſaliter deductum de potentia in actum: à ſimili, *finis* Recreationis fuit *antè conceptus*, quàm fuit Recreatio, & Filius DEI, qui concepit & voluit finem, ſic & multò meliùs *præparavit & ordinavit* omnia pertinentia ad Recreationem *à principio uſque ad finem*, ſicut bonus artifex præparat & ordinat materiam cameræ à principio uſque ad finem: ergò concluditur, quòd Filius DEI potuerit præparare materiam Recreationis in *principio* Conceptionis, quod Beata Virgo habuit à ſuis Parentibus; aliàs artifex, qui facit cameram, multò magìs poſſet præparare materiam cameræ *cum ſua finita poteſtate*, quàm Filius DEI vel Sanctus Spiritus, qui habet *infinitam poteſtatem*, potuerit præparare materiam Recreationis; cùm artifex poſſit præparare materiam cameræ *à principio uſque ad finem*, Filius DEI autem non niſi de *medio uſque ad finem*, ût tu dicis; quod eſt impoſſibile.

b. Item dico tibi, quòd, ſicut Beata Virgo in utero ſuæ Matris per Sanctum Spiritum fuit ſanctificata & mundata ab originali peccato, ût aliqui aſſerunt, ſic Sanctus Spiritus potuerit mundare & ſanctificare ab originali peccato ſemen, de quo Beata Virgo fuit concepta; cùm Sanctus Spiritus habeat ita magnam poteſtatem in uno tempore, ſicut in alio: ergò ſequitur, quòd non ſequatur contradictio, quam tu dicis: imò contradicis tibi ipſi in contradicendo mihi, in quantum dicis, quòd oportuerit, quòd Beata Virgo recrearetur, poſtquam eſt à Primis Parentibus, & non recrearetur, poſtquam fuit ſanctificata in utero ſuæ Matris.

QUÆSTIO XCVII.

Utrùm Anima Separata *ſit Perſona?*

1. Solutio. Dixit Raymundus: Anima eſt pars hominis, ſicut corpus, cùm homo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mo ſit ex Anima & corpore ; & quia pars eſt, ut ſit totum, & non è converſo, ratione finîs eſt homo finis Animæ, in quantum Anima eſt, ut ſit homo : & ideo *Anima ratione finîs non eſt per ſe ſubſiſtens*, licèt ſit ſeparata à corpore ; quia ſi per ſe eſſet ſubſiſtens, eſſet ſuus finis naturalis in ſe ipſa, & non in homine, & poſt ſeparationem à corpore non appeteret corpus nec reſurrectionem illius hominis, cujus eſt pars ; quod eſt impoſſibile ratione finîs ipſius Animæ & hominis : & quia „ *eſſe* „ *perſonale* indiget habere ſuum naturalem *finem in ſe ipſo*, & ut *per ſe* ſit exiſtens (ſicut *totum*, quod *per ſe* exiſtit „ *cum ſuis partibus*, ſicut Angeli) „ ergò ſequitur, quòd *Anima ſeparata non* „ *ſit perſona.*

2. Item ſi Anima ſeparata à corpore eſſet perſona, in Die Reſurrectionis, cùm ipſa eſſet conjuncta cum corpore, eſſent in homine duæ perſonæ, una ſcilicet perſona Animæ, & alia perſona hominis ; quod eſt impoſſibile.

3. Ait Eremita : Anima eſt ſubſtantia rationalis per ſe exiſtens, cùm ſit incorruptibilis per ſuas partes, quæ ſunt incorruptibiles, quæ ſunt intellectus, voluntas & memoria, & ſunt illi conſubſtantiales, ût dicis in *quinta Quæſtione* : ergò Anima exiſtit ſeparata per ſe ipſam, non indigens habere corpus nec finem hominis : unde ſequitur, quòd ſit perſona, poſtquam per ſe eſt ſubſiſtens : imò dico tibi, quòd ſecundùm te Anima ſeparata à corpore eſſet corruptibilis & mortalis ; cùm omne ens, quod per ſe non eſt exiſtens, deveniat in *non eſſe.*

4. Reſpondit Raymundus : in omni ſubſtantia convenit conſiderare duo, ſcilicet *exiſtere* & *agere* ; ſicut ſubſtantia Solis, quæ exiſtit per ſua principia incorruptibilia ſibi conſubſtantialia & naturalia, quæ ſunt ſua forma & ſua materia, & ſua conſubſtantialis & naturalis bonitas, magnitudo &c. ; & ideo ſubſtantia Solis eſt per ſe ſubſiſtens & incorruptibilis : ſed ſi ab ipſo removeretur omne *agere*, removeretur ab ipſo omnis finis ſuorum principiorum, quæ ipſum conſtituunt propter finem : ſicut bonitas, quæ conſtituit ſubſtantiam Solis, ut agat bonum, & magnitudo, ut agat magnum &c. : unde ſequeretur, quòd ſua ſubſtantia eſſet mala, quia eſſet evacuata fine bonitatis, & ſic de aliis, & in otioſitate poſita ; & hoc non poſſet ſuſtinere natura : unde ſequeretur, quòd ſubſtantia per ſe non poſſet exiſtere : à ſimili dico de Anima ſeparata, quæ ſinè fine, propter quem naturaliter eſt, cujus finis eſt homo, non poſſet exiſtere, licèt ſuum exiſtere ſit incorruptibile, ût tu dicis, & verum eſt ; ſed privato fine hominis Anima eſſet poſita in otioſitate & vacuitate finîs, propter quem eſt ; & ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO XCVIII.

Cùm DEUS ſit Infinitus, & Homo finitus, quæritur, utrùm ex Eſſentia & Natura utriusque poſſit eſſe Una Perſona?

1. SOlutio. Raymundus conſideravit, quomodo ex pluribus rebus fiat unum, ſicut ex pluribus elementis unum elementatum, & ex piro inſerta in pomerio una arbor, & ex elementativo, vegetativo, ſenſitivo, imaginativo & rationativo unus homo, & ex forma & materia una ſubſtantia, & ex duabus præmiſſis & una concluſione unus ſyllogiſmus ; & ſic de ſimilibus : & in omnibus iſtis factis *quodlibet remanet diſtinctum ab alio*, ſicut in elementato quodlibet elementum eſt diſtinctum ab alio *per eſſentiam & naturam* : & ideo, poſtquam hæc omnia naturaliter poſſunt fieri per naturalem finitam poteſtatem, quid mirum ? ſi DEUS cum ſua Infinita Poteſtate & ſupra naturalem curſum ſibi poteſt unire Eſſentiam & Naturam humanam finitam, & cum ipſa exiſtere Una Perſona, ita tamen, quòd in ipſa Perſona Deitas & Humanitas remaneant *diſtinctæ* ; aliàs poſſet fieri major unio per finitam poteſtatem, quàm per Infinitam ; quod eſt impoſſibile : per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd affirmativa Quæſtionis ſit vera.

2. Item, cùm Divina Poteſtas ſit Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c., plùs ſpectat ad ipſam agere de *majori* bonitate, quàm de *minori* ; & ſic de majori magnitudine, duratione &c. : ergò concluditur, quòd, ſi DEUS de minoribus rebus poteſt unire prædicta entia, multò magìs de majoribus poſſit unire Unum Ens Majus.

3. Præterea convenit, quòd omne id DEO ſit poſſibile, per quod DEUS & homo *magìs* poſſunt *concordare*, & invicem par-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

participare, & ex quo *major & nobilior finis* poteſt ſequi toti creato Univerſo; aliàs DEUS plus poſſet per minoritatem, quàm per majoritatem, & per parvitatem, quàm per magnitudinem; quod eſt impoſſibile: & quia *major & nobilior concordantia & participatio*, quæ poteſt eſſe inter DEUM & ſuum effectum, & etiam *major finis* totius Univerſi poteſt eſſe per Unionem Divinæ & humanæ Naturæ, ergò *ex Eſſentia & Natura Divina & humana poteſt eſſe Una Perſona.*

4. Ait Eremita: unio elementorum in
a. elementato (& ſic de aliis) non poteſt fieri, niſi per compoſitionem, & quòd ex ipſis fiat unum, ſcilicet elementatum, quod tranſeat in tertium numerum, ſicut lapis vel arbor &c., qui lapis non eſt ignis, nec ignis eſt lapis; & ſic de aliis: unde cùm DEUS, qui eſt Infinitum Ens, non poſſit intrare in compoſitionem cum finito, nec ex Ipſo & homine poſſit fieri tertius numerus, qui non eſſet DEUS nec homo, nec è converſo, ergò concluditur, quòd ex Infinita & finita Eſſentia & Natura non poſſit eſſe Una Perſona.

b. Præterea humana natura non poteſt ſufficere ad *eſſe* hominis ſinè humano corpore, nec humanum corpus potuit aſſumi ex muliere ſinè forma ipſius corporis, quæ forma fuit Anima mulieris; & quia DEUS non potuit aſſumere Animam mulieris, nec per conſequens ejus materiam, quæ eſt corpus, ideo non potuit fieri unio ex humana & Divina Natura.

5. Reſpondit Raymundus: non dico,
a. quòd Divina & humana Natura poſſint facere unum *per modum compoſitionis*, ſed *per modum Deificationis & Homificationis*; ſicut Filius DEI, qui eſt Deificabilis & Deificatus à DEO Patre, & *in ſua Deificabilitate*, hoc eſt, *in ſe ipſo*, poteſt Deificare *Humanitatem*, quæ eſt *homificabilis in Divina Natura, antequam ſit Homo; in* qua Deificabilitate factus eſt *Homo DEVS Filius* ex Humana Natura: & quia DEUS Filius eſt *Simplicitas*, licèt ſe faciat Hominem, non tamen poteſt ſe facere compoſitum quoad Divinam Naturam, ſed facit ſe compoſitum, in quantum ſe facit Hominem, qui Homo eſt compoſitus ex Corpore & Anima; & ideo tua ratio non valet, cùm unus modus ſit facere unum *de rebus finitis*, & alius modus *de Eſſentia & Natura finita & Infinita.*

A ſimili reſpondeo tibi ad hoc, quod dicis, ſcilicet, quòd id, quod factum eſt ex pluribus rebus, tranſeat in tertium numerum, verum dicis, quando factum eſt de finitis rebus; ſed Perſona, quæ eſt de Divina & Humana Natura, non habet *partes*, quantum *ad Deitatem*, ſed quantum *ad Humanitatem*: ſed Filius DEI ſic *tranſit* in tertium numerum *per Humanitatem*, in quantum ſe facit Hominem, qui Homo eſt tertius numerus ex Corpore & Anima, ſicut *tranſit* in Humanitatem *faciendo ſe Hominem; & ideo ipſa Perſona non tranſit in tertium numerum*, cùm ipſe ſit DEUS & Homo, quia ipſa, ſcilicet Perſona Filii DEI, ante Incarnationem erat DEUS; & quia DEUS ſe fecit Hominem, Perſona, quæ eſt DEUS, eſt Homo; & ita tua ratio non procedit.

b. Et quando dicis, quòd Incarnatio non poſſit fieri, cùm humanum corpus non poſſit eſſe ſinè forma & materia, & quòd DEUS ex Beata Virgine non potuerit aſſumere formam, ſed materiam, cùm materia ſit tota denudata à corporali forma, & ſubſiſtat ſpirituali formæ, quæ ipſam informat, ut ſit corpus; ſi tua opinio eſſet vera, verum diceres, ſicut plures dicunt, quòd in homine non ſit niſi una forma, & illa ſit rationalis Anima; ſed talis opinio non eſt vera, ût ſignificatur in *octuageſima nona Quæſtione*, in qua probatum eſt, quòd *ſenſitiva in homine ſit à generante*: & ideo DEUS potuit aſſumere naturam corporis *materialiter & formaliter*, cùm ipſum ſit de materia & de *propria* forma corporali; quæ forma ſic eſt mota à rationali Anima ad informandum materiam corporis, ſicut ſenſitiva ad movendum vegetativam ad vegetandum, & ſicut vegetativa ad movendum elementativam ad elementandum, cùm *ſpecifica forma* corporis hominis ſit ex prædictis formis.

QUÆSTIO XCIX.

Utrùm DEUS debuerit aſſumere Humanam Naturam?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: quando DEUS creavit mundum de nihilo, mundus *quoad ſe* habebat nullum jus nec dignitatem erga DEUM, quòd ipſum debuiſſet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

buiſſet creare; quia ſi habuiſſet, jam mundus fuiſſet aliquid; ſed DEUS per Suam Liberam Voluntatem voluit creare mundum, & facere gratiam: unde ſicut DEUS per Voluntatem *liberè* voluit creare, ita per Suam Bonitatem liberè voluit creare bonum, & ſic de Magnitudine &c.; & quia ſic voluit, per eundem modum *debuit*, poſtquam *voluit*, & poſtquam ſua Bonitas *requirebat* producere bonum, & ſua Magnitudo magnum &c.: & ideo, ſecundùm quòd debuit creare *quoad ſe ipſum* & *quoad actus* ſuarum Dignitatum, *debuit aſſumere Humanam Naturam*, ut per illam aſſumptionem exaltaret mundum & totum Univerſum in majori fine amabilitatis mundi & bonificabilitatis, magnificabilitatis &c., quam mundus potuit recipere, & DEUS in novo *eſſe* perficere; & hoc fuit per Unionem Divinæ & Humanæ Naturæ in Chriſto: aliàs DEUS non ſolveret ſuum debitum Sibi Ipſi & ſuis Dignitatibus cum majoritate Magnitudinis, Bonitatis &c., ſed cum minoritate; quod eſt impoſſibile: ergò DEUS debuit aſſumere Humanam Naturam.

2. Item cùm DEUS creaviſſet mundum, & hominem ad æternam beatitudinem, & humanum genus fuit deviatum à fine, propter quem fuit creatum, per originale peccatum, DEUS debuit aſſumere Humanam Naturam & eſſe Homo, & mori ad recreandum humanum genus, ut ſatisfaceret illi fini, quem ſuprà diximus, ad quem mundus fuit creatus.

3. Ait Eremita: inter finitum & Infini-
a. tum Ens eſt nulla proportio; unde ſequitur, quòd DEUS non debuerit incarnari, cùm Ipſe ſit Infinitus, & homo finitus; cùm Incarnatio non debeat fieri ſinè proportione & concordantia DEI & hominis.

b. Item Infinitum Bonum, Verum, Perfectum & Virtuoſum, Immortale & Æternum, Sanctum & Glorioſum, & Prima Cauſa omnium entium, Judex & Dominus non debet ſe unire & participare cum homine producto de nihilo, mortali & paſſibili, indigenti cibo & potu; quia ſi deberet, vilipenderet ſe, & derogaret ſuæ No-
c. bilitati; quod eſt impoſſibile. Etiam participaret in natura per Unionem Incarnationis cum hominibus peccatoribus, cum ſerpentibus & vermibus, cum quibus homo in natura participat per elementativam, vegetativam & ſenſitivam; & quia hæc omnia ſunt valde inconvenientia & inhoneſta, ergò DEUS non debuit aſſumere Humanam Naturam.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, ve-
a. rum dicis, quando dicis, quòd inter finitum & Infinitum Ens ſit nulla proportio; cùm finitum ens *quoad ſe* habeat nullam dignitatem nec virtutem utendi Infinito Ente; ſed Infinitum Ens bene poteſt ratione gratiæ & charitatis ſic ſe *humiliare* erga hominem per *Unionem*, ſicut per *Dilectionem*, cùm DEUS diligat ſuum effectum: & quia DEUS magìs & meliùs ſcit *diligere* ſuum effectum, quàm aliquis alius, voluit ſe *unire* cum Humana Natura, ut ſuum effectum tantum exaltaret, quantum potuit, & quantum ſuus effectus potuit recipere; & talis proportio inter finitum & Infinitum non eſt impoſſibilis nec contra Magnitudinem Nobilitatis Divinæ Bonitatis &c., quæ in ſuo effectu requirit magnum bonificare.

b. Et quando dicis, quòd DEUS non debuerit incarnari, cùm homo ſit productus de nihilo & mortalis & indigens potu & cibo, verum dicis ſecundùm reſpectum & ſtatum hominis; & ad hanc objectionem reſpondeo, ſicut reſpondi ad primam.

5. Item dico tibi, quòd, ſi DEUS non debuit incarnari, in aliâ vita non debeat remunerare corpora beatorum, cùm corpora in DEO non poſſent attingere finem per ſenſitivum & imaginativum; quia DEUS eſt inſenſibilis & inimaginabilis; ſed DEUS per Incarnationem, in quantum Homo, eſt ſenſibilis & imaginabilis: & per tale medium poteſt DEUS in alia vita remunerare corpora beatorum in videndo, audiendo, loquendo, imaginando & converſando & aſſimilando in humana Natura.

c. Et quando dicis, quòd eſſet inhoneſtum, quòd DEUS participaret cum hominibus peccatoribus, cum ſerpentibus & vermibus, verum diceres, ſi Divina Natura eſſet transmutata in humanam Naturam, quam aſſumpſit *individuatam*, quæ non eſt una eſſentia cum homine peccatore, nec cum ſerpente & verme; nec tibi eſt derogatum, ſi alius homo eſt leproſus, cùm tu ſis *unus* homo non leproſus *alius* ab homine leproſo, & ſic de ſerpente & verme, cum quibus non converſaris: à ſimili eſt de Chriſto & quantum ad Deitatem & quantum ad Humanitatem, quæ ſunt U-

num

(c) 2006 Ministerio de Cultura

num Suppoſitum *diſtinctum* ab aliis ſuppoſitis: ergò concluditur, quòd tuæ rationes non procedant.

QUÆSTIO C.

Utrùm Filius DEI ſit incarnatus vel incarnandus?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Eremita, hæc quæſtio eſt ſoluta in *Libro de Articulis Fidei Catholicæ*, quem fecimus; veruntamen in hoc Libro ad Quæſtionem, quam mihi facis, reſpondeo dicendo: ſicut in prædicta *proxima Quæſtione* probatur, quòd DEUS debuerit incarnari, & illud debitum fuit per Magnitudinem Bonitatis, Durationis, Poteſtatis &c., & hoc ſciverit Divina Sapientia & Voluntas, ſic ſequitur, quòd Filius DEI ſit incarnatus, & non incarnandus; quia ſi eſt incarnatus, ſequitur in humana ſpecie bonum magnum durabile &c. per illam Incarnationem; quia DEUS habet Chriſtianum Populum à tempore ſuæ Incarnationis uſque nunc, & plures Animæ ſunt ſalvæ: ſed ſi Filius DEI eſt incarnandus, quidquid dictum eſt per Chriſtianos de Chriſto præterito & futuro, eſt falſum & peccatum, & DEUS non habet Chriſtianum Populum nec habebit, uſque dum Filius DEI ſit incarnatus; nec habet Judaicum Populum, nec Saracenum, Tartaricum, nec aliquem alium, cùm ſint infideles, & ſint contra Catholicam Fidem; & ſic *diminuta eſt Magnitudo Bonitatis &c. Incarnationis*, & *poſita in otioſitate;* quod eſt inconveniens & contra Divinam Sapientiam, quæ ſcit, quòd finis Incarnationis ſit poſitus in Magnitudine Bonitatis &c., & non in parvitate; & hoc vult Divina Voluntas: unde ſequitur, quòd Filius DEI ſit incarnatus, ut Divina Voluntas tantum *diligat* Magnitudinem *Utilitatis* Incarnationis, *quantum* Divina Sapientia *ipſam poteſt ſcire*, & Divina Bonitas bonificare, & Divina Magnitudo magnificare &c.: eſt etiam valde inconveniens, quòd DEUS ſit ſinè populo, quia creavit mundum ad ſe recolendum, intelligendum, amandum, laudandum & illi ſerviendum.

2. Item ſi Filius DEI eſt incarnandus, tunc, quando erit incarnatus, nullus populus illi credet; & maximè Chriſtiani eſſent increduli, non credentes illam futuram Incarnationem, quia crederent præteritam; nec Filius DEI inveniret mulierem diſpoſitam, de qua aſſumeret carnem, non Chriſtianam, quia crederet, quòd ipſe jam eſſet incarnatus; non Saracenicam nec Judaicam, & ſic de aliis, quia omnes credunt, quòd Incarnatio ſit impoſſibilis: & quia convenit, quòd Incarnatio ſit, poſtquam probatum eſt, quòd ipſa debeat eſſe, convenit, quòd ſit facta in illo tempore, quod illi ſit magìs diſpoſitum, proportionatum & ordinatum; aliàs Divinæ Rationes eſſent contra prædictam Incarnationem; quod eſt impoſſibile.

3. Ait Eremita: Raymunde, quòd Filius DEI non ſit incarnatus, ſed incarnandus, eſt ſignificatũ in hoc: nam ſi eſt unus Chriſtianus, ſunt centum, qui non ſunt Chriſtiani; quod eſt inconveniens, ſcilicet quòd tanta falſitas & error ſit in mundo, & tam parum veritatis, & quòd veritas Incarnationis non vincat falſitatem, ſed per falſitatem ſit neglecta & ignorata & inhonorata: & quia Divina Veritas & aliæ Rationes DEI iſtâ non poſſunt ſuſtinere, ſequitur, quòd Filius DEI non ſit incarnatus, ſed incarnandus; & quòd, quando erit incarnatus, ratione Nobilitatis Virtutis Incarnationis omnes homines in mundo credent in Incarnationem, & ipſam laudabunt & benedicent.

4. Reſpondit Raymundus: Eremita, Chriſtus, Apoſtoli & Martyres dederunt exemplum multiplicandi Fidem per mundum, quæ per ipſos fuit incepta & exaltata, ut eorum Succeſſores illud idem facerent, ut in Patria plures ſalvi fierent per viam Martyrii, & ut Paradiſus eſſet in majori ſanctitate gloriæ, nobilitate & virtute, quæ non poſſent eſſe ſinè pluribus Martyribus: unde propter hoc DEUS permittit, quòd ſint infideles, ut ſint Fidelibus materia laborandi & moriendi propter exaltationem Fidei: & hoc præcepit Chriſtus in Evangelio dicens: *dilige Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c.:* item dixit: *euntes in mundum univerſum prædicate &c.:* item quando dixit: *Petre, amas me &c.?* item quando dixit: *bonus Paſtor &c.:* & adhuc, quando dixit: *qui diligit me, tollat crucem ſuam &c.:* & beatus Petrus in ſuâ Canonicâ dixit: *parate vos reddere rationem &c.*, & ſic de pluribus aliis, quæ longum eſſet narrare; etſi Fides multùm ſit neglecta & ignorata in hoc

(c) 2006 Ministerio de Cultura

hoc mundo, nihil est derogatum Incarnationi, sed illis, qui colunt Fidem, in quantum ipsam non multiplicant & exaltant in mundo secundùm potestatem, quam habent à DEO datam, & secundùm quòd eis est factum præceptum ; sed quia dictum est per Christum, quòd erit unum ovile &c., *successivè* per viam Martyrii & sanctam vitam Confessorum Incarnatio habebit honorem per universum mundum, & multò majorem honorem, quàm si Filius DEI esset incarnandus, & quàm si, quando esset incarnatus, DEUS cogeret libertatem omnium hominum, ut in ipsam Incarnationem crederent.

QUÆSTIO CI.

Utrùm hæc Propositio sit vera: DEUS assumpsit Hominem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: quòd homo sit suppositum constitutum ex anima & corpore *per se existens, habens proprietatem & naturam generandi alium hominem*, & sua essentia est humanitas, & *esse* suæ & ipsius essentiæ est *homo, qui* habet naturam generandi, essentia verò non ; & ideo „ DEUS assumpsit *Hu-* „ *manitatem*, & non hominem, ut Ho- „ mo Christus *non haberet* appetitum nec „ naturam generandi, quam haberet, si „ DEUS assumpsisset hominem. „

2. Item DEUS Filius est Suppositum, & homo est suppositum : unde si DEUS assumpsisset hominem, de necessitate sequeretur, quòd Christus esset duo suppositа, vel unum compositum ex duobus ; & sic Christus non esset una Persona, *in qua* DEUS esset Homo, & Homo esset DEUS: & si esset una Persona ex duobus Suppositis, Christus non esset DEUS nec Homo, nec DEUS & Homo essent Christus ; vel in Christo totum esset pars, & pars esset totum ; quod est impossibile : & ideo, ut prædicta inconvenientia non sequantur, „ DEUS assumpsit Humanam Naturam, „ & *non hominem*, & de ipsa Humana Na- „ tura *Se* fecit Hominem, ut esset Unum „ Suppositum ex duabus Essentiis & Natu- „ ris.

3. Ait Eremita: Raymunde, DEUS non potuit completè assumere Humanam Naturam, nisi assumpsisset Animam conjunctam cum corpore, sinè quibus homo non potest esse ; sed Animâ conjunctâ cum corpore in uno indivisibili instanti sequitur homo, & ideo DEUS assumpsit Hominem ; aliàs DEUS non potuit assumere Humanam Naturam, nec se facere Hominem.

4. Respondit Raymundus : Incarnatio non fuit facta *simpliciter* secundùm Divinam Naturam, nec secundùm Humanam Naturam, sed secundùm Naturam *utriusque artificialiter :* sicut DEUS, qui assumpsit Animam & Corpus, & „ *in Se Ip-* „ *so* homificando Se *ex utroque* „ conjunxit Animam cum Corpore ; & hoc *potuit in eodem instanti indivisibili*, cùm sit Dominus & Creator illius instantis ; sed *secundùm naturam creatam* verum dicis: & quia Incarnatio non fuit facta secundùm naturam, non debes arguere per naturam, cùm *modus* faciendi *naturalis* sit *unus*, & *alius artificialis* & *supra naturam*.

QUÆSTIO CII.

Utrùm hæc Propositio sit vera: Christus est duo.

1. SOlutio. Raymundus recoluit *vigesimam Quæstionem*, in qua tractatur de Numero in Divinis, & dixit, quòd in DEO sint Tria Suppositа, Unum est Pater, aliud Filius, & aliud Sanctus Spiritus, & Pater est DEUS, Filius est DEUS, & Sanctus Spiritus est DEUS, & non tres Dij, sed est Unus DEUS : dum Raymundus sic considerabat Numerum in Divinis, assumpsit de illo Numero *similitudinem*, quam potuit, & per illam respondit ad Quæstionem dicens : quòd in Christo sint *duæ* Naturæ, scilicet Divina & Humana, & per Divinam in Christo sit Unum Suppositum, quod est DEUS, & *in* illo Supposito sit factus Homo de Humana Natura, quæ est Suppositum *non distinctum* à Divino Supposito, ut in Christo non sint duo Suppositа, sed Unum ; & sic Unus Christus, sicut Tres Personæ sunt Unus DEUS : & sicut Pater est DEUS, & Filius est DEUS, & Sanctus Spiritus est DEUS, sic DEUS est Christus, & Homo est Christus, & Christus est DEUS, & Christus est Homo, & sic DEUS est Homo : & ideo *secundùm hunc modum numerandi* dixit, quòd *Christus sit duo*, scilicet DEUS, qui est Unum Suppositum, & Homo, qui est Suppositum ; sed quia DE-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DEUS eſt Homo, & Homo eſt DEUS, non fuit auſus dicere, quòd Chriſtus ſit duo ſuppoſita; quia ſi diceret, affirmaret, quòd DEUS in Chriſto non ſit Homo, nec Homo ſit DEUS; quod eſt contra Sanctam Catholicam Fidem: & ideo dixit Raymundus, quòd ſit *diſtinguendum*, tenendo per unum modum affirmativam, & per alium modum negativam, ût ſuperiùs ſignificatum eſt.

2. Ait Eremita: tu ſcis, quòd contradi-
a. ctio non poſſit ſtare, quæ ſtaret, ſi tua verba eſſent vera, quando dicis, quòd Chriſtus ſit duo, & non duo; quia ſi duo per DEUM & Hominem, DEUS eſt Suppoſitum, & Homo eſt ſuppoſitum, ergò hæc propoſitio eſt vera: Chriſtus eſt duo ſuppoſita, & hæc eſt falſa, Chriſtus non eſt duo ſuppoſita; & è converſo, ſcilicet ſi Chriſtus non eſt duo ſuppoſita, hæc eſt falſa, Chriſtus eſt duo ſuppoſita; & quia contradictio non poteſt ſtare, tua ratio non procedit.

b. Item ſi Chriſtus eſt verus DEUS & verus Homo, de neceſſitate ſequitur, quòd Chriſtus ſit duo ſuppoſita; aliàs Chriſtus non eſſet DEUS, niſi DEUS eſſet Suppoſitum, nec eſſet Homo, ſi Homo non eſſet ſuppoſitum, cùm ſuppoſitum dicat ens perfectum per ſe ſubſiſtens, & ſic de DEO & Homine, qui dicunt entia perfecta per ſe exiſtentia.

4. Reſpondit Raymundus: non bene intellexiſti *diſtinctionem*, quam feci, nec *ſimilitudinem*, quam accepi de Beatiſſima Trinitate; & tua ratio eſſet vera, ſi DEUS aſſumpſiſſet hominem; ſed ſuprà in *proxima Quæſtione* eſt probatum, quòd non aſſumpſerit hominem, ſed Humanam Naturam, „ *de* qua Se fecit Hominem *in* „ Se Ipſo, ut *cum* ipſo ſit Unum Suppoſi- „ tum, & non duo ſuppoſita, *quod* Suppo- „ ſitum eſt *duo*, ſcilicet DEUS & Homo, „ *qui* ſunt *Illud* Suppoſitum, „ ſicut de Beatiſſima Trinitate ſuprà exemplificatum eſt; & *quia diſtinguo*, non implico contradictionem.

5. Et quando dicis, quòd conveniat, quòd in Chriſto ſint duo ſuppoſita, poſtquam ipſe eſt *duo*, ſcilicet DEUS & Homo, non ſequitur, cùm Homo *in ſe* non ſit ſuppoſitum, ſed „ *de ſua Humanitate* factum „ eſt Suppoſitum *in Divino Suppoſito*, in „ quo eſt ſuſtentatus & factus, & *in Ipſo* „ eſt hoc, quod eſt, & *ſinè Ipſo* non eſſet „ hoc, quod eſt, nec per ſe ſuſtentatus; „ ratione cujus non poteſt eſſe *per ſe ſimpliciter* ſuppoſitum; cùm *de natura ſuppoſiti ſit*, quòd *ſit per ſe ſubſiſtens & ſuſtentatum*, & quòd *ſit hoc, quod eſt.*

QUÆSTIO CIII.

Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: Filius DEI eſt prædeſtinatus?

1. SOlutio. Ait Raymundus: in *trigeſima tertia Quæſtione* eſt ſignificata ſolutio hujus Quæſtionis, cùm ſit *diſtinctio* inter prædeſtinationem & prædeſtinationem; ſicut inter *Ideam*, quæ eſt DEUS, & *ideatum*, quod non eſt DEUS. Sic Filius DEI (qui eſt *Prædeſtinatio*, ſicut eſt *Idea*) non eſt prædeſtinatus, ſed eſt *prædeſtinans prædeſtinatum*, ſicut eſt *ideans ideatum* & hoc *ſimpliciter*: veruntamen *ſecundùm quid*, quia factus eſt Homo, ſicut fecit Hominem *in* Se Ipſo, & *de* Se Ipſo ipſum deificavit, ſic *in* Homine ſe prædeſtinavit, ſicut Homo Chriſtus, qui eſt prædeſtinatus, & per conſequens Filius DEI, qui eſt ipſe Homo Chriſtus; & ideo negatio Quæſtionis *per unum modum* eſt tenenda, & *per alium* affirmatio.

2. Ait Eremita: DEUS nullo modo poteſt eſſe prædeſtinatus, cùm ſit prædeſtinans omnia prædeſtinata entia, nec in aſſumendo Humanam Naturam poteſt ſe prædeſtinare, cùm omne prædeſtinatum ſit prædeſtinatum, ſecundùm quòd ſua merita requirunt, ût tu dicis in præallegata *trigeſima tertia Quæſtione*; & quia Incarnatio per meritum hominis non poteſt fieri, cùm nemo poſſit mereri, ut ſit DEUS, nec per Incarnationem DEUS poteſt prædeſtinare ſe ipſum.

3. Reſpondit Raymundus: Suppoſito, quòd non eſſet Incarnatio, concedo tibi, quòd Filius DEI non poſſet prædeſtinari, ſed quia Incarnatio eſt, poteſt prædeſtinari; veruntamen *non per modum*, per quem alii homines ſunt prædeſtinati, cùm ſint prædeſtinati ſecundùm eorum merita & ſecundùm liberum arbitrium, quod habent, ût de *ſecunda ſpecie* prædeſtinationis dictum eſt in *trigeſima tertia Quæſtione*; ſed Homo Chriſtus non eſt prædeſtinatus reſpectu meriti nec ſui liberi arbitrii, cùm „ in Chriſto Deitas ſic agat de Humanita- „ te, cum qua eſt conjuncta, ſicut forma „ de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

„ de ſua materia, & Anima de ſuo corpo-
„ re, & homo de ſua voluntate, „ & ſic de ſimilibus; & ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO CIV.

Utrùm in Chriſto ſint duæ Filiationes?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Chriſtus eſt DEUS, Chriſtus eſt Homo; & Chriſtus Filius DEI non poteſt eſſe ſinè Filiatione; & quia eſt Filius DEI, convenit, quòd in Chriſto ſit *Divina Filiatio*. Item dixit, quòd Chriſtus Homo ſit Filius Beatæ Virginis, cujus Filius non poſſet eſſe ſinè Filiatione; & quia Chriſtus eſt Filius Hominis, ſequitur, quòd in Chriſto ſit *Humana Filiatio*, per quam & de qua eſt verus & purus Homo. Et ideo Raymundus voluit concludere, quòd in Chriſto ſint *duæ* Filiationes, ſcilicet una *Divina* Filiatio, & alia *Humana*, ſicut una Divina Natura, & alia humana; tamen dubitavit concludere, quòd in Chriſto eſſent duo ſuppoſita, cùm in Chriſto Filiatio *relativè* dicat Suppoſitum ex parte Divinitatis & Humanitatis: ſed recordatus eſt diſtinctionis, quam fecit ſuprà in *centeſima ſecunda Quæſtione*, & dixit *diſtinguendo*, quòd, ſicut *in* Divino Suppoſito, quod eſt Divina Filiatio, eſt factus Homo de Humana Natura, & ſuſtentatus *in* Suppoſito, & unitus *cum* Ipſo, ſic *in* Divina Filiatione ſit facta Humana Filiatio *de* Humana Natura aſſumpta *ex* Beata Virgine, & ſit ſuſtentata *in* Divina Filiatione, & unita *cum* Ipſa; & ideo dixit Raymundus, quòd in Chriſto ſint *Duæ Filiationes*, cùm in Chriſto ſint duæ differentes Eſſentiæ, duæ Naturæ & duæ Relationes, Chriſto habente DEUM Patrem, & Fœminam Matrem: tamen negavit, quòd in Chriſto ſint duo ſuppoſita, ſed *Unum*, ût in *præallegata Quæſtione* probatum eſt.

2. Ait Eremita: Sicut Chriſtus eſt Unus, ita eſt unus Filius; & ſicut Chriſtus ex Divina & Humana Natura eſt Unum Suppoſitum, ita ex duabus Filiationibus eſt una Filiatio, per quam eſt unus Filius Chriſtus; aliàs non poſſet fieri unio Divinæ & Humanæ Naturæ; vel conveniret, quòd Chriſtus eſſet duo Filii vel duo ſuppoſita, quod tu negas; & ideo tua ratio non procedit, & de quæſtione ſimpliciter tenenda eſt negativa vel affirmativa, ratione cujus tua diſtinctio non valet.

3. Reſpondit Raymundus: ex piro inſerta in pomerio eſt una arbor, in qua ſunt duæ naturæ, ſcilicet natura piri & natura pomerii; & ſi ex illis duabus naturis fieret una natura exiſtens ſinè diſtinctione illarum duarum naturarum, natura piri eſſet in radicibus, & natura pomerii in foliis, floribus & piris, & è converſo, & hoc ſimpliciter; quod eſt impoſſibile, & de hoc habemus experientiam ſecundùm colorem, figuram & ſaporem pirorum: à ſimili, ſi in Chriſto eſſent *converſæ* duæ Naturæ, duæ filiationes, duæ bonitates, duæ magnitudines & duæ durationes &c., ſequerentur multa inconvenientia, ſcilicet, quòd in Chriſto non remaneret niſi una Natura & una Filiatio, & illa eſſet aut ex parte Divinitatis, aut ex parte Humanitatis: & ſic Chriſtus ſimpliciter eſſet DEUS vel Homo ex duabus Naturis & Filiationibus, conſequenter Chriſtus eſſet unum tertium ſuppoſitum, in quo numerus Filii DEI eſſet mutatus, & idem ſequeretur de numero Filii Hominis; quod eſt impoſſibile, ût in *centeſima prima* & *centeſima ſecunda Quæſtione* dictum eſt: item Summa Bonitas & infima converterentur, & Infinita Magnitudo & finita, & Æternitas & tempus, & Creator & creatura, & ens quantum & Ens Non quantum, & ſic de aliis; quod eſt impoſſibile: ergò in Chriſto *non convertuntur* Naturæ & Filiationes, „ nec una „ Eſſentia conſumitur, & alia conſervatur, „ cùm Chriſtus ſit Verus DEUS per Deitatem, & Verus Homo per Humanitatem, habens quoad DEUM, quidquid pertinet ad Divinas Conditiones, & quoad Hominem, quidquid pertinet ad humanas, per quas *in* Divino Suppoſito poteſt eſſe Homo; & hæc non ſunt impoſſibilia, cùm DEUS poſſit eſſe Homo, ût in *nonageſima octava Quæſtione* probatum eſt.

QUÆSTIO CV.

Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: Chriſtus, ſecundùm quòd Homo, eſt Individuum?

1. SOlutio. Dixit Raymundus, quòd pomum ſit elementatum & vegetatum; eſt elementatum per elementativam, de qua eſt; & eſt vegetatum per vegetativam, de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de qua eſt. Item dixit, quòd *eſſe* eſſentiæ elementativæ ſit *unum*, & *eſſe* eſſentiæ vegetativæ ſit *aliud*; ſed „ *non* ſunt ita „ *duo eſſe*, quòd ſint duo individua, ſed *u-* „ *num*, quod eſt pomum *ex ipſis indivi-* „ *duatum*, „ & *eſſe* vegetatum eſt *planta-tum* & *ſuſtentatum* in *eſſe* elementato, cum quo eſt unitum; per quorum *unionem* ſequitur *unum eſſe compoſitum*, unum corpus, unum individuatum, una ſubſtantia & unum pomum, quod pomum eſt *eſſe* eſſentiæ *pomeïtatis*, & duo prædicta *eſſe* remanent *diſtincta* quoad eſſentiam & naturam elementationis, & eſſentiam & naturam vegetationis. A ſimili, Eremita, ſecundùm quòd exemplum poteſt ſufficere, Chriſtus, ſecundùm quòd eſt DEUS, eſt Individuum, ſed non duo individua, ſed Unus Chriſtus, qui eſt Unum Individuum & Unum *Eſſe*, quod eſt DEUS & Homo: & ſicut *in* Individuo, quod eſt DEUS Filius, eſt Homo factus *de* Humana Natura, ſic *in* Individuo, quod eſt DEUS Filius, eſt *individuatum* & factum individuum, quod eſt Homo, tali modo, quòd ſit *Unum Individuum*, quod eſt Chriſtus, & non duo; ſed remanent duæ diſtinctæ Eſſentiæ & Naturæ: ideo concludo, quòd *Chriſtus, ſecundùm quòd eſt Homo, ſit unum individuum exiſtens Unum Individuum in Divino Suppoſito, in* quo eſt factus DEUS & Homo.

2. Ait Eremita: ſi Chriſtus, ſecundùm quòd eſt Homo, eſt individuum, & Chriſtus, ſecundùm quòd eſt DEUS, eſt Individuum, ſequitur, quòd Chriſtus ſit duo individua & duo *eſſe*, cùm individuum dicat *eſſe*, ergò non eſt unus Chriſtus, ſed duo, & non duo, ſed unus, cùm eſſentia rationativa dicat unum Chriſtum, & non duo: ergò concludis contradictionem, quæ non poteſt ſtare, ergò tua verba non procedunt.

3. Reſpondit Raymundus: non bene intellexiſti diſtinctionem, quam ſuprà fecimus, ſecundùm quam tua objectio eſt ſoluta; ſed ut meliùs intelligas, adhuc dico tibi, quòd in quolibet homine *unum* ſit *eſſe* corporis, & *aliud* ſit *eſſe* animæ, & *ex utroque eſſe actu* ſequitur homo, qui eſt *tertium*, & *unum individuum*; & iſte eſt *unus modus* eſſendi individui; ſed *alius modus* eſſendi individui eſt in Chriſto, quia in quolibet homine eſt *eſſe* corporis *actu*, & *eſſe* animæ ſimiliter, & unum *actualiter* venit ad aliud, quolibet remanente *actu*, & conſtituunt *tertium eſſe*; ſicut in denario, qui eſt de argento & cupro, quæ actualiter veniunt & remanent ad conſtituendum tertium, quod eſt denarius; ſed in Chriſto fuit aſſumpta Humana Natura de Beata Virgine; quæ Humana Natura *non erat actu*, ſed fuit deducta in *eſſe in* Divino *eſſe*, *in* quo Homo habuit *eſſe* ex Humana Natura: & ideo, Eremita, quia inter modum & modum eſt differentia, ût ſuprà dictum eſt, non ſequitur, quòd hoc, quod ſequitur per unum modum, ſequatur per alium, exiſtentibus prædictis modis differentibus per magnam diſtantiam; & ideo mea ratio ſtat, & tua non concludit.

QUÆSTIO CVI.

Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: Homo incepit eſſe DEUS?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: in *principiare* ſunt duo, quæ ſunt principiativum & principiabile; & principiativum dat *eſſe*, & principiabile recipit *eſſe*, quando eſt principiatum; & ideo *principiare* eſt nobilius & potentius à parte principiativi, quàm à parte principiabilîs; cùm principiativum *antè* ſit in principiare, quàm principiabile, & in ipſo principiativum ſit *activum*, & principiabile *paſſivum*: & quia in *Principiare* Beatæ Incarnationis Filius DEI fuit à parte *antè* & Principiativus & Activus, & Homo Chriſtus à parte *pòſt* & paſſivus & principiabilis, ergò concluditur, quòd *Homo non inceperit eſſe DEVS*, ſed *DEVS inceperit eſſe Homo*; veruntamen *paſſivè incepit eſſe DEVS, & à parte pòſt*, ſcilicet quando de Humana Natura fuit factus Homo DEUS *in* Divino Suppoſito, *in* quo fuit inceptus & perfectus, & vade ad *centeſimam primam* & *centeſimam ſecundam Quæſtionem.*

2. Ait Eremita: Si Homo non incepiſſet eſſe DEUS, DEUS non potuiſſet eſſe Homo, ſicut ſi DEUS non incepiſſet eſſe Homo, Homo non potuiſſet eſſe DEUS; & ideo iſta convertuntur: DEUS incepit eſſe Homo, & Homo incepit eſſe DEUS.

3. Reſpondit Raymundus: tua verba ſunt vera *ſecundùm quid*, ſed *non ſimpliciter*, ſecun-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſecundùm quòd ſuprà diximus diſtinguendo, ſi bene recolis. Item dico tibi, quòd, ſi mundus, quando fuit creatus, *activè* accepiſſet ſuum *eſſe*, creaviſſet ſémet ipſum, vel fuiſſet, antequam fuiſſet; & non fuiſſet, antequam fuiſſet, quod eſt contradictio, quæ non poteſt ſtare; veruntamen mundus *paſſivè* incepit eſſe, quando illi fuit datum *eſſe*, quod habet per creationem: ſic à ſimili Homo *paſſivè* incepit eſſe DEUS *in* DEO, in quo fuit factus Homo DEUS. Adhuc dico tibi, quòd, ſi Homo *activè* incepiſſet eſſe DEUS, ipſe ſe feciſſet DEUM & aliud ſuppoſitum, & ſuppoſitum feciſſet ſe ſuppoſitum, & duo ſuppoſita actu exiſtentia eſſent unum ſuppoſitum & non unum ſuppoſitum, ſed duo; quod eſt contradictio, & hoc improbatum eſt in præallegata Quæſtione: ergò eſt neceſſariò diſtinguendum.

QUÆSTIO CVII.

Utrùm Chriſtus aſſumpſerit Potentiam peccandi?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: in Chriſto eſt differentia inter Divinam & Humanam Naturam, & convenit, quòd illa differentia ſit in concordantia aut in contrarietate, cùm ſinè aliqua iſtarum differentia non poſſit eſſe; in contrarietate autem non poteſt eſſe, ſcilicet in contrarietate boni & mali, virtuoſi & vitioſi, diligendi & odiendi; cùm per hujusmodi contrarietatem Incarnatio non potuerit fieri: ergò prædicta *differentia eſt in concordantia* boni & boni, virtuoſi & virtuoſi, diligendi & diligendi: & quia peccatum eſt malum contra bonum, & eſt vitium contra virtutem, & eſt odibile, & non amabile, ergò *Chriſtus non potuit aſſumere potentiam peccandi;* quia ſi potuiſſet, fuiſſet poſſibile, quòd prædicta differentia eſſet in contrarietate, & non in concordantia, quando Incarnatio fuit facta; & talis poſſibilitas derogaret Sanctiſſimæ Incarnationi, quam convénit eſſe in majori concordantia & participatione, & in majori magnitudine bonitatis, virtutis, ſanctitatis & voluntatis, quæ poſſit eſſe inter DEUM & creaturam, & in majori exaltatione & perfectione totius Univerſi creati & Redemptionis humani generis.

2. Item ſi Chriſtus aſſumpſiſſet potentiam peccandi, aſſumpſiſſet ipſam ût Homo, & non ût DEUS, & DEUS participando cum Homine per Unionem participaret cum potentia peccandi, cùm DEUS ſit Homo; & Homo eſſet factus in ſe ipſo de ſua natura, & non in Divino Suppoſito: & ſi ille Homo potuit aſſumere potentiam peccandi, ſequeretur, quòd in Chriſto eſſent duo ſuppoſita, quod in pluribus locis eſt improbatum: ergò ſequitur, quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

3. Ait Eremita: non minor nobilitas bonitatis, virtutis & voluntatis & poteſtatis eſt in Chriſto tanquam Homine, quàm in aliis hominibus, imò multò major ſinè comparatione; ſed talis major nobilitas non poſſet eſſe in Chriſto, ût eſt Homo, ſinè libero arbitrio, ergò Homo Chriſtus habuit liberum arbitrium eligendi bonum, & evitandi malum: & ſi habuit liberum arbitrium, aſſumpſit potentiam peccandi; aliàs non potuit habere liberum arbitrium, cùm de conditionibus liberi arbitrii ſit eligere bonum, & evitare malum in hac vita, vel è converſo.

4. Reſpondit Raymundus: non bene ſcis, quid ſit liberum arbitrium, nec bene recolis, quid de ipſo dixerimus in *ſexageſima octava Quæſtione:* item non bene recolis modum, per quem in Divino Suppoſito fuit factus Homo, ût in pluribus locis dictum eſt; quia ſicut Homo Chriſtus fuit factus Homo *in* Divino Suppoſito, & *non in ſe ipſo*, ſic ſuum liberum arbitrium, & quidquid pertinet ad rationalem Animam, fuit creatum *in* Divino Suppoſito, & Corpus illius Hominis fuit factum de Beatiſſima Carne Virginis, quam aſſumpſit; & ideo *liberum arbitrium Chriſti non potuit eſſe inſtrumentum* ad eligendum peccatum, quia fuit creatum *in* Divino Suppoſito, quod infinitè diſtat à peccato: ſed ſicut *Beati in Patria* liberè diligunt bonum per liberum arbitrium, & *odiunt* malum *ſinè potentia peccandi*, quia ſunt confirmati in beatitudine, ſanctitate & gloria, ſic & multò magìs Homo Chriſtus per ſuum liberum arbitrium liberè dilexit bonum, & odivit peccatum, cùm eſſet factus Homo in Divino Suppoſito, *in quo* fuit factus DEUS, in quo non potuit aſſumere potentiam peccandi, ût probatum eſt, & habuit liberum arbitrium, & fuit & eſt nobilior Homo, quàm omnes homines in magnitudine bonitatis, virtutis, voluntatis, ſanctitatis & poteſtatis.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Adhuc dico tibi, quòd poteſtas peccandi non dicat perfectionem, ſed imperfectionem; & ſi diceret perfectionem, DEUS haberet ipſam; quod eſt impoſſibile: ergò Chriſtus non aſſumpſit potentiã peccandi.

QUÆSTIO CVIII.

Utrùm DEUS potuerit aſſumere plures Humanitates?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: ſicut eſt Una *Summa* Bonitas Increata in DEO, & non plures, ſic magìs requirit *Summam* Bonitatem creatam, & non plures, & ſic de *Summa* Magnitudine Increata & creata, & de *Summa* Voluntate Increata & creata, & ſic de aliis: & ratio hujus eſt, quia major proportio & diſpoſitio eſt *inter unum & unum*, quàm inter unum & plura: unde ſequitur, quòd DEUS, quantum ad hoc, non potuerit aſſumere plures humanitates, ut *non derogaret* majori Unioni Incarnationis.

2. Item ſi Filius DEI potuit aſſumere plures humanitates, in Chriſto plures potuiſſent eſſe unum ſuppoſitum; quod eſt impoſſibile.

3. Item ſi potuiſſet aſſumere plures humanitates, *Unus Finis* Incarnationis non potuiſſet *ſufficere* per *unum hominem*, illo fine exiſtente in *Summitate* creata, quod eſt impoſſibile, exiſtente illâ aſſumptâ Humanitate *cum Summo* Fine Increato: & quia potuit *exaltare* unam creaturam *in* Summitate Increata, ſcilicet unum Hominem Chriſtum, non poteſt exaltare plures homines in ſummitatibus creatis, cùm *Summitas requirat eſſe in uno*, & non in pluribus: ergò ſequitur, quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

4. Ait Eremita: in DEO ſunt Tres Perſonæ, ſcilicet Pater & Filius & Sanctus Spiritus; unde ſicut DEUS Filius potuit aſſumere unam Humanitatem, ſic DEUS Pater potuit aſſumere aliam, & DEUS Sanctus Spiritus aliam; aliàs Filius potuit habere plus poteſtatis in ſuo effectu, quàm Pater & Sanctus Spiritus, quod eſt impoſſibile; cùm mundus æqualiter ſit creatus à Patre, Filio & Sancto Spiritu.

a. Item ſicut ad DEUM pertinet agere cum Magnitudine Bonitatis, Durationis, Poteſtatis &c., ût dicis, & non cum parvitate, magìs ad illum pertinet aſſumere plures humanitates, quàm unam, cùm plures dicant plus bonitatis, magnitudinis &c., quàm una: ergò Pater potuit aſſumere unam humanitatem, & Sanctus Spiritus aliam.

5. Reſpondit Raymundus: ſi DEUS Pa-
a. ter aſſumpſiſſet humanitatem, potuiſſet eſſe Pater & Filius *in uno Suppoſito*, & idem de Filio Homine; quod eſt valde inconveniens & contra Diſtinctionem Relationis Paternitatis & Filiationis: & quia inconveniens dicit imperfectionem, vitium & contrarietatem, ratione inconvenientiæ DEUS Pater non potuit aſſumere humanam naturam. Et idem ſequitur de Sancto Spiritu, qui, ſi aſſumpſiſſet humanam naturam, eſſet Filius ex parte humanitatis, & non Filius nec Pater ex parte Deitatis; & ſic eſſet Filius ſinè Patre, & eſſet deſtructa Relatio, & ille homo creatus fuiſſet factus *in ſe ipſo* homo & filius: unde ſequeretur, quòd *per ſe* eſſet unum ſuppoſitum, & Sanctus Spiritus aliud, & Unio vel Incarnatio eſſet ex duobus ſuppoſitis *actu* exiſtentibus; quod eſt impoſſibile.

b. Et quando dicis, quòd ſit plus bonitatis &c. in tribus humanitatibus, quàm in una, verum dicis quoad *quantitatem extenſam* bonitatis &c., & non quoad *intenſam* nec quoad *finem*: ſicut unus Rex habens unam magnam intenſitatem bonitatis, durationis, ſanctitatis, poteſtatis &c., qui eſt in altiori nobilitate, quàm duo homines vel plures illi ſubditi habentes magnam extenſitatem, & parvam bonitatem, ſanctitatem, poteſtatem &c.: & à ſimili de duobus Regibus exiſtentibus in uno regno, qui non poſſent eſſe in tanta & tam magna & alta nobilitate, poteſtate, jucunditate & voluntate, ſicut unus ſolus; ſic à ſimili & multò magìs eſſet de pluribus Chriſtis, ſi omnes Tres Divinæ Perſonæ eſſent incarnatæ: ergò DEUS non potuit aſſumere plures humanitates.

QUÆSTIO CIX.

Utrùm Anima Chriſti comprehendat *Verbum ſibi unitum?*

1. SOlutio. Dixit Raymundus: homo Martinus dicit *plus*, quàm ſuus intellectus & voluntas, cùm ipſe ſit totum, & ſuus intellectus & voluntas ſint ſuæ partes; tamen cum ſuo intellectu ſe totum intelligit, ſicut cum ſua voluntate ſe totum diligit, & cum ſuis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuis partibus ſe totum comprehendit, tamen *extenſivè, non intenſivè;* quia ſi ſe intenſivè comprehenderet, attingeret omnes ſuas partes, ſcilicet ſciret, quanta eſt ſua augmentatio, corruptio & generatio; ſciret etiam, quot ſunt venæ, item quanta eſt ſua gravitas, caliditas &c.; quod illi eſt impoſſibile.

2. Item dixit, quòd inter Divinum Verbum & Animam, quam aſſumpſit, ſit magna *Differentia;* cùm Verbum ſit Infinitum, & Anima ſit finita; ſed inter ipſos eſt magna *Concordantia* per *Conjunctionem* & *Unionem*, & ita magna, quòd Verbum ſit Anima & Homo, & Homo cum omnibus ſuis partibus ſit Verbum: ſed de Anima non eſt ſic, quia conſervat, quòd Verbum ſit Infinitum, & Homo illi conjunctus ſit finitus: & ideo *converſio* Verbi & Hominis ſtat in Concordantia, & non in Differentia. Unde ſequitur, quòd *ratione Differentiæ* Divinæ Naturæ *Anima Chriſti non comprehendat Verbum ſibi unitum;* quia, ſi ipſum comprehenderet, eſſet *converſio* in Differentia in tantum, quòd Differentia eſſet annihilata; quod eſt impoſſibile: ſed *comprehenſio conſiſtit per Concordantiam & Unionem;* ſicut Chriſtus, *ût Verbum*, qui cum Anima, quam aſſumpſit, *ſe totum comprehendit*, intelligendo ſe totum cum ſuo Humano Intellectu, & ſe totum diligit cum ſua Humana Voluntate; Anima Chriſti tamen eſt *inſtrumentum*, & Verbum eſt *agens;* & ideo Anima Chriſti *mediatè* comprehendit Verbum, & *non immediatè;* ſed illa comprehenſio fit *extenſivè*, & non intenſivè, cùm *non ſit proprium* Animæ attingere Infinitum, ſed ſit illi *appropriatum* per Verbum ſibi unitum; ſed Verbum attingit ſe ipſum & omnia *intenſivè*, cùm ſit ſua proprietas infinitè attingere: reſpondeo ergò ad Quæſtionem *diſtinguendo* per *extenſum* & *intenſum*, & per *mediatè* & *immediatè*, & per *differentiam* & *concordantiam*, & per *proprium* & *appropriatum*, & per *exemplum*, quod dedi de homine; & adhuc per iſtud exemplum: ignis & aër calefaciunt aquam, ſed aër *extenſivè*, & ignis *intenſivè;* cùm caliditas ſit propria proprietas igni, & appropriata aëri.

3. Ait Eremita: Sicut Verbum & Anima Chriſti diſtant & differunt per Infinitatem & finitatem, ſic diſtant per extenſitatem & intenſitatem, cùm ſit magna differentia inter intenſum & extenſum; & quia Anima habet poteſtatem & virtutem finitam intenſivè, nullo modo, ſivè mediatè ſive immediatè poteſt habere poteſtatem & virtutem comprehendendi Infinitum Verbum; quòd ſi poteſt habere, ſequitur, quòd finitum ens poſſit habere aliquam naturam vel proprietatem, per quam poſſet comprehendere Infinitum Ens; quod eſt impoſſibile: ergò omnibus modis concluditur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: tua verba eſſent vera, ſuppoſito, quòd non eſſet ſupradicta *converſio*, ſcilicet quòd in Chriſto Verbum non eſſet Homo, nec Homo Verbum; ſed ſuppoſito, quòd in Chriſto ſit *converſio*, mea verba ſunt vera, & tua non; & hoc declaratum eſt ſecundùm hoc, quod ſuprà dixi.

5. Et adhuc dico tibi, quòd, licèt homo Martinus & ſuus intellectus non convertantur, propter hoc non ſequatur, quòd homo non faciat ſuum intellectum plus intelligere, quàm ipſe ſit, cùm faciat eum intelligere plura entia intelligibilia, quæ non ſunt de ſua eſſentia, nec cum ipſo conjuncta, ſicut ſunt lapis, planta &c., quæ ſunt intelligibilia: unde ſequitur, quòd, ſi homo Martinus eſſet converſus cum omnibus ſuis partibus, ſicut in Chriſto Verbum eſt converſum cum Anima Chriſti, exiſtens ipſa, Martinus poſſet plus agere de ſuis partibus, quia quælibet partium eſſet totus homo.

6. Adhuc dico tibi, quòd ignis tantum faciat extendere caliditatem aëris in calefaciendo aquam, quantum facit extendere ſuam propriam caliditatem exiſtente aquâ in olla totâ calefactâ per caliditatem ignîs & aëris, à ſimili dico tibi, Eremita, ût ſuprà dictum eſt: ergò tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CX.

Utrùm Anima Chriſti in Verbo cognoſcat omnia, quæ cognoſcit Verbum?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: ſolutio hujus Quæſtionis quaſi ſpectat ad ſolutionem prædictæ Quæſtionis; dico tamen, quòd Chriſtus *duobus modis* cognoſcat, ſcilicet ſecundùm *divinum modum*, & ſecundùm *humanum modum;* ſecundùm *divinum modum* Chriſtus intelligit infinitè,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nitè, & ſecundùm *humanum modum* finitè: & quia Chriſtus eſt DEUS & Homo, Anima Chriſti cognoſcit in Verbo omnia, quæ Verbum finitè cognoſcit, hoc eſt, quæ fuerunt, ſunt & erunt, cùm ſint in numero finito; ſed Verbum tranſit ultrà ad intelligendum infinitum numerum idearum, quæ nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt ideatæ, cùm illi ſit proprium intelligere infinitum numerum; & hunc tranſitum de finito in infinitum non poteſt facere Anima Chriſti, cùm illi ſit proprium finitè intelligere ratione ſuæ finitatis, quam habet per ſuam totam eſſentiam & naturam, ultra quam ſe non poteſt extendere, cùm ſit impoſſibile, quòd finitum ſe extendat extra ſe in infinitum; & ideo dico, quòd Anima Chriſti non cognoſcat in Verbo, quidquid Verbum cognoſcit infinitum, ſed cognoſcit, quidquid cognoſcit finitum.

2. Ait Eremita: unum dicit proprium, & aliud appropriatum; propriè Anima Chriſti non cognoſcit in Verbo omnia, quæ cognoſcit Verbum, cùm Anima ſit finita, & Verbum ſit infinitum; ſed quia Verbum factum eſt Homo, appropriatum eſt Homini, quòd ſit DEUS, & per conſequens, quòd ſuum intelligere & cognoſcere ſit infinitum, ratione cujus appropriationis infinitatis Anima Chriſti, quæ eſt de eſſentia hominis, in Verbo poteſt cognoſcere omnia, quæ Verbum cognoſcit finitè ſive infinitè; finitè quoad ſe ipſam, infinitè quoad Verbum, quod illi eſt appropriatum; & ideo affirmativa Quæſtionis eſt tenenda.

3. Reſpondit Raymundus: aliud eſt *unire*, & aliud eſt *appropriare*; ſicut in homine, in quo anima & corpus ſe uniunt, ſed eſſentiam, quam habent, ſibi invicem non appropriant; ſic corpus non appropriat animæ, quòd bibat, nec anima appropriat corpori, quòd intelligat: à ſimili Deitas in Chriſto non appropriat Humanitati, quòd ſpiret Sanctum Spiritum, nec quòd creet animas, nec Humanitas appropriat Deitati, quòd habeat colorem & figuram: à ſimili dico tibi de infinitate & finitate, ſcilicet quòd unum ſe non poſſit appropriare alteri; quia ſi poſſet, finitum poſſet creare & infinitare, & infinitum non; quod eſt impoſſibile: ergò tua ratio nihil valet.

QUÆSTIO CXI.

Utrùm Chriſtus, ſi non fuiſſet interfectus, redemiſſet Humanum Genus per naturalem Mortem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus, quòd mors fuerit in humano genere *duobus modis*, per originale peccatum, ſcilicet *naturaliter & ſpiritualiter; naturaliter*, quia corpus primi hominis, qui erat immortalis, antequam peccâſſet, poſt peccatum fuit mortale, corruptibile & putrefactibile; *ſpiritualiter*, ſicut ſua anima, quæ fuit mortua per peccatum, in quantum fuit deviata à beatitudine, ad quam fuit creata, & fuit poſita in ſtatu damnationis; & idem eſt de ſuis conſequentibus; excludo tamen illos, qui per Baptiſmum ſunt in ſtatu ſalvationis.

2. Item dixit, quòd Corpus Chriſti ratione Unionis Deitatis fuerit immortale; quia ſi fuiſſet mortale, aſſumpſiſſet potentiam corruptionis & putrefactionis, quod ipſi fuit ita impoſſibile, ſicut illi fuit impoſſibile aſſumere potentiam peccandi, ût in *centeſima ſeptima Quæſtione* probatum eſt; aliàs Unio Divinæ & Humanæ Naturæ non potuiſſet fieri, nec Homo Chriſtus fuiſſet ſuſtentatus & factus in Divino Suppoſito; & quia naturaliter non fuit mortalis, per naturalem Mortem, quam non potuit habere, non potuit redimere humanum genus; ſicut homo, qui cum alis, quas non habet, non poteſt volare; ſed Corpus Chriſti fuit mortale *per accidens*, ſicut per vulnera, ut Recreatio poſſet fieri per *accidentalem Mortem*, ſicut naturalis mors humani generis per accidens fuit facta, ſcilicet per peccatum primorum Parentum: ergò concluditur, quòd negativa Quæſtionis ſit tenenda.

3. Ait Eremita: Chriſtus fuit innocens, & non debebat mortem alicui, unde ſicut voluit eſſe mortalis per mortem accidentalem, ut redimeret humanum genus, ſic, ſi voluiſſet, fuiſſet mortalis naturaliter, ut naturaliter per naturalem mortem redimeret humanum genus; & ideo affirmativa quæſtionis eſt tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: ſuperiùs probatum eſt, quòd Chriſtus non potuerit habere naturalem mortem, unde ſequitur, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd cum hoc, quod non potuit habere, non potuerit redimere humanum genus.

4. Et quando dicis, quòd Christus ratione suæ innocentiæ non debebat mortem, verum dicis, sed non dicis verum ratione sui Officii, scilicet Officii Recreationis, quod illi soli conveniebat, cùm sit principium & finis totius Universi, & medium inter DEUM & humanum genus, ut DEUS per Christum Hominem recuperaret suum populum, quem amisit per peccatum; & per hunc modum debebat mortem corporis, cùm mors corporis sit nobilius debitum & solutio, quæ DEO possit fieri ad honorandum ipsum, & ad diligendum suum proximum.

QUÆSTIO CXII.

Utrùm DEUS potuerit salvare Humanum Genus sinè Satisfactione?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: post originale peccatum DEUS & humanum genus fuerunt in magna contrarietate boni & mali, virtutis & vitii, veri & falsi, & sic de similibus; & illa contrarietas erat ita magna, quòd DEUS non habebat populum in mundo, & totum Universum, exceptis Angelis, erat deviatum à fine, propter quem fuit creatum, sicut omnia corpora supracœlestia & corpora inferiora, quæ fuerunt creata ad serviendum homini, ut per hominem servientem DEO attingerent suum finem in DEO: unde sequitur, quòd DEUS de sua ordinata potestate non potuerit salvare humanum genus sinè satisfactione, sicut non potuit gubernare humanum genus in sua gratia post peccatum, & sic de fine mundi: & si DEUS potuisset salvare humanum genus sinè satisfactione, potuisset in sua gratia gubernare humanum genus, & sic de fine mundi: & si hoc potuisset, sequeretur, quòd DEUS uniformiter posset participare cum suo effectu per magnam concordantiam & per magnam contrarietatem; quod est valde impossibile: ergò concluditur, quòd DEUS non potuerit salvare humanum genus sinè satisfactione, ut per satisfactionem removeretur contrarietas inter DEUM & hominem, & inter hominem & entia corporalia creata ad servitium hominis, & reduceretur concordantia.

2. Ait Eremita: DEUS est omnipotens, & potest quidquid vult, cùm sua Potestas sit infinita; & sicut habet infinitam Potestatem, ita habet infinitam Misericordiam; sed si non posset salvare humanum genus sinè satisfactione, satisfactio, quæ est finita, ligat & impedit Divinam Potestatem & Misericordiam; quod est impossibile: ergò concluditur, quòd DEUS potuerit salvare humanum genus sinè satisfactione.

3. Respondit Raymundus: Eremita, concedo, quòd DEUS habeat infinitam Potestatem & Misericordiam, & possit, quidquid vult, sed nihil potest contra suum *Velle*, nec contra suam Bonitatem, Magnitudinem &c., cùm in DEO Bonitas, Magnitudo, Potestas & Voluntas sint idem, & sic de Misericordia & Justitia; & quia Justitia requirit satisfactionem, DEUS non potest cum Misericordia velle contra Justitiam, nec è converso, sed factâ satisfactione Misericordia parcit, & Justitia reddit præmium, & DEUS ordinatè agit de sua Misericordia & Justitia.

QUÆSTIO CXIII.

Utrùm Fides informis sit Virtus?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: quòd sit differentia inter *esse* & suum finem, sicut inter *esse* hominis, quod est de anima & corpore, & suum finem, qui est benè agere, DEUM recolere, intelligere & amare; & idem est de moralibus, sicut Fides, quæ est ens datum à DEO, ut homo credendo attingat veritatem de DEO, postquam ipsam intelligendo non potest attingere: & tale *esse* datum dicit *ens positivum*, & est *esse* formatum, cùm DEUS non det *esse* difformatum; sed Christianus existens in peccato difformat ipsum *per accidens*, in quantum se deviat à fine per peccatum, ad quem finem est creatus: & sic licèt Fides sit informis quoad hominem peccatorem, non tamen est informis quoad se ipsam, cùm habeat formam sibi coëssentialem datam à DEO, & per ipsam est fides id, quod est, scilicet virtus, hoc est, talis habitus virtutis, qualis est, & sua informitas est *per accidens* acquisita per hominem, & est *habitus privationis* utilitatis Fidei, cùm Fides informis non pro-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſit homini peccatori ; ſed ita eſt ejus *inſtrumentum inutile*, ſicut martellus eſt inutilis illi, qui de ipſo neſcit agere: & ideo, Eremita, dico tibi, quòd Fides informis *quoad ſe ipſam* ſimpliciter ſit virtus, ſed quoad Chriſtianum peccatorem non, cùm illi non ſit utilis.

2. Ait Eremita : nullum ens poteſt habere *eſſe* ſinè forma, cùm forma det *eſſe* rei ; & ideo, ſi Fides non habet formam, non poteſt eſſe virtus ; & ſi eſt informata per peccatum, ſua forma non poteſt remanere, cùm forma & non forma dicant oppoſita ; & ideo Fides informata non remanet virtus, ſed ſua ſimilitudo remanet informata ; quæ ſimilitudo eſt vitium, quod eſt oppoſitum virtutis.

3. Ait Raymundus : *in rebus ſubſtantialibus* ſequitur hoc, quod tu dicis, ſcilicet, quòd nulla ſubſtantia poſſit habere *eſſe* ſinè forma, cùm forma det *eſſe* materiæ, & ex ipſa & materia reſultet ſubſtantia ; ſed *in rebus accidentalibus* non eſt ſic, cùm nullum accidens ſit ex forma & materia, ſed ſimpliciter ſit forma ; ſicut Fides, quæ eſt habitus datus à DEO, & ipſa non dat ſibi ipſi *eſſe*, ſed habet *eſſe* datum, quod eſt ſimpliciter forma ; & ideo tua ratio non valet.

4. Et quando dicis, quòd Fides informis ſit ſimilitudo veræ Fidei formatæ, diſtinguis inter Fidem & ſuam ſimilitudinem, & convenit, quòd earum differentia ſit in concordantia ; cùm de neceſſitate conveniat, quòd ſit concordantia inter ſuam ſimilitudinem & ſuum aſſimilatum : & ideo ſecundùm hoc, quod dicis, ſequitur, quòd homo peccator per Fidem informatam ſibi acquirat utilitatem, ſcilicet ſalvationem ; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd ille habitus, quem tu vocas ſimilitudinem Fidei, non ſit ſimilitudo, ſed diſſimilitudo & contrarium Fidei ; & ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXIV.

Utrùm Fides informis per Adventum Gratiæ fiat formata?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : narratur, quòd quidam miles Chriſtianus erat in peccato luxuriæ cum ſua amaſia, quam multùm diligebat, qui frequenter dolebat de illo peccato, & rogabat DEUM, ut ipſum liberaret ab illo peccato, & ut DEUS hoc faceret, Beata Virgo illi hoc impetraret, quia in ipſa confidebat, cum Saracenis bellabat, & faciebat eis magnum damnum, credendo, quòd deſtruendo Saracenos honoraret & exaltaret Fidem Chriſti, cùm Saraceni ipſam reprimant & deſtruant, quantum poſſunt : accidit quâdam die, quòd miles fuerit victus in bello, & fuerit poſitus in carcere, & illi fuit data electio, quòd ſe faceret Saracenum, vel quòd decapitaretur, tunc miles elegit mortem dicens : quòd magìs vellet mori ad honorandam Chriſtianam Fidem, quàm vivere & eſſe Saracenus, & vituperare Fidem : & ideo, Eremita, videtur, quòd miles, licèt fuerit in peccato luxuriæ, habuerit Fidem, quia intendebat honorare Fidem, & propter ipſam fuit mortuus ; & tunc, quando elegit mortem, per adventum gratiæ de Fide informata fuit mutatus in Fidem formatam, ita, quòd antiqua Fides dimiſit informationem, & fuit formata ; aliàs ſi nova Fides veniſſet cum adventu gratiæ, & antiqua Fides receſſiſſet, miles non fuiſſet in diſpoſitione electionis mortis, & ſic non acquiſiviſſet meritum, nec feciſſet pœnitentiam & ſatisfactionem, nec per conſequens eſſet ſubjectum diſpoſitum ad recipiendum gratiam adventem nec novam Fidem, & eſſet Martyr ſinè gratia & Fide ; quod eſt impoſſibile : ergò concluditur, quòd affirmativa Quæſtionis ſit tenenda.

2. Ait Eremita : aliud eſt Fides, & aliud eſt credulitas ; & credulitas eſt magis communis, quàm ſit Fides ; cùm credulitas poſſit eſſe de rebus veris & falſis, & Fides ſimpliciter de rebus veris ; & ideo miles exiſtens in peccato luxuriæ non habebat Fidem, ſed credulitatem, cùm Fides non poſſit ſtare ſub habitu informato, cùm ſit donum DEI, & non poſſit participare cum peccato ; ſed credulitas, quæ eſt habitus magìs generalis, poteſt ſe habere ad utrumque, ſcilicet ad habitum formatum vel informatum ; & ideo miles de credulitate informata fuit mutatus per adventum gratiæ in habitum novæ Fidei formatæ, quando elegit mortem, & noluit eſſe Saracenus.

3. Reſpondit Raymundus : *credere* eſt actus intellectûs, qui nec de veritate nec de ſuo oppoſito eſt certificatus per neceſſarias rationes. Et quando dicis, quòd homo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

homo posſit credere, quòd hoc, quod eſt verum, ſit falſum, & è converſo, verum dicis, & talis actus eſt de genere credulitatis; & quando homo infidelis credit, quòd hoc, quod eſt verum, ſit falſum, & è converſo, ſuus actus, qui eſt *credere*, eſt ſimpliciter de genere credulitatis, cùm infidelis non posſit habere Fidem, dum eſt contra ipſam; ſed de fideli non eſt ſic, quia Chriſtianus quocunque modo credat de DEO, quòd ſit verum hoc, quod eſt verum, ſuum *credere* ſemper eſt de genere Fidei, ſive Fides ſit formata, ſive informata, ût in *proxima Quæſtione* ſignificatum eſt; aliàs veritas eſſet data Fideli ſinè Fide & ſinè utilitate; quod eſt impoſſibile: ſed quando Fidelis credit, quòd ſit verum hoc, quod eſt falſum, & è converſo, tunc ille actus eſt ſimpliciter de genere credulitatis, cùm Fides ſemper ſit de rebus veris; & ideo tua ratio non procedit: imò dico tibi, quòd, ſi tua ratio procederet, ſequerentur plura alia inconvenientia, ſicut miles, qui elegit mortem, in illo inſtanti, in quo elegit mortem, habuiſſet duplex *credere* ad eandem veritatem, & unum fuiſſet à parte Fidei, & aliud à parte credulitatis, & unum impediviſſet aliud, & ex duobus eſſet unum ſuperfluum; & ſi eſſet annihilatum, fuiſſet injuriatum intellectui, poſtquam cum ipſo attingebat veritatem, & per conſequens ſuus habitus credulitatis, quæ injuria fuiſſet facta per adventum gratiæ; quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO CXV.

Utrùm Spes habeat infallibilem Certitudinem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Spes eſt donum datum à DEO, ut homo ſupponat à DEO habere gratiam & miſericordiam & juvamen ad perficiendum bonum agere, & attingere ſuum finem; & ideo, Eremita, convenit, quòd tale donum ſic datum & conditionatum habeat infallibilem certitudinem; & ſic ſcit Divina Sapientia in dando, quòd donum & finis, propter quem datum eſt, ſibi invicem correſpondeant; & hujusmodi correſponſionem Divina Æternitas gubernat, & Divina Voluntas diligit, & Divina Poteſtas poſſificat, & ſic de aliis; quia omnes Dignitates DEI ſunt rationes in dando Spem: unde ſequitur, quòd Spes ſecundùm ſuam eſſentiam ſimpliciter ſit infallibile inſtrumentum.

2. Ait Eremita: plures homines ſunt, qui *a.* habent Spem, quòd ſalventur, & cadunt in peccatum mortale, in quo moriuntur & damnantur, & ſic eorum Spes eſt fallibilis.

b. Item pluries accidit, quòd homo confidat in DEO, quòd juvet eum ad faciendum aliquod bonum ad ſuum honorem, vel eſt in periculo mortis, ſicut miles in bello, vel nauta in mari, & confidunt in DEO, & eorum confidentia non ſortitur finem, ſed moriuntur; & ideo Spes eſt fallibilis.

3. Reſpondit Raymundus: ſi homo ne- *a.* ſcit facere clavum cum bono martello, martellus non deficit, ſed ille deficit, qui neſcit de illo bene agere: à ſimili, Spes à DEO data eſt *perfectum inſtrumentum*, cùm DEUS, quidquid dat, perfectè det; & ſic non deficit Spes, ſed ille, qui malè utitur ipsâ, difformans ipſam *per accidens*, quando eſt in peccato, & credit cum ipſa bene agere.

b. Et quando dicis, quòd Spes illi deficiat, qui vult facere aliquod bonum propter DEUM, & non perficit, & ſic de periculo mortis, malè dicis; quia Spes non deficit, ſed perficit; cùm DEUS in tantum recipiat illud bonum propter intentionem hominis, quantum propter perfectionem illius boni; & fortè DEUS mutat illum hominem ad perficiendum aliud bonum ratione meriti & Spei: & ſi miles vel nauta moriatur ſperans in adjutorio DEI, DEUS propter Spem, quam habuit mortuus, dat ei gloriam; & ideo tua ratio non procedit, neque concludit.

QUÆSTIO CXVI.

Utrùm ex quantulacunque Charitate quis poſſit reſiſtere quantæcunque tentationi?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Charitas eſt „donum à DEO datum, ut homo „cum ipſa reducat *ſpecifica* bona ad *com-* „*munia*, ut poſſit diligere DEUM & ſuum proximum „; & quia iſtud donum eſt à DEO datum, & datum cum Divina Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Poteſtate & Virtute, ut Charitas ſit bona & non mala,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

magna & non parva, durabilis & non privabilis, potens & non impotens, virtuosa & non vitiosa, ideo Charitas sic data & conditionata non potest esse parva *quoad se ipsam*, sed magna, cùm magnitudo & parvitas sint contrariæ; quia si posset esse parva, non esset data sub ratione Divinæ Magnitudinis, quod est impossibile; etiam posset esse mala, sicut posset esse parva, & non esset data sub ratione Divinæ Bonitatis; quod est impossibile: ergò Charitas non potest *essentialiter* esse parva, nec per consequens mala &c.: & ideo cum tali Charitate potest homo resistere cuicunque tentationi, suppositò, quòd *actus* Charitatis & magnitudo *essentiæ* Charitatis sibi invicem correspondeant, vel quòd habeant proportionem. Verumtamen si *actus* Charitatis est in magna parvitate vel minoritate, homo cum ipso actu per Charitatem non potest resistere tentationi, quæ est in majoritate; sicut homo cum parvo actu magni martelli non potest extendere magnum ferrum; sed hoc non est defectus Charitatis, sed hominis, qui cum Charitate non habet magnum actum contra tentationem; qui homo *difformat* Charitatem, in quantum ei non coæquat aut proportionat suum actum. Et ideo respondeo ad Quæstionem *secundùm actum Charitatis*, quòd homo cum quantulocunque actu Charitatis non possit resistere quantæcunque tentationi.

2. Ait Eremita: actus Charitatis non potest esse ita parvus, quin sit de genere Charitatis; & quia omnes virtutes sunt connexæ, omnes adjuvant ad sustentandum illum actum cum actibus earum; & ideo durante illo actu Charitas resistit quantæcunque tentationi, sive sit magna tentatio, sive parva; aliàs esset actus & non esset actus; quod est contradictio: unde sequitur, quòd tua ratio non procedat.

3. Respondit Raymundus: virtutes differunt per essentiam, & sunt *connexæ per suos actus*; sed illa connexio requirit dispositionem, proportionem & talem concordantiam, per quam omnino sint remotæ ab omni contrarietate: sicut Charitas, quæ cum suo modico actu non posset recipere juvamen à fortitudine cum parvo actu fortitudinis, quæ cum parvo actu non posset juvare aliam virtutem, cùm de sua conditione sit agere cum magno actu: ergò tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXVII.

Utrùm in Patria aliquid remaneat de Fide vel Scientia hujus Vitæ?

1. Solutio. Dixit Raymundus: Fides est „ *supposita similitudo* veræ intelligi- „ bilitatis Articulorum Fidei „: & Scientia hujus vitæ est „ *vera cognitio necessaria* „ de veris rebus per acquisitionem medi- „ ante phantasmate „; & ideo, Eremita, si aliquid remaneret de Fide in alia vita, *similitudo* impediret intellectivum creatum ad intelligendum verum intelligibile, ratione cujus impedimenti sua gloria esset impedita, & Vera Intelligibilitas DEI non esset Finis intellectui hominis creati cum Magnitudine Bonitatis, Durationis, Potestatis, Virtutis & Gloriæ: unde sequeretur, quòd beatitudo non consisteret in Ultimo Fine, sed in medio. Sed si de Fide in alia vita non remanet aliquid, intellectivus sinè *similitudine* attingit suum Finem, ût in *tertia Quæstione* probatum est, & perfectè quiescit in Ultimo Fine: & quia „ inter principium & finem non est *quies* „„ nec extra Ultimum Finem potest esse quies, sequitur, quòd de Fide hujus vitæ non remaneat aliquid in alia vita.

2. Item dixit Raymundus: Scientia in hac vita sic incipit, scilicet sensitivum attingit sensibile, & imaginativum in suo proprio imaginabili deducit & imprimit similitudinem illius attinctionis, & in ipso facit ipsam imaginabilem, & intellectivus facit illam similitudinem in suo proprio imaginabili imaginatam intelligibilem; & sic est facta scientia de sensibilibus rebus, & à simili de intellectualibus rebus, intellectivo se denudante de inferioribus speciebus ascendendo ad superiores species, scilicet ad similitudines Angelorum & Animarum & Divinarum Rationum vel Attributorum; & de tali modo sciendi hujus vitæ non remanet aliquid in alia vita, cùm sit *discursivus*; sed remanet aliquid in alia vita de scientia hujus vitæ *per impressiones* in hac vita receptas; sicut intellectus, qui speciem deductam de sensitivo & imaginabili facit intelligibilem in suo intelligibili, & cum ipsa recedit, quando separatur à corpore, & in ipsa attingit colores, figuras &c., quæ sunt de corporalibus conditionibus, de quibus habet scientiam; & à simili dico

tibi

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tibi de ſpiritualibus rebus : ſicut beatus Paulus, qui habet ſcientiam de Epiſtolis, quas fecit in hac vita, cum qua ſcientia receſſit ſic ſuſtentatâ in ſuo proprio intelligibili, ſicut receſſit cum imaginabilitate entium corporalium.

3. Ait Eremita : Fides eſt certa cognitio
a. cum obſcuritate, quâ obſcuritate remotâ Fides in alia vita remanet certa cognitio ſinè obſcuritate.

b. Item dico tibi, quòd de ſcientia hujus vitæ non remaneat aliquid in alia vita, cùm ſit diſcurſiva, & de uno in aliud, & relinquendo unum inſtans, & accipiendo aliud : & quia in alia vita eſt transmutata in ævum, illa, quæ erat hìc, non eſt illa, quæ eſt ibi ; & ſi hoc non eſſet ita, transmutatio ſcientiæ hujus vitæ eſſet impoſſibilis in alia ; & ideo tua ratio nihil valet.

4. Reſpondit Raymundus : verum dicis,
a. quòd Fides ſit certa cognitio cum obſcuritate, & illa obſcuritas eſt *ſuppoſitio*, quam intellectus facit de veris rebus, recipiendo Fidem datam à DEO ; & remotâ illâ ſuppoſitione actus intellectûs habet ſcientiam in alia vita, in qua non ſupponit aliquid, ſed in ſuo intelligibili ita clarè & ſinè ſucceſſione intelligit intelligibile & multò meliùs, ſicut oculus in ſpeculo attingit ſuam ſimilitudinem.

5. Item quando dicis, quòd ſcientia hujus
b. vitæ ſit transmutata in alia vita, verum dicis *quantum ad modum*, non *quoad eſſentiam*, cùm eſſentia ſcientiæ ſit illa in alia vita, quæ erat in hac vita, ſed eſt mutata de *imperfectione* ad *perfectionem*, ſicut extenſus color in intenſum, & pomum de immaturitate ad maturitatem, & de *ſucceſſione* ad *æviternitatem*, & de medio ad finem, & de minoritate ad majoritatem, & ſic de ſimilibus : & ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO CXVIII.

Utrùm aliqua Virtus Cardinalis ſit in Subjecto irrationabili propriè dicto?

1. SOlutio. Ait Raymundus : in elementato ſubſtantialiter & accidentaliter participant quatuor elementa, & ipſum elementatum eſt ſubjectum, in quo ignis appropriat ſuam caliditatem aëri ; & ideo non eſſet propriè dictum, caliditas eſt propriè in aëre, ſed appropriatè : à ſimili, in homine participant Anima rationativa & ſenſitiva : unde ſequitur, quòd ſit improprium dicere, ſenſitiva eſt prima cauſa alicujus Cardinalis Virtutis, ſed ſecundaria : ſicut caliditas ignîs eſt prima cauſa caliditatis aëris, qui eſt ſecundaria cauſa calefactionis aquæ ; (excludo tamen DEUM, qui eſt Prima Cauſa omnium) & ideo reſpondeo ad quæſtionem, quòd ſit impropriè dictum, quòd in ſubjecto ſenſato participante cum rationato ſubjecto ſit aliqua Virtus Cardinalis, cùm rationativa de ſua eſſentia habeat liberum arbitrium, per quod eſt primaria cauſa ad eligendum aliquam Virtutem Cardinalem contra vitium, ſenſitiva verò non, cùm de ſua eſſentia non habeat potentiam deliberativam ad eligendum virtutem reſiſtendo vitio, cùm ſit de ſua natura delectari in rebus ſenſibilibus per guſtum & coitum, & ſic de aliis ; ſed ſecundario modo eſt potentia mota per ſuum ſuperiorem, cum quo participat, ut diſponat ſuum proprium ſubjectum, ſcilicet ſenſatum, ut per illam diſpoſitionem dictum ſubjectum ſit diſpoſitum ad acquirendum Virturem Cardinalem per rationativam, ſicut Temperantia acquiſita per rationativam cum libero arbitrio, & ſenſitiva diſponit & præparat ſanitatem corporis, quæ eſt ſubjectum Temperantiæ, quæ Temperantia eſt virtus appropriata ſenſitivæ ratione præparationis & diſpoſitionis ſanitatis corporis, & Temperantia ſtat ſuſpenſa & ſuſtentata *propriè* in rationativa, & *appropriatè* in ſenſitiva.

2. Ait Eremita : ſenſitivum participatum cum rationativo facit unam Animam, & quia ſenſitivum propriè appetit vivere per cibum & potum, propriè appetit temperantiam mediante ſanitate, cùm per temperantiam ſit ſanitas, & ſanitas ſit cauſa perpetuationis vitæ ; & ideo propriè poteſt dici, quòd in ſubjecto irrationali ſit aliqua cardinalis virtus, juvante tamen rationativâ, ſicut ſenſitiva ipſam juvat ad acquirendum virtutes.

3. Reſpondit Raymundus : in *octuageſima nona Queſtione* probatum eſt, quòd ſenſitiva ſit à generante, & quia rationativa eſt à Creante, ſi facerent unam Animam, facerent *tertiam* Animam, ſicut corpus & Anima faciunt unum tertium, quod eſt homo ; & quia hoc eſt impoſſibile, tua ratio non valet, cùm homo ſimpliciter ſit de Anima rationali & de corpore.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Et quando dicis, quòd Temperantia propriè poſſit dici de ſenſitivo, malè dicis; quia ſi hoc eſſet verum, ſenſitiva haberet ita proprium appetitum contra ſuam propriam ſenſualem delectationem appetendo Temperantiam, quæ impedit & remittit ſenſualem delectationem, ſicut faceret aër, ſi propriè calefaceret aquam: & quia nulla potentia naturaliter appetit contra ſuam delectationem, ſenſitivum *immediatè* non appetit temperantiam, ſed *mediatè*, ût ſuprà probatum eſt: quia ſicut oculus non judicat de motu corporis hominis, quando currit, ſed de colore, ſic ſenſitivum ſimpliciter non appetit Temperantiam, ſed delectationem ſentiendi; & ſic tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXIX.

Utrùm Virtutes differant à Donis, & quomodo?

1. SOlutio. Ait Raymundus: unus modus eſt dare aliquid de aliquo, alius eſt dare aliquid de nihilo; dare aliquid de aliquo eſt, ſicut ignis, qui de ſua caliditate dat aëri, & homo liberalis de ſuis bonis; dare aliquid de nihilo eſt, ſicut Sanctus Spiritus, qui dat Charitatem homini, ipsâ creatâ de nihilo in ſubjecto, ſcilicet in voluntate hominis, & ſic de Septem Donis Sancti Spiritûs, ſicut eſt Fortitudo &c.

2. Item dixit, quòd Virtutes Cardinales non ſint datæ, ſed *acquiſitæ*, ſucceſſivè deductæ de potentia in actum per hominem, diſcurrendo per ſimilitudines corporales & ſpirituales, ex quibus fiunt habitus virtutum recolendo, intelligendo, diligendo DEUM, aliam vitam & felicitatem cum magno bono &c. *recolere, intelligere & diligere;* & ideo Virtutes differunt à Donis ratione *creationis & acquiſitionis*, ût ſuprà dictum eſt; & modus, per quem differunt, eſt, quia una eſt illa fortitudo in creando, quæ data eſt; alia eſt illa, quæ data eſt per infuſionem; alia eſt illa, quæ deducta eſt de potentia in actum in acquirendo: ſicut una ſcientia eſt illa, quæ data eſt per infuſionem, alia eſt illa, quæ eſt acquiſita.

3. Ait Eremita: ea, quæ in definitione conveniunt, non differunt, ſicut fortitudo data & acquiſita, quæ habent eandem definitionem, & per eundem modum homo reſiſtit peccatis & tentationibus, & æqualiter acquirunt meritum; & ideo non poſſunt eſſe in differentia. Item ſi in uno ſubjecto differunt, ſicut tu dicis, ſequeretur, quòd in eodem ſubjecto eſſent duæ virtutes in eodem genere; quod eſt inconveniens & contra ordinationem, quia una implicaret ſuperfluitatem; & ideo tua ratio non procedit.

4. Reſpondit Raymundus: non eſt inconveniens, quòd in homine ſint duo humida, ſcilicet humidum radicale & humidum nutrimentale, quæ ſunt in eodem genere, & habent eundem actum: ſicut ignis & aër, qui habent eundem actum in genere calefaciendo aquam: & idem eſt de homine, qui habet ſcientiam acquiſitam & infuſam, & habitus ſcientiæ ex ipſis compoſitus eſt *unus*, per quem homo habet *unum* actum ſciendi, & ſic de ſimilibus; & quia eſt *unus* actus compoſitus ex pluribus, ſcilicet ex virtute data & acquiſita, ſub *uno* habitu compoſito eſt magìs bonus, durans, potens &c., quàm ſit unus actus acquiſitus ex uno habitu non compoſito, ideo tua ratio non valet: valeret tamen, ſi habitus acquiſitus & habitus datus eſſent diſtincti & in eodem genere, & ſi ex ipſis non eſſet tertium.

QUÆSTIO CXX.

Utrùm Virtutes ſint connexæ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: quandoque virtutes ſunt connexæ per *eſſentiam & operationem*, ſicut in homine juſto, in quo *exiſtunt* & *agunt*; quandoque ſunt connexæ per *proportionem & diſpoſitionem*, ſicut in homine, in quo ſunt Prudentia & Caſtitas, & ipſe homo eſt intemperans; quæ Prudentia & Caſtitas ſunt quidem connexæ, ſed ſunt difformatæ per intemperantiam, per quam homo eſt diſpoſitus ad luxuriam, cùm gula & luxuria habeant concordantiam: unde ſicut intemperantia diſponit luxuriam, per cujus diſpoſitionem homo caſtus tentatur à luxuriâ, ſic Prudentia diſponit Fortitudinem, cum qua reſiſtit luxuriæ, ut remaneat caſtus; & ideo fortitudo reſpectu diſpoſitionis eſt connexa cum Prudentia & Caſtitate; & ſicut de Fortitudine dictum eſt, ſic de Juſti-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Juſtitia & Temperantia; aliàs Prudentia & Caſtitas in homine intemperato. non poſſunt remanere, ſicut humidum radicale, quod non poteſt vivere ſinè humido nutrimentali.

2. Ait Eremita: eſt impoſſibile, quòd ſit diſpoſitio vel proportio inter virtutem & virtutem, ſi una virtus eſt in actu, & alia in potentia, vel ſi ſimul ſunt in potentia, cùm ens exiſtens in potentia non dicat ſubjectum alicujus entis: & quia diſpoſitio eſt accidens, & non poteſt exiſtere ſinè ſubjecto actu exiſtente, tua ratio non valet, cùm in homine prudente & caſto & guloſo non ſit Fortitudo actu; quia ſi eſſet, reſiſteret gulæ, & eveniret Temperantia: ergò Virtutes Cardinales non omnes ſimul & ſemel ſunt connexæ, nec per conſequens vitia.

3. Reſpondit Raymundus: in homine ſive juſto ſive vitioſo eſt *virtus naturalis*, ſicut eſt bonitas naturalis, & ſic de aliis primis principiis, ex quibus eſt conſtitutus; & per illam virtutem illi connaturalem ſunt bonitas & ſua connaturalia principia virtuoſa, ſicut per ſuam connaturalem bonitatem ſunt bona; & ideo ſubjectum diſpoſitionis, quod tu negas, eſt ſuſtentatum in virtute generali connaturali: & propter hoc virtus moralis poteſt eſſe in potentia, & poteſt eſſe *proportio* & *diſpoſitio* inter ipſam & illam virtutem, quæ eſt in actu, „ cùm ſint *præparationes* agen„tis, ut habeat libertatem deducendi vir„tutem de potentia in actum, ſinè quibus „ non haberet libertatem,„; & ideo mea ratio ſtat, & tua non procedit.

QUÆSTIO CXXI.

Utrùm Mendacium per aliquam diſpenſationem poſſit eſſe ſinè peccato?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: veritas & mendacium differunt, & eorum differentia *ſimpliciter* conſiſtit in contrarietate; aliàs ſi conſiſterent ſecundùm quid in concordantia, ſequeretur contradictio, ſcilicet quòd veritas eſſet contra ſe ipſam, concordando cum ſuo contrario, & non concordaret cum ſuo contrario reſiſtendo ei: ergò veritas & mendacium ſunt *ſimpliciter* differentia in contrarietate.

2. Item dixit, quòd quædam puella & virgo ſuo amaſio promiſerit, quòd ſuum corpus illi traderet ad placitum, & dederit illi certam horam, quâ ad ipſam veniret; poſt receſſum amaſii puella habuit conſcientiam, & pœnituit de ſua promiſſione, & noluit conſentire ſuo amaſio: unde ſequitur, quòd in illo *tunc*, in quo habuit contritionem, & doluit de peccato, fuerit facta mendax, & fuerit facta juſta, & in habitu virginitatis ſpiritualiter, in quo fuit, confirmata, qui habitus habuit concordantiam cum veritate & cum bonitate & virtute juſtitiæ, prudentiæ & fortitudinis: ſed quia veritas non poteſt concordare cum mendacio, ût probatum eſt, mendacium non potuit habere ſubjectum in puella *quoad habitum ſpiritualitatis*; quia ſi haberet, veritas & mendacium haberent concordantiam in Anima mediantibus virtute & vitio; quod eſt impoſſibile: veruntamen puella fuit mendax *quoad verba*, quæ dixit, & illud mendacium non fuit peccatum mortale, ſed veniale: & ideo, Eremita, ſecundùm talem caſum poteſt mendacium per aliquam diſpenſationem eſſe ſinè peccato, ſcilicet mortali, non tamen veniali; quia ſi in tali caſu non poſſet fieri diſpenſatio, non eſſet puellæ licitum habere conſcientiam & contritionem de ſua mala promiſſione, nec agere pœnitentiam, ut non eſſet mendax: & ſic ſequeretur, quòd eſſet peccatum mortale, ſicut luxuriari, ut non eſſet peccatum veniale, ſcilicet mentiri; quod eſt impoſſibile, & ſic de ſimilibus.

3. Ait Eremita: DEUS eſt Veritas, per quam diſtat ab omni mendacio, per quam Veritatem DEUS cum nullo mendacio poteſt participare; & quia ſinè DEO nullus poteſt diſpenſare, quin mendacium ſit peccatum, ſequitur, quòd DEUS diſpenſando, quòd mendacium non ſit peccatum, ſpiritualiter licentiat, quòd peccatum ſit *corporaliter*; & ideo conſentit, quòd ſit peccatum veniale; quod eſt impoſſibile, cùm DEUS infinitè & omnibus modis diſtet à peccato: ideo tua ratio non procedit, ſed ejus oppoſitum.

4. Reſpondit Raymundus: veritas eſt, quòd DEUS omnibus modis infinitè diſtet ab omni peccato, & *quoad ſe* tantum diſtet à peccato veniali, quantum à mortali; ſed homo exiſtens in peccato magìs diſtat à Divina Bonitate, Magnitudine &c. per peccatum mortale, quàm per veniale

(c) 2006 Ministerio de Cultura

niale; & ſic DEUS conſentit, quòd homo faciat peccatum veniale, ut non faciat mortale; aliàs magis diſtaret à Divina Bonitate &c. per peccatum veniale, quàm mortale; & ſic DEUS non licentiaret hominem, quòd faceret peccatum veniale, ne faceret peccatum mortale; quod eſt impoſſibile.

INCIPIUNT QUÆSTIONES SUPER Librum IV. Sententiarum.

QUÆSTIO CXXII.

Utrùm in Verbis: ego baptizo te in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Amen, *ita conſiſtat Forma Baptiſmi præcisè, quòd non liceat aliquid ſubtrahere vel addere, vel per quemcunque alium modum immutare?*

1. SOlutio. Dixit Raymundus: Sacramentum eſt *inſtrumentum*, per quod homines neceſſariò faciunt determinata miracula cum Divina Poteſtate, cum qua non poſſent facere miracula, ſi Sacramentum non eſſet forma determinata, qualificata & ordinata, & ſub tali quantitate, quòd non ſit augmentabilis nec diminuibilis; & ideo Presbyter non habet licentiam ad addendum vel diminuendum formam Sacramenti, cùm Sacramentum ſit impreſſum in ejus Anima per alium, & non per ſe ipſum: veruntamen ſi ruſticus causâ neceſſitatis in abſentia Presbyteri baptizaret puerum, poteſt addere vel diminuere ratione neceſſitatis Baptiſmi & ignorantiæ ruſtici, tamen ſub tali conditione, quòd forma Sacramenti remaneat implicitè in verbis ruſtici: quia ſi non remaneret nec implicitè nec explicitè in verbis ruſtici, forma Sacramenti non poſſet habere ſubjectum; & ſic ruſticus non poſſet baptizare puerum. Quòd ruſticus poſſit addere, ſic videtur, dicendo ſic: Ego baptizo te in Nomine DEI Patris & in Nomine DEI Filii, & in Nomine DEI Spiritûs Sancti amen, quia ſunt unus DEUS & una Sancta Divina Trinitas; & ideo in omnibus his verbis implicata eſt forma Baptiſmi, ſcilicet in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti amen, cùm Pater ſit DEUS, & ſic de Filio & Sancto Spiritu, & ſit una Sancta Trinitas: ſi tamen ruſticus ſic diceret: ego Martinus baptizo te in Nomine DEI, forma non eſſet implicata in ſuis verbis; quia additio illius nominis Martinus dimittit Perſonam Chriſti, quæ formavit formam Sacramenti, cum quo Baptiſmus non poſſet fieri: & quando dicit: ego baptizo te in Nomine DEI, dimittit nomina ſpecifica & propria Perſonarum, cùm iſtud vocabulum DEUS ſit vocabulum abſolutum, non contractum ſimpliciter ad Perſonas nec ad relationes earum, ſinè quarum Nominibus Baptiſmus non eſſet formatus. Si tamen ruſticus dicat, ego baptizo te in Nomine Trinitatis DEI, tunc remanet forma Baptiſmi implicitè, cùm Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint ipſa Trinitas, & Nomen Trinitatis ſit Nomina Perſonarum: & ideo diſtinguendo, ſecundùm quòd ſuprà diſtinximus, reſpondendum eſt ad quæſtionem, tenendo ſecundùm unum modum affirmativam, & ſecundùm alium modum negativam.

2. Ait Eremita: tu dicis, quòd Presbyter non poſſit addere nec diminuere formam Baptiſmi, ſed ruſticus poſſit: unde videtur, quòd tua verba non concludant verum, cùm ſit proprium officium Presbytero baptizare, non ruſtico: unde ſi ruſticus habet licentiam addendi vel diminuendi, quantò magis Presbyter.

3. Reſpondit Raymundus: licentia, quam habet ruſticus, eſt ratione neceſſitatis & ſuæ ignorantiæ, ſicut dicitur: neceſſitas non habet legem; ſed Presbyter, qui habet formam Sacramenti ſcriptam, & baptizare eſt ſuum officium, debet baptizare cum ipſa for-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

forma ſinè additione & diminutione; aliàs peccaret mortaliter, quia vilipendit formam Sacramenti, ſi ipſam ignorat, vel ſi ſcit, & addit vel diminuit ex ſuo capite, vilipendit Chriſtum, qui tradidit formam Baptiſmi, & quia eſt contra ſuum officium: ergò tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXXIII.

Utrùm Puer interfectus in Utero Matris ab aliquo Perſecutore Fidei ſit baptizatus Baptiſmo Sanguinis, ita, quòd purgetur à Culpa originali?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: puer & ſua mater copulantur per humidum nutrimentale matris, de quo puer vivit, & ipſum recipit per ſuum umbilicum & inteſtinum conjunctum cum matrice mulieris, per quod inteſtinum puer eſt conjunctus & copulatus cum ſua matre; & ideo ratione copulæ puer eſt baptizatus per Baptiſmum Sanguinis ſuæ matris, quæ eſt Martyr: quia Martyrium tantum ſupplet ad baptizandum puerum per ſanguinem, quantum aqua ſupplet per ruſticum ad baptizandum puerum tempore neceſſitatis; aliàs ruſticus, cui non eſt proprium baptizare, nec eſt copulatus cum puero, eſſet magìs diſpoſitus ad baptizandũ puerum, quàm mater pueri per Martyrium Sanguinis, quæ cum ipſo eſt copulata; quod eſt valde inconveniens & contra magnitudinem virtutis & bonitatis Baptiſmi Sanguinis, & contra magnitudinem bonitatis & virtutis & voluntatis matris, quæ plùs diligit recipere mortem ad honorem Fidei, quàm evadere mortem, & dimittere Fidem.

2. Ait Eremita: puer in matrice matris interfectus non habuit voluntatem nec patrinos; & quia eſt impoſſibile, quòd Baptiſmus ſit in ſubjecto ſinè voluntate & ſinè patrinis, puer interfectus in matrice non poteſt mundari ab originali peccato per Martyrium matris.

3. Reſpondit Raymundus: narratur, quòd quædam fœmina prægnans ſedebat juxta quendam fontem, & peperit filium, & videns ſuum filium morientem baptizavit ipſum in fonte, & mortuo puero ipſe erat mundatus ab originali peccato, & voluntas matris in caſu neceſſitatis ſupplevit voluntatem pueri & patrinorum: à ſimili voluntas matris per Martyrium ſupplevit voluntatem patrinorum & ſui filii, & ſanguis Martyrii matris habuit tantam virtutem, & fortè plus, ad mundandum peccatum originale, quàntum habuit aqua ad baptizandum prædictum puerum.

QUÆSTIO CXXIV.

Vtrùm Character ſit aliquid abſolutum in anima?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: in eſſentia intellectûs ſunt intellectivus, intelligibilis & intelligere, quæ ſunt de ipſa, & ipſa de ipſis, & intellectus eſt *eſſe concretum* ipſius eſſentiæ; & ipſe intellectivus in ſuo proprio intelligibili attingit ſpeciem phantaſticam ipſam faciens intelligibilem & in characterе *abſolutam*, per quam attingit ſenſibilia & imaginabilia; hoc, quod ſuo modo etiam volitivum facit in voluntate, quod in ſuo proprio volibili facit remotum volibile, per quod diligit amabilia; & ſic de memoria. A ſimili dico tibi de Characterе Sacramenti, qui abſolutè ſtat in Anima per virtutem Sacramenti, ut per ipſum Characterem Presbyter poſſit abſolvere, ligare & conficere; aliàs niſi Character diceret *ens poſitivum*, Presbyter non poſſet abſolvere, ligare & conficere, quia non haberet, cum quo ſua poteſtas participaret cum Divina Poteſtate ad faciendum & perficiendum operationem Sacramenti: ſed ſicut character, qui fit in cera per ſigillum, exiſtente figurâ characteris effectu & ſimilitudine ſigilli impreſsâ & ſuſtentatâ in eſſentia ceræ, eſt ratio & ligamen participationis ſigilli & ceræ, ita Character Sacramenti eſt *medium* & *conjunctio*, per quam participant Divina Poteſtas & poteſtas Presbyteri; quæ poteſtas Presbyteri agit de Divina Poteſtate ad faciendum & perficiendum Sacramentum.

2. Ait Eremita: Anima eſt ſpiritualis ſubſtantia, & non poteſt recipere characterem, cùm character dicat figuram diſpoſitam ſecundùm lineas circuli, trianguli & quadranguli; & quia Anima non poteſt recipere tales lineas, non poteſt character in ipſa per impreſſionem eſſe aliquid abſolutum & poſitivum.

3. Reſpondit Raymundus: Eremita verum dicis, quòd Anima non poſſit in ſe habere prædictas lineas impreſſas quoad ſuam eſſentiam & eſſentiam prædictarum linearum; quia ſi poſſet, eſſet de conditioni-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bus ceræ, quæ recipit figuras in actu deductas de ſua eſſentia de potentia in actum per ſigillum ; ſed de Charactere Sacramenti non eſt ſic, quia non eſt ſub figura linearum, ſed ſub figura intelligendi, diligendi & recolendi , bonificandi & poſſificandi &c., ût ſuprà dictum eſt, & in *centeſima decima ſeptima Quæſtione* dictum eſt , ſcilicet , quòd in intelligente ſit receptus & impreſſus character imaginabilitatis, cum quo recedit à corpore, quando homo moritur, & cum illo Anima imaginatur entia ſenſibilia & imaginabilia, quæ homo ſenſit & imaginatus fuit in hac vita: à ſimili dico de Charactere Sacramenti, qui eſt ens *ſpirituale* de novo creatum & in potentiis Animæ ſuſtentatum & receptum & denudatum ab omnibus lineis, quæ ſunt de conditionibus corporis, & eſt conſtitutus *de ſimilitudinibus* Divinorum Attributorum ; & ideo tua ratio non procedit, mea verò ſic.

QUÆSTIO CXXV.

Utrùm Sacramentum Altaris ſit poſſibile?

1. SOlutio. Ait Raymundus: poſſibile & impoſſibile ſunt oppoſita, & poſſibile plus dicit quoad DEUM, quàm impoſſibile quoad creaturam ; & ideo dico, quòd Sacramentum Altaris ſit poſſibile quoad DEUM, & impoſſibile quoad creaturam : & quamvìs ſit impoſſibile quoad creaturam, eſt tamen poſſibile quoad DEUM , ratione cujus poſſibilitatis Sacramentum Altaris poteſt eſſe ; aliàs ſi non poſſet eſſe per poſſibilitatem DEI, & poſſet non eſſe per impoſſibilitatem creaturæ, poteſtas creaturæ per ſuam impoſſibilitatem poſſet eſſe inobediens & potens contra Divinam infinitam Poteſtatem ; quod eſt impoſſibile : ergò ſequitur , quòd Sacramentum Altaris ſit poſſibile.

2. Præterea Divina Sapientia poteſt intelligere tranſubſtantiationem Panîs in Corpus Chriſti, & ſic de Vino in Sanguinem, & idem poteſt velle Divina voluntas , & per conſequens Divina Poteſtas poſſificare & perficere ; cùm Divina Poteſtas ſit ita magna in *poſſe*, ſicut Divina Sapientia in *ſcire*, & Divina Voluntas in *velle* : unde ſequitur, quòd Sacramentum Altaris poſſit eſſe.

3. Ait Eremita : *poteſt eſſe* & *non poteſt eſſe* opponuntur, & ſunt de genere contradictionis ; & ideo nullum ens, quod ſit in tali contradictione , realiter nec extra humanum intellectum poteſt eſſe ; quia ſi poſſet, contradictio poſſet eſſe, & non poſſet eſſe ; quod eſt impoſſibile. Item quando dicis, quòd Sacramentum Altaris poſſit eſſe ratione Divinæ Poſſibilitatis, non obſtante impoſſibilitate creatâ , implicas , quòd DEUS ſit contra ſuum effectum, in quantum facit, eſſe poſſibile hoc, quod facit eſſe impoſſibile : unde ſequitur alia contradictio , quæ non poteſt ſtare : ergò ſequitur, quòd Sacramentum Altaris ſit impoſſibile.

4. Reſpondit Raymundus : in creatis unum eſt poſſibile eſſe *per naturam*, & aliud eſt impoſſibile eſſe *per naturam* ; & de tali poſſibili & impoſſibili non loquor, ſed loquor de *poſſibili eſſe ſupra naturam*, ſicut creare, reſuſcitare & miracula facere, & de impoſſibilitate naturali ſubdita Poteſtati DEI, quæ ſic poteſt de impoſſibilitate naturæ miracula facere, ſicut de poſſibilitate naturæ naturalia facere ; & ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXXVI.

Utrùm Sacramentum Altaris debeat eſſe?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : omne illud , per quod Divina Trinitas magìs poteſt intelligi ab humano intellectu , debet eſſe, cùm magnum bonum ſit cognoſcere Divinam Trinitatem ratione ſuæ magnæ Bonitatis &c., & ratione utilitatis intellectûs, qui ipſam intelligit, cùm ſit ſuum principale & ſupremum Objectum ; & idem eſt de utilitate voluntatis, quæ, quantò magìs intellectus Divinam Trinitatem intelligit, tantò magìs ipſa eſt diſpoſita & ordinata ad diligendum Beatiſſimam Trinitatem , & ſic de memoria ad recolendum ; aliàs Divina Trinitas eſſet contra Magnitudinem Bonitatis &c. ſuæ Intelligibilitatis, Amabilitatis & Recolibilitatis ; quod eſt impoſſibile.

2. Item dixit Raymundus ; quòd major *Similitudo* Beatiſſimæ Trinitatis *quoad modum* conſiſtat per Sacramentum Altaris , cùm in Beatiſſima Trinitate ſit Generatio & Spiratio ſinè motu , loco , tem-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tempore, & quantitate, & sic de similibus, quæ sunt de sensitivo & imaginativo: à simili in Sacramento Altaris, quod fit per transubstantiationem Panîs in Corpus Christi, & sic de Vino in suum Sanguinem, substantiâ panîs (& sic de vino) dimittente sua accidentia , & existente sub accidentibus Corporis Christi , transubstantiatio consistit sinè motu locali & augmentatione quantitatis, & successione temporis: & talis operatio est illud speculum, in quo magìs præsentatur Operatio Sanctæ Trinitatis, in qua motus, tempus, quantitas, locus & cætera his similia non habent locum, nec possunt habere : ergò sequitur, quòd tale speculum & tale signum debeat esse, ut plura bona inde sequantur , ût suprà dictum est, & nullum malum.

3. Præterea in Christo Divina Persona est Principalis Causa totius Universi, & in ipsa Homo Christus est Secundaria Causa totius Universi ; & ideo illud , per quod Christus magìs potest participare nobiscum per *præsentiam*, *potentiam* & *essentiam*, sicut facit in Sacramento Altaris, debet esse , in quo Altari est Christus Sacramentaliter præsens, potens, & essentialiter ; & talis participatio inter Christum & nos est melior, utilior & major, quàm omnes aliæ participationes , quæ possunt esse in hac vita : unde sequitur, quòd talis participatio debeat esse ; aliàs , postquam potest esse, ût probatum est , si non deberet esse, sequeretur de necessitate, quòd deberet esse hoc, per quod magìs debemus distare à Christo per absentiam & impotentiam ; quod est impossibile & contra Magnitudinem Divinæ Bonitatis &c. : ergò concluditur , quòd Sacramentum Altaris debeat esse ; & postquam debet esse, convenit, quòd sit ; aliàs Divina Justitia non solveret suum debitum Magnitudini suæ Bonitatis &c. ; quod est impossibile.

4. Ait Eremita : plura bona deberent esse, quæ non sunt, nec unquam fuerunt , nec erunt, sicut omnes homines, qui fuerunt, sunt & erunt, deberent esse boni , & non mali, & super omnia deberent DEUM intelligere , recolere & diligere & ei servire, illum laudare & benedicere ; & licèt deberent esse boni, non sequitur, quòd sint: à simili, licèt Sacramentum Altaris debeat esse, non sequitur, quòd sit : unde sicut in hoc deficit, sequitur, quòd deficiat in debito esse , ut sibi correspondeant non esse & non debitum esse : ergò concluditur, quòd Sacramentum Altaris non debeat esse.

5. Respondit Raymundus : unum est *debitum esse* quoad DEUM , & aliud quoad homines ; & quia DEUS est Ens perfectum, non deficit quoad *debitum esse*, sed homines, qui non sunt in *perfecto esse*, per peccatum deficiunt *debito esse*, cui non deficerent, si essent sinè peccato, imò deducerent de potentia in actum *debitum esse* secundùm dispositionem & potestatem eorum ; & quia Sacramentum Altaris habet *debitum esse* à parte Primæ Causæ, ût probatum est , convenit, quòd deducatur in *esse* ; & ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXXVII.

Quæritur , quid demonstrat hoc Pronomen Hoc , *cùm dicitur :* Hoc est Corpus meum ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : in faciendo de aliquo demonstrationem, convenit, quòd in demonstratione sit *demonstrans* , *demonstrabile* & *demonstrare* & *demonstratum* ; aliàs non posset fieri demonstratio : & hæc omnia non possunt esse in prolatione *in eodem instanti*, cùm demonstratio sit in successione temporis, sicut syllogismus, qui est ex duabus præmissis & una conclusione : à simili dico, quando dicitur hoc pronomen *Hoc* , ipsum *Hoc* est *demonstrans*, & *est* & *Corpus* dicunt *demonstrare*, & *demonstrabile* stat in prædicto pronomine *Hoc* , & *demonstratum* stat in ultimo pronomine *meum*, quod *in eodem instanti* stat cum Transubstantiatione panîs in Corpus Christi: ideo hoc pronomen *Hoc* demonstrat, quòd hic panis sit transubstantiabilis in Corpus Christi in ultimo pronomine demonstrato per primum *prolativè* & *significativè*.

2. Item quando dicitur, hic est homo, hic significat hominem, qui est in illo instanti, in quo est hoc pronomen, sed ipse homo non est demonstatus ante *est*, sed post ipsum *est* ; cùm *est* indigeat habere unum instans, & homo aliud : à simili quando dicitur, *Hoc est Corpus meum* ; sed talis similitudo non est similitudo simpliciter, sed secundùm quid ; quia hoc nomen homo & suum subjectum, scilicet *verus homo*,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mo, ſunt in eodem inſtanti, & *eſt* & *verus homo* ſunt in alio inſtanti, in quo non eſt hoc nomen *homo* : ita quando dicitur: *Hoc eſt Corpus meum*, in hoc pronomine *Hoc* non eſt ſubſtantia panîs in Corpore Chriſti *realiter*, ſed *ſignificativè*, nec in hoc verbo *eſt*, nec in hoc nomine *Corpus*, ſed in hoc pronomine *meum*.

3. Ait Eremita : quando Presbyter dicit hoc pronomen *Hoc*, in illo inſtanti, in quo hoc dicit, non eſt facta tranſubſtantiatio ; & ſic videtur, quòd *Hoc* demonſtret panem realiter, & non Corpus Chriſti : unde ſequitur, quòd *eſt* & *Corpus meum*, non concordent cum hoc pronomine *Hoc*, nec ſint conſequentia ipſius, nec cum ipſo participent, cùm ſit differentia inter panem & Corpus Chriſti ; & ideo hoc pronomen *Hoc* non demonſtrat Corpus Chriſti, ſed panem, qui panis eſt in eodem inſtanti cum hoc pronomine *Hoc* : unde ſequitur, quòd Presbyter non dicat verum, quando dicit, *Hoc*, ſcilicet : *Hoc* panis eſt Corpus meum.

4. Reſpondit Raymundus : ſicut in Sacramento Altaris color, ſapor, figura & quantitas ſignificant & demonſtrant panem *quoad ſenſitivum & imaginativum*, ſic in primo pronomine & ultimo *ſucceſſivè* per *eſt* & per *Corpus* ſignificatum & demonſtratum eſt Corpus Chriſti *quoad intellectivum*, in quo perficitur demonſtratio, & eſt vera, licèt ſit falſa ſignificativè & demonſtrativè quoad ſupradicta accidentia panîs, quæ exiſtunt ſinè ſubjecto, quæ falſo modo quoad ſenſitivum & imaginativum ſignificant, ſe ipſa naturaliter eſſe in proprio ſubjecto ; ſed hoc pronomen *Hoc*, & hoc verbum *eſt*, & hoc nomen *Corpus*, & hoc pronomen *meum*, ſignificant & vero modo & ſupra curſum naturæ intellectui Corpus Chriſti, qui intellectus eſt fortior, verior & nobilior ad recipiendum veritatem & demonſtrationem, quàm ſenſitivum & imaginativum, quæ, quoad eorum naturam, frequenter decipiuntur, ſed intellectus quoad ſuam naturam nunquam decipitur, imò quandoque attingit veritatem ſupra ſuam naturam per Fidem ;

& ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO CXXVIII.

Utrùm DEUS poſſit facere, quòd unum & idem Corpus ſimul ſit in diverſis locis localiter ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus : DEUS agit ducbus modis in creatis, ût ſuprà ſæpe diximus, ſcilicet *immediatè* & *mediatè* ; *immediatè*, ſicut quando facit miracula agendo ſupra naturam ; *mediatè*, quando cum uno facit aliud naturaliter, ſicut DEUS, qui movet agentem naturalem, ût quando movet ignem ad calefaciendum, & plantam ad vegetandum, & ſic de ſimilibus ; & ideo DEUS naturaliter non poſſet facere, quòd idem corpus ſimul & ſemel ſit in diverſis locis, quia ſequeretur contradictio, ſcilicet quòd idem corpus eſſet naturaliter & non naturaliter in eodem inſtanti in diverſis locis, & quòd *agere* DEI eſſet eodem modo mediatè & immediatè ; quod eſt impoſſibile.

2. Ait Eremita : ſicut DEUS non poteſt facere, quòd idem corpus ſimul & ſemel ſit in diverſis locis naturaliter, ita non poteſt facere, quòd ſit in diverſis locis ſimul & ſemel nec miràculosè ſive ſupra naturam ; quia ſi poſſet, vinum, quod eſt in amphora plena, poſſet in eodem inſtanti eſſe in alia amphora, quæ eſt vacua ; quod eſt impoſſibile, quia ſequeretur contradictio, ſcilicet quòd eadem amphora eſſet plena vino, & non plena : à ſimili dico tibi, quòd idem corpus ſimul & ſemel non poſſit eſſe in diverſis locis localiter nec naturaliter, nec miraculosè.

3. Reſpondit Raymundus : concedo tibi, quòd DEUS nec naturaliter nec ſupra naturam poſſit facere, quòd idem corpus ſit in diverſis locis localiter, ſed Sacramentaliter Corpus Chriſti poteſt ſimul & ſemel eſſe in diverſis locis, & hoc miraculosè, tamen mediante Divinâ Naturâ conjunctâ Corpori Chriſti, quæ eſt ubique ; quia ratione unionis ambarum naturarum in uno Suppoſito Chriſto DEUS poteſt facere, quòd Corpus Chriſti ſimul & ſemel poſſit eſſe ubique Sacramentaliter, exiſtente Corpore Chriſti præſentialiter, potentialiter & eſſentialiter, ubicunque DEUS eſt potentialiter, præſentialiter & eſſentialiter Chriſtus Homo ; & ideo, Eremita, exemplum, quod das de vino & de duabus amphoris,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

phoris, non valet, ſed valeret, ſi Chriſtus Homo non eſſet DEUS, nec DEUS eſſet ubique Homo Chriſtus.

QUÆSTIO CXXIX.

Utrùm DEUS poſſet tranſmutare ſubſtantiam Panîs eandem numero in plura Corpora?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: in *ſexageſima tertia Quæſtione* ſolutio hujus quæſtionis eſt ſignificata: item ſubſtantia panîs eſt compoſita ex materia & forma, aliàs ſubſtantia non poſſet eſſe corpus, cùm corpus dicat ſuam propriam formam & materiam: unde quando Sacramentaliter fit transmutatio de ſubſtantia panîs in Corpus Chriſti, fit *formaliter* & *materialiter*, ut tota eſſentia ſubſtantiæ panîs transmutetur, aliàs non poſſet fieri transmutatio ſubſtantiæ *totaliter* nec *ſubſtantialiter*; & ideo, Eremita, in illo inſtanti, in quo fit transmutatio, ſubſtantia tranſit ad unum individuum tantùm, ſcilicet ad Corpus Chriſti de pane in Carnem, & ipſa ſubſtantia in illo inſtanti non poteſt transmutari in aliud corpus, quia ipſa ſubſtantia exiſtens unum individuum per formam & materiam individuatum in Corpus Chriſti Sacramentaliter & totaliter, non poteſt eſſe idem in pluribus corporibus individuatis: aliàs ſi unum individuum individuatum & transmutatum in aliud poſſet eſſe in eodem inſtanti transmutatum in plura individua, ſequeretur contradictio, ſcilicet, quòd eſſet unum individuum & plura; & ideo, Eremita, quoad talem transmutationem negatio Quæſtionis eſt tenenda.

2. Veruntamen ſecundùm aliud eveniens inſtans eadem ſubſtantia panîs poſt transmutationem factam in Corpus Chriſti poteſt transmutari in aliud corpus, ſcilicet in corpus panîs, & recuperare prima accidentia panîs, quæ dimiſit ſinè ſubjecto; ſicut ſubſtantia argenti, quæ exiſtebat ſub figura ſcyphi, & fuit deducta in figuram ciſſorii, quæ poteſt reduci ſub figuram ſcyphi dimittendo figuram ciſſorii, non tamen ſub figurâ primi ſcyphi, ſed ſub figura novi ſcyphi; & ideo eadem ſubſtantia panîs poteſt dimittere panem, & transmutari in Carnem Chriſti, & dimittere Carnem Chriſti, & recipere ſpeciem panîs, non tamen primum panem, ſed panem ſecundum & novum, & in ipſo eſt incepta ad corruptionem panîs naturaliter, tendente ipsâ ſubſtantiâ panîs ad aliam ſpeciem per viam generationis, in quam naturaliter eſt transmutata, ſicut in ſpeciem carnis Martini vel Guillielmi vel canîs, & ſic de aliis comedentibus panem; & de hoc poſſumus habere experientiam; ſicut Martinus, qui poſſet vivere & pinguis fieri de pluribus Hoſtiis & Panibus Sacratis.

3. Ait Eremita: quando fit tranſubſtantiatio de pane in Corpus Chriſti, fit ſinè quantitate, ſinè habitu & ſitu, & ſic de aliis accidentibus panîs; & quia ſubſtantia, quando dimittit accidentia, eſt indiviſibilis, cùm non poſſit eſſe diviſibilis ſinè quantitate, habitu & ſitu, ſic eſt indiviſibilis ſinè accidentibus: unde ſequitur, quòd ratione ſuæ indiviſibilitatis & individuationis poſſit transmutari in eodem inſtanti in plura corpora, & remanere eadem quoad ſe ipſam; & ideo tua ratio non valet, quapropter affirmativa Quæſtionis ſimpliciter eſt tenenda.

4. Reſpondit Raymundus: argentum, quod eſt ſub figura ſcyphi, non poteſt in eodem inſtanti eſſe ſub figura ciſſorii; & ſi dimitteret omnia accidentia, non poſſet ſtare ſub aliqua figura, nec per conſequens localiter in loco, cùm ſinè quantitate, habitu & ſitu non poſſit ſtare in loco nec in tempore, ſed in illo inſtanti ſua ſubſtantia ſtaret extra ſpeciem argenti, in qua ſpecie non poteſt ſtare ſinè accidentibus: ideo ſicut ſubſtantia argenti ſtaret in uno inſtanti temporaliter ſumpto, ſi poſſet dimittere omnia accidentia argenti, ſic à ſimili ſubſtantia panîs transmutata in Corpus Chriſti Sacramentaliter & temporaliter quoad inſtans poteſt ſtare; & ſicut ſubſtantia panîs denudata ab omnibus accidentibus non poteſt ſtare in pluribus corporibus localiter, quia ſi ſtaret, jam eſſet in loco, & haberet quantitatem, habitum & ſitum; ſic per conſequens non poteſt ſe dividere, nec individuare in plura corpora, cùm hoc non poſſet facere ſinè quantitate &c.: ergò ſequitur, quòd eadem ſubſtantia panîs non poſſit transmutari in plura corpora, poſtquam non poteſt dividi nec individuari, nec etiam ſinè diviſione & individuatione eſſe in pluribus locis habens plures quantitates, plures habitus & ſitus; & ideo tua ratio non procedit.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

QUÆSTIO CXXX.

Utrùm ex ſpeciebus remanentibus ſinè ſubjecto in Sacramento Altaris poſsit aliquid generari?

SOlutio patet in *proxima Quæſtione.*

QUÆSTIO CXXXI.

Utrùm DEUS poſſit dimittere mortale Peccatum ſinè aliqua Satisfactione?

SOlutio. Vade ad *centeſimam duodecimam Quæſtionem.*

QUÆSTIO CXXXII.

Utrùm Infuſio Gratiæ ſit prior ordine naturæ, quàm Remiſſio culpæ?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: antequam agens naturale poſſit introducere corruptionem in materiam, ut corrumpatur forma materiæ, & alia nova forma veniat per generationem de potentia in actum, convenit, quòd diſponat materiam ad corruptionem, ut eveniat generatio; aliàs ſi materia eſſet in diſpoſita, forma, ſub qua eſt, non poſſet corrumpi, nec evenire nova forma: à ſimili dico, quòd infuſio gratiæ ſit prior *diſpoſitivè* tantùm ſecundùm ordinem naturæ, quàm remiſſio culpæ; tamen quando gratia venit cum charitate, prior eſt remiſſio culpæ, quàm infuſio gratiæ & charitatis, aliàs non eſſet ordo in infuſione & remuneratione: & ratio hujus eſt, quia homo exiſtens in mortali peccato non eſt diſpoſitus ad recipiendum gratiam, cùm non ſit contritus nec agat pœnitentiã, ſic DEUS non poſſet in ipſum infundere gratiam; quia ſi poſſet, poſſet in ipſum infundere charitatem, & ipſam aſſociare cum culpa & peccato in eodem inſtanti; quod eſt impoſſibile: ſed DEUS per gratiam diſponit peccatorem, qui eſt ligatus, ut ſe moveat ad bonas cogitationes & ad peregrinationes & ad faciendum eleemoſynas, orationes, & ſic de ſimilibus, ut liberè ſit contritus, & agat pœnitentiam de commiſſis: & tunc, ſi hoc facit, in illo inſtanti, in quo hoc facit & incipit, Juſtitia & Miſericordia DEI remittunt culpam, & gratia infundit Charitatem in ſubjectum ordinatum & bene diſpoſitum; & ideo Gratia, Charitas, Juſtitia & Miſericordia in tali ſubjecto agunt naturaliter & ordinatè.

2. Ait Eremita: Gratia DEI nullo modo poteſt participare cum homine exiſtente in mortali peccato; quia ſi poſſet, DEUS poſſet ipſum amare, ſicut ei facere gratiam: & quia non poteſt ipſum amare, non poteſt in ipſum infundere gratiam: unde ſequitur, quòd DEUS per gratiam non poſſit diſponere hominem ad eligendum contritionem & pœnitentiam, niſi priùs illi remittat culpam, & poſtea poteſt ad ſuum placitum in ipſum infundere gratiam, & per conſequens charitatem.

3. Reſpondit Raymundus: ex tuis dictis implicas contradictionem, quia ſi DEUS antè peccatori poteſt remittere culpam, quàm infundere gratiam, quocunque modo ſit, DEUS poſſet ipſum amare & non amare; poſſet ipſum amare, in quantum illi poſſet parcere, cùm DEUS nemini poſſit parcere ſinè amore; & poſſet ipſum non amare, poſtquam illi non poſſet infundere gratiam ratione peccati ipſum impedientis, cùm DEUS non poſſit aliquem amare ſinè gratia; & quia tua verba implicant contradictionem, quæ non poteſt ſtare, non ſunt vera.

QUÆSTIO CXXXIII.

Utrùm Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant?

1. SOlutio. Ait Raymundus: in pipere eſt ignis in quarto gradu caliditatis, terra in tertio ſiccitatis, aër in ſecundo humiditatis, aqua in primo frigiditatis, & in pipere unus gradus caloris intenſus valet quatuor gradus extenſos in numero, & in ſe ipſis intenſos; ſed de uno gradu aquæ non eſt ſic, cùm una frigiditas intenſa non valeat niſi unum gradum aquæ intenſum, ſed valet quatuor gradus caliditatis ignîs extenſos in numero, cùm ſit dilatata & diffuſa per omnes; non valet tamen ipſos intenſivè; & idem eſt ſuo modo de tertio gradu & ſecundo: à ſimili de Indulgentia, quæ eſt inſtrumentum datum à Prælato, qui habet Claves, ad alleviandum pœnas purgatorii, & ipſa Indulgentia habet plures gradus ſecundùm majus & minus, ſicut una, quæ habet decem dies, alia viginti, alia triginta, & alia quadraginta &c., & quilibet gradus eſt verus & *intenſus quoad dantem*, & *non ſimpliciter*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pliciter quoad recipientem, in aliquibus tamen ſic; ſicut unus homo, qui non habet niſi unum gradum actûs charitatis, & pro uno denario illi datur Indulgentia quadraginta dierum, & ille gradus valet quadraginta dies *extenſivè*, non tamen *intenſivè* reſpectu alterius hominis, cui data eſt Indulgentia quadraginta dierum pro uno obulo dato cum uno actu charitatis in quarto gradu, qui *intenſivè* & *extenſivè* valet quadraginta dies; & ideo, Eremita, reſpectu recipientis Indulgentiam ipſa Indulgentia valet tantum, quantum ſonat, intenſivè & extenſivè, ût ſuprà ſignificatum eſt.

2. Ait Eremita: quocunque modo Indulgentia ſit recepta, convenit, quòd tantum valeat, quantum ſonat, ut maneat vera, perfecta & integra à parte dantis & à parte recipientis; ſicut etiam Sacramentum Altaris, quod eſt ita verum & perfectum, ſi conficitur ab injuſto Presbytero, ſicut à juſto; & hoc eſt ratione characteris recepti ab ambobus: aliàs ſi Indulgentia non valeret tantum in recipiente, quantum ſonat intenſivè, Indulgentia poſſet corrumpi & diminui à parte recipientis, & per conſequens character Sacramenti in injuſto Presbytero; quod eſt impoſſibile: ergò Indulgentia valet tantum intenſivè, quantum ſonat, ſive accipiatur cum primo gradu actûs charitatis, ſive cum quarto, & ſic de ſecundo & tertio.

3. Dixit Raymundus: narratur, quòd quidam miles dixerit, ſuppoſito, quod moreretur ſinè peccato mortali, quòd ipſe faceret tantas eleemoſynas ad acquirendum Indulgentias, quòd nunquam intraret in purgatorium; & fuit ei reſponſum, quòd ſancta Sophia habebat plus meriti per ædificationem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, in dando quâlibet die denarium herbæ bobus, qui portabant lapides, quàm Imperator, qui ædificavit & perfecit totam Eccleſiam.

4. Item dico tibi, quòd, ſicut unus homo cum charitate æquali charitati alterius hominis plus poſſet acquirere de præmio, quàm alius, ſuppoſito, quòd magis agat de ipſa, ſic à ſimili cum æqualibus Indulgentiis in eſſentia unus homo poſſet acquirere plus remedii in purgatorio, quàm alius, remanente quâlibet Indulgentiâ æquali alteri per eſſentiam, non per actus ſecundarios, per quos eſſentiæ indulgentiarum non corrumpuntur, niſi eveniat mortale peccatum: ideò, Eremita, mea verba ſunt vera ratione Magnitudinis Divinæ Juſtitiæ & ſuæ Bonitatis, Poteſtatis, Virtutis &c., & tua verba non ſunt vera, imò contradicis Magnitudini Divinæ Juſtitiæ &c.

QUÆSTIO CXXXIV.

Utrùm Spiritus ſeparati crucientur corporeo Igne, & quomodo?

SOlutio. Dixit Raymundus: in *Articulis damnatis decimo nono capite* probavimus, quòd Anima ſeparata poſſit pati ab igne, & illud idem adhuc volo probare in hoc libro; & probato, quòd poſſit pati, volo probare, quòd debeat pati, quo etiam probato erit probatum, quòd Spiritus ſeparati crucientur corporeo igne; & ultimò dabimus modum, quomodo cruciantur corporeo igne; & ideo convenit, quòd reſponſio ſit his tribus modis, & primò ſic.

1. DEUS in hac vita agit immediatè & mediatè, ût in pluribus locis ſuprà dictum eſt; quando agit immediatè, agit ſupra naturam, ſicut ſunt creare, facere miracula; quando agit mediatè, agit ſicut quando cum Sole multiplicat caliditatem ignîs in aëre, & cum caliditate ignîs & aëris calefacit aquam & terram & plantam & tegulam & ſic de ſimilibus; & per tale *agere* deducit DEUS naturalem actum in naturalibus: unde ſicut DEUS in hac vita agit duobus prædictis modis, ſic in alia vita poteſt agere ad placitum cum ipſis, cùm ſit ita potens in alia vita, ſicut in hac: ergò DEUS poteſt cum corporeo igne cruciare ſeparatum malignum ſpiritum, ſicut in hac vita cum igne poteſt calefacere aquam, ſed ibi ſupra naturam, ſicut hìc ſecundùm naturam: & ratio ſtat in hoc, quia, ſicut hìc poteſt agere per naturam, ſic ibi immediatè poteſt agere ſupra naturam; aliàs DEUS eſſet in hac vita potentior cum medio in agendo naturaliter, quàm in alia ſupernaturaliter: unde ſequeretur, quòd ſua Poteſtas ibi eſſet impedita; quod eſt impoſſibile & contra Divinam infinitam Poteſtatem, & ſuam infinitam Bonitatem, Virtutem &c.: ergò Spiritus ſeparatus poteſt pati.

2. Et quòd debeat pati, probo ſic: malignus Spiritus, ſive unus, ſive plures, quoad ſuum actum eſt malus, ſicut Lucifer & Anima Judæ, qui habent malum actum, per quem ſunt contra Divinam Bonitatem; & in

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in quantum habent magnum actum in malitia, ſunt contra Divinam Magnitudinem, quæ eſt bona, & ſic per conſequens contra omnes alias Dignitates DEI, quæ ſunt bonæ; & ideo ratione Divinæ Juſtitiæ, quæ eſt bona & magna &c., habet jus ſupra malas ſeparatas ſubſtantias, ut ipſas puniat naturaliter & ſupernaturaliter, ut magnitudo pœnæ reſpondeat magnitudini culpæ & malitiæ.

3. Punit autem ipſas naturaliter & immediatè, in quantum ipſas evacuat de illo fine & beatitudine, ad quam fuerunt creatæ; & illa pœna eſt eis ita naturalis ſpiritualiter, ſicut in hac vita eſt naturalis paſſio famis, ſitîs, doloris combuſtionis & mortis hominis; & pœna ſupernaturalis, quam Spiritus habent, eſt cruciatus ignîs, qui ipſos naturaliter non cruciat, nec affligit: & ideo, Eremita, probatum eſt, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ debeant pati ab igne, ſcilicet illæ, quæ ſunt malæ; & ſi debent pati, convenit, quòd patiantur, ut Divina Juſtitia in ipſis non amittat ſuum jus, ſed de ipſis faciat vindictam omnibus Divinis Dignitatibus.

4. Modus autem, per quem ſubſtantiæ malignæ ſeparatæ patiuntur ab igne, conſiſtit in hoc, ſcilicet ex parte *loci*, cùm ſint in inferno, qui eſt in infimo loco, & ipſi fuerunt creati ad ſuperiorem locum, qui eſt Cœlum empyreum; & ideo ratione hujus contrarietatis patiuntur ab igne. Etiam patiuntur ratione *naturæ* ignîs per Divinam Juſtitiam, non ratione naturæ ipſarum, ſicut color, qui de ſua natura non eſt viſibilis, cùm non ſit de eſſentia visûs, ſed eſt viſibilis per naturam visûs & ſicut Anima conjuncta, quæ de ſua natura non habet appetitum calefiendi, ſed appetit calefactionem ratione naturæ corporis, cum quo eſt conjuncta, quod ſentit frigiditatem, & ſic de ſimilibus. Etiam ſecundùm majorem *modum contrarietatis*, quæ poteſt eſſe inter ſubſtantiam corpoream & incorpoream, etiam cruciantur ſecundùm arctiorem modum vindictæ Dignitatum DEI, quam poſſunt facere cum ente corporeo, ût ſuprà ſignificatum eſt.

5. Ait Eremita: non eſt poſſibile, quòd
a. potentior & magìs nobilis potentia patiatur ſub impotentiori & minùs nobili potentia; ſicut Anima ſub igne, imò convenit, quòd ſit in oppoſito; & de hoc habemus experientiam in hæreticis, quorum animæ permittunt, quòd eorum corpora comburantur.

b. Item hoc, quod non eſt imaginabile, non eſt intelligibile, nec debet concedi ſecundùm habitum ſcientiæ; ſicut Anima, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis & omnino inſenſibilis, quæ non poteſt tangi nec attingi à ſubſtantia corporali; & quia ignis ſinè contactu non poteſt aliquid affligere, tua ratio non valet, & negativa quæſtionis eſt tenenda.

6. Reſpondit Raymundus: ſecundùm ha-
a. bitum ſcientiæ in naturalibus dicis verum, ſed ſecundùm habitum ſcientiæ in ſupernaturalibus, quæ ſunt vera, ût ſuprà probatum eſt, non dicis verum; & ſecundùm talẽ modum eſt intelligibilis affirmatio Quæſtionis.

b. Et quando dicis, quòd hoc, quod non eſt imaginabile, non ſit intelligibile nec affirmabile, malè dicis; cùm intellectus ſit altior & potentior potentia, quàm imaginatio, ratione cujus plura ſunt intellectui intelligibilia, quæ illi non ſunt imaginabilia, ſicut creatio, amor & amare, & ſic de ſimilibus, ſicut DEUS, Angeli & Animæ.

7. Adhuc dico, quòd magìs ſit intelligibile, quòd ignis cruciet malignos ſeparatos Spiritus, ſi DEUS vult, poſtquam Divina Poteſtas poteſt adimplere, quidquid Divina Voluntas vult, quàm ſit imaginabile, quòd ignis comburat ligna; quia Divina Voluntas vult per Divinam infinitam Poteſtatem & cum infinito *velle*, quòd ignis cruciet malignos Spiritus, & ignis comburat ligna cum finita poteſtate, & habet finitum appetitum ad comburendum; & ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXXXV.

Utrùm Ceſſatio Motûs corporum cœleſtium ſit ſufficiens cauſa, quòd Elementa non agant nec patiantur ad invicem?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: inter corpora cœleſtia & elementa eſt differentia & illa differentia conſiſtit in concordantia & contrarietate; in concordantia, ſicut Saturnus, qui concordat cum terra, & Jupiter cum aëre, Mars & Sol cum igne, Venus & Luna cum aqua; & Saturnus eſt contra aërem, & è converſo, & Jupiter contra terram, & Mars & Sol contra aquam, & Venus & Luna contra ignem.

2. Adhuc eſt alia concordantia & contrarietas ſecundùm quid, ſicut Saturnus, qui concordat cum Marte & Sole per ſiccitatem, & cum Venere & Luna per frigiditatem,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tatem, & Jupiter, qui concordat cum Marte & Sole per caliditatem, & cum Venere & Luna per humiditatem, & Mercurius quandoque concordat cum uno, quandoque contrariatur cum alio.

3. Eſt adhuc alia concordantia & contrarietas; ſicut Aries, Leo & Sagittarius, qui habent concordantiam cum igne, & ſunt contra Cancrum & Scorpionem & Piſcem per aquam, & Taurus, Virgo & Capricornus, qui ſunt contra Geminos, Libram & Aquarium per terram & per aërem.

4. Et quia per prædictas concordantias & contrarietates naturaliter conſiſtit motus *circularis* & *rectus*, convenit, quòd ceſſante circulari motu ceſſet motus rectus, cùm motus circularis ſit cauſa motûs recti: ſicut Sol, qui rectè attrahit vapores à terra, & movet plantas ad motum augmentationis; & Luna, quæ in abſentia Solis attrahit vapores humidos & frigidos, & per eandem rectam lineam ipſos refluit ad terram; & ſicut Jupiter, qui facit rectas lineas, generando ventum per aërem, & Aries per ignem; & ideo, Eremita, quando ceſſat motus rectus, convenit, quòd ceſſet actio & paſſio elementorum, cùm non poſſint agere nec pati ſinè motu.

5. Item ratione motûs circularis corporum cœleſtium renovantur actio & paſſio per corruptionem & generationem in corporibus elementatis; ſicut ignis, qui plus agit in pipere, quàm aqua, & remoto juvamine Veneris & Lunæ aqua non poſſet agere contra ignem in pipere, nec aër contra terram remoto juvamine Jovis; & ideo ceſſante motu corporum cœleſtium conveniret de neceſſitate, quòd piper in inſtanti & ſinè ſucceſſione eſſet corruptum, aut quòd eſſet incorruptibile; & quodlibet iſtorum naturaliter eſt impoſſibile: ergò concluditur, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

6. Et ſuppoſito, quòd negatio ſit tenenda, ſequeretur, quòd natura poſſet pati vacuum; quod eſt impoſſibile: cujus ratio eſt, quia ſi ceſſaret motus corporum cœleſtium, omnia juvamina, quæ faciunt inferioribus corporibus, eſſent ſuperflua, cùm ſinè juvamine eorum poſſent agere & pati; & illa ſuperfluitas eſſet vacuitas naturæ: ergò concluditur, quòd ceſſatio motûs corporum cœleſtium ſit ſufficiens cauſa, quòd elementa non agant nec patiantur ad invicem; excludo tamen elementa, quæ ſunt in inferno, quæ poſt Diem Judicii agent in corpora damnatorum, & ad invicem patientur mediante Juſtitiâ DEI, & illa actio & paſſio erit ſupra curſum naturæ.

7. Ait Eremita: elementa non dependent à corporibus cœleſtibus quoad eorum *eſſe*, cùm una ſit materia eorum, & alia ſit materia quintæ eſſentiæ, & cùm qualitates elementorum propriè non ſpectent ad corpora cœleſtia, ſed effectivè: & quia proprium non deſtruitur per appropriatum, non ſequitur, quòd ceſſante motu corporum ſuperiorum ceſſet motus elementorum; & maximè, cùm igni ſit proprium calefacere aërem, & aëri humefacere aquam, & aquæ frigefacere terram, & terræ deſiccare ignem: ergò ratione talium proprietatum elementa poſſunt agere & pati ad invicem ſinè juvamine corporum ſupracœleſtium; & hoc in ſe ipſis & in elementatis.

8. Reſpondit Raymundus: probatum eſt in *ſexageſima prima Quæſtione*, quòd ſit una materia omnium entium corporalium, & ideo cœleſtia corpora & elementa copulantur & participant per unam materiam, & ſubjectum motûs generalis eſt una linea generalis continua ſuſtentata in prima materia & forma ipſius, quæ linea eſſet fracta & diviſa in quantitatem diſcretam, ſi ceſſante motu cœleſtium corporum eſſet motus elementorum; & per conſequens prima materia & ſua generalis forma eſſet diviſa in quantitatem diſcretam; quod eſt impoſſibile, quia ſequeretur contradictio, ſcilicet, quòd communis materia eſſet una, & non una, ſed plures; & ſic de forma.

9. Et quando dicis, quòd appropriatum non deſtruat proprium, verum dicis ſecundùm *eſſentiam*, non quoad *operationem*; ſicut intellectus, qui non poſſet intelligere in ſuo proprio intelligibili, remoto appropriato per eſſentiam; & ſicut ignis, qui non poſſet agere in aërem, ſcilicet de ſuo calore, niſi terra illi appropriaret ſiccitatem, cum qua conſtringeret aërem ad recipiendum calorem, & ſic de ſimilibus: & ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXXXVI.

Utrùm Eſſentialis Beatitudo augmentetur intenſivè in Beatis per Reſumptionem Corporum?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: manifeſtum eſt, quòd beatus homo requirat plus præ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

præmii, quàm ejus Anima, cùm homo plus dicat, quàm Anima tantùm; quia homo eſt totum, & ſua Anima eſt pars, & homo in via mediante gratiâ DEI acquiſivit præmium & beatitudinem cum ſua Anima & ſuo corpore, non Anima tantùm, & homo eſt perſona, Anima non, ût ſuprà probatum eſt in *nonageſima ſeptima Quæſtione*: unde ſequitur, quòd eſſentialis Beatitudo augmentetur *intenſivè* in Beatis per reſumptionem corporum; aliàs Beatitudo magìs intenſivè poſſet eſſe in parte, quàm in toto; & in una parte, quàm in duabus, & in ſubjecto; quod non ſufficit, quòd per ſe ſit ſuppoſitum, quàm in ſubjecto, quod in ſe ſufficit, quòd ſit ſuppoſitum, ſcilicet homo; quod eſt impoſſibile: ergò concluditur, quòd eſſentialis Beatitudo augmentetur intenſivè in Beatis per reſumptionem corporũ.

2. Item Beati, qui ſunt in patria, non attingunt Chriſtum noſtrum Dominum DEUM per ſenſum, cùm ſuum Corpus ſit inattingibile ſinè ſenſibus, qui non ſunt in ſeparatis Animabus: & ſic Animæ Sanctorum deficiunt de intenſa Beatitudine corporali, quam Sancti habebunt poſt reſumptionem corporum in videndo & audiendo Chriſtum, & in loquendo cum ipſo.

3. Item Beati ſeparati ſinè ſuis corporibus non poſſunt ſatisfacere aliis corporibus totius Univerſi, quæ ſunt corpora cœleſtia & elementata, ut mediantibus Beatis attingant ſuum finem in noſtro Domino JESU Chriſto: & ratio hujus eſt, quia Beati non habent, cum quo attingant Corpus Chriſti, quod participat cum omnibus corporibus Univerſi in natura; ratione cujus participationis eſt finis omnium corporum, & naturaliter omnia corpora appetunt ipſum, ut in ipſo quieſcant: & ratio hujus eſt, quia eſt conjunctum cum Deitate per Incarnationem, quam probavimus in *centeſima Quæſtione*, & ad ſuum ſervitium ſunt creata, & omnia corpora illi ſerviunt mediantibus corporibus, cum quibus Animæ hominum ſunt conjunctæ Domino JESU Chriſto, ſervientia corporibus hominum, qui Chriſto ſerviunt: & ideo poſt reſumptionem corporum Beati poſſunt ſatisfacere omnibus corporibus Univerſi (excludo tamen corpora damnatorum) ut in Corpore noſtri Domini JESU Chriſti quieſcant, etiam in ejus Anima & in ejus Divina Natura: & ideo per talem ſatisfactionem & officium tunc eſſentialiter & intenſivè augmentabitur Beatitudo in Beatis; aliàs Chriſtus non eſſet perfectus Judex & perfectus Remunerator; quod eſt impoſſibile & contra Magnitudinem Bonitatis, Juſtitiæ &c.: ergò concluditur, quòd affirmatio Quæſtionis ſit tenenda.

4. Ait Eremita: manifeſtum eſt, quòd corpus impediat Animam, quando cum ipſo eſt conjuncta; quia ratione neceſſitatis corporis, quam habet per cibùm & potum &c., & etiam per delectabilia ſenſibilia non poteſt tantum recolere, intelligere & amare DEUM & ei ſervire & benedicere, nec etiam, dum eſt conjuncta cum corpore, poteſt participare cum DEO ſinè ſpeciebus acquiſitis, quæ non ſunt de ſua eſſentia; ſed beata ſeparata Anima fruendo DEO non eſt impedita per corpus, & facie ad faciem & immediatè attingit DEUM ſinè aliqua acquiſita & extranea ſpecie, ût in *tertia Quæſtione* dictum eſt; hoc beata Anima non poſſet facere poſt reſumptionem corporis, cùm corpus ipſam impediret ratione conjunctionis ſenſitivi & imaginativi, cum quibus erit conjuncta, & propter quæ erit medium inter ipſam & DEUM, ſcilicet phantaſtica ſpecies, ſicut fuit priùs, dum erat in via: ergò concluditur, quòd negatio Quæſtionis ſit tenenda, aliàs Divina Juſtitia non eſſet magna in Bonitate &c.; quod eſt impoſſibile.

5. Reſpondit Raymundus: tua dicta ſonant, quòd non ſit neceſſarium, quòd ſit futura Reſurrectio hominum, imò, quòd malum eſſet, quòd ipſa eſſet, quia impediret beatitudinem & viſionem Beatorum mediantibus corporibus hominum; & quia Reſurrectio eſt neceſſaria ad augmentandum Beatitudinem Beatorum, ût ſuprà probatum eſt, eſt impoſſibile, quòd tua verba ſint vera, imò neceſſariò convenit, quòd ſit Reſurrectio, ut homo, qui acquiſivit præmium, remuneretur; aliàs DEUS non remuneraret illud idem in numero, quod acquiſivit gloriam, imò aliud, ſcilicet Animam, quæ differt in numero à numero hominis; & ſic DEUS non eſſet verus Judex, nec ſua Juſtitia eſſet in Magnitudine Veritatis, Bonitatis &c.; quod eſt impoſſibile: etiam multa alia inconvenientia ſequerentur, quæ longum eſſet narrare.

6. Et quando dicis, quòd anima eſſet impedita per corpus, ſicut eſt in via per cibum, potum &c., malè dicis, cùm unum ſit judicium, quod ſpectat ad corpus glorificatum, & aliud

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& aliud, quod ſpectat ad corpus non glorificatum, ſed mortale & corruptibile.

Et quando dicis, quòd ſenſitivum & imaginativum implicarent ſpeciem phantaſticam, malè dicis, & non bene recolis *tertiam Quæſtionem* & *quadrageſimam ſextam*, in quibus ſignificatum eſt, quòd Animæ Beatorum, etiam Angeli DEUM attingant ſinè phantaſmate & per eſſentiam: ideo tua ratio non procedit.

QUÆSTIO CXXXVII.

Utrùm Beatitudo principaliùs conſiſtat in Actu Intellectûs vel Voluntatis?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: una manus in hac vita juvat aliam ad agendum, & unus pes alium ad ambulandum, unus oculus alium ad videndum, & ſic de ſimilibus, & de utroque actu ſequitur unus actus *communis*, ſicut de actu unius oculi & alterius una communis viſio: hoc idem ſequitur ſuo modo de diverſis potentiis, ſicut de viſu & auditu, quæ ſe invicem coadjuvant ad dandum delectationem homini; ſicut in illo, qui videt pulchram fœminam, quam multùm diligit, & audit illius verba, quæ illi multùm placent; ſed ad illam delectationem principalior eſt actus visûs quoad videndum, & actus auditûs quoad audiendum: à ſimili, dum ſumus in via, eſt de intellectu & voluntate, qui ſe invicem juvant, ut habeant magnos actus veros & bonos, ex quibus reſultat una *communis delectatio:* ſicut aliquis Philoſophus, qui attingit aliquam novam & naturalem veritatem, quæ omnibus aliis fuit ignota, & in ipſa multùm delectatur, & ſua delectatio eſt adeò magna, quòd non diſtinguat nec poſſit diſtinguere, an magìs gaudeat per actum intellectûs, quàm per actum voluntatis, vel è converſo: & ratio eſt, quia delectatio eſt *communis*.

2. Sicut de *communitatibus* ſenſitivi exemplificatum eſt, à ſimili dico de Beatitudine, licèt principalior ſit quoad intellectum per intelligere, & quoad voluntatem per amare, *æqualiter* reſultat *una communis Beatitudo* & *delectatio* in tantum, quòd Beatus non conſideret, an ſit magìs beatificatus per intelligere, quàm per amare, & è converſo; aliàs ſi ipſe conſideraret, quòd eſſet magìs beatificatus per unum actum, quàm per alium, ſequerentur plura inconvenientia; ſicut in Beato, in quo non poſſet eſſe una beatitudo communis, ſed plures; nam convenit, quòd, ubicunque eſt majus & minus, ibi ſit pluralitas; & ſic in Beato non eſſet *unâ* communis beatitudo, ſed plures; ſed quia communitas plus dicit, quàm ſpecificum, ratione magnitudinis concordantiæ & æqualitatis & unius finîs, privatâ communi beatitudine eſſet privata viſio in Beatis, & perfecta delectatio, & per conſequens perfecta quies: & adhuc inferiores potentiæ, ût de ſenſitivo exemplificatum eſt, eſſent magìs diſpoſitæ, proportionatæ & ordinatæ, & ſic de ſuperioribus potentiis, dum ſunt in via, ût dictum eſt, in multiplicando communitates per æquales participationes, quàm potentiæ Beatorum, qui ſunt comprehenſores & in patria in conſpectu DEI; quod eſt impoſſibile.

3. Item Sapientia DEI eſt ita intelligibilis cum Magnitudine Bonitatis & Veritatis, quòd non poteſt eſſe magìs intelligibilis, cùm ſua Intelligibilitas ſit infinita; & idem eſt de Divina Voluntate, quæ eſt ita diligibilis cum Magnitudine Bonitatis & Veritatis, quòd non poteſt eſſe plùs diligibilis, cùm ſua Diligibilitas ſit infinita: unde ſequitur, quòd Divina Sapientia ſit tantum intelligibilis quoad bonum, quantum quoad verum, & è converſo, & ſic de Voluntate DEI, quæ tantum eſt diligibilis quoad verum, quantum quoad bonum, & è converſo; & per conſequens Divina Sapientia tantum eſt diligibilis, quantum intelligibilis, & ſic de Divina Voluntate, quæ tantum eſt intelligibilis, quantum amabilis; & quoniam verum eſt objectum intellectûs, & bonum objectum voluntatis, dum ſunt in via, decipitur intellectus viator, in quantum ſic facit judicium de actibus & objectis potentiarum, quæ ſunt in patria, ſicut de illis, quæ ſunt in via; quia in patria Bonum & Verum æqualiter invicem correſpondent intellectui & voluntati Beatorum, ut æqualiter correſpondeant Divinæ Intelligibilitati & Amabilitati, ut Beatitudo ſit in altiori gradu diſpoſitionis, proportionis & ordinationis: ergò concluditur, quòd in Beatitudine Beatorum non ſit principalior actus unius potentiæ, quàm alterius, cùm conveniat, quòd ſint æquales, ût probatum eſt.

4. Ait Eremita: manifeſtum eſt, quòd

c 2006 Ministerio de Cultura

per actum majoris virtutis acquiratur majus præmium, quàm per actum minoris virtutis; ſed Charitas eſt major virtus, quàm ſit Fides; & Charitas eſt habitus voluntatis, & Fides intellectûs, ergò concluditur, quòd voluntas acquirat majus præmium, quàm intellectus: unde ſequitur, quòd in Beatitudine principalior actus beatificandi ſit diligere, quàm intelligere.

5. Reſpondit Raymundus: verum eſt, quòd Charitas ſit nobilior habitus, quàm Fides; & ratio eſt reſpectu actionis & paſſionis; quia voluntas per Charitatem habet [illegible]ationem in diligendo, & intellectus paſſionem in credendo, mortificando ſe in credendo veritatem de DEO, quam non poteſt intelligere: & ideo licèt eſſentiæ habituum non ſint æquales, cùm actio plus dicat, quàm paſſio, tamen intellectus poteſt acquirere tantum præmii credendo Articulos Fidei, & dirigendo voluntatem ad diligendum ipſos, illuminando ipſam per aliquod lumen veritatis exiſtens ſupra credere, & non ita altum, ſicut eſt intelligere, quantum voluntas poteſt acquirere per diligere & intellectum pungere ad credendum vel intelligendum: unde ſicut charitas acquirit per actionem *intenſivè*, ſic intellectus per paſſionem *intenſivè* & *extenſivè*, cùm continuò ſit inveſtigativus, ſed voluntas non; quia non eſt ſui officii inquirere, ſed eligere: & quia intellectus tantum poteſt acquirere per intenſam & extenſam paſſionem per aliquantulum luminis, de quo diximus, quantum voluntas per intenſam actionem, ideo tua ratio non valet.

QUÆSTIO CXXXVIII.

Utrùm in beata Viſione Intellectus ſit tantùm paſſivus? & idem quæritur de Voluntate.

1. SOlutio. Dixit Raymundus: aër in calefaciendo aquam eſt activus & paſſivus; activus, in quantum agit de caliditate; paſſivus, in quantum agit ſub habitu caliditatis, quæ illi non eſt proprius habitus, ſed appropriatus per ignem: & ideo ſicut aër paſſivè accipit habitum caliditatis, ſic paſſivè agit ſub ipſo; ſicut ſervus, qui paſſivè agit ſub dominio domini: à ſimili eſt de potentiis in Beatitudine, ſicut intellectus (& ſic de voluntate) qui agit & patitur, ût in *tertia Quæſtione* ſignificatum eſt; nam tanta eſt ſua perſpicuitas in videndo Beatiſſimam Trinitatem, & modum, ſecundùm quem in ipſa eſt infinitum generare & ſpirare, cum omnibus infinitis actibus Dignitatum DEI, & tanta eſt difficultas in videndo vel intelligendo diſtinctionem Perſonarum, & Unitatem Eſſentiæ & Naturæ & omnium Dignitatum & actuum earum, quòd intellectus non poſſit habere vigorem per ſe, ſed DEUS dat ei lumen gratiæ & veritatis, ſub quo eſt paſſivus ad attingendum illam ſupremam Viſionem, in qua eſt activus cum ſua actione ſecundaria & mota à ſua paſſione, ſuppoſito, quòd in una via objectum ſic moveat potentiam principaliter ad agendum, ſicut ipſam diſponit ratione ſuæ appetibilitatis ad agendum: aliàs ſi intellectus in patria eſſet activus ſinè prædicta paſſione, non eſſet diſpoſitus nec proportionatus & ordinatus ad attingendum ſupremam Viſionem, nec per conſequens haberet perfectam Beatitudinem, imò eſſet magìs beatus in via, in quantum ſub habitu Fidei paſſivè attingit veritatem de DEO ſupra ſuas vires; quod eſt impoſſibile: ergò concluditur, quòd de Quæſtione utraque ſit tenenda, ſcilicet affirmativa & negativa, diverſimodè tamen, ût dictum eſt.

2. Ait Eremita: tu implicas contradictionem, in quantum dicis, quòd beatus intellectus activè & paſſivè attingat ſupremam Viſionem, cùm actio & paſſio ſint oppoſita per diverſos & contrarios actus, ſicut pati & agere; quia pati non eſt pati, ſed agere, & agere non eſt agere, ſed pati; & hoc implicat contradictionem, quæ non poteſt ſtare; & ideo tua ratio non valet.

3. Reſpondit Raymundus: non bene intellexiſti exemplum, quod dedi de aëre, qui ſub habitu caliditatis agit paſſivè; dico paſſivè, in quantum motus eſt ad agendum ſub habitu caliditatis, & ſuum agere eſt actus habitûs, ſicut voluntas, quæ agit ſub habitu charitatis, ita, quòd *velle* charitativum non ſit charitas, cùm ſit actus voluntatis; & quia habitus & actus non convertuntur, tua ratio non procedit, ſed procederet, ſi habitus & actus potentiæ converterentur, quorum converſio eſt impoſſibilis; quia unum eſt eſſentia potentiæ, aliud eſſentia actûs: à ſimili dicitur de ſuprema Viſione, quæ eſt coadjuvans viſionem intellectûs, cujus juvamen eſt actio ſupremæ Viſionis, & in intellectu eſt paſſio, cum qua mo-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

movet & exaltat intellectum ad attingendum ſupra ſuas vires; cujus attinctio eſt actus potentiæ intellectûs diſtinctus à ſuo movente, qui paſſivè ipſum movet.

QUÆSTIO CXXXIX.

Utrùm per Dotem Subtilitatis ſinè alio Miraculo Corpus glorioſum poſſit eſſe ſimul cum non glorioſo in eodem loco?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: corpus glorioſum habet quatuor Dotes, quæ ſunt Agilitas, Subtilitas, Claritas & Impaſſibilitas: unde ſicut in hac vita corpus non glorioſum non poteſt habere has quatuor dotes ſinè miraculo, nec per conſequens poteſt ipſas habere in patria ſinè miraculo, quia ſi poſſet, poſſet ipſas naturaliter habere, & per conſequens in hac vita in ſubjecto corpus non glorioſum haberet ipſas naturaliter in potentia; quod eſt impoſſibile: ergò concluditur, quòd negatio quæſtionis ſit tenenda.

2. Item glorioſum Corpus Beatæ Virginis MARIÆ, quod eſt in Cœlo, quando erat in hac vita, erat magìs grave, quàm leve, & hoc naturaliter: unde ſi in cœlo eſt leve ſinè gravitate, non eſt leve ſinè miraculo, & non naturaliter, cùm conveniat, quòd, quidquid eſt in creatis, ſit ſecundùm naturam, vel ſecundùm miraculum; & ſi eſt leve & non grave naturaliter, conveniret, quòd gravitas aquæ & terræ glorioſi Corporis Beatæ Virginis remanſiſſet in hac vita, & per conſequens ſua aqua & terra elementata, à quibus gravitas non poteſt ſeparari; & ſic de ſua propria frigiditate & ſiccitate: unde ſequeretur, quòd glorioſum Corpus Beatæ Virginis non ſit illud in numero in Cœlo, quod erat in hoc mundo; quod eſt impoſſibile: ergò ſequitur, quòd miraculosè, & non naturaliter gravitas glorioſi Corporis Beatæ Virginis ſit ligata, „ & ſuus appetitus „ mutatus de uno centro in aliud, ſicut de „centro terræ ad centrum cœli empyrei: & ideo dico, quòd, ſicut eſt de glorioſo Corpore Beatæ Virginis, ſic erit ſuo modo de aliis glorioſis Corporibus, quæ erunt in Paradiſo: unde ſequitur, quòd, ſicut corpus non poteſt eſſe non grave ſinè miraculo, nec per conſequens poſſit eſſe tam ſubtile, quòd poſſit ſtare in eodem loco cum alio corpore non glorioſo, privatis ipſorum habitibus continentibus & contentis; quod eſt impoſſibile ſecundùm naturam, non tamen ſecundùm actum Divinæ Voluntatis & Poteſtatis, quæ ſupra naturam agunt ad placitum.

3. Ait Eremita: primi Parentes, antequam peccaviſſent, naturaliter erant immortales, & poſt reſurrectionem etiam naturaliter erunt immortales: unde ſequitur, quòd, ſicut DEUS mutavit ſubjectum de immortalitate ad mortalitatem, & mutabit illud de mortalitate ad immortalitatem naturaliter, ſic poſſit ſinè miraculo dare ſubtilitatem corpori glorioſo, quòd poſſit ſtare intra aliud corpus non glorioſum, vel tranſire per ipſum, ſicut in corpore Solis vel in corpore lapidis ſinè aliqua fractione & novitate corporis Solis & Lapidis; ideo tua ratio non procedit.

4. Reſpondit Raymundus: tuum exemplum non procedit, quia non eſt ſimile; quia corpus propter peccatum eſt naturaliter mortale; & quando erat immortale, non poterat naturaliter ſtare in eodem loco cum alio corpore, nec in die Reſurrectionis erit reductum ad immortalitatem naturaliter, cùm Reſurrectio erit ſecundùm miraculum, & non ſecundùm naturam.

QUÆSTIO CXL.

Utrùm Anima ſeparata cognoſcat vel intelligat per Species influxas à DEO, vel per Species receptas in corpore, vel per Species, quas exiſtens ſeparata recipit?

1. SOlutio. Dixit Raymundus: ſolutio in *tertia, & quadrageſima ſexta, & centeſima trigeſima octava Quæſtione* eſt ſignificata, ſcilicet quòd in Viſione DEI beatus intellectus in propria intelligibilitate DEI increata, & quæ eſt DEUS, attingat Divinam Trinitatem & Eſſentiam, non in ſuo proprio intelligibili creato; & hoc ſinè aliqua ſpecie antiqua vel nova, ſed immediatè & facie ad faciem, DEO communicante intellectui ſuam eſſentialem Intelligibilitatem, ut intellectus exaltatus ſit in altiori gradu viſionis & participationis DEI; aliàs ſi inter DEUM & intellectum eſſet medium, ſcilicet ſpecies antiqua vel nova, beatitudo intellectûs eſſet diminuta, & gloria non eſſet acquiſita in fine, ſed in

© 2006 Ministerio de Cultura

medio, in quo non eſſet quies; quod eſt impoſſibile.

2. Item beatus intellectus in ſuo proprio intelligibili creato non poteſt naturaliter intelligere ſinè ſpecie, cùm indigeat intelligibili, de quo attrahat ſpeciem per ſenſitivum & imaginativum, ut ipſam faciat intelligibilem in ſuo proprio intelligibili, in qua ſpeculetur & attingat entia ſenſibilia & imaginabilia, & cum qua ſpecie recedit à corpore; aliàs ſi non intelligeret per ſpecies antiquas, quas recepit, dum erat in corpore, non poſſet intelligere hoc, quod intellexit in mundo, nec haberet DEO gratias de bono, quod illi fecit in via; & ſicut dico de intellectu, ita de beata voluntate & memoria: & quia hæc omnia ſunt falſa & impoſſibilia, concluditur, quòd beatus intellectus intelligat cum ſpeciebus, quas recepit, dum erat in via.

3. Præterea beatus intellectus non indiget habere novas ſpecies influxas à DEO, cùm ei ſufficiant ſuæ ſpecies concreatæ & deductæ de potentia in actum, cùm illi ſit naturale intelligere cum ſuis ſpeciebus ſibi coëſſentialibus, non quòd intelligat cum novis ſpeciebus: & quia DEUS perfectè dat ſpecies in ſubjecto concreatas, concluditur, quòd intellectus, poſtquam eſt ſeparatus, intelligat cum ſuis ſpeciebus concreatis, non cum novis ſpeciebus à DEO influxis, quia non indiget ipſis, cum illi ſufficiant illæ, quas à DEO recepit in ſua creatione, nec DEUS dat aliquid ſuperfluum, nec natura recipit aliquid ſuperfluum.

4. Ait Eremita: inter hanc vitam & aliam eſt magna differentia, & differentia eſt in pluribus magnis modis; & ideo quando intellectus eſt transmutatus de hac vita in aliam, convenit, quòd ſit transmutatus in magnas & plures novitates; aliàs ejus transmutatio non eſſet in magna differentia: ergò ſequitur, quòd illi à DEO ſint datæ plures & magnæ ſpecies novæ, cum quibus ſe multò meliùs intelligat, quàm cùm ſpeciebus antiquis, quas oportet in hac vita dimittere, cùm aliæ novæ illi ſufficiant in beatitudine.

5. Reſpondit Raymundus: Eremita, concedo, quòd ſit magna transmutatio intellectûs de hac vita in aliam, & per conſequens magna novitas, & inter alias novitates illa eſt major, quando intellectus immediatè intelligit DEUM in Intelligibilitate DEI, & non in ſua, ût ſuprà dictum eſt; & illud intelligere non eſt illi naturale, ſed ſupra naturam.

6. Eſt etiam alia novitas in intellectu, qui intelligit in patria cum omnibus ſuis ſpeciebus concreatis in tantum, quòd plus non poteſt nec debet intelligere; hoc non facit in hac vita, in qua intelligit cum paucis ſpeciebus, & non tantum, quantum poteſt & debet intelligere.

7. Eſt adhuc alia novitas, ſcilicet per quam intellectus intelligit in inſtanti ſinè ſucceſſione ſenſitivi & imaginativi, quod non facit in hac vita; & tales novitates ſufficiunt illi, & non indiget novis ſpeciebus, quia ſuæ connaturales ſufficiunt ipſi, ût ſuprà probatum eſt; ergò tua ratio non valet, ſed mea eſt permanens.

De Fine hujus Libri.

1. FInivit Raymundus ſua verba laudando & benedicendo DEUM, & dixit, quòd omnia, quæ dixit, intenderit dicere ad Laudem & Honorem DEI, & propter Bonum publicum: & iterum dixit, quòd, ſi aliquid dixit contra Catholicam Fidem, non ex certa ſcientia, ſed ex ignorantia dixerit, *ſubmittens*, ſicut priùs, *ſua verba correctioni ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

2. Poſtea dixit Eremitæ, an eſſet contentus iis, quæ dixerat? ait Eremita: Raymunde, dixiſti mihi plura bona & nova, quæ nunquam audiveram; ſed quia habes alium modum extraneum, quàm habeant moderni Magiſtri, & ego ſum habituatus in ſcientia ſecundùm eorum modum, & in aliquibus opinionibus ſum nutritus contra tuas, adhuc non bene aſſuevi nec habituavi tuas rationes; & ideo propono ipſas diligenter habituare, & ſecundùm tuum modum, per quem ipſas mihi tradidiſti, Principiis tuæ Artis concordare; „ & hoc pro „tanto, quia licèt in alio habitu ſcientiæ „ſim nutritus, & in aliquibus opinionibus „ſtem contra tuas, ſi videro, quòd verum „dicas de quæſitis, volo conſentire tuis Ra„tionibus; quoniam habitus ſcientiæ prin„cipalior eſt per exiſtentiam, quàm per ap„parentiam, & antiqua opinio non vera non „eſt amabilis nec laudabilis, veruntamen di„co, quòd meum intellectum multùm illu„minaveris per ea, quæ mihi dixiſti.

3. Raymundus & Eremita multùm devotè & humiliter inter ſe acceperunt commeatum,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tum, & unus rogavit alium, quòd pro se oraret nostrum Dominum DEUM JESUM CHRISTUM & beatam Virginem Matrem ejus, in quorum custodia hunc Librum commendat.

Iste Liber est finitus in Civitate Parisiensi Anno Incarnationis Domni nostri JESU CHRISTI MCCXCVIII. in Octava Assumptionis nostræ Dominæ Beatæ MARIÆ.

INDEX QUÆSTIONUM SUPER LIBRUM SENTENTIARUM.

Quæstiones Libri I. Sententiarum.

QUæstio 1. Utrùm Theologia propriè sit Scientia?

Quæstio 2. Utrùm DEUS sit Subjectum Theologiæ sub aliqua Ratione determinata?

Quæstio 3. Utrùm frui sit Actus potentiæ appetitivæ vel cognoscitivæ?

Quæstio 4. Utrùm Ratio Differentiæ Divinorum Attributorum sit in DEO vel in Intellectu creato?

Quæstio 5. Utrùm Potentiæ Animæ, scilicet Memoria, Intellectus & Voluntas sint Accidentia Animæ?

Quæstio 6. Utrùm Pater genuerit Filium de necessitate Naturæ?

Quæstio 7. Utrùm Potentia generandi in Divinis dicat quid vel ad aliquid?

Quæstio 8. Utrùm in Filio sit Potentia, per quam potuit generari?

Quæstio 9. Utrùm posse generare & posse creare sit unum posse?

Quæstio 10. Utrùm in solo DEO sit Veritas?

Quæstio 11. Utrùm DEUS sit in genere?

Quæstio 12. Utrùm Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.

Quæstio 13. Utrùm Sanctus Spiritus realiter distingueretur à Filio, si non procederet ab eo?

Quæstio 14. Utrùm Pater & Filius debeant dici unus Spirator, vel duo Spiratores?

Quæstio 15. Utrùm Emanatio Creaturarum de necessitate præsupponat Generationem Filii, & Spirationem Spiritûs Sancti?

Quæstio 16. Utrùm Charitas sit aliquid Creatum in Anima?

Quæstio 17. Utrùm Charitas augeatur per Additionem Novæ Charitatis?

Quæstio 18. Utrùm Augmentum Charitatis habeat Finem?

Quæstio 19. Utrùm Charitas possit diminui secundùm Essentiam?

Quæstio 20. Utrùm in DEO sit Numerus.

Quæstio 21. Utrùm isti termini, *Unus*, *Duo*, *Tres*, in Divinis dicant Rem Relativam vel Absolutam?

Quæstio 22. Utrùm eadem Proprietas sit Distinctiva & Constitutiva Divinarum Personarum?

Quæstio 23. Utrùm Pater ideo sit Pater, quia Generat, vel ideo Generet, quia Pater?

Quæstio 24. Utrùm Verbum in Divinis dicatur Essentialiter vel Personaliter?

Quæstio 25. Utrùm Innascibilitas sit idem, quòd Paternitas?

Quæstio 26. Utrùm Pater & Filius sint idem Principium Sancti Spiritûs?

Quæstio 27. Utrùm omnia scita à DEO habuerint *Esse* essentiæ ab æterno?

Quæstio 28. Utrùm in DEO sint Ideæ Infinitorum?

Quæstio 29. Utrùm Angelus possit transire de loco ad locum in instanti?

Quæstio 30 Utrùm futura sint realiter præsentia Divinæ Æternitati?

Quæstio 31. Utrùm sit possibile, quòd DEUS non præsciverit illud, quod præscivit?

Quæstio 32. Utrùm unum Infinitum sit majus, quàm aliud?

Quæstio 33. Utrùm Prædestinatus de necessitate salvetur?

Quæstio 34. Utrùm Præscientia Meritorum sit Causa vel Ratio Prædestinationis Salvandorum, vel utrùm detur aliqua alia causa?

Quæstio 35. Utrùm DEUS possit facere aliquam Magnitudinem vel Multitudinem infinitam in actu?

Quæstio 36. Utrùm DEUS possit damnare Petrum, & salvare Judam?

Quæ-

2006 Ministerio de Cultura

Quæſtiones Libri II. Sententiarum.

Quæſtio 37. Utrùm Creatio realiter differat à Creatura?

Quæſtio 38. Utrùm Creatio & Conſervatio ſint idem?

Quæſtio 39. Utrùm alicui Creaturæ poſſit communicari Potentia creandi?

Quæſtio 40. Utrùm DEUS potuerit facere aliquam rem, eſſentialiter à ſe differentem, æternam?

Quæſtio 41. Utrùm Ævum ſit Menſura habens partem poſt partem, vel ſit tota ſimul?

Quæſtio 42. Utrùm Ævum dicat aliquid abſolutum ultra Æviternum?

Quæſtio 43. Utrùm ſit tantùm unum Ævum numero?

Quæſtio 44. Utrùm Angelus ſit in loco per ſuam Operationem?

Quæſtio 45. Utrùm Angelus ſit compoſitus ex Forma & Materia?

Quæſtio 46. Utrùm Angelus ſe intelligat per ſuam Eſſentiam vel per Speciem?

Quæſtio 47. Utrùm in actu intelligendi Hominis requiratur Species propter Potentialitatem Intellectûs, vel propter Abſentiam Objecti?

Quæſtio 48. Utrùm Natura humana in Chriſto ſit nobilior quàm natura angelica, ſecundùm qûòd conſideratur in puris naturalibus?

Quæſtio 49. Utrùm malus Angelus poſſit pœnitere?

Quæſtio 50. Utrùm Angeli poſſint inducere veras Formas?

Quæſtio 51. Utrùm Angelus per ſolam Potentiam Intellectivam & Volitivam moveat Corpus?

Quæſtio 52. Utrùm Angeli receperint Gratiam & Gloriam ſecundùm Capacitatem naturalium?

Quæſtio 53. Utrùm dato quocunque Angelo DEUS ſemper poſſit facere nobiliorem, ita, quòd ſemper ſit aſcendere ſuperiùs in infinitum in Perfectionibus?

Quæſtio 54. Utrùm Unus Angelus poſſit loqui cum altero, & per quem modum?

Quæſtio 55. Utrùm unus Angelus poſſit illuminare alium, & per quem modum?

Quæſtio 56. Utrùm DEUS poſſet facere, quòd Materia exiſtat ſinè Forma?

Quæſtio 57. Utrùm Materia exiſtens ſub Quantitate habeat aliam extenſionem ab extenſione Quantitatis?

Quæſtio 58. Utrùm *eſſe vacuum* includat contradictionem?

Quæſtio 59. Utrùm Angelus & Anima differant ſpecie, & per quam differentiam?

Quæſtio 60. Utrùm Cœlum empyreum influat in hæc Inferiora?

Quæſtio 61. Utrùm Materia omnium ſit eadem ſecundùm Eſſentiam & ſecundùm Numerum?

Quæſtio 62. Utrùm ſint plures Angeli ejusdem Speciei?

Quæſtio 63. Utrùm Cauſa Individuationis ſit Materia, vel aliquid aliud?

Quæſtio 64. Utrùm Angeli intelligant per Species innatas vel acquiſitas?

Quæſtio 65. Utrùm Angelus naturali Dilectione plus diligeret DEUM, quàm ſe ipſum?

Quæſtio 66. Utrùm Angeli ſint creati in Gratia?

Quæſtio 67. Utrùm Lucifer habuerit nobiliora Naturalia, quàm aliquis alius Angelus?

Quæſtio 68. Utrùm Confirmatio & Obſtinatio mutet vel minuat Libertatem Arbitrii?

Quæſtio 69. Utrùm Impoſſibilitas peccandi ſit in Beatis ex hoc ſolo, quòd videant & ament DEUM, vel ex aliqua alia ſpeciali Manutenentia DEI?

Quæſtio 70. Utrùm Corpora aſſumpta ab Angelis vel Dæmonibus ſint imputribilia, in quantum ſunt aſſumpta?

Quæſtio 71. Utrùm Dæmones poſſint illudere humanos ſenſus, & per quem modum?

Quæſtio 72. Utrùm Angelus ſinè aſſumpto Corpore poſſit docere vel illuminare Hominem?

Quæſtio 73. Utrùm Lumen educatur de Potentia medii?

Quæſtio 74. Utrùm Lumen multiplicetur *in tempore* vel in inſtanti?

Quæſtio 75. Utrùm Luminaria Cœli in ſuis Orbibus moveantur propriis Motibus?

Quæſtio 76. Utrùm Anima Brutorum ſit de alio?

Quæſtio 77. Utrùm Anima Brutorum ſit Forma extenſa, vel ſit tota in qualibet parte corporis?

Quæſtio 78. Utrùm aliqua Forma extenſa poſſit eſſe ſufficiens Motor?

Quæſtio 79. Utrùm Corpus humanum poſt peccatum potuiſſet perpetuari per Eſum Ligni Vitæ?

Quæ-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Quæſtio 80. Utrùm Adam & Eva potuiſſent coire, antequam aliquid comediſſent?

Quæſtio 81. Utrùm, ſi Adam & Eva non peccâſſent in prima tentatione, potuiſſent ex tunc peccare vel ipſi, vel aliquis de genere eorum?

Quæſtio 82. Utrùm ad Actum intelligendi ſit neceſſarium ponere Intellectum agentem naturalem differentem à poſſibili?

Quæſtio 83. Utrùm Liberum Arbitrium ſit Potentia diſtincta contra Rationem & Voluntatem?

Quæſtio 84. Utrùm Liberum Arbitrium poſſit eligere Malum ſub ratione mali?

Quæſtio 85. Utrùm Gratia primò ſit in Subſtantia Animæ vel in Potentiis?

Quæſtio 86. Utrùm Gratia *gratum faciens* & Virtus *gratuita* differant per Eſſentiam?

Quæſtio 87. Utrùm *aliquid* tranſeat in Veritatem humanæ Naturæ per Actum *Generativæ?*

Quæſtio 88. Utrùm *aliquid extrinſecum* tranſeat in Veritatem humanæ Naturæ per Actum *Nutritivæ?*

Quæſtio 89. Utrùm Anima ſenſitiva in Hominibus ſit à Generante?

Quæſtio 90. Utrùm Anima poſſit infici à Carne?

Quæſtio 91. Utrùm Peccatum corrumpat aliquod bonum in Anima?

Quæſtio 92. Utrùm Peccatum in Sanctum Spiritum ſit irremiſſibile?

Quæſtiones Libri III. Sententiarum.

Quæſtio 93. Utrùm DEUS ſibi potuerit unire aliquam creaturam irrationalem, ſicut ſibi univit Humanam Naturam?

Quæſtio 94. Utrùm DEUS *per Unionem* aliter exiſtat in aſſumpta Humanitate, quàm in aliis Creaturis?

Quæſtio 95. Utrùm DEUS ſibi potuerit unire Animam *non beatam?*

Quæſtio 96. Utrùm Beata Virgo contraxerit Peccatum originale?

Quæſtio 97. Utrùm Anima *ſeparata* ſit Perſona?

Quæſtio 98. Cùm DEUS ſit Infinitus, & Homo finitus, quæritur, utrùm ex Eſſentia & Natura utriusque poſſit eſſe Una Perſona?

Quæſtio 99. Utrùm DEUS debuerit aſſumere Humanam Naturam?

Quæſtio 100. Utrùm Filius DEI ſit incarnatus vel incarnandus?

Quæſtio 101. Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: *DEUS aſſumpſit Hominem?*

Quæſtio 102. Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: Chriſtus eſt duo?

Quæſtio 103. Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: *Filius DEI eſt prædeſtinatus?*

Quæſtio 104. Utrùm in Chriſto ſint duæ Filiationes?

Quæſtio 105. Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: *Chriſtus, ſecundùm quòd Homo, eſt individuum?*

Quæſtio 106. Utrùm hæc Propoſitio ſit vera: *Homo incepit eſſe DEUS?*

Quæſtio 107. Utrùm Chriſtus aſſumpſerit potentiam peccandi?

Quæſtio 108. Utrùm DEUS potuerit aſſumere plures Humanitates?

Quæſtio 109. Utrùm Anima Chriſti *comprehendat* Verbum ſibi unitum?

Quæſtio 110. Utrùm Anima Chriſti in Verbo cognoſcat omnia, quæ cognoſcit Verbum?

Quæſtio 111. Utrùm Chriſtus, ſi non fuiſſet interfectus, redemiſſet Humanum Genus per naturalem Mortem?

Quæſtio 112. Utrùm DEUS potuerit ſalvare Humanum Genus ſinè ſatisfactione?

Quæſtio 113. Utrùm Fides informis ſit Virtus?

Quæſtio 114. Utrùm Fides informis per Adventum Gratiæ fiat formata?

Quæſtio 115. Utrùm Spes habeat infallibilem Certitudinem?

Quæſtio 116. Utrùm ex quantulacunque Charitate poſſit quis reſiſtere quantæcunque tentationi?

Quæſtio 117. Utrùm in Patria aliquid remaneat de Fide vel Scientia hujus Vitæ?

Quæſtio 118. Utrùm aliqua Virtus Cardinalis ſit in Subjecto irrationabili propriè dicto?

Quæſtio 119. Utrùm Virtutes differant à donis, & quomodo?

Quæſtio 120. Utrùm Virtutes ſint connexæ?

Quæſtio 121. Utrùm Mendacium per aliquam Diſpenſationem poſſit eſſe ſinè peccato?

Quæſtiones Libri IV. Sententiarum.

Quæſtio 122. Utrùm in Verbis: *Ego baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spi-*

2006 Ministerio de Cultura

& Spiritûs Sancti Amen, ita consistat Forma Baptismi præcisè, quòd non liceat aliquid subtrahere vel addere, vel per quemcunque alium modum immutare?

Quæstio 123. Utrùm Puer interfectus in Utero Matris ab aliquo Persecutore Fidei sit baptizatus Baptismo Sanguinis, ita, quòd purgetur à Culpa originali?

Quæstio 124. Utrùm Character sit aliquid absolutum in Anima?

Quæstio 125. Utrùm Sacramentum Altaris sit possibile?

Quæstio 126. Utrùm Sacramentum Altaris debeat esse?

Quæstio 127. Quæritur: quid demonstrat hoc pronomen *Hoc*, cùm dicitur: *Hoc est Corpus meum?*

Quæstio 128. Utrùm DEUS possit facere, quòd unum & idem Corpus simul sit in diversis locis *localiter?*

Quæstio 129. Utrùm DEUS posset transmutare Substantiam Panîs eandem numero in plura Corpora?

Quæstio 130. Utrùm ex Speciebus remanentibus sinè subjecto in Sacramento Altaris possit aliquid generari?

Quæstio 131. Utrùm DEUS possit dimittere mortale Peccatum sinè aliqua Satisfactione?

Quæstio 132. Utrùm Infusio Gratiæ sit prior ordine naturæ, quàm Remissio culpæ?

Quæstio 133. Utrùm Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant?

Quæstio 134. Utrùm Spiritus Separati crucientur corporeo Igne, & quomodo?

Quæstio 135. Utrùm Cessatio Motûs Corporum cœlestium sit sufficiens causa, quòd Elementa non agant nec patiantur ad invicem?

Quæstio 136. Utrùm Essentialis Beatitudo augmentetur intensivè in Beatis per Resumptionem Corporum?

Quæstio 137. Utrùm Beatitudo principaliùs consistat in Actu Intellectûs vel Voluntatis?

Quæstio 138. Utrùm in beata Visione Intellectus sit tantùm passivus? & idem quæritur de Voluntate?

Quæstio 139. Utrùm per Dotem Subtilitatis sinè alio Miraculo Corpus glorioſum possit esse simul cum non glorioso in eodem loco?

Quæstio 140. Utrùm Anima Separata cognoscat vel intelligat per Species influxas à DEO, vel per species receptas in Corpore, vel per Species, quas existens Separata recipit?

Corrigenda.

PAg. 11. col. 2, n. 1. lin. 2. potentia-*addatur* generandi
pag. 14. col. 1. n. 3. lin. 20. creatis-*legatur* creaturis
pag. 16. col. 1. lin. 10. unde-*addatur* Pater
pag. 17. col. 1. n. 3. lin. 7. bonitate-*addatur* &c.
pag. 19. col. 1. n. 6. lin. 5. esset-*legatur* esse
pag. 21. col. 2. n. 5. lin. 2. gloriæ-*legatur* gratiæ
pag. 22. col. 1. n. 2. lin. 1. Eremerita-*legatur* Eremita
pag. 31. col. 2. n. 5. lin. 13. agens-*legatur* ens
pag. 40. col. 1. Quæstio LXV.-*legatur* XLV.
pag. 43. col. 1. n. 1. lin. 13. Christi; et-*legatur* Christi, & non
item lin. 14. Voluntas &-*legatur* voluntas; &
item lin. 15. participarent-*legatur* participaret
pag. 81. col. 1. n. 1. lin. 19. bonifacere-*legatur* bonificare
pag. 88. col. 1. n. 1. lin. 10. & voluntas-*addatur* voluerit
pag. 106. col. 1. lin. 21. oratio-*legatur* ratio
pag. 110. col. 1. n. 1. lin. 8. in dispositâ forma-*legatur* indispositâ, formâ
pag. 118. col. 1. n. 2. lin. 8. imiginabilia-*legatur* imaginabilia
pag. ead. col. 2. n. 1. lin. 1. laudendo-*legatur* laudando.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER SUPER PSALMUM QUICUNQUE VULT *SIVE* LIBER TARTARI ET CHRISTIANI.

DEUS omnipotens, qui es præſens *Eſſe*, exiſtens in æternum, per quod *Eſſe* eſt, quidquid eſt; quia tu Domine mi DEUS tam altus es, quòd comprehendas omnia, nec eſt, qui de manu tua poſſit eruere, ut ergo cognoſcaris & diligaris ab ignorantibus te, *incipit Liber ſuper Pſalmum, Quicunque vult:* in quo traditur Fides, per quam te credimus, qui vivis & regnas benedictus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

DE PROLOGO.

ESt negotium multùm aptum & adoptabile, nec non valde ſalutare tractare modum, per quem omnipotens glorioſiſſimus DEUS cognoſcatur ab ignorantibus eum, & diligatur, & hoc ex motu pietatis, & intuitu charitatis, ut Infideles, qui ignoranter propter caliginem erroris corruunt in ſempiternam mortem, à periculo mortis, relictis erroribus, inducantur ad vitam æternæ ſalutis, ambulantes in ſemitis ejus, qui eſt via viarum, & Lumen luminum, & Veritas veritatum; ideo ego pauper & peccator, indignus laude & honore circa iſtud negotium laborans ferventer & aſſiduè à longinquis temporibus, mediante auxilio illius, ſinè quo nil boni, reor, eſſe factum, refero per Parabolas & Metaphoras hos Sermones.

De Conſideratione cujusdam Tartari.

1. QUidam Tartarus habitans in finibus Saracenorum, valde ſapiens & erudi-tus in Philoſophia, ſemel jacens in ſuo cubili conſideravit in ſuo ſtatu, ſcilicet quomodo diu vixerat ſinè Lege, & deſideravit frui Lege, ut per eam perveniret ad ſempiternam vitam beatitudinis: dum autem anxietas hujus conſiderationis eum urgeret, pro-

2006 Ministerio de Cultura

propoſuit ire ad quendam ſapientem Judæum, quem agnoſcebat, ut indagaret veritatem de ejus Lege, ſcilicet, per quem modum Judæi credant DEUM, confidentes poſt corporalem mortem obtinere beatitudinem ſinè fine

2. Tartarus ſurrexit manè diluculo cum propoſito eundi ad Judæum; dum autem egrederetur è ſuo tabernaculo, recordatus eſt ſuarum uxorum & filiorum & deliciarum & proſperitatum hujus mundi, & prior appetitus evanuit ei, & revocavit ſuum propoſitum dicens: non eſt bonum relinquere natale ſolum, nec delicias, nec proſperitates; & more ſolito reverſus eſt ad culturam Idolorum: ſed poſt lapſum brevis temporis contigit, quòd fuerit mortuus quidam miles, quem viventem hic Tartarus noverat, quo viſo mortuo conſideravit: hic, qui priùs fuerat potens, poſſidens multa, modò factus eſt impotens, nihil habens; & ita Tartarus recordatus proſperitates, delicias & honores, quibus utebatur hic miles, dum vivebat, tunc reparatis viribus nobilis animi confirmavit primum propoſitum, & definiens relinquere omnia mundana propter DEUM, confeſtim perrexit ad Judæum, ſicut pridem propoſuerat, quem invénit juxta ſuam Legem inſtruentem ſuos diſcipulos.

De Tartaro & Judæo.

1. TArtarus eſt ingreſſus domum Judæi dicens: per omnia tempora meæ vitæ fui ſubjectus erroribus, ad te autem confugio, ut me dirigas ad viam veritatis, per quam cognoſcam & diligam tuum Dominum DEUM; quo audito Judæus eſt gaviſus, & ait: benedictus Dominus DEUS Iſraël, qui inſpiravit in te ſuam gratiam, & dignatus eſt te conducere ad viam ſalutis; & tunc Judæus ſecundùm Geneſin incipiens ab origine mundi recitavit ei juxta textum Legis, quomodo DEUS in principio creavit cœlum & terram & cætera, quæ ſequuntur, & tranſiens per Exodum retulit illi, quomodo DEUS Iſraëlitico Populo per Moyſen liberato de manibus Pharaonis tradidit Legem in Monte Sinai per manum Moyſis ſui ſervi; deinde tranſivit per Leviticum, & per Judices Iſraël; deinde per Libros Regum Iſraël, & oſtendit illi omnes Libros Prophetarum, & demum ſpem, quam habent in adventum Meſſiæ, quem Judæi exſpectantes deſiderant.

2. Quibus pulchro ordine enarratis Judæus tradidit Tartaro Libros Hiſtoriarum, qui cùm legiſſet in eis, & ſuper eos diu ſtuduiſſet, acceſſit ad Judæum dicens: quæcunque meus intellectus in hiſtoriis de tua Lege poteſt concipere, ſunt per modum ſuppoſitionis, rogo te, ut mihi oſtendas per neceſſarias Rationes, quòd tua Lex & Fides ſit vera; nam eſt inconveniens dimittere unam credulitatem propter alteram; ſed dimittere credere propter ſcire eſt valde conveniens, cùm ſcire ſit intelligere, quod eſt actus intellectûs.

3. Ait illi Judæus: non eſt decens nec juſtum, quòd aliquis exiſtat contra Fidem, ne amittatur meritum; quia ſi aliquis cognoſceret per neceſſarias Rationes, quòd ſua Fides eſſet vera, jam non haberet meritum; ergo utilius eſt tibi credere, & non intelligere noſtram Fidem, ut in Lege Judaica habeas meritum in credendo.

4. Tunc Tartarus ait illi: verum eſt, quòd omnis homo ſit creatus ad cognoſcendum & diligendum DEUM; nam iſte eſt ſummus finis omni homini ſuper omnes fines: unde ſi verum eſſet id, quod dixiſti, ſequeretur, quòd homo eſſet creatus ad ſe ipſum, ſcilicet ad finem ſuî ipſius; quod eſt valde impoſſibile: ampliùs ſequeretur aliud maximum inconveniens, ſcilicet, quòd lumen intellectûs reſiſteret voluntati; etiam multa inconvenientia poſſunt inde ſequi: quare per tua dicta ſum verſus in dubitationem, utrùm tua Lex & Fides poſſit eſſe vera; ſi autem ſcias aliquas cogentes Rationes ad demonſtrandum veritatem Fidei de tua Lege, dic mihi, volo illas audire, & ſecundùm tuam Legem confeſtim convertar ad tuum Dominum DEUM.

5. Judæus ergò multùm conſideravit in his verbis, & dixit Tartaro hanc rationem: certum eſt, quòd DEUS dederit Legem Moyſi, prout tam Chriſtiani quàm Judæi & Saraceni atteſtantur; ratio autem neceſſaria, quòd noſtra Fides ſit vera, conſiſtit in hoc, quia à DEO data eſt; & niſi eſſet vera, non darent ei teſtimonium homines, qui credunt in DEUM.

6. Tunc Tartarus ait illi: poſſibile eſt, quòd DEUS dederit Legem Moyſi; ſed non ſum certus, utrùm tu teneas illam; quia fortè in parte tenes eam, & in parte non; vel fortè DEUS dedit Legem, ut eſſet præparatio & ordinatio ad aliam perfectiorem Legem, quam tenent Chriſtiani vel Saraceni.

7. Reſpondit Judæus dicens: tu bene ſcis, quòd omnes Judæi captivitati ſubjaceant, unde videtur, quòd obtineamus majus meritum,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ritum ſuſtinendo captivitatem, quàm Chriſtiani & Saraceni, qui fruuntur ſuá propriâ libertate; & ideo hi, qui obtinent majus meritum, videntur eſſe in via veritatis.

8. Tunc Tartarus objecit ei dicens: ad colendum Legem eſt neceſſaria libertas, ut quilibet homo in lege meliùs poſſit cognoſcere & diligere DEUM, & obedire eidem; & quia à longo tempore captivitas detinet vos ſub jugo aliarum Gentium compreſſos, non poteſtis tenere veſtram Legem, ſicut decet: unde videtur, quòd propter aliquod grave peccatum à vobis patratum fueritis diu in captivitate, quia graviter incurriſtis iram DEI: præterea, quia concupiſcitis frui libertate exſpectantes Meſſiam pro mundanis deliciis & proſperitatibus, non videtur, quòd ſitis in via veritatis.

9. Reſpondit Judæus: verum eſt, quòd ſimus in captivitate, & devenerimus in alienas manus, & nihilominùs omnes homines permittunt nos vivere inter ſe; unde videtur, quòd DEUS propter hoc diligat nos, quia ſuſtinet nos; ſed hæc ſuſtentatio ſignificat, quòd ſimus in via, quæ placet DEO.

10. Ait Tartarus: gentes fortes in poteſtate, quarum ſubditi eſtis, permittunt vos vivere inter ſe, ut vos convertant in viam ſalutis, ut ex veſtra converſione adipiſcantur meritum: unde ſi hæc eſt cauſa veſtræ vitæ inter homines, bonum eſt, quòd vivatis, ſi verò cauſa veſtræ vitæ ſunt illa tributa, quæ eis datis, ut vivatis, exiſtentes in errore, blaſphemantes vias & fidem eorum, ipſi peccant, malè agentes, quòd vos tamdiu permiſerunt vivere inter ipſos causâ pecuniæ.

11. Judæus propoſuit multas rationes, quas omnes Tartarus illi deſtruxit, & quoniam in ejus Lege ſecundùm ejus dicta non invénit radicem, ut poſſet firmare actum intellectûs, dereliquit eum dubitans, & perrexit ad quendam Saracenorum valde ſapientem, ut inquireret veritatem de his, quæ Saraceni credunt de DEO.

De Tartaro & Saraceno.

1. TArtarus invénit Saracenum legentem Alcoranum ſuis ſcholaribus, & ſalutans eum & ſcholares, proponebat dicere cauſam ſui adventûs; Saracenus autem priùs allocutus eſt eum dicens: rogo te, non pigeat præſtolari, usque quò deducam hanc lectionem ad finem; & ipſe ſtatim ſiluit, ille verò reaſſumpſit inchoatam lectionem.

2. Cùm ille legebat, Tartarus audiebat, quomodo exponebat dicta Mahometi in Alcorano, narrans de futura gloria ea, quæ Mahometus promiſit eis, qui amplectuntur ſuam ſectam; ſcilicet quomodo abundanter fruentur fertilibus epulis in Paradiſo, & quomodo habebunt jucundos applauſus & aſcenſus ad mulieres, & quomodo habitabunt in ſpecioſiſſimis palatiis conſtructis ex varietate diverſorum pretioſorum lapidum, & quomodo per Paradiſum affluent eis rivi vini meri optimi, & candidiſſimi dulciſſimi lactis, & ſuaviſſimi olei ad bibendum, & butyri & mellis ad veſcendum; & quomodo ſentient umbras & laſcivas amœnitates arborum, & manducabunt dulces fructus earum ſpecioſos & odoriferos, & quomodo ventulus tenuè per Paradiſum concutiens propinabit ſuaviſſimum odorem naribus, & ſentient multos dulces odores, & induent multa pretioſiſſima veſtimenta.

3. Tartarus audiens hos ſermones, admiratus eſt valde, & ait illi: éſtne verum, quòd in Paradiſo poſt veſtram reſurrectionem fruamini talibus? Reſpondit Saracenus: utique Domine, plusquàm poſſimus cogitare mente, & proferre ſermonibus.

4. Tunc ait illi Tartarus, cùm in Alcorano, qui eſt veſtra Lex vel Credentia, enarrentur hæc prædicta de ſenſuali gloria, igitur quæro, quid ibi dicitur de ſpirituali gloria, & quomodo beata anima videt Eſſentiam DEI & illud glorioſiſſimum Intrinſecum Opus, quod DEUS habet in ſua Eſſentia, ſciendo & diligendo ſe, & glorificando in ſe?

5. Reſpondit Saracenus: illa Gloria, quam DEUS habet in ſe, & illud Opus, quod habet in ſua Eſſentia, neſcitur in hoc mundo, ſed ſcitur in alio; ideo Mahometus nihil locutus eſt nobis de Divina Eſſentia, nec de Divino Intrinſeco Opere, nec de Intrinſeca Gloria DEI, ſed ut diligamus pervenire ad beatitudinem, locutus eſt nobis de corporáli gloria id, quod audiviſti.

6. Ait Tartarus: valde inconveniens eſt, quòd aliquis deſideret mà[illegible]DEUM propter extrinſecum òpus, quàm propter Intrinſecum Opus; & ſic eſt impoſſibile, quòd ille ſit verax nuntius DEI, qui plùs animavit ſuum populũ ad ſenſualia, quàm ad ſpiritualia.

7. Multùm diſplicuit Saraceno & ſuis ſcholaribus id, quod contra eos dixit Tartarus, & ſtatim inſurrexerunt in eum; & ſic Tartarus penè fuiſſet interfectus ab eis, donec dixit eis: ego confugi ad vos, conſiderans, quòd vos haberetis veram viam, ut introducar

© 2006 Ministerio de Cultura

car in eam; ſed quia propter dicta Mahometi dubito, quòd vos ſitis in ea; igitur ſi per neceſſarias Rationes ſecundùm dicta Mahometi poteritis eam probare, ſum paratus ad credendum omnia, quæcunque dixit.

8. Tunc ait illi Saracenus: quia petis ea, quæ ſunt rationis, eſt inconveniens, quòd interficiaris; ergo audi & intellige: certum eſt, quòd Saraceni poſſideant illum locum, quem Prophetæ antiquitus poſſederunt, ſcilicet Regnum Jeruſalem; unde videtur, quòd noſtra Lex ſit data à DEO per Mahometum ſuum Prophetam, aliàs non permitteret, quòd nos dominaremur in illo loco, quem plùs diligit in terris.

9. Tunc ait illi Tartarus: DEUS fortè permittit, quòd vos in illo Regno dominemini, ut Chriſtiani ipſum acquirant per multos labores & Martyria, ut acquirant virtutes & merita apud DEUM.

10. Dixit Saracenus: audi Tartare, noſtra Lex eſt verſa in pulcherrimum dictamen; non enim eſt in univerſo mundo tanta pulchritudo dictaminis; unde videtur, quòd noſtra Lex ſit à DEO; nam omnes homines, quotquot vivunt, nunquam poſſent invenire nec dictare pulchriora dictamina.

11. Tunc ait illi Tartarus: in pulchritudine dictaminis eſt modica vis facienda, in veritate latet omnis virtus verborum: unde ſi de tua Lege ſcias alias Rationes fortiores, quàm iſtas, quæ non continent veritatem, deſidero eas ex toto corde.

12. Tunc ſiluit Saracenus, Tartarus autem tenuit ſuas vias, & adhuc valde hæſitans conſideravit ire ad aliquem Chriſtianum, ut cum illo conferret, tentans, an fortè Chriſtiana Lex eſſet conveniens cum veritate.

De Tartaro & Chriſtiano.

1. TArtarus ſic laboravit totâ die tendens & conſiderans, an fortè poſſet invenire aliquem Chriſtianum ſapientem in ſua Lege; & cùm ſic pergeret per montes & plana, venit caſu fortunæ ad unam eccleſiam ſolitariam, ubi agebat pœnitentiam quidam pauper Eremita Chriſtianus; & cùm Tartarus eſſet ingreſſus in eccleſiam, ſalutavit Eremitam, & manifeſtavit illi cauſam ſuæ afflictionis, dicens: ego ſum Tartarus, & vado inveſtigans viam veritatis, oro te, ſi ſcis eam, ut me dirigas ad eam, ut veniam ad ſempiternam gloriam.

2. Eremita dixit illi: ſi vis venire ad viam veritatis, ſequere Legem Chriſtianam; quia illa eſt vera via data à Domino JESU Chriſto vero DEO & Homine, qui mortuus eſt propter noſtram redemptionem & ſalutem.

3. Cùm Tartarus audiviſſet hoc, valdè miratus eſt, & dixit illi: quid eſt, quod dixiſti? credúntne Chriſtiani, quod DEUS ſit Homo, & quòd DEUS ſit mortuus? Eremita reſpondit: ita credunt hoc.

4. Deinde Eremita pulchro ordine recitavit illi, quomodo Chriſtiani credant in Divinam Trinitatem & Incarnationem, manifeſtans ei omnes Articulos Chriſtianæ Fidei.

5. Et cùm Tartarus audiviſſet omnes Articulos Catholicæ Fidei, valde admiratus inquit: quomodo poteſt hoc eſſe, ſcilicet, quòd in Divina Eſſentia ſit Pater & Filius & Sanctus Spiritus? & quomodo DEUS & Homo poſſunt eſſe eadem Perſona? & quòd DEUS ſit paſſus mortem? hæc omnia videntur valde impoſſibilia.

6. Hic Eremita autem erat ignorans, & neſcivit ei reſpondere, dicens: ego verè ita credo, ſed quare ita ſit, ignoro reddere rationem.

7. Veſpere autem facto nox appropinquavit, & Tartarus remanſit illâ nocte cum Eremita involutus erroribus, conſiderans, quòd Lex Chriſtianorum non eſſet vera; ſed facto manè ſurrexit Tartarus, & propoſuit reverti ad ſuam terram; dum autem intrabat eccleſiam, invénit Eremitam celebrantem Miſſam, qui, cùm elevaret Corpus Chriſti, dixit ei Tartarus, quid eſt, quod facis? & ille non reſpondit ei quidquam; Miſſâ verò celebratâ Eremita dixit ei, noſtræ conſuetudinis eſt, quòd nos nihil loquamur, nec intendamus alienis ſermonibus, dum ſumus in Sacrificio Corporis Chriſti; quod Corpus erat illud, quod aſpexiſti in meis manibus.

8. Ait illi Tartarus: priùs multùm admiratus eram de tua Lege, nunc autem vehementiùs me oportet mirari; dicis enim, quòd ille panis, quem comediſti, prout vidi, ſit DEUS & Homo; modò manifeſtum eſt mihi, quòd tua Fides nihil valeat.

9. Tunc Eremita dixit illi: eſto certus ſinè omni dubio, quòd mea Fides ſit vera, nec eſt in mundo alia vera Fides, niſi Catholica, quam teneo; ſed quia tibi neſcio reſpondere, videtur tibi, quòd mea Fides non ſit vera: unde ſi vis agnoſcere veritatem Fidei Chriſtianæ, vade ad Blanquernam Eremitam, ipſe enim dabit tibi reſponſionem de om-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

omnibus, quæcunque ſcies quærere de Fide;quia ipſe eſt valde ſapiens & valde peritus in Chriſtiana Fide.

10. Ait illi Tartarus: dirige me, Domine, ad locum, ut videam eum : tunc Eremita oſtendit illi viam per deſertum, nam ille locus multùm diſtabat, ubi Blanquerna Eremita agebat pœnitentiam in deſerto. Quâdam Die Dominicâ iſte Tartarus, qui quærendo Blanquernam valde laboraverat, aſcendit montem,ubi Blanquerna converſabatur, & invénit eum circa horam primam in eccleſia dicentem Pſalmum: *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.*, & induentem ſe ſacerdotalibus indumentis,ut DEO celebraret Miſſam.

11. Miſſâ verò finitâ Tartarus dixit ei: Domine, venio ad te de longè, dubitationes enim & errores involvunt meum cor, rogo te, ut, ſi cognoſcis viam ſalutis, dirigas me in eam, quam diuturnis laboribus inveſtigo,ſed neminem invenio, qui teneat verâ viam fidei, nec Judæum, nec Saracenum, nec Chriſtianum;imò verò ſecundùm quòd opinor, videtur mihi, quòd Chriſtiani ſint in majori errore, quàm Judæi vel Saraceni, & etiam quàm Tartari, de quibus ego ſum.

12. Reſpondit ei Blanquerna: Amice, in quo tibi videtur, quòd Chriſtianus ſit in errore? Ait illi Tartarus: quidam Chriſtianus Eremita pridie recitavit mihi ſecundùm ſuam Fidem, quòd Chriſtiani credant, quòd DEUS ſit Pater, qui habet Filium; & hic Filius eſt homo, qui paſſus eſt mortem, licèt ipſe ſit DEUS; & dixit mihi, quòd propter verba panis tranſubſtantietur in ipſum Filium; quem panem vidi ab eo comedi, & tu nunc feciſti ſimiliter illud idem; hæc autem omnia ultra modũ videntur eſſe impoſſibilia

13. Tunc Blanquerna,priusquam poſſet reſpondere, multùm conſideravit,& elevatis oculis in cœlum, emittens ſuſpiria cordis, dixit: ha Domine DEUS meus,quàm magnum damnum eſt, quòd non ſint multi ſapientes Viri audaces,qui te tantũ diligant, quòd per univerſum orbem eant prædicando de te & de operibus & mirabilibus, quæ facis, & quòd nuntiarent ubique gentibus veritatem! deinde converſus ad Tartarum ait: audi, Amice, & intellige, *noſtra Fides eſt valde difficilis ad intelligendum & declarandum,non enim poteſt quisquam eam intelligere, niſi quem illuſtrat nobilitas intellectûs, & cui etiam Philoſophia aperuit ſecreta naturæ,& quem fecit valde doctum in ſcientiis*;igitur conſulo tibi,quòd non dubites credere noſtram Fidem, ſicut eſt, ego enim ſum inſufficiens ad declarandum & probandum tibi Catholicam Fidem, cujus veritatem deſideras.

14. Ait Tartarus: Philoſophia non negabit mihi Secreta naturæ,quæ diu acquiſivi cum laborioſo ſtudio, & ſum expertus in pluribus ſcientiis, & jam habeo exercitium ſtudii, quia natura mihi dedit ſatis excellentem intellectum; rogo te, ut te applices ad declarandam veritatem de Fide,confido in DEO, quòd intelligam, ſi mihi dixeris veritatem de tua Fide per veram probationem.

15. Tunc Blanquerna tradidit ei Librum Pſalmorum, ubi ſcriptus eſt Pſalmus *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.*, & dixit ei: ecce noſtra Fides continetur in hoc Pſalmo ſub brevibus verbis.

Poſtquam Tartarus accepit Librum,legit: *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.*; cùm perlegiſſet totum, dixit: Domine, omnia, quæcunque hìc invenio, ſunt per modum ſuppoſitionis, & videntur eſſe impoſſibilia; ſi tamen ipſa mihi poteris probare, quæ dicitis, quòd ſint veſtra Fides, visâ verâ concluſione fiam Chriſtianus.

16. Tunc Blanquerna ait illi: poſtquam tam ferventer deſideras intelligere Catholicam Fidem, DEUS omnipotens infundat in te gratiam ſui Sancti Spiritûs; audi igitur, & intellige: iſte Pſalmus dividitur in *triginta quinque Partes*,ſcilicet in triginta quinque Rubricas ſubſequentes, in quibus per Divinas Proprietates mediante auxilio noſtri omnipotentis DEI conabor totis viribus tibi declarare noſtram Fidem.

17. Manifeſtum eſt, quòd per cauſam deveniatur ad notitiam effectûs,& è converſo, & etiam per Divinas Proprietates; quæ ſunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Juſtitia, Largitas, Simplicitas, Nobilitas:* nam per has & per plures alias Proprietates, quas omnes convenit eſſe in DEO, habetur vera Demonſtratio noſtræ Fidei; ideo ad faciendam hanc probationem propono ordinare per ipſas Divinas Proprietates, ut declaretur Veritas noſtræ Fidei.

Ampliùs, ſecundùm Regulam & *Artem de Propoſitionibus* accipiam Principia,quæ ſunt in *Figura Animæ* & in *Figura Elementali*, quibus acceptis per ſimilitudinem & diſſimilitudinem aperiam tuo intellectui Articulos noſtræ Fidei, ut factâ comparatio-

2006 Ministerio de Cultura

tione principiorum poſſim amborum intellectus, ſcilicet tuum & meum clariùs elevare ad Divinas Proprietates per ſimilitudines & diſſimilitudines.

Præterea convenit, quòd in principio probationis ſupponas, quòd ſit poſſibile id, quod intendam probare; quia intellectus inveſtigat per *Suppoſitionem*, & fit aptus ad intelligendum; quando autem inveſtigator non vult ſupponere, tunc ejus intellectus non poteſt operari.

PARS I.

Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem; quam niſi quisque integram inviolatámque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.

1. BLanquerna in principio faciens Signum Crucis dixit: In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti; deinde dixit Tartaro: in eſſentia ignîs eſt ignificativum & ignificabile, lucificativum & lucificabile, calefactivum & calefactibile, motivum & mobile, levificativum & levificabile, formificativum & formificabile, & ſic de multis aliis proprietatibus; hæc etiam ſimiliter ſequuntur in eſſentia aliorum trium elementorum; veluti in eſſentia aëris, in qua eſt aërificativum, aërificabile &c.: unde ſequitur, quia neutrum eorum quatuor poteſt in ſe ſimpliciter agere & pati, quòd inſimul producant ſubſtantiam, in qua quodlibet eorum producit ſuum ſimile; ſicut ignis, qui in compoſito producit ignificatum, lucificatum &c.; & ſimiliter aër, qui producit in eadem ſubſtantia aërificatum &c.; & ſic de aliis elementis.

2. Præterea in eſſentia rationalis animæ eſt recolentia, in qua eſt recolitivum & recolibile; & intelligentia, in qua eſt intellectivum & intelligibile; & volentia, in qua eſt volitivum & volibile; ex quibus ſequitur *eſſe* ipſius rationalis animæ, in quo quælibet proprietas producit ſuum ſimile, ſicut recolentia recolitum, intelligentia intellectum, & volentia volitum; & ſic de gradu in gradum potentiæ producuntur in ipſum *eſſe* animæ, quæ ſunt memoria, intellectus & voluntas, & iſtæ potentiæ producunt ſuas ſimilitudines ex objectis in ſe ipſis; ſicut memoria, quæ producit in ſe memorari recolendo, quod eſt ſuum ſimile & actus ipſius; hoc idem ſequitur de intellectu & voluntate.

3. Præterea, in Divina Eſſentia eſt Bonitas, Magnitudo &c.; & in Bonitate eſt bonificativum, bonificabile; & in Magnitudine magnificativum & magnificabile; & in Æternitate æternificativum & æternificabile; & ſic de aliis; & ſic producuntur in Divina Eſſentia Speciales Proprietates Perſonales, quæ ſunt bonificatus, magnificatus, æternificatus &c.; & una Divinarum Proprietatum eſt bonificans, magnificans, æternificans &c., alia eſt bonificata, magnificata, æternificata &c.

4. Poſt iſtum Proceſſum ſic ordinatum Blanquerna dixit: omnis homo, quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia oportet, ut teneat Fidem, in qua ſint ſimilitudines DEI, hoc eſt, quòd ſit bona, magna, durabilis, potens, illuminata, multùm charitativa, virtuoſa & verificata; igitur quicunque præſumpſerit violare talem Fidem in aliquo, erit contrarius Divinis Similitudinibus; propter quam contrarietatem Divina Juſtitia, quæ eſt idem cum Æternitate, contrariabitur ei in æternum; & ſic carebit gloriâ ſinè fine, & deſcendet ad inferos, ubi ſinè dubio peribit in æternum; ſed quia talis eſt Catholica Fides, ſicut prædictum eſt, quia in univerſo mundo non eſt altera Fides, quæ perfectè eſt talis, ſicut prædictum eſt, niſi Catholica Fides, cùm in ſe contineat de Divina Operatione Intrinſeca & Extrinſeca, & contineat Sacramenta, in quibus ſunt Divinæ Similitudines, ergò videtur per neceſſariam Rationem, quòd Fides Chriſtianorum ſit vera.

5. Priusquàm Tartarus poſſet quidquam dicere, diu conſideravit admiratus de Rationibus, quas audivit, & de extraneo modo & ſubtilitate, quibus utebatur Blanquerna; & dixit: fortè eſt alia fides major, quàm Fides Chriſtianorum, quia eſt magìs ſimilis DEO & operationibus elementorum & animæ.

Reſpondit Blanquerna: manifeſtum eſt, quòd nec Fides Judæorum, nec Fides Saracenorum ſit tanta, quanta eſt Catholica Fides, quia nihil tractant de Divino Opere intrinſeco; nec etiam Judæi nec Saraceni tam bene credunt Extrinſecum Opus DEI, ſicut Chriſtiani, qui firmiter credunt Incarnationem & Sacramenta Eccleſiæ: præterea nunquam fuit auditum, quòd ſit alia fides præter Fidem Chriſtianorum, Judæorum & Saracenorum; quæ ſi ſit, & neſcitur, hoc eſſet contra bonitatem, magnitudinem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nem &c.: ergò impoſſibile eſt, quòd illa ſit bona, magna &c.

6. Ait Tartarus: quæ utilitas ſequitur ex magnitudine Fidei ?

Blanquerna reſpondit: ſequitur magnitudo meriti, & per magnitudinem meriti ſequitur magnitudo gloriæ,& Magnitudo Juſtitiæ DEI, quæ plus retribuit illi, qui plus credit, & plus punit illum, qui minus credit.

Ait Tartarus: de prima Parte ſum ſufficienter contentus,tranſeamus ad ſecundam.

PARS II.

Fides Catholica hæc eſt, ut unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur, neque confundentes Perſonas, neque Subſtantiam ſeparantes.

1. IN eſſentia ignîs eſt differentia inter ignitivum & ignibile; quia ignitivum dicit formam,ignibile verò materiam,ignitivum autem & ignibile ſunt eſſentia ignîs; & quia eſſentia eſt una, & eſt diſtincta mediante formâ & materiâ, ſequitur ſpecificatio & diverſitas inter igniens & ignitum.

2. Præterea ignis magìs poteſt producere ſuam ſimilitudinem in ſe, quàm in alio, & magìs de ſua eſſentia, quàm de aliena; ſicut ignis ſimplex, qui de ſua virtute & de ſua eſſentia in ſe & de ſe producit ignem compoſitum infuſum in aërem producendo ſuppoſitum.

3. Præterea in eſſentia ignîs ignitivum,calefactivum, lucificativum &c. ſunt unum ens agens producens ignitum, calefactum, lucificatum, quæ ſunt unum ens productum ab uno ignibili, calefactibili,lucificabili &c.; & ſic „ producitur *eſſe* de eſſentiis, „& potentiæ de *eſſe*, & actus de potentiis „ in compoſita.

4. Præterea in eſſentia rationalis animæ eſt unum agens conſtitutum de recolitivo, intellectivo & volitivo, quod producit unum *eſſe* rationalis animæ ab uno recolibili, intelligibili & volibili; & ſic in quolibet uno iſtorum ſunt tria, & in quibuslibet tribus unum.

5. Ampliùs, in potentiis animæ memoria, intellectus & voluntas accipiendo objecta producunt unum actum, qui eſt compoſitus ex memorari,intelligere & velle aliquod objectum memoratum, intellectum & dilectum.

6. Ampliùs, memoria plùs aſſimilat ſibimet ſuum ſimile,cùm ſe ipſam recolit,quàm dum recolit lapidem; hoc etiam ſequitur de intellectu & voluntate; intelligere etiam ſimilius eſt intellectui, dum intelligit memoriam vel voluntatem, quàm dum intelligit lapidem.

7. Poſt hanc ordinationem Blanquerna reverſus eſt ad ſuum propoſitum dicens: in Divina Eſſentia eſt Bonificativus,Magnificativus, Æternificativus Poſſificativus &c. tantùm Unus Producens, Unum Bonificatum, Magnificatum &c. de Uno Bonificabili, Magnificabili &c., & ut in hac Productione non ſit inconveniens, ideo ille, qui eſt Productus ab Ambobus,eſt Alius;ſicut in elementato producitur *conjunctio* de materia & de forma *in conjunctum*, ut ſit una ſubſtantia, ſcilicet unum ſuppoſitum; non tamen intendo dicere, quòd in DEO ſit materia.

8. Præterea, ſicut ignis producit in ſe magìs ſuum ſimilem, quàm in alio, ita in Divina Eſſentia Bonitas, Magnitudo &c. meliùs producunt Suum Similem, quàm in creaturis; unde ſi Divina Bonitas, Magnitudo &c. non producant *in ſe*, & *de ſe* Suum Similem, ſunt ſinè Magnitudine Æternitatis, Poteſtatis &c.; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd in Divina Unitate ſit Trinitas Perſonarum, quarum una eſt Producens,cæteræ duæ ſunt Productæ; quia niſi ita eſſet, nemo teneretur venerari Divinam Unitatem, quia ipſa exiſtens ſinè Trinitate non haberet in ſe perfectam Operationem Intrinſecam in Infinitate Eſſentiæ Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c.; quod eſt impoſſibile, ût in ſubſequentibus probabitur: ergò omnis homo tenetur venerari Unitatem Eſſentiæ DEI in Trinitate Perſonarum, & Trinitatem in eadem Eſſentia, attribuendo Divinæ Eſſentiæ & Divinis Suppoſitis omnem Nobilitatem ſuper omnes alias nobilitates, & omnem Perfectionem ſuper omnes alias perfectiones, quæ poſſunt excogitari.

9. Præterea, Divinæ Perſonæ nequaquam confundantur à memoria, intellectu & voluntate in recolendo & intelligendo (*et amando*) Divinas Perſonas, quæ nunquam realiter abſtrahantur à Subſtantia DEI ſeparabiliter; quia ſicut in eſſentia ignîs ſunt realiter calefactivum & calefactibile inſeparabilia,& in ſubſtantia animæ intellectivum & intelligibile, ita etiam & multò magìs in Divina Eſſen-

2006 Ministerio de Cultura

ſentia infinitè & æternaliter &c. ſunt Divinæ Proprietates Perſonales inſeparabiles à Subſtantia, exiſtentes in Diſtinctione & Speci-
ficatione *ſinè omni confuſione.*

10. Ait Tartarus: ſecundùm ea, quæ jam dixiſti, videtur per tuas metaphoras & tua exempla, quòd in DEO ſit materia; quia in igne eſt materia ex parte ignibilitatis; præ-14. terea in ſubſtantia eſt compoſitio formæ & materiæ, ſicut patet in ſubſtantia ignîs: ergo in DEO eſt compoſitio.

Reſpondit Blanquerna: quia „ in aqua „ non eſt tantum de materia, quantum in „ terra, nec tantum in aëre, quantum in a- „ qua, nec tantum in igne, quantum in aë- „ re, hoc idem etiam ſequitur de compoſi- 15. „tione, ita nec in DEO, cùm ipſe ſit ſummus gradus, eſt materia nec compoſitio, quia ipſe eſt Magnificativus & Magnificabilis per Infinitam Bonitatem, Æternitatem, Poteſtatem, Simplicitatem, & etiam per For- 16. mificationem; & ſic patet ſolutio hujus quæſtionis: & hoc ideo, quia ſicut elementa & aliæ creaturæ ſunt, ut DEUS producat ſuas ſimilitudines in ipſis, prout in eis poſſunt recipi, ſic producit in eis ſuas diſſimilitudines, ut appareat, quòd ſuæ Proprietates fortiùs ſint in Magnitudine Bonitatis, Æternitatis &c.; & ideo DEUS producit ſuppoſitum creatum ſibi ſimile ex parte formæ, & diſſimile ex parte materiæ.

11. Ait Tartarus: quidquid dixiſti, nihil eſt, ſi DEUS non eſt; proba ergo mihi, 17. quòd DEUS ſit.

Reſpondit Blanquerna: per multas Rationes probatur, quòd DEUS ſit, prout *in Libro de Articulis in Diſtinctione prima* probatur; veruntamen per *tres Rationes* probabo tibi, quòd ipſe ſit; quarum hæc eſt

12. *Prima Ratio:* Si DEUS nihil eſt, intellectivum & intelligibile ſunt majora in ratione hominis, quàm in realitate: & hoc i- 18. deo, quia poteſt conſiderari, quòd ſit Unum Ens Summum, quod habeat omnes Proprictates in omni perfectione; & quia *eſſe* & *perfectio* meliùs conveniunt cum realitate bonitatis, æternitatis, poteſtatis, virtutis, veritatis, quàm cum ratione earundem, ergò DEUS eſt; nam niſi eſſet, ſequeretur totum oppoſitum hujus, quod dictum eſt; quod eſt falſum.

13. *Secunda Ratio* eſt hæc: Si DEUS nihil eſt, ſequitur, quòd intellectivum in re ſit majus, quàm intelligibile; quod eſt falſum: cùm intellectivum ſit, ut ſit intelligibile productum in intellectu ſecundùm æqualitatem amborum, ex quibus productum eſt; quæ æqualitas eſt impoſſibilis: per quam impoſſibilitatem probatur, quòd DEUS ſit, ut ſit Ens, quod tantum poſſit intelligi, quantum eſt intellectivum.

Tertia Ratio eſt hæc: Si DEUS nihil eſt, abſolutè ſequitur, quòd intelligibile ſit majus, quàm intellectivum; quia eſt impoſſibile, quòd ſit aliquod ens, niſi ſolus DEUS, quod tantum intelligat aliquod objectum, quantum eſt intelligendum; & hoc manifeſtè apparet ſecundùm realitatem objectorum.

Ait Tartarus: ſatis manifeſtaſti mihi, quòd DEUS ſit: ſed quæro, utrùm ſit unus vel plures? Reſpondit Blanquerna: per *tres Rationes* volo tibi probare, quòd ſit Unus DEUS, ita quòd non plures; quarum hæc eſt

Prima Ratio: Si eſt unus DEUS, eſt poſſibile, quòd ſit una immenſa Eſſentia infinita in ſe & in Bonitate, Magnitudine, Poteſtate &c.; ſi verò ſunt plures Dii, eſt impoſſibile, quòd aliquis eorum ſit infinitus in Infinitate Eſſentiæ Bonitatis &c.; vel eſt poſſibile, quòd aliquis eorum ſit infinitus in Eſſentia Bonitatis &c.; & quòd cæteri ſint finiti in Eſſentia Bonitatis &c.; qui ſi ſint finiti in Eſſentia, eſt impoſſibile, quòd ſint Dii: ergò convenit, quòd aliquis ſit infinitus in Eſſentia, & ille eſt DEUS.

Secunda Ratio eſt hæc: ſi ſunt multi Dii, nullus eſt Summus Finis ſuper omnes fines; & ita ſunt plures finiti fines habentes ſum̃am perfectionem in finitate, carentes infinitate; per quam carentiam ſunt in privatione: & ſic ſequitur, quòd finis ſit major in *privatione*, quàm in *eſſe;* quod eſt falſum: quia ſi ita eſſet, *privatio* eſſet appetibilis, & *eſſe* eſſet odibile; quod eſt falſum: ergò eſt Unus DEUS.

Tertia Ratio eſt hæc: manifeſtum eſt, quòd in humana ratione plures Dii non ſint appetibiles præter Unum Summum Finem; quia ſi eſſent plures Dii, finis eſſet major & nobilior in ratione, quàm in ſe, & quàm in realitate; quod falſum eſt: ergo eſt Unus DEUS.

Ait Tartarus: ſufficienter probaſti, quòd ſit Unus DEUS; ſed quæro, utrùm in illo ſit Trinitas, juxta quòd Chriſtiani tenent? Reſpondit illi Blanquerna, hoc intendo tibi probare in *decima ſeptima Parte,* quia ibi tractabimus de illa materia.

PARS

(c) 2006 Ministerio de Cultura

PARS III.

Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti; ſed Patris & Filii & Spiritûs Sancti una eſt Divinitas, æqualis Gloria, coæterna Majeſtas.

1. IN eſſentia ignîs eſt relatio, quia in ipſa eſt ignitivum & ignibile, ex quibus producitur ignitum; aliàs in eſſentia ignîs ignitivum & ignibile eſſet fruſtra; ſed quia in natura nihil eſt fruſtra, ergo productus eſt alius à producente.

2. Præterea in ente naturali eſt forma formativa, & materia materiabilis, conjunctum autem earum eſt formatum & materiatum; ergo productus eſt alius à producente; qui productus eſſentialiter eſt de illo ente, quod producit eum.

3. Præterea ignitivum & ignibile ſe habent ad aliquem finem, & circa illum regulantur; ergo in eo eſt aliud ab alio; aliàs non eſſet differentia inter *principium*, *medium* & *finem;* quod eſt impoſſibile: ex quo videtur, quòd ignis ſimplex de ſe producat compoſitum, tanquam pater, qui de ſe naturaliter generat filium ſub eadem humana ſpecie & natura.

4. Poſt hæc verba Blanquerna dixit Tartaro: ſi vis in Divina Eſſentia intelligere unum diſtinctum ab alio, convenit, quòd intelligas modum, per quem effectus ſignificat aliud in ſua cauſa; ut autem meliùs intelligas, conabor tibi exemplificare de ſpirituali effectu; audi ergo & intellige: in ſubſtantia Animæ eſt recolentia, intelligentia & volentia, quarum una non eſt alia, & inſimul producunt aliud ab eis, ſcilicet *eſſe* animæ, ideo eſt differentia inter eſſentiam & *eſſe* animæ; hoc idem ſequitur de memoria & memorari, & intellectu & intelligere, quia unum non eſt aliud.

5. Ampliùs, in Divina Eſſentia eſt Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas &c.; Bonitas eſt bonificativa & bonificabilis, exiſtens idem cum Magnitudine, Æternitate, Poteſtate &c.; ergo producit alium à ſe & à Magnitudine &c. in ſe & in Magnitudine &c. & de ſe & de Magnitudine &c.; quia ſi Bonitas eſſet bonificativa & bonificabilis ſinè intrinſeco actu & intrinſeca operatione, privarentur in ipſa Magnitudo & actus Magnitudinis, etiam Æternitas &c.; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem manifeſtè apparet intellectui, quòd in Divina Subſtantia ſit Producens & Productus, qui Producens eſt Pater, & Productus eſt Filius, Procedens autem ab eis eſt Sanctus Spiritus, nec perſonaliter unus eſt alius, quia quælibet Perſonalis Proprietas eſſet fruſtra, vel ſequeretur, quòd Divina Bonitas non eſſet bonificativa nec bonificabilis; & ſic exiſteret ſinè Fine & Poteſtate in ſe ipſa; & hoc idem ſequeretur de omnibus Divinis Proprietatibus; quod eſt impoſſibile & inconveniens: ergo eſt alius, qui perſonaliter eſt diſtinctus ab alio.

6. Præterea, in eſſentia ignîs ignitivum & ignibile ſunt idem, in quantum unum *eſſe* aggregatum ignitum ſumitur productum de ignitivo & ignibili; nam aliter eſſet impoſſibile, quòd *eſſe* eſſet aggregatum ex pluribus eſſentiis.

7. Præterea, *eſſe* rationalis animæ producitur de alio & alio, hoc eſt, de illis eſſentiis diſtinctis, à quibus ipſum deſcendit; quod *eſſe* ſunt ipſæ eſſentiæ, ex quibus producitur ille *communis* aggregatus *actus eſſendi;* unde manifeſtè apparet, quòd in DEO Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint eadem Deitas, in quantum ſunt unus DEUS, una Subſtantia, una Eſſentia, una Natura, una Infinitas, una Æternitas, una Gloria, una Forma: & quoniam in DEO eſt bonificativum & bonificabile per magnificativum & magnificabile, & per æternificativum & æternificabile, & è converſo, & hoc idem ſequitur per omnes Divinas Proprietates, ideo bonificativum & bonificabile &c. tranſcendunt ſuper proprietates elementorum & rationalis animæ, & ſunt unum & idem in Eſſentia, in Natura & in *eſſe* ſinè omni differentia & materia; aliter Magnitudo DEI non eſſet infinita in magnificare per bonificare; quod eſt impoſſibile: ergo Pater & Filius & Spiritus Sanctus una eſt Divinitas.

8. Ait Tartarus: ſi in DEO eſt aliquod Ens aliud ab alio, ſic eſt in DEO terminatio. Reſpondit Blanquerna dicens: in *eſſe* conjuncto eſt ignis ignitivus & ignibilis, nec unus eorum eſt alius, & unusquisque eorum eſt per totum illud conjunctum; hoc idem ſequitur de *eſſe* rationalis animæ, in quo recolentia, intelligentia & volentia ſunt per totum illud *eſſe*, & in ipſo *eſſe* ſunt idem reſpectu ipſius *eſſe*, non autem reſpectu eſſentiæ & diſtinctarum proprietatum: & quia Natura Divinæ Subſtantiæ tranſcendit omnes naturas creatarum ſubſtantiarum ſinè omni com-

© 2006 Ministerio de Cultura

comparatione, quantò magìs ergo ſequitur hoc in Divina Subſtantia, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint diſtincti reſpectu Relationis & Actûs, & non reſpectu Eſſentiæ, Subſtantiæ, Naturæ & Proprietatum *communium*, ût ſuprà ſignificatum eſt, in perfectione omnium Divinarum Proprietatum.

PARS IV.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

1. QUoniam in igne eſt eſſentia eſſentiativa & eſſentiabilis, inde ſequitur eſſentians & eſſentiatum in ſuppoſitis *per modum individuationis & ſpecificationis*, igne ſimplici producente ignem compoſitum; ideo qualis eſt ignis ſimplex in eſſentia, talis eſt ignis compoſitus; & eorum differentia eſt tantùm in productione & relatione.

2. Præterea, in eſſentia intelligentiæ tale eſt illuminabile, quale eſt illuminativum, & hoc quoad *communem* eſſentiam; in quantum autem ſunt ſpecificæ proprietates, aliud eſt illuminativum, aliud eſt illuminabile, & aliud illuminatum: ergo per hæc prædicta nobis manifeſtè apparet, quòd in Deitate qualis eſt Pater, talis eſt Filius, & talis Sanctus Spiritus; & hoc quoad *communes* Proprietates: quia Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſunt unum & idem in una Eſſentia, in una Natura, & in una Bonitate, & in una Magnitudine &c.; ſed quoad Specificas Proprietates ſunt diſtincti; & ſic tota Virtus exiſtit & remanet in Una Subſtantia Dei, in qua ſe totam convertit in Intrinſecam Operationem; ſicut virtus elementorum tota influitur à natura, & tota remanet in corporea natura; & ſimiliter ita eſt in rationali anima, cujus virtus ab ea influit, & remanet in ipſa eadem.

3. Ait Tartarus: quia Sanctus Spiritus in Deitate non producit, & Pater in Deitate producit Filium, ergo non eſt talis, qualis eſt Pater & Filius, à quibus producitur.

Reſpondit Blanquerna: ignis compoſitus eſt productus ab igne ſimplici, qui, quoad eſſentiam eſt talis, qualis eſt ignis ſimplex; nec eſt conveniens, quòd ignis compoſitus producat ignem; quia ſic procederetur ſed endum eſſet in infinitum: ſimiliter, ſi Sanctus Spiritus, qui quoad Eſſentiam & Naturam Deitatis eſt æqualis Patri & Filio, produceret aliam perſonam in Deitate, procedendum eſſet hoc modo in infinitum per numerum perſonarum; quod eſt inconveniens.

PARS V.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

1. QUoniam in ſubſtantia ignîs durantibus ignitivo & ignibili durat ignitum, durat *eſſe* in ſua duratione durantibus principiis, àquibus procedit: præterea in intelligentia durante intellectivo & intelligibili durat intellectus, ſed durante intellectu, qui eſt potentia, non ſequitur, quòd ſit durans intelligere; ſimiliter durante Bonitate in Divina Subſtantia durant bonificativus, bonificabilis & bonificatus; & quia Bonitas & Æternitas ſunt idem in Deitate, bonificans & bonificatus ſunt æterni; & hoc eſt ideo, quia Magnitudo eſt infinita in Bonitate & Æternitate, ut Bonitas DEI ſit infinita in bonificare & bonificato per infinitam Æternitatem; hoc idem ſequitur de Divina Poteſtate, Sapientia &c.: ergo ſequitur, quòd Pater ſit increatus, & Filius ſit increatus, & Sanctus Spiritus, aliter eſſet impoſſibile, quòd Bonitas in ſe haberet æternam & inceſſantem Virtutem Infinitam in bonificativo & bonificabili & bonificato; imò Bonitas eſſet ſinè magnificativo & magnificabili & magnificato in Æternitate &c.; quod eſt impoſſibile: ergo increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

2. Ait Tartarus: Bonitas in Deitate, quia habet bonificativum & bonificabile & bonificatum, & ſimiliter Magnitudo, quia habet magnificativum, magnificabile & magnificatum, & ſic de Æternitate, Poteſtate, Sapientia &c., producunt Patrem in conſtituendo, quòd ipſe ſit Pater; & ſic Pater non eſt æternus, ſed creatus, quia eſt productus; & ſi Pater non eſt æternus, ſed creatus, ita nec Filius, nec Sanctus Spiritus ſunt æterni, ſed creati.

3. Reſpondit Blanquerna: quia recolentia, intelligentia & volentia producunt *eſſe* rationalis animæ, quia ſunt ejus eſſentiæ, eſt *eſſe* poſt eſſentias, & potentiæ poſt *eſſe* in *natura*, non autem in tempore; veruntamen in DEO non eſt ita; quia in Divina Subſtantia Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſunt idem in Natura, in Eſſentia & in *eſſe*, quia in ipſa Subſtantia eſt infinita Magnitudo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

do per totam Eſſentiam & *eſſe* in Deitate cum tota Bonitate, Æternitate, Poteſtate &c.; & ideo eſt impoſſibile, quòd in Deitate Pater ſit productus & creatus; & ſi Pater non eſt creatus, ita nec Filius, nec Sanctus Spiritus ſunt creati, cùm Filius ſit tantus in Æternitate, quantus Pater & Sanctus Spiritus, qui eſt *concordantia* Patris & Filii exiſtens tantus, quantus Pater & Filius; qui Sanctus Spiritus concordat cum Patre & Filio, & è converſo.

PARS VI.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus.

1. LUx eſt per totam eſſentiam ignîs, quia per totam eſſentiam eſt lucificativum, lucificabile & lucificatum; iſtud idem etiam ſequitur in intelligentia, in qua per ipſam totam eſt lumen intelligendi: unde ſignificatur, quòd in Divina Eſſentia ſit Immenſitas Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis &c. per omnes Perſonales Proprietates, ſcilicet Paternalem, Filialem & Spiritalem, aliter eſſet limitatio in bonificativo, bonificabili & bonificato, & in magnificativo, magnificabili & magnificato, & ſic de aliis; quod eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, Immenſitas eſſet in *privatione*, & *nihil* & *eſſe* & *minoritas* convenirent, & *nihil* & *privatio* haberent concordantiam cum *majoritate*; quod eſt impoſſibile: ergo immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus.

2. Ait Tartarus: ſecundùm ea, quæ nunc dixiſti, videtur, quòd Pater multiplicet Filium; nam ubicunque eſt magnificatio, eſt multiplicatio; ſed ſecundùm ea, quæ dixiſti, Pater in Deitate magnificat Filium, igitur multiplicat eum: & quia, ubicunque eſt multiplicatio, eſt limitatio, ſed per præcedens argumentum multiplicatio eſt in Filio, ergo limitatio.

3. Reſpondit Blanquerna: Pater eſt bonificativus, & ejus Eſſentia eſt bonificabilis in Eſſentia Filii, quæ ſunt idem; & quia Eſſentia Patris eſt immenſa, & de ipſa tota generatur Filius, ergo eſt impoſſibile, quòd Filius ſit finitus Filius; nam ſicut ignis producit finitam lucem, quia producit eam de finito lucificativo & lucificabili, ſic in Divinis ſequitur infinitè.

PARS VII.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, & tamen non tres æterni, ſed unus æternus, ſicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus & unus immenſus.

1. IN entitate ignîs ſunt formativum & formabile, à quibus producitur formatum; præterea in eſſentia animæ eſt intellectivum & intelligibile, à quibus producitur intellectu[m]; & ſic „intelligentia eſt forma intelle„ctiva, intelligibilis & intellecta, & hoc ſinè ceſſatione„: quia ſi ibi eſſet ceſſatio, ſequeretur corruptio formæ intellectivi, intelligibilis & intellecti; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd in Divina Eſſentia ſit forma inceſſans in bonificativo, bonificabili & bonificato; & hoc per Immenſitatem Bonitatis, Æternitatis &c.: unde ſequitur, quòd in Deitate Pater, qui eſt Formativa Proprietas, ſit æternus, & Filius, qui eſt Formabilis Proprietas ex Eſſentia Patris, ſit æternus; aliàs deſtrueretur Formativum in Eſſentia Patris; quod eſt impoſſibile: & hoc ſequitur de Sancto Spiritu, qui eſt Formabilis Forma ex Eſſentia Patris & Filii: ergo æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

2. Præterea debes ſcire, quòd Catholica Fides teneat, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus non ſint tres æterni, ad ſignificandum, quòd Unus DEUS tantùm ſit æternus; ſicut Formativus, Formabilis & Formatus non ſunt tres formæ, ſed Una Forma tantùm, quia ſunt Una Eſſentia & Natura non diſtincti in Bonificativum & Bonificabile &c. *eſſentialiter*, ſed *perſonaliter*; hoc idem ſimiliter ſequitur de Increatione & Immenſitate Perſonarum, ut non ſint finitæ; quia ſi ſunt tres diſtinctæ, nec ſunt una & eadem Eſſentia, ſequitur earum finis & terminatio; quod eſt impoſſibile.

PARS VIII.

Similiter Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus, & tamen non tres omnipotentes, ſed Unus Omnipotens.

1. QUia ignis eſt, habet poteſtatem eſſendi, & in illa poteſtate eſt potens, poſſibile

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& poſſitum, ita loquendo; nam ignis habet in ſua eſſentia ignitivum, ignibile & ignitum, & ideo de ſe ipſo poteſt in ſe ipſo, ut producat ignitum poſſitum vel poſſificatum, ut ſuum *poſſe* ſit inceſſans in ignitivo, ignibili & ignito.

2. Præterea, quia intelligentia eſt, habet poteſtatem eſſendi; quia ſinè poteſtate eſſet impoſſibile, quòd exiſteret ejus *eſſe*, in quo eſt poteſtas intellectiva, intelligibilis & intellecta; nam ſicut homo habet poteſtatem videndi mediante virtute viſivâ, ſic & multò meliùs intelligentia habet poteſtatem intelligendi mediante intellectivo, intelligibili & intellecto: ſimiliter, quia Poteſtas DEI eſt DEUS, habet poteſtatem eſſendi; nam ipſe ſinè poteſtate nihil eſſet: & quia DEUS eſt, poteſt (ût ita loquar) cum poſſitivo, poſſibili & poſſito per Immenſum & Æternum Bonitivum, Bonibilem & Bonitum (ût ita loquamur) vel Bonificativum, Bonificabilem & Bonificatum; & ſic per Magnitivum vel Magnificativum &c.; & hoc, quia Magnitudo DEI eſt cum Perfectione in Bonitate &c.: & quia Pater in ſe *poteſt* de ſe in Filium & Sanctum Spiritum, quod ſuum *poſſe* eſt indiviſibile, cùm ſit totum Unum Ens eſſentiale & naturaliter in Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c., ideo Pater eſt omnipotens, Filius omnipotens, & Sanctus Spiritus omnipotens; nam Filius de tota Infinita Poteſtate Patris productus eſt Omnipotens in Bonitate &c., & Sanctus Spiritus de Infinita Poteſtate Patris & Filii procedit Omnipotens in Bonitate &c., ergo Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus: veruntamen non ſunt tres omnipotentes, ſed Unus Omnipotens; hoc enim aſſerit Catholica Fides ad declarandum ſecundùm rei veritatem, quòd in Deitate ſit Una Poteſtas Perſonarum; nam niſi in Divinis eſſet Una Poteſtas, ſic eſſent tres Dii, tres Eſſentiæ diſtinctæ in poteſtates, quarum quælibet eſſet finita; quod eſt impoſſibile: ergo non tres omnipotentes, ſed Unus Omnipotens.

3. Ait Tartarus: ſi Sanctus Spiritus non poteſt producere Suppoſitum in Divinis, ſecundùm quòd dixiſti, ergo non eſt omnipotens.

Reſpondit Blanquerna: quia Sanctus Spiritus eſt juſtus & perfectus, ideo non vult, nec convenit, quòd producat Proprietatem Proceſſivam, ut non multiplicentur infinita Suppoſita in numero in Divinis; quod eſt impoſſibile: ſed quia facere impoſſibile eſt impotentia, cui Omnipotentia contradicit, ergo, quia Sanctus Spiritus non facit illud, remanet Omnipotens, cùm poſſit facere omne id, quod eſt poſſibile fieri ſecundùm Juſtitiam, quæ contrariatur injuſtitiæ; ideo ſufficit ſuæ Infinitæ Perfectioni, quòd ſolùm procedat ex Infinito Patre & Filio infinitè perfectus.

PARS IX.

Ita DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dii, ſed Unus eſt DEUS.

1. QUia ignitivum, ignibile & ignitum ſunt diverſæ proprietates eſſentialiter, quælibet earum per ſe tantùm non eſt elementum, ſed ignitivum eſt proprietas elementativa, & ignibile proprietas elementabilis, & ignitum eſt illud elementatum, quod eſt compoſitum, hoc eſt, ignis compoſitus.

2. Præterea in anima rationali proprietas intellectiva non eſt per ſe tantùm ipſa anima; hoc idem ſequitur de reliquis duabus proprietatibus animæ, ſcilicet intelligibili & intellecta; attamen omnes proprietates eſſentiales intelligentiæ ſimul cum omnibus proprietatibus recolentiæ & volentiæ ſunt ipſa anima rationalis, & ſunt ejus *eſſe* & ejus ſubſtantia.

3. Unde ſciendum eſt, quòd, quidquid eſt in Eſſentia DEI, ſit DEUS, & hoc ideo, quia totum eſt immenſum, inceſſans & æternum, aliter non eſſet Bonificativus in immenſa Bonitate, Æternitate &c.; quod eſt impoſſibile, cùm Bonificabilis & Bonificatus ſint in Bonitate &c., ut Magnitudo ſit in ſémet ipſa & in Bonitate &c.; nam aliter Proprietates DEI non eſſent DEUS: ſed quia ſunt DEUS ſimul, & quælibet per ſe in DEO, quidquid eſt in DEO, eſt DEUS; ergo bene ſequitur, quòd Pater ſit DEUS, & Filius ſit DEUS, & Sanctus Spiritus ſit DEUS. Nam ſicut elementatum deficit eſſe elementum, quia eſt pars elementi habens concordantiam cum minoritate, quia eſt pars, & non totum, ita per oppoſitum, quia Pater eſt totum, & non pars, producit de ſe toto totum Filium & totum Sanctum Spiritum, qui ſimiliter producitur à Filio: ergo Pater eſt DEUS, & Filius eſt DEUS, & Sanctus Spiritus eſt DEUS; quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia per prædicta bene ſequitur, quòd Deificativus ſit DEUS, & Deificabilis ſit DEUS, & Deificatus, nec tamen ſunt tres Dii, ſed Unus DEUS tantùm: nam aliàs ſequeretur, quòd Divina Eſſentia, ſcilicet Deitas, eſſet diſtincta & diviſibilis in partes; & ſic eſſent tres Dii finiti in Magnitudine Bonitatis, Æternitatis &c.; quod eſt impoſſibile.

PARS X.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Domini, ſed Unus eſt Dominus.

1. IGnis eſt Dominans in cholerico, cùm in cholerico ſit major quantitas ignîs, quàm cæterorum elementorum.
2. Præterea in actibus, ſcilicet recolendi, intelligendi & volendi, ſequitur, quòd memoria ſit Dominans in ſuo recolere, & intellectus in ſuo intelligere, & voluntas in ſuo velle.
3. Unde bene ſequitur, quia DEUS Pater eſt Creator, & DEUS Filius eſt Creator, & DEUS Sanctus Spiritus eſt Creator, & hoc omnium creatorum, quòd unusquisque dominetur ſuper omnia creata entia; & ſicut unusquisque eorum eſt perfectus DEUS, & non tres Dii, ſed unus tantùm, & hoc propter infinitam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem &c., ſicut prædictum eſt, ita, licèt unusquisque eorum ſit Creator, & propter hoc Dominus, non tamen ſunt tres Creatores nec tres Domini, ſed tantùm Unus Creator & Dominus: ergo eſt Unus DEUS; ipſe enim eſt Supremus & Ultimus Finis, quem appetunt omnes fines; nam quælibet trium Perſonarum eſt digna appeti ab omnibus creaturis: unde ſi eſſent tres domini, ſic eſſent diſtincti in Eſſentia, & per hoc tres Dii; ex quorum diſtinctione ſequeretur, quòd unusquisque eorum non eſſet aptus appeti ab omnibus creaturis; quod eſt impoſſibile: ergo Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, & tamen non tres domini, ſed Unus eſt Dominus.

PARS XI.

Quia ſicut ſingillatim unamquamque Perſonam DEUM ac Dominum confiteri Chriſtianâ Veritate compellimur, ita tres deos aut dominos dicere Catholicâ Religione prohibemur.

VElle & *nolle* in DEO ſunt æqualiter, quia in eo eſt æqualitas, & non inæqualitas; Sanctus Spiritus etiam eſt *velle* & *nolle* prædicta, quia in Patre & Filio & in Se vult omne conveniens, & non vult in eis nec in ſe ullum inconveniens; & ideo per modum concordantiæ & æqualitatis propter Immenſitatem Bonitatis &c. uniuscujusque Perſonæ, nos ſingillatim unamquamque Perſonam DEUM ac Dominum confiteri Chriſtianâ Veritate compellimur; & ſicut ita compellimur, ita Catholicâ Fide tres deos aut dominos dicere prohibemur; cùm ſit inconveniens, quòd ſint tres dii & domini, ſicut patet per prædicta.

PARS XII.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

1. ESſentia ignîs eſt igneïtas, *eſſe* verò ignîs eſt aggregatum ex materia & forma; & quia eſſe ignis eſt actus eſſentiæ ejus, eſt eſſentia diſtincta inter formam & materiam, à quibus oritur *eſſe* ignîs.
2. Præterea in rationali anima eſt intelligentia, & in intelligentia eſt intellectivum, intelligibile & intellectum, unde intellectum eſt productum, natum & factum ex eſſentia intellectivi & intelligibilîs; hoc idem ſimiliter ſequitur de recolentia & volentia.
3. Unde in Eſſentia DEI eſt Pater, & dicitur Pater quoad Intrinſecum Opus, quia de Se producit, & non producitur, hoc eſt, quia eſt Bonificativus & Magnificativus &c. eſſentialiter; & quia de Se ipſo producit, eſt ejus Eſſentia Bonificabilis, Magnificabilis &c. in Se & in Alio, hoc eſt, in producendo Filium & Sanctum Spiritum; & ideo Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus; nam ſi eſſet, ſequeretur, quòd in Deitate eſſent plures Patres, & usque ad infinitum; quod eſt impoſſibile. Ergo Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

PARS XIII.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed Genitus.

1. FOrma ignîs eſt ignitiva, & materia ejus eſt ignibilis, & ignitus eſt filius, qui producitur ab ambobus:

2. Præterea intelligentia habet in ſe intellectivum & intelligibile, ex quibus naſcitur intellectus & *eſſe* animæ, qui eſt potentia & filius intelligentiæ, ex quo naſcitur intelligere, quod eſt ejus filius ſcilicet intellectûs.

3. Similiter in Divinis Pater eſt Bonificativus, & ejus Eſſentia eſt Bonificabilis in Filio, ut producat eum; & ideo in Divinis Filius naſcitur à Patre tantùm, quia Pater eum producit; cùm Pater ſit Bonificativus, Magnificativus &c., & ejus Eſſentia Bonificabilis & Magnificabilis in Filio, ideo dicendum eſt, quòd Filius ſit à Patre, licèt non factus, ut non intelligatur, quòd ſit de aliena eſſentia, ſed ſolùm de Eſſentia Patris; ſicut intelligitur, quòd caliditas aëris ſit producta de aliena eſſentia, ſcilicet de eſſentia ignîs, quæ eſt magis calefactibilis producendo ignem compoſitum, quàm calefaciendo materiam aëris; quæ calefactio eſt filia compoſiti ignîs.

4. Nec dicendum eſt, quòd ſit creatus; creare enim eſt ex nihilo facere aliquid: ergo eſt impoſſibile, quòd ſit creatus, quia inde ſequerentur multa impoſſibilia: unde ſecundùm veritatem bene ſequitur de neceſſitate, quòd ſit increatus, quia ipſe eſt tota Eſſentia Bonificabilis, Magnificabilis &c. Patris in Filio, quia Pater de tota eadem Eſſentia eſt Bonificativus, Magnificativus &c.

PARS XIV.

Spiritus Sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed Procedens.

1. IGnis compoſitus eſt infuſus in aërem, igne ſimplici calefaciente aërem; & ita calefactio hujus aëris non eſt per modum legitimæ originis, quia in ipſum ingreſſa eſt participante ſiccitate cum igne compoſito, quæ eſt contraria aëri; & ita caliditas aëris non dicitur propriè orta, ſed dicitur propriè infuſa, quia de igne compoſito procedit in aërem.

2. Præterea, intellectum, quod eſt *eſſe* animæ cum recolito & volito, eſt proprius filius intellectivi & intelligibilîs; ſed intellectus, qui eſt potentia ipſius *eſſe* animæ, per quam anima intelligit, non dicitur propriè filius intelligentiæ, quia *eſſe* animæ eſt in medio, ex quo oritur intellectus, qui intelligit; loquendo tamen ſecundùm rei veritatem intellectus, qui intelligit, procedit de intelligentia & de *eſſe* rationalis animæ, quod *eſſe* eſt compoſitum & productum de recolentia, intelligentia & volentia.

3. Unde ſimiliter dicendum eſt, quòd in Divinis Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio, non tamen factus, nec creatus, nec genitus; non enim factus eſt, ut non ſit compoſitus, ſcilicet ex aliena eſſentia, ſicut de Filio ſuprà dictum eſt; nec eſt creatus, quia eſſet extra Æternitatem & extra Magnitudinem & Infinitatem; nec eſt genitus, quia in Uno Filio non ſufficeret infinita Magnitudo in Bonitate, Æternitate &c.; quod eſt impoſſibile: nam Pater eſt magnus infinitè bonificando, magnificando &c. Filium; & quia Sanctus Spiritus eſt ille, per quem Pater & Filius conveniunt, & ille, per quem non diſconveniunt, ideo procedit à Patre & Filio in Magnitudine Bonitatis, Æternitatis &c.

4. Ait Tartarus: ſecundùm exemplum, quod hìc dediſti, videtur, quòd in DEO ſit differentia inter Eſſentiam & *eſſe*, procedente Sancto Spiritu ab utroque.

5. Reſpondit Blanquerna: ex forma & materia producitur *eſſe*, quod eſt ſubſtantia, ex qua procedunt potentiæ; & in hac productione ſubſtantiæ „oriuntur *minimæ partes* „ex forma & materia; quæ partes ſunt *acci-* „*dentia*, quia non ſunt tota forma, nec tota „materia; & ſic per illas minimas partes fit „ſubſtantia ex forma & materia tanquam „per inſtrumenta„; propterea in naturalibus eſt differentia inter eſſentiam & *eſſe*: ſed quia in DEO non ſunt partes, eſt impoſſibile, quòd ſit differentia inter Eſſentiam & *Eſſe*, quia in ſua Eſſentia & in ſuo *Eſſe* eſt Infinitas per totam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem &c.

PARS XV.

Unus ergo Pater, non tres patres, Unus Filius, non tres filii, Unus Spiritus Sanctus, non tres ſpiritus ſancti.

1. UNum calefactivum, unum calefactibile & unum calefactum ſufficiunt in eſſen-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſſentia ignîs; & quia hæc tria ſunt in eſſentia ignîs, eſt eſſentia aëris calefactibilis, procedente ab eſſentia ignîs & ab eſſentia aëris calefacto, quod cum eſſentia aquæ & terræ ſit una eadem ſubſtantia ignîs & aëris; quæ ſubſtantia eſt compoſita de pluribus eſſentiis, in qua ſubſtantia non ſufficiunt unum calefactivum tantùm, nec unum calefactibile tantùm, in quantum aër per accidens eſt calefactibilis & calefactivus.

2. Præterea, in eſſentia rationalis animæ ſufficiunt unum intellectivum, & unum intelligibile, & unum intellectum, quod eſt *eſſe* ipſius animæ; ſed quia ex *eſſe* ipſius animæ procedunt potentiæ, neceſſarium eſt, quòd ſit aliud intellectivum, quod per accidens intelligat illa objecta, quæ ſumuntur recolendo, diligendo vel odiendo; quæ objecta per accidens ſunt intelligibilia & intellecta, recolibilia & recolita, volibilia & volita.

3. Unde revertendo ad noſtrum propoſitum affirmandum eſt ſecundùm rei veritatem, quòd in Divina Eſſentia ſufficiant Unus Pater tantùm, Unus Filius tantùm, Unus Sanctus Spiritus tantùm; nam Unus Bonificativus, Magnificativus &c., qui eſt Pater, eſt infinitus & æternus in Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c., & eſt etiam Bonificabilis, Magnificabilis &c. in Filio, qui totus de tota infinita & æterna Eſſentia Patris oritur infinitus & æternus, quia totus de toto Patre infinito & æterno oritur; & ſic ſufficit, quòd ſit Unus Filius in Eſſentia DEI; ita conſimiliter ſequitur de Sancto Spiritu, quia de toto Patre infinito & æterno, & de toto Filio infinito & æterno procedit infinitus & æternus; nam in tota Eſſentia infinita & æterna Patris & Filii eſt ipſe Bonificabilis, Magnificabilis &c., & Bonificatus per totam Bonitatem, Magnitudinem &c., & Magnificatus per totam Bonitatem, Magnitudinem &c., & ſic per omnes Divinas Dignitates: unde per hoc manifeſtatur ſecundùm infinitam Magnitudinem, quòd in Deitate ſit Unus Pater, non tres patres, Unus Filius, nón tres filii, Unus Spiritus Sanctus, non tres ſpiritus ſancti, cùm in Eſſentia DEI vel Deitate, in quam nullum accidens poteſt cadere, ſufficiat una Paternalis Proprietas, & una Filialis Proprietas, & una Spiritualis Proprietas; quia ſi eſſent plures vel pauciores, quàm tres, ſic eſſent paucæ vel ſuperfluæ; quod eſt impoſſibile: ergò Unus Pater, non tres patres, Unus Filius, non tres filii, Unus Spiritus Sanctus, non tres ſpiritus ſancti.

PARS XVI.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed omnes tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

1. IGneïtas eſt eſſentia ignîs, & ignis eſt *eſſe*; & in igneïtate ſunt æqualiter ignitivum & ignibile in quantitate & tempore, non autem in virtute; nam ignitivum eſt proprietas formalis, ignibile proprietas materialis, & ita *eſſe* ab his duabus aggregatum eſt nobilius ex parte formæ, quàm ex parte materiæ.

2. Præterea recolentia, intelligentia & volentia ſunt eſſentiæ rationalis animæ, & anima eſt earum *eſſe*, in quo ſunt æqualiter in quantitate, tempore & virtute recolitivum, intellectivum, volitivum, & recolibile, intelligibile & volibile, quod eſt, quia DEUS eſt æqualiter objectum aptum recoli, intelligi & diligi; & ideo ſequitur, quòd „*eſſe* rationalis animæ ſit incorruptibile, quia ejus „Ultimus & Supremus Finis eſt, quòd recolat, intelligat & diligat DEUM„.

3. Deinde Blanquerna revertens ad ſuum propoſitum dixit: ſinè differentia *Eſſe* DEI eſt Eſſentia, & è converſo; & quia in Eſſentia DEI eſt Infinitas & Æternitas Bonitatis, Poteſtatis &c., eſt impoſſibile, quòd in DEO Bonificativus, Bonificabilis, Bonificatus, Magnificativus, Magnificabilis, Magnificatus &c. ſint in majoritate vel minoritate vel in inæqualitate: unde neceſſariò ſequitur, quòd, quidquid eſt in Summa Trinitate Deitatis, ſit in æterna & infinita Æqualitate; nam ſi in Trinitate aliquid eſſet majus vel minus, vel prius vel poſterius, vel quòd tres Divinæ Perſonæ non eſſent ſibi coæternæ & coæquales, eſſet impoſſibile, quòd in Eſſentia DEI & in ſuo *Eſſe* eſſet Infinitas & Æternitas Poteſtatis, Bonitatis &c., cujus Eſſentiæ & cujus *Eſſe* privatio eſt impoſſibilis: ergo in Trinitate nihil eſt prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

4. Ait Tartarus: quia dicis, quòd in Eſſentia DEI ſit Pater & Filius & Sanctus Spiritus, convenit, quòd in Eſſentia ſit prioritas, & per conſequens poſterioritas, & hoc in tempore & natura; & hoc probo ſic: per naturam omnis, qui eſt pater, eſt prior tempore & naturâ, quàm qui eſt filius; ſimiliter omnis, qui producit, eſt prior, quàm, qui eſt productus; ſed

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſed ſecundùm ea, quæ dicis, in Divina Eſſentia eſt Pater & Filius, & producentes, ſcilicet Pater & Filius, & productus, ſcilicet Sanctus Spiritus, ergo in Divina Eſſentia eſt prioritas & poſterioritas.

5. Reſpondit Blanquerna dicens: in mixtione, digeſtione & compoſitione elementorum intrant partes eorum aliæ in alias, ut ſit productum, ſcilicet ſuppoſitum, ſicut patet per ignem, qui influit ſuam eſſentiam in aërem calefaciendo ipſum, intrans in eum cum terra, quia ab ea attrahit ſiccitatem; & ſicut patet per aërem, qui tunc ſémet ipſum influit in aquam humefaciens ipſam, & humefaciendo ipſam intrat ignis in eam, quę 7. in ſe recipit aërem, & ſic terra ſimiliter; & ſicut etiam patet per aquam, quæ tunc influens ſémet ipſam in terram frigefacit eam, intrans in eam cum igne & aëre; hoc idem ſimiliter facit terra, quia ingreditur in ignem deſiccans ipſum, per cujus ingreſſum cum ipſa terra ingrediuntur in ignem aqua, quæ ſémet influit in terram, & aër, qui ſémet influit in aquam, & quem aqua influit in terram, & ille ignis, qui ſe influit in aërem, & quem aër influit in aquam, & quem aqua influit in terram; & ſic partes omnium quatuor elementorum aliæ ſunt in aliis, undæ fit mixtio, digeſtio & compoſitio, ut producatur ſubſtantia, in qua ſunt inſimul partes omnium quatuor elementorum altera in altera eodem tempore, eâdem naturâ ſubſtantiæ. Veruntamen in ſubſtantia DEI ſunt Perſonæ multò meliùs ſinè comparatione alia in alia; quia in illa eſt Infinitas & Æternitas Magnitudinis Velocitatis Bonitatis &c., Bonificante Bonitate Bonificatum in infinita Magnitudine, Æternitate &c., producendo Ipſum magnum & æternum &c., ut Bonitas ſit in Magnitudine, Æternitate &c.; hoc idem ſimiliter ſequitur de Magnitudine, quæ producit Magnificatum bonum, æternum &c. in Bonitate, Æternitate &c., ut Magnitudo ſit in Bonitate, Æternitate &c.; & ſic in Deitate una Proprietatum Perſonalium eſt in alia per modum Productionis & Relationis ſinè anterioritate & poſterioritate naturæ, & ſinè tempore; nam ibi eſt Infinitas, Æternitas, Velocitas &c.

6. Ait Tartarus: quia tu dicis, quòd in Deitate Filius & Sanctus Spiritus producantur à Patre, ergò Pater eſt major, quàm Filius & Sanctus Spiritus.

Reſpondit Blanquerna: illa pars ignîs, quæ eſt in aëre, eſt major, quàm illa pars ignîs, quæ eſt in aqua, quod eſt ideo, quia ignis habet concordantiam cum aëre, ſed contrarietatem cum aqua; & ideo „producitur a„lietas individuationis partium ſub eodem „homogeneo, ut ſit naturale ſuppoſitum„. Sed quia in DEO eſt Immenſitas, Æternitas & Infinitas in Bonitate & Velocitate, per Bonitatem, Magnitudinem &c. eſt impoſſibile, quòd in productione Divinarum Perſonarum ſit majoritas vel minoritas, ſicut non eſſet in partibus ignîs, ſi illa pars ignîs, quæ eſt in aëre, eſſet infinita, & ſimiliter illa, quæ eſt in aqua, eſſet infinita, & hoc in velocitate, æternitate, magnitudine &c.

7. Ait Tartarus: quia Sanctus Spiritus in Divinis procedit ex Patre & Filio, ergo procedit de loco in locum; quod, ſi ita eſt, ergo eſt collocatus & finitus.

Ait Blanquerna: quando in naturalibus eſt generatio in ſuppoſito, hoc eſt, in conjuncto, tunc partium alia eſt *convoluta* in alia, ſicut ignis circulariter eſt convolutus in aëre, in aqua & in terra, & ſimiliter alia elementa, & hoc per modum mixtionis & digeſtionis, ut inde factâ compoſitione ſit compoſitum; quod compoſitum eſt collocatum, quia eſt in loco, locus autem non eſt in ipſo communiter, nam intra ipſum ſunt partes aliæ collocatæ in aliis: unde ſi in ipſis eſſet infinitas magnitudinis, æternitatis &c., eſſet impoſſibile, quòd eſſent collocatæ; & quia in DEO eſt Immenſitas & Infinitas Magnitudinis, Æternitatis &c., ergo in Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

PARS XVII.

Ita ut per omnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, & Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate veneranda ſit.

Ait Blanquerna Tartaro: non eſt neceſſe tibi probare hanc Partem, quia in ſupradictis Partibus probata eſt.

1. Reſpondit Tartarus: ſcio, quòd ipſa mihi fuerit probata, veruntamen quæro, quare in Divina Eſſentia ſint tres Perſonæ, & non plures?

Reſpondit Blanquerna: in conjuncto, hoc eſt, in ſuppoſito, ſufficiunt una forma, una materia, una conjunctio, & unitas ſubſtantiæ ſufficit in *eſſe* unius formæ, unius mate-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

materiæ, & unius conjunctionis; & sic sinè una substantia & tribus rebus est impossibile, quòd sit sufficientia in omni elementato.

2. Præterea, in anima rationali sufficit, quòd *esse* ipsius animæ sit productum ex recolentia, intelligentia & volentia, cujus *esse* unitati sufficiunt recolentia, intelligentia & volentia; & si plus esset, in eo esset superfluitas; si verò minus, esset defectus.

3. Similiter, secundùm quòd suprà demonstratur, manifestè apparet, quòd in Divina Essentia sufficiant tres Personæ, hoc est, quòd omnes Communes Proprietates DEI sint in Essentia DEI Una Paternitas, Una Filiatio, Una Spiratio, & non nisi Una sola Essentia, scilicet Una Substantia, Unus DEUS.

4. Ait Tartarus: videtur, quòd ipsi *esse* rationalis animæ non sufficiant una recolentia, una intelligentia & una volentia; nam ex eo, quòd sit illud esse, producitur ab eo memoria, intellectus & voluntas.

Respondit Blanquerna: quia convenit, quòd anima influat suam virtutem in corpus, ut sit conjunctum, illud *esse*, quod est rationalis anima, influit de se potentias, quæ permanent in se ipso; & sic sunt illæ potentiæ per accidens; nam post separationem animæ à corpore remanent ipsæ potentiæ in potentia ipsius *esse*, quousque anima cum corpore resurgat; ideo rationalis anima separata à corpore immediatè recolit, intelligit & diligit, secundùm quòd recolentia, intelligentia & volentia constituunt illud *esse*, in quo potentiæ, scilicet vegetativa & sensitiva sunt infusæ per accidens mediantibus potentiis rationalis animæ.

PARS XVIII.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

1. SEcundùm quòd in præmissis Partibus dictum est, significatum est, per quem modum unusquisque Fidelis debeat sentire credendo vel intelligendo de Divina Trinitate, ut possit pervenire ad viam salvationis; nam quicunque præsumit repugnare Divinæ Trinitati, non poterit salvari per viam incredulitatis, quia graviſſimè errat, eò quòd est creatus ad cognoscendam Divinam Trinitatem.

2. Ait Tartarus: postquam Divina Trinitas debet credi vel intelligi, quæro, quare illæ Proprietates, quæ in Divinis constituunt Trinitatem, una sit Paternitas, alia Filiatio, alia Processio vel Spiratio?

3. Respondit Blanquerna dicens: nisi ignis simplex generaret ignem compositum, ex quo procederet conjunctio, non esset conjunctum in natura, hoc est, suppositum; & sic generatio nihil esset.

4. Præterea, nisi intellectivum de intelligibili generaret intellectum quoad animam, spiritualis operatio nihil esset; & ita intellectivum & intelligibile essent frustra.

5. Similiter, quia in Divina Essentia est Bonificativus, Magnificativus &c., Bonificabilis, Magnificabilis &c., & Bonificatus, Magnificatus &c. per Infinitatem, Æternitatem, Potestatem &c., convenit, quòd in illa sit Generatio, sinè qua Bonificativus, Magnificativus &c. non possent sufficere Infinitati, Æternitati &c. Bonificabilîs, Magnificabilîs &c.: unde cùm sit impossibile, quòd in Divinis Bonificativus, Magnificativus &c. deficiant Bonificabili, Magnificabili &c., ut sit Bonificatus, Magnificatus &c., ergo necessariò convenit, quòd in Divinis sit Generatio & Processio; quæ non essent, nisi essent Paternitas, Filiatio & Processio, & hoc, ut Paternitas & Filiatio conveniant per modum *affirmationis*, & non disconveniant per modum *negationis*.

PARS XIX.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri JESU Christi fideliter credat.

1. AUdi Tartare, & intellige: ignitivum non est causa ignito, in quantum ignitum est ignibile, nisi solùm, in quantum ignitum est ignitivum; & nisi ignitum esset ignibile, esset impossibile, quòd ignitum esset, nec ignitum posset esse ignitivum efficiens: ergo necessariò est ignibile, ut factâ actione sit causa & effectus.

2. Præterea in rationali anima intellectivum non immediatè clarificat intelligibile sinè intellecto, hoc enim est, quia in intrinseco opere animæ intelligibile non potest distingui ab intellectivo sinè effectu, qui est intellectum clarificatum distinctum & productum ab intellectivo clarificativo, & ab intelligibili clarificabili.

3. Similiter in Divina Essentia est Bonificativus, Magnificativus &c., & Bonificabilis,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

lis, Magnificabilis &c., & Bonificatus, Magnificatus &c., ſecundùm quòd jam probatum eſt: unde ex illa maxima Intrinſeca Influentia procedit maxima extrinſeca influentia, ut increatum Bonificativum, & increatum Magnificativum &c. bonificet in magno creato bonificabili, magnificabili, durabili &c., ut ſit magnum creatum bonificatum, magnificatum, durans &c., in quo appareat Magnitudo increati Bonificativi, Magnificativi, Æternificativi &c.; & hæc apparitio non eſſet in magnitudine bonificativi, magnificativi &c. ſinè Incarnatione Filii DEI in humana Natura; quapropter neceſſarium eſt, quòd credamus in Incarnationem JESU Chriſti Filii DEI, ſinè qua noſtra beatitudo non eſſet ſufficienter receptibilis in nos in magnitudine ad demonſtrandum Summum & Primum Bonificativum, Summum & Primum Bonificabile, Summum & Primum Bonificatum &c.

4. Ait Tartarus: quomodo poteſt hoc fieri, quòd Infinitum & finitum ſint una eadem Perſona?

Reſpondit Blanquerna: quia Divina Poteſtas eſt magna infinitè & æternaliter &c., quodcunque agit, agit cum infinito æterno Bonificativo, Bonificabili & Bonificato, & ſic de aliis, ſicut de volitivo, juſtificativo &c., & ſic DEUS poteſt facere, quòd increata Natura & creata natura ſint una eadem Perſona; & hoc, quia juſtum eſt, ut, quia magnum bonum eſt, & quia etiam Divina Voluntas multùm diligit ſuum effectum, æternum & infinitum Volitivum, Volibile & Volitum multùm videatur in magnitudine creati volitivi, volibilis & voliti.

PARS XX.

Eſt ergo Fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter JESUS Chriſtus DEI Filius, DEUS & Homo eſt.

1. IGnitivum & ignibile ſunt in ignito in eadem eſſentia igneïtatis, quia in illa eſſentia ignitivum eſt igniens de ſua eſſentia ignibile & ignitum; ſed in ignito ſunt diverſæ eſſentiæ, quia ſimul eſt compoſitum cum aëreïto, aqueïto, & terreïto, & ipſa quatuor ſimul ſunt unum ſuppoſitum elementatum & conjunctum *ſignificans ſecreta naturæ.*

2. Præterea intellectivum & intelligibile ſunt eadem eſſentia in intelligentia, tamen mediante intellecto differunt in intellecto, in quo intellecto ſunt ſimul cum recolitivo, recolibili & recolito, cum volitivo, volibili & volito una eadem ſubſtantia, ſcilicet una eadem anima; & quia recolitum, intellectum & volitum ſimul conjunguntur ſentito, igitur ſunt una perſona hominis, ſcilicet unus homo ex duabus eſſentiis & naturis, videlicet ex corporali & Spirituali; & ſic ſubſtantia hominis producitur exiſtens in duabus eſſentiis & naturis, & *eſſe* hominis eſt una perſona tantùm compoſita ex anima & corpore.

3. Unde ſimiliter & ampliùs in Divina Eſſentia ſunt Bonificativus, Bonificabilis & Bonificatus eadem Eſſentia & Natura, quia ſunt in Magnitudine Poteſtatis, Simplicitatis, Virtutis & Voluntatis; ideo ſicut ignitivum & ignibile ſunt unum & idem ſuppoſitum cum aëreïtivo, aëreïbili & aëreïto, & ſic de aliis elementis, ſic, & multò meliùs, Bonificativus, Bonificabilis & Bonificatus, qui eſt Filius DEI, eſt una & eadem Perſona cum Homine, & ſimul eſt DEUS & Homo, ut inter DEUM & Hominem ſit major conjunctio bonitatis, magnitudinis &c., quàm inter elementa, & quàm inter corpus & animam: ergo eſt Fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter JESUS Chriſtus DEI Filius, DEUS & Homo eſt.

4. Ait Tartarus: quia DEUS aſſumpſit humanam Naturam, videtur, quòd indigeret eam aſſumere, quia DEUS in ſe nihil agit ſinè aliquo neceſſario fine.

Reſpondit Blanquerna: intellectivum conjungitur ſenſitivo, ut influat ſuam maximam virtutem in ſenſitivum, eò quòd ſit cauſa ejus; & quia non poteſt eſſe perfecta cauſa ipſius, niſi ei conjungatur, convenit, quòd intellectivum ei conjungatur: ſed quia DEUS eſt perfectus in ſe, non indiget habere ſuam perfectionem extra ſe; & ideo eſt incarnatus, ut extra ſe perfectè cognoſcatur & diligatur: unde manifeſtè apparet, quòd non ſit incarnatus causâ ſuî, ſed ſolùm causâ neceſſitatis ſui effectûs, ſicut intellectivum non eſt conjunctum corpori causâ ſuî, ſed causâ neceſſitatis corporis.

5. Ait Tartarus: quare eſt Filius incarnatus, & non Pater vel Sanctus Spiritus?

Reſpondit Blanquerna: quia Filius DEI eſt generabilis & genitus, & Filius Hominis etiam, ideo habent aptitudinem & proportionem, ut ſint conjuncti in una Perſona; & quia nec Pater nec Sanctus Spiritus eſt generabilis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rabilis nec genitus, igitur non habent illam proportionem: & quia tota Divina Eſſentia eſt tota in qualibet trium Divinarum Perſonarum, ſufficit, quòd una ſit incarnata, ſcilicet Filius.

PARS XXI.

DEUS eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & Homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.

1. IGnitivum ignificat de ſuâmet eſſentia ignibile, & propter hoc procedit ignitum habens formam & materiam; præterea ignitivum ignificat ignibile de eſſentia aëris, & de eſſentia aquæ, & ſimiliter terræ, & inde producitur ſubſtantia ignita individua & diſtincta, & compoſita, in ſe continens naturam & eſſentiam omnium elementorum ex materia & forma.

Ampliùs, ignitum priùs oritur de eſſentia ignitivi, quàm de eſſentia aëris ignibilis; & priùs de eſſentia aëris, quàm de eſſentia terræ; & priùs de eſſentia terræ, quàm de eſſentia aquæ; & hoc patet in concordantia & contrarietate elementorum ſecundùm magis & minus.

2. Præterea, intellectivum intellectificat & luminificat intelligibile de ſuâmet eſſentia, & ex ambobus producitur intellectum luminificatum, & etiam cum ipſis, ſcilicet intellectivo & intelligibili, & cum memorativo & memorabili & memorato, & cum volitivo, volibili & volito producitur ſubſtantia, quæ eſt anima; quæ productio eſt mediante poteſtate creativâ, & mediante aggregatione ex recolentia, intelligentia & volentia factâ in una ſubſtantia, quæ eſt unum *eſſe* rationalis animæ.

Præterea de ſubſtantia producta ex corporalibus, & de ſubſtantia producta ex Spiritualibus producitur una ſubſtantia, quæ producta una ſubſtantia eſt homo.

3. Factâ hâc ſimilitudine dixit Blanquerna: in Deitate producit Bonificativus ex ſua Eſſentia Bonificabilem in forma Bonificati, & produxit Genitum, priusquàm mundus eſſet, ſecundùm quòd jam probatum eſt; & quia produxit creatum bonificabilem in Se ex materna creata ſubſtantia, eſt ille bonificatus in ſæculo natus in *eſſe* veri Hominis; & ita ſequitur, quòd illud conjunctum ex increata Subſtantia & ex creata ſubſtantia ſit verus DEUS & verus Homo, qui dicitur JESUS Chriſtus noſter DEUS & Dominus.

PARS XXII.

Perfectus DEUS, perfectus Homo, ex Anima rationali & Humana Carne ſubſiſtens.

1. IGnitivum habet in ſe virtutem & formam perfectivam, ut perficiat ignibile ſub forma igniti; nam aliter eſſet impoſſibile in naturalibus, quòd ignibile eſſet etiam ignitivum & ignitum; ſed quia ignitivum habet formam perficiendi, ignibile eſt forma perfectibilis exiſtens in potentia; quæ forma producit perfectum in actum, qui perfectus productus eſt de perfectivo & perfectibili. Præterea ſicut ignitivum ſubſtantialiter perficit perfectibile, producendo perfectum de ſe & de ignibili, ita per accidens perficit ignibile ex aëre, aqua & terra ſub forma perfecti ex quatuor elementis; & ſic producitur perfectio in ſubſtantia, & accidentia in eodem ſuppoſito.

2. Præterea intellectivum, quod habet in ſua virtute formam perfectivam, habet in ſua eſſentia perfectibile, & habet ipſum ultra in eſſentia recolentiæ & volentiæ; & ita perficit illud de ſe & de recolibili & volibili in *eſſe* animæ, producendo perfectum *eſſe*, in quo *eſſe* ſunt plures perfectiones ſub una communi forma perfecta.

3. Tunc dixit Blanquerna Tartaro: ſub iſtis metaphoris ſupradictis ſignificatur, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus ſit perfectus DEUS & perfectus Homo habens rationalem Animam cum humana Carne: unde ex parte Deitatis eſt perfectus DEUS, quia eſt Bonificatus à Patre per infinitam & æternam Bonitatem, Poteſtatem &c., & etiam eſt perfectus ex parte Humanitatis, nam ſubſtantia ſuæ Humanitatis eſt producta ex perfecta virtute perfectiva & perfectibili ſpiritualiter & corporaliter.

PARS XXIII.

Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm Humanitatem.

1. IN eſſentia ignîs eſt ignibile æquale ignitivo, quia ignitivum de ſe ignit ignibile, prōducendo ignitum; ſed ignibile ex mate-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ria aëris minus eſt, quàm ignibile ex materia ignîs; & ita producitur æqualitas, majoritas & minoritas in ſubſtantiam productam, in qua oriuntur accidentia, ſecundùm quòd patet per prædicta.

2. Præterea, in eſſentia rationalis animæ ſunt æqualiter recolentia, intelligentia & volentia, & propter hoc producunt unum *eſſe* rationalis animæ, quod eſt „incorruptibile, quia æqualiter eſt aggregatum ex pluribus eſſentiis„: ſed in illa ſubſtantia eſt intelligibile majus in eſſentia intellectivi, quàm in eſſentia recolitivi & volitivi; & ideo oritur æqualitas, majoritas & minoritas in ſubſtantia animæ, tamen mediante creatione.

3. In Divina Eſſentia eſt Filius æqualis Patri, & hoc ideo, quia Pater de toto ſe ipſo producit totum Filium, & quia Pater eſt Bonificativus infinitè & æternaliter, & Filius Bonificabilis & Bonificatus infinitè & æternaliter, ideo eſt æqualitas in Divina Subſtantia, quæ eſt ſinè omni majoritate & minoritate; ex qua æqualitate ſequitur, quòd Filius, licèt ſit Homo, propter hoc non ſit inæqualis Patri; ſed quia in Perſona Filii eſt aſſumpta Humanitas, quæ eſt finita in quantitate, & incepta in tempore, ideo Chriſtus, in quantum eſt Homo, eſt minor, quàm Pater.

4. Ait Tartarus: ſi tota Perſona Filii eſt incarnata, convenit, quòd Humanitas Chriſti ſit infinita extenſivè, quia Filius eſt infinitus, & ita Humanitas ejus eſt æqualis Patri ſecundùm infinitatem, vel Filius non eſt totus incarnatus.

Reſpondit Blanquerna: ignis compoſitus totus productus eſt in eſſentia ignîs ſimplicis, licèt in conjuncto non ſit productus per totum ignem ſimplicem; ignis ſimplex etiam extenſivè eſt per totum aërem ſimplicem, & per totam aquam ſimplicem, & per totam terram ſimplicem, & è converſo; & hoc eſſentialiter, cùm elementa ſint alia in aliis; & ſic quodlibet eorum eſt in alio toto, ſicut color aquæ in vino limphato eſt ſub colore vini, vel ſicut Divina Poteſtas ſe totam convertit ad poſſificandum illud, quod vult Divina Voluntas, cùm ſint unum & idem: ergo dicendum eſt, quòd tota Natura Humanitatis Chriſti fuerit producta in Perſonam Filii DEI, & totus Filius DEI ſimiliter verè fuerit incarnatus, & ſic totus Homo; ſicut ignis compoſitus totus eſſentiatus eſt in eſſentia ignîs ſimplicis, licèt non ſit ita extenſus nec intenſus in conjuncto, ſicut ignis ſimplex in ſe & in aliis ſimplicibus elementis.

PARS XXIV.

Qui licèt DEUS ſit & Homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

1. IN vegetalitate eſt vegetativum, vegetabile & vegetatum, & in plantis vegetativum producit vegetabile in vegetatum, quod eſt de eſſentia vegetalitatis. Præterea in eſſentia ſenſualitatis eſt ſenſitivum, ſenſibile & ſentitum; & in brutis ſenſitivum producit ſenſibile de eſſentia ſenſitiva.

2. Præterea in eſſentia rationalitatis eſt rationativum & rationabile & rationatum, & in rationalitate rationativum producit rationabile mediante creatione. Præterea rationativum producit in ſe ſenſibile, & ſenſitivum in ſe vegetabile, & hoc per accidens; & ſic producitur homo exiſtens unus, & eſt una perſona in eſſentia, in qua eſt eſſentia vegetalis, & eſſentia ſenſualis, & eſſentia rationalis.

3. Unde ſimiliter in Eſſentia Chriſti eſt proprietas productiva, producibilis & producta in Unitate Chriſti, & hoc ideo, quia DEUS Pater producit DEUM Filium, ſicut jam ſuprà dictum eſt; & quia DEUS Filius producit in Se producibilem in productum creatum, ideo eſt cum ipſo unus Chriſtus tantùm, habens totam Eſſentiam Deitatis, tanquam verus DEUS, & debet habere totam Eſſentiam Humanitatis, tanquam verus Homo; & ſic Chriſtus verus DEUS & verus Homo eſt in Unitate totius Deitatis & Humanitatis.

4. Ait Tartarus: quia unum Ens eſt Filius DEI, & aliud Ens eſt Humanitas Chriſti, videtur, quòd ſint duo Chriſti.

Reſpondit Blanquerna: quia in Chriſto eſt diſtinctio Naturæ & Eſſentiæ & *eſſe* inter Deitatem & Humanitatem, & etiam inter Animam & Corpus, propter hoc conſiderandum eſt, quòd in Chriſto ſint plura *eſſe*, & hoc reſpectu diſtinctivo, ſed ratione unionis Perſonæ non eſt niſi unum *eſſe* tantùm, veluti pomum reſpectu formæ & materiæ eſt diſtinctum; ſed quia unum *eſſe* eſt productum ex materia & forma, propter hoc illa duo ſunt unum *eſſe*, ſcilicet unum pomum tantùm: ſimiliter hoc idem ſequitur in homine; nam in eo ſunt plura *eſſe*, ſcili-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſcilicet anima & corpus; ſed quia unus eſt finis, ſcilicet una perſona tantùm, igitur ſunt unus homo tantùm ratione unionis & conjunctionis in uno fine, ſcilicet in perſona tantùm.

PARS XXV.

Unus autem, non converſione Divinitatis in Carnem, ſed aſſumptione Humanitatis in DEUM.

1. IN vegetalitate & ſenſualitate & rationalitate eſt vegetabile converſum in vegetatum, ſicut ignibile in ignitum, & ſicut in animato cibus in carnem, & ſenſitivum, quod ſumpſit vegetatum, eſt aſſumptum in recolito, intellecto & volito à recolitivo, intellectivo & volitivo, & hoc ſinè converſione rationativi in ſenſitivum & vegetativum nec è converſo, nec etiam ſenſitivi in vegetativum nec è converſo, exiſtente vegetativo in eſſentia, quæ eſt vegetalitas, & ſenſitivo in eſſentia, quæ eſt ſenſualitas, & rationativo in eſſentia, quæ eſt rationalitas, & exiſtente rationativo ſubſtantialiter & accidentaliter in eſſentia, quæ eſt ſenſualitas, & è converſo, & in eſſentia, quæ eſt rationalitas, & è converſo, ut ſit *eſſentia* hominis, quæ eſt humanitas, ex qua deinde producitur homo.

2. Per hoc ergo manifeſtè apparet, quòd Chriſtus ſit unus, & quòd Deitas non ſit converſa in Carnem, ſed ſolùm Caro ab eo aſſumpta ſit in Humanitatem; ſicut vegetabile aſſumit carnem in ſenſibili, licèt retineat eſſentiam & naturam vegetalitatis; & etiam ſicut rationabile, quod non convertitur in ſenſibile nec in vegetabile, nec è converſo, licèt aſſumat in ſe vegetabile & ſenſibile, ut per aſſumptionem ex ipſis ſimul ſit una ſubſtantia, ſcilicet unus homo.

3. Ait Tartarus: quia dicis, quòd in eſſentia, quæ eſt vegetalitas, & in eſſentia, quæ eſt ſenſualitas, ſit rationativum, videtur, quòd ſint idem in eſſentia cum eis; quod eſt impoſſibile.

Reſpondit Blanquerna: in conjuncto eſt forma exiſtens in materia, & è converſo, propter hoc non ſequitur, quòd ſint idem in eſſentia in conjuncto, ſicut ignitivum & ignibile non ſunt idem in eſſentia, ſed ſunt inſimul eſſentia conjuncti; ſicut anima & corpus, quæ ſunt eſſentia hominis, & differunt, cùm anima ſit in eſſentia corporis, & è converſo, ut ſint *una eſſentia* hominis.

PARS XXVI.

Unus omnino, non confuſione Subſtantiæ, ſed Unitate Perſonæ.

1. QUoniam in eſſentia igneïtatis eſt potentia productiva, ut producat ignibile & ignitum, producit ipſum cum aëreïtivo, aqueïtivo & terreïtivo, & fit ſubſtantia vegetans; quando autem anima rationalis infunditur in illam ſubſtantiam mediante ſenſitivo & ſenſibili, ut ſit conjunctum, tunc in radice animæ & natura ejus aſſumuntur potentiæ, ſcilicet vegetativa & ſenſitiva, remanente quodam ente, quod eſt vegetativum, vegetabile & vegetatum, & quod eſt ſenſitivum & ſenſibile, *et ſenſitum*, & hoc ratione animativi, quod in ſe aſſumit animabile, ut cum ipſo ſit conjunctum, ſcilicet animatum, quod eſt homo, ſinè confuſione ſubſtantiæ animativi, animabilis & animati.

2. Blanquerna metaphoricè loquendo propoſuit hos prædictos ſermones, ut intellectus Tartari poſſet aſcendere ad altiora puncta per directionem prædictorum ſermonum; deinde ſubjunxit dicens: quia Perſona Filii DEI aſſumpſit Humanitatem in Se, & DEUS eſt Subſtantia infinita & æterna in Bonitate, Magnitudine &c., aſſumpſit Humanitatem ſinè confuſione Subſtantiæ ejus & Subſtantiæ Filii Hominis, quæ in virtute & ex illa aſſumptione Humanitatis in Unitate cum Perſona Filii DEI mirabiliter fuit exaltata ita & multò plùs ſinè comparatione, ſicut animabile eſt exaltatum in animatum ab animativo, & hoc in homine.

3. Ait Tartarus: exaltatio ſubſtantiæ eſt, ut ſit per ſe exiſtens, habens formam & materiam; & quia ſubſtantia Humanitatis Chriſti non eſt per ſe exiſtens Perſona in Chriſto, ſed eſt Perſona in DEO, ergo eſt confuſa & carens perfectione.

Reſpondit Blanquerna: in animato finis vegetabilîs & ſenſibilîs & etiam vegetativi & ſenſitivi eſt animatum; & ſic finis Corporis & Animæ Chriſti fuit, ut eſſent in una ſubſtantia Filii DEI; propter hoc ex maximo fine non fuit confuſa humana ſubſtantia Chriſti, ſed potiùs exaltata & dignificata ſuper omnem finem creatum.

) ✝ (

(c) 2006 Ministerio de Cultura

PARS XXVII.

Nam ſicut Anima rationalis & caro unus eſt homo: ita DEUS & Homo unus eſt Chriſtus.

1. COrpus hominis eſt homificabile, quia eſt vegetabile & ſenſibile, & in vegetabili eſt ignibile, & in ſenſibili audibile &c.: præterea in homine eſt anima homificabilis quoad vegetativum & ſenſitivum, & eſt homificativa quoad recolitivum, intellectivum & volitivum: ergo in homine eſt homificativum & homificabile, & ipſe homo eſt homificatum; aliter in ſe non haberet homificativum & homificabile, & quia ſe habent relativè, ergo forma animæ eſt homificabilis ex parte materiæ, & eſt homificativa ex eo, quia formificat recolitum &c. & vegetatum &c., conjunctum autem eſt homo factus, ſcilicet formatum & materiatum, & ita producitur omnis homo, tamen mediante creatione.

2. Unde ad propoſitum: JESUS Chriſtus, quoad Divinam Naturam eſt Deibilis, quia DEUS Pater producit eum de Se ipſo, ſicut jam ſuprà dictum eſt; etiam eſt homificabilis, quia in ſe continet vegetabile &c. & recolibile &c., ſed per modum conjunctionis & aſſumptionis eſt Chriſtificatus exiſtens unus DEUS, unus Homo: ergo ſicut Anima rationalis & caro unus eſt homo, ita DEUS & Homo unus eſt Chriſtus: quia ſi eſt poſſibile, quòd homo fiat ex conjunctione rationalis animæ & carnis, quantò magìs ergo eſt poſſibile, quòd Chriſtus ſit factus ex aſſumptione Humanitatis in DEUM.

PARS XXVIII.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra.

1. QUantò magìs ignis eſt lucificabilis, tantò magìs eſt lucificativus & magìs lucificatus; ſimiliter, quantò magìs intellectus eſt intelligibilis, tantò magìs eſt intellectivus & magìs intellectus.

2. Unde ſimiliter, quantò magìs Chriſtus eſt bonificabilis, magnificabilis, æternificabilis, durificabilis &c., tantò magìs eſt faciens bonum, magnum &c.: ergo oportuit, quòd ſit paſſus pro nobis, ut produceret operationem in magna bonitate &c.; quia niſi pro nobis paſſus eſſet, ejus bonitas eſſet magna in conjunctione Deitatis & Humanitatis; & ita Deitas feciſſet Humanitatem magnam reſpectu ſuæ aſſumptionis, non autem magnam reſpectu operationis, ſcilicet honorificationis Deitatis, nec cauſaſſet, quòd ſuus populus eſſet obligatus ad faciendum bonum propter DEUM; quod eſt inconveniens: ergo paſſus eſt pro noſtra ſalute.

3. Ait Tartarus: Deitas non patitur mortem, ſed ſi Chriſtus eſt DEUS, quomodo ergo potuit mori?

Reſpondit Blanquerna: mors hominis eſt, quando id, quod eſt ignibile in corpore hominis, eſt ita impeditum propter deſtructionem organi, ut non ſit ignibile ſub forma ipſius corporis; quod ſequitur, quia deſtruitur vegetabile & ſenſibile, & per conſequens id, quod eſt in corpore homificativum, ceſſat conſervare homificatum: ergo deſtructis illis formis, ex quibus producitur homo, ſequitur mors hominis. Chriſtus autem eſt plus, quàm homo, quia habet Divinam Naturam & humanam Naturam, omnia, quæ prædicta ſunt de morte, pertinent ad humanam Naturam, non autem ad Divinam: ergo bene ſequitur, quòd moriente Humanitate Chriſti non fuerit mortua Divinitas; & ita Chriſtus fuit mortuus Homo, & nunquam fuit mortuus DEUS, ſed DEUS vixit & ſemper vivet DEUS & Homo, DEUS enim eſt incomprehenſibilis, ideo eſt ubique: unde moriente ſuâ Humanitate ſemper fuit conjunctus cum Anima & corpore, licèt mors ſeparaverit Animam à Corpore.

PARS XXIX.

Deſcendit ad inferos.

1. IGnis habet in ſua eſſentia lucificativum, lucificabile & lucificatum, à quo procedit in eſſentia aëris lucificativum, lucificabile & lucificatum, quod eſt *eſſe* aëris: unde videtur, quòd, ſicut propter præſentiam conjunctionis lucificativi & lucificabilis & lucificati eſt lux in igne & in aëre, ſic, & multò meliùs ſit lux ſcientiæ inter unam Animam & aliam, & inter Animam & Angelum propter præſentiam unius & alterius; quia niſi hoc ita eſſet, lux ignîs eſſet in majori fine lucis, quàm intelligentia & recolentia & volentia in fine lucis ſcientiæ; quod eſt inconveniens: ex quo patet, quòd Anima Chriſti

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Christi descenderit ad inferos, ut reluceſceret liberatio Animarum Patriarcharum & Prophetarum & noſtrorum Sanctorum Patrum, qui propter inobedientiam primi Parentis ceciderunt ad inferos, quorum Animas Anima Christi liberavit in Paſſione ſui Corporis.

PARS XXX.

Tertiâ die reſurrexit à mortuis.

FInis homificativi & homificabilis eſt homificatum, ut homificatum habeat aliquam ſimilitudinem in duratione cum æternificativo & æternificabili & æternificato; & quia Chriſtus noſter Dominus fuit mortuus per accidens, ſcilicet propter noſtram ſalutem, & fuit Chriſtificatus ad durandum ſinè fine, ideo fuit neceſſarium, quòd reſurgeret à mortuis, & potiùs tertiâ die, quàm alterâ, ad ſignificandam Trinitatem Divinarum Perſonarum; qui niſi reſurrexiſſet, eſſet deſtructus finis, quare fuit Chriſtificatus ex Chriſtificativo & Chriſtificabili; quæ deſtructio eſt impoſſibilis, & contra bonificativum, magnificativum, æternificativum &c.: ergo tertiâ die reſurrexit à mortuis.

PARS XXXI.

Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad Dexteram DEI Patris omnipotentis.

1. IGnitivum & ignibile habent ſimilitudinem in eſſentia, quæ eſt igneïtas; & propter hoc ignitivum appetit producere ignibile in ignitum; hoc etiam ſequitur de intellectivo, intelligibili & intellecto, ideo ſenſitivum & intellectivum producunt inceſſanter ſuas ſimilitudines, quantum poſſunt.

2. Unde per hoc patet, quòd Bonificativum, Bonificabile & Bonificatum &c. increatum aſſumpſerit in cœlos Hominem Deificatum, ut eſſet cum Filio DEI ad Dexteram DEI Patris; & hoc ideo, ut Bonificativum &c. haberet in magnificativo & magnificato creato ſimilitudinem; hoc idem ſequitur de Æternitate, Poteſtate &c.: ergo Chriſtus aſcendit ad Cœlos, & ſedet ad Dexteram DEI Patris omnipotentis.

3. Ait Tartarus: quia dicis, Chriſtus ſedet ad dexteram DEI Patris, ſignificas, quòd DEUS Pater ſit corpus habens dexteram & ſiniſtram; quod eſt impoſſibile.

Reſpondit Blanquerna: aër eſt nobilior in igne, quàm in aqua; unde metaphoricè loquendo dicitur, quòd Filius Hominis habeat majorem gloriam, quàm omnes creaturæ; & quia majoritas ſignificatur per dexteram, & minoritas per ſiniſtram, dicitur, quòd Chriſtus habeat majorem gloriam quoad ſuam Humanitatem, quàm habeant & habuerint omnes creaturæ; & ſecundùm hoc dicitur eſſe ad dexteram DEI Patris.

PARS XXXII.

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

IN igne eſt juſtificativum & juſtificabile, prout partes elementorum intrant altera in alteram, ut ſit conjunctum elementarum; hoc idem ſequitur de intelligentia, recolentia & volentia, ut ſit *eſſe* animæ: & quia in Chriſto ſunt Juſtificativum Divinum & juſtificatum vegetativum, ſenſitivum, intellectivum &c., ut ſint ipſe Chriſtus, ergo convenit, quòd Chriſtus ſit Judex omnium hominum in noviſſimo die, ut DEUS judicet ſuum effectum & Homo hominem; quod niſi ita fuerit, erit inconveniens in magno bonificativo, bonificabili & bonificato &c. increato & creato; quod eſt impoſſibile: ergo Chriſtus venturus eſt judicare vivos & mortuos.

PARS XXXIII.

Ad cujus Adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.

1. IN eſſentia igneïtatis eſt ignitivum, ignibile & ignitum; hoc idem ſimiliter ſequitur in eſſentia aëreïtatis, in qua eſt aëritivum &c.; & propter hoc ſequitur individuitas inter unam ſubſtantiam & aliam per modum generativi, generabilis & generati.

2. Præterea in intelligentia eſt intellectivum, intelligibile & intellectum; hoc ſimiliter ſequitur de recolentia & volentia: unde ſequitur aggregata individuitas, quæ eſt inter unum *eſſe* animæ & aliud, per modum creativi, creabilis & creati: unde manifeſtè apparet, quòd unumquodque corpus hominis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nis ſit ſpecificatum habens ſpecificam & propriam animam, cum qua anima oportet ipſum corpus reſurgere in noviſſimo die, ut homificatum ſub illa propria anima, & ſub illo proprio corpore, in quibus fuit homificatum in hoc ſæculo, reddat rationem de omnibus, quæ bene vel malè egerit, ut ſequatur finis, ad quem homo eſt factus; aliàs in Eſſentia DEI non eſſet operatio extrinſeca in bonificativo creato &c.; quod eſt impoſſibile: ergo omnes homines habent reſurgere in noviſſimo die cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.

3. Ait Tartarus: quomodo poteſt eſſe Reſurrectio, cùm corpus cujuslibet hominis mortui ſit transmutabile ſub infinitis formis in partes perductas in infinitas materias.

Reſpondit Blanquerna: poteſtas eſſentiæ ignîs, ſcilicet igneïtatis, eſt in forma activa & in forma paſſiva & in conjuncto; unde ſicut ignitivum agit & producit individuum, quia eſt aptitudo in ignibili, ut ſit ignitum, ita & multò meliùs Summum Primum, quod eſt Ens increatum æternum agit & aget in productum creatum cum bonificativo, magnificativo, æternificativo, poſſificativo, juſtificativo &c.: ergo poteſt eſſe Reſurrectio hominum, & debet eſſe, ût patet in propriis actibus Dignitatum.

PARS XXXIV.

Et qui bona egerunt, ibunt in Vitam æternam, qui verò mala, in Ignem æternum.

1. SImplex Ignis ignit in ſe compoſitum ignem, & producit aërem in ſua eſſentia, id eſt, in igneïtate, ſimiliter aquam & terram; & ex hac operatione ſequitur finis, ſcilicet conjunctum, quod eſt elementatum exiſtens ſub ſpecie cum aliis; hoc idem ſimiliter ſequitur in rationali anima de recolentia, intelligentia & volentia, quæ per modum recolendi, intelligendi & volendi producunt ad finem *eſſe* animæ.

2. Præterea, quia ignibile cum ſuo contrario, ſcilicet aqueïbili, eſt productum in ignitum, ſimiliter aëribile cum terreïbili, quæ ſunt contraria, ex conjunctum eis eſt corruptibile & deſtructibile, ſcilicet homificatum; non autem deſtruitur ille ultimus finis, ad quem ipſum eſt productum; nam convenit, quòd ille finis ſit ita ordinatus; hic autem finis non eſt in hoc ſæculo, quod eſt corruptibile, ſed eſt in perpetua patria, ubi durat & durabit per omnia ſæcula ſæculorum: unde patet manifeſtè, quòd ille finis ſit durabilis in perpetuum, ut æternitas habeat ſuam ſimilitudinem in creata magnitudine, in qua eſt creatum bonificativum, magnificativum &c. agens ſinè fine: nam niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd ignis & intellectivum meliùs convenirent in hoc corruptibili ſæculo, quàm in incorruptibili, ſcilicet in perpetua patria; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur ſecundùm Divinam Juſtitiam, quòd hi, qui egerunt bona, ibunt in æternam vitam, qui verò mala, in æternum ignem.

3. Ait Tartarus: quomodo humanum corpus poterit durare in æterno igne, cùm ſit corruptibile.

Reſpondit Blanquerna: poſt Summum Judicium noviſſimi diei erunt corpora glorificata convenientia in recolitivo, intellectivo & volitivo, id eſt, quòd, ſicut homo videt mediante ſenſitivo, & ſenſitivum mediantibus oculis, & oculi mediante virtute viſivâ, viſibili & visâ, ſic omnia corpora glorificata habebunt ſuas proprietates & beatitudines, & erunt mobilia, levia, lucentia, durantia in perpetuum &c. ſecundùm deliberationem & perfectionem propriarum animarum, & hoc ſinè omni impedimento recolitivi, intellectivi & volitivi, ſecundùm quòd Divina Juſtitia pro ſuis benefactis retribuet; ſimiliter corpora damnatorum ſecundùm Juſtitiam durabunt in perpetuum in contrario prædictorum, ut Æternitas juſtificandi agat contra juſtos & injuſtos.

PARS XXXV.

Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quisque fideliter firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

DIxit Blanquerna Tartaro: hæc Pars non indiget probatione, eſt enim probata, ût patet, in ſupradictis Partibus; Blanquerna terminavit ſuos ſermones: Tartarus verò ait illi: éſtne in Catholica Fide plus, quàm ea, quæ dixiſti? cui Blanquerna reſpondit: multa quidem ſunt dicenda in Catholica Fide, veruntamen de hoc Pſalmo vel Symbolo, in quo Catholica Fides ſcripta eſt, in quantum potui,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

potui, ego breviter tibi dixi veritatem, *ſecundùm quòd Philoſophia ad hoc mihi aperuit ſecreta naturæ:* unde ſi fortè in his dictis erraverim per inſufficientiam verborum, vel improprietatem, vel per qualemcunque modum, non erravi ſcientialiter; ideo oro te, ut pro tua ſalute dirigas tuos greſſus ad Dominum Papam Sanctiſſimum Patrem & Vicarium Domini JESU Chriſti, qui in hoc mundo eſt Paſtor & Cuſtos fidelium Animarum, quæ imbutæ ſunt Fide Catholicæ Veritatis, & quidquid tibi dixi, ſignifices illi per ordinem; nam omnia, quæcunque dixi in hoc Libro, ſupplex expoſtulo pertranſire ipſius Correctionem.

De Euchariſtia.

1. REſpondit illi Tartarus: paratus ſum obedire tuis mandatis, ſed precor te, ut mihi dicas, quid in Catholica Fide ſignificet ille modicus panis, quem, prout vidi, comediſti ſuper Altare? cui Blanquerna reſpondens dixit: quamvìs in eſſentia ignîs ſit calefactivum & calefactibile, tamen ſinè calefactibili in aëre & in aqua & in terra non poſſet ſequi calefactum exiſtens elementatum: unde propter influentiam partium elementorum alterius in alteram producitur calefactum, ſcilicet conjunctum ex forma & materia; quod conjunctum eſt ſub alia forma & natura productum, quæ non eſt elementa, nec aliquid eorum.

2. Præterea in eſſentia animæ eſt intellectivum & intelligibile, ſed ſinè recolitivo & recolibili, & ſinè volitivo & volibili non poſſet produci *eſſe* animæ, inſimul autem producunt ipſum *eſſe*, in quo ſunt congregatæ & conjunctæ omnes partes eſſentiæ animæ.

3. Præterea ex conjunctione vegetativi & vegetabilis cum intellectivo & intelligibili & cum recolitivo & recolibili, & cum volitivo & volibili producitur ſenſitivum & ſenſibile, ut ſit ſenſatum, quod non eſt intellectum nec vegetatum; quod ſenſatum in virtute eſt minus, quàm intellectum, & majus, quàm vegetatum.

4. Blanquerna datis ſimilitudinibus & metaphoris revertens ad propoſitum dixit Tartaro: in Eſſentia DEI eſt Intrinſecum Opus, cùm Pater generet Filium, & Sanctus Spiritus procedat ab utroque, ſicut in præcedentibus dictum eſt; ex gratia autem hujus Intrinſeci Operis eſt extrinſecum opus, ſcilicet illud opus, quod eſt in naturalibus & ſenſualibus & intellectualibus; & ex his duobus operibus, ſcilicet intrinſeco & extrinſeco, procedit tertium opus, in quo ſunt miracula & ſeptem Sacramenta Eccleſiæ; iſtud tertium opus eſt minus, quàm primum, & majus, quàm ſecundum; nam Dominus JESUS Chriſtus conſtituit hoc Sacramentum, quod vidiſti ſuper Altare, quod eſt Corpus & Sanguis ejus, ſicut ipſémet dixit & voluit, ut illud fiat ſummum Opus ſupra curſum naturæ, ad hoc, ut in ipſum opus plùs producat ſuam ſimilitudinem, quàm in opus naturæ: quoniam ſicut naturaliter producitur ſuppoſitum, ita mirabiliter producitur hoc pretioſiſſimum Sacramentum, in quo DEUS agit voluntariè & potentialiter ſupra curſum naturæ, ut meliùs videatur ſua potentiſſima Poteſtas, & ſua humilis Voluntas in magna Bonitate &c.

5. Præterea, per iſtud Sacramentum & ſimiliter per alia exaltantur in Anima Fides, Spes, Charitas & aliæ virtutes, ut homo ſit magìs ſimilis DEO in bonificando, magnificando &c., & ut propter ipſam ſimilitudinem, per quam DEUS meliùs cognoſcitur & diligitur, DEUS plùs infundat in hominem ſuam gratiam & benedictionem.

6. Ait Tartarus: mihi videtur impoſſibile, quòd ſub modico pane poſſit eſſe homo perfectus & integer in quantitate: præterea, quòd in eodem tempore poſſit eſſentialiter eſſe in diverſis & pluribus locis: ſimiliter, quòd accidentia poſſint eſſe ſinè ſubſtantia, & è converſo.

7. Reſpondit Blanquerna: videtur mihi, quòd tu non recorderis illarum ſimilitudinum, quas tibi propoſui; ſi enim recordareris & intelligeres eas, non ſupponeres impoſſibile, quòd illa poſſint eſſe: quia ſicut videtur impoſſibile ſentire ſinè animativo & animabili, & vegetativo & vegetabili, ita videtur impoſſibile illud Sacramentum ſecundùm curſum naturæ; ſed ſicut videtur eſſe poſſibile ſenſatum productum ex vegetabili & animabili, ita videtur & multò meliùs hoc Sacramentum progrediens ex influentiis ſummi Operis & infimi; aliàs ſequeretur, quòd de vegetabili & animabili poſſet ſequi major virtus & poteſtas, quàm de DEO & de natura; quod eſt impoſſibile: nam ſicut homo habet manus ad palpandum, & pedes ad ambulandum, & ſic de aliis, & ſimiliter ſicut ignis habet caliditatem ad calefaciendum, & lucem ad lucendum, ſic & multò meliùs habet DEUS Bonitatem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ad bonificandum, & Magnitudinem ad magnificandum, & ſic de aliis: unde ſicut materia habet appetitum patiendi, ut de ipſa fiat, quidquid forma appetit, ita natura habet paſſionem ad patiendum illam operationem, quam Divinæ Dignitates de ipſa volunt agere.

8. Tartarus multùm conſideravit ſuper hanc materiam, cùm ſit difficilis ad intelligendum, nec potuit eam intelligere, usque quò recoluit, quòd, quando voluntas vult aliquid, ſe totam convertat ad volendum illud ſinè aliquo impedimento, quia habet libertatem volendi; & quia Poteſtas & Voluntas DEI ſunt unum & idem, & Poteſtas DEI tota agit in omne, quod agit, & hoc cum infinita & æterna Libertate per totam Bonitatem &c., ideo poteſt agere de natura & ſupra naturam omnia, quæcunque vult, ut non ſequatur aliquod inconveniens contra Bonitatem & Juſtitiam &c. DEI.

9. Et cùm Tartarus hæc intelligeret, ait: bene intelligo, quòd DEUS hoc Sacramentum in homine poſſit facere, ſed quare velit ipſum facere, hoc ignoro.

10. Tunc ait Blanquerna: quantò plùs ignis poteſt, tantò plùs attrahit ſuum ſimile, & tantò plùs producit & conſervat ipſum; & hoc idem ſequitur de intellectivo; nam omne, quod eſt, diligit ſuum ſimile & applaudit ei, diligens *eſſe* bonum & magnum &c., & odiens *non eſſe*, & *eſſe* parvum & malum: unde quia DEUS diligit in ſe ſuum Similem, & habet eum, propter hoc Pater, qui habet Filium & Sanctum Spiritum, & è converſo, diligit ſuum ſimilem in creaturis & ſupra creaturas, & hoc frequenter & in pluribus locis eodem tempore inter manus ſanctorum Hominum, ut vincat tempus, locum, formam, materiam & cætera principia naturæ, ſicut in ſe vincit accidentia; nam dum in Divinis Pater generat Filium, & Sanctus Spiritus procedit ab utroque, non eſt in eis tempus, locus, materia, nec aliquod accidens.

11. Tartarus ergo conſideravit quamplurimùm in his verbis, & ſenſit in ſe advenientem gratiam Sancti Spiritûs, & ait: Domine, ſcirésne per alium modum oſtendere Veritatem Catholicæ Fidei? cui Blanquerna reſpondens dixit: ſicut tibi dedi modum intelligendi ea, quæ intellexiſti de Fide per metaphoras ſumptas à vegetativo, ſenſitivo & intellectivo &c. in conjuncto, ſimiliter poſſum tibi dare modum intelligendi Fidem per metaphoras ſumptas ab Angelis & à corporibus ſupracœleſtibus, comparando & aſſimilando DEO, ſecundùm quòd habent cum eo proportionem; de his ſimiliter tibi ſatisfaciam, niſi habeas ſufficientiam de prædictis: cui Tartarus imbutus Sancto Spiritu reſpondit dicens: ſufficit mihi id, quod ſentio operante gratiâ Sancti Spiritûs, benedictus ſit Dominus DEUS omnipotens, & omnia ſua opera benedicantur, & tempus ſit benedictum & locus, quo te inveni; tunc Tartarus præ nimio gaudio flevit diu, & Blanquerna cum eo, glorificantes & laudantes DEUM.

De Oratione Tartari ad Dominum.

1. TArtarus ſurrexit, & flexit genua, & compulſis manibus elevavit ſuam mentem & oculos in cœlos, dicens: O Domine DEUS altiſſime & omnipotens, credo in Te, ego homunculus & in omnibus rebus vilis & infimus & gravis peccator te adoro, te glorifico, gratias ago tibi, quia in mea ſenectute non modicùm, ſed ût plurimùm me illuminare dignatus es! O Pater, mi Rex, æterne DEUS, quare vixi tamdiu ignorans te Domine mi DEUS? qui creâſti me, in omnibus diebus vitæ meæ largitus es mihi proſperitates & honores, in meis neceſſitatibus me ſuſtinuiſti, nunc perenniter protexiſti me à conventu Dæmonum, quibus eram ſervus, ignorans te Domine.

2. O Domine, Fili Splendor Patris, verus DEUS de vero DEO, vera Lux de vera Luce, qui illuminas omnem credentem in te, te glorifico, te benedico, qui me & omnes credentes in te dignatus es redimere in Paſſione & Morte Humanitatis, quam aſſumpſiſti cooperante Sancto Spiritu: gratias ago tibi, quantum mea anima tibi poteſt agere gratias, ſed modicum eſt reſpectu tuî; quia tu es maximus, ego minimus; tu es potens, ego impotens; tu ſciens, ego verò ignorans; illud Ens glorioſum, quod eſt id, quod eſt in te, & quod tu es, tibi dignetur pro me agere gratias; & quia non poſſum, ſuppleat id, ad quod mea parvitas non poteſt pertingere; illa autem altiſſima Humanitas, quam pro me & pro omnibus aſſumpſiſti, te cognoſcat humilem, pium & benignum, & Virgo Virginum tua glorioſa Genetrix, ex cujus pretioſa Carne dignatus es ſumere tuam pretioſam Carnem, & omnes tui Angeli, & omnes Sancti & Sanctæ agant tibi gratias

pro

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pro me miſero, te benedicant, te glorificent per infinita ſæcula ſæculorum.

3. Tartarus ſic orans cum ferventi devotione & contritione ſui cordis in profundis ſuſpiriis & dulcedine lacrymarum incepit ab Eſſentia DEI dicens per rectam lineam, ſecundùm quòd audiverat à Blanquerna, o ſanctiſſima & excellentiſſima Divina Eſſentia, tu es Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c.; & quia tu es id, quod ſunt omnes iſtæ Proprietates, potes omnia, quæcunque vis, & eſt impoſſibile, quòd in te ſit ullus defectus, quia non eſſes illud, quod es. O ſumma Eſſentia, quia es bona, es bonificans; & quia es magna, es magnificans; & quia es æterna, es æternificans &c.: unde ſequitur, quòd tu glorioſa Eſſentia ſis Pater, qui es bonificans, magnificans, æternificans &c. per totam Bonitatem &c., ut non ſis otioſa; quod eſt impoſſibile.

4. O ſumme DEUS Pater, Principium ſinè principio, tu es ille, qui de tota tua Eſſentia producis Filium bonificans, magnificans, æternificans &c. eum, & Sanctum Spiritum, ideo ſunt inceſſantes omnes tuæ Dignitates, quæ ceſſarent alia in alia per totam tuam Eſſentiam ſinè te & ſinè illa glorioſiſſima Operatione, quam de te habes in te cum Bonitate &c.

5. Tu Pater omnipotens in mundo creâſti me, & ita ſum tuus Filius, quia in primis principiis de nihilo creâſti me, & in ſecundariis principiis genuiſti me, non ceſſas in me producere tuas ſimilitudines, ſecundùm quòd in me poſſunt recipi; tu es Pater meæ Animæ & virtutum ejus, ipſa enim eſt tua filia; ecce ipſam ad cognoſcendum & diligendum te & ſerviendum tibi ſemper, quia juſtum eſt; intra, Pater omnipotens, in meam memoriam, in meum intellectum & in meam voluntatem, ut ſint thalami, in quibus habitent tuæ Proprietates & honores; meum cor ſit tibi palatium, in quo ſis meus Dilectus, & ex quo amore tuî fluat cum ſuſpiriis dulcedo lacrymarum.

6. O DEUS Fili ſummi Patris, qui es æqualis illi, tu es meus DEUS, tu es meus Redemptor, tu es meus Frater, in quantum induiſti Naturam meæ carnis; tu es ille Leo fortis, qui te non dubitaſti morti tradere, nam pro me dediſti ☞ infinitum in Homine excedente omne, quod creatum eſt: tu es Filius æternitatis, ego filius principii; tu es æternus Filius æterni DEI, ego filius mortis propter mea delicta; tu es Filius & es Pater, ego verò non ſum dignus eſſe filius nec pater nec etiam ſervus; ſed quia es humilis, pius, benignus & miſericors, ergo fiat de me id, quod vult tua voluntas.

7. O Spiritus alme DEUS, tu es in Patre & Filio æqualis eis in Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c., procedens ab utroque, ergo non eſt aliquid ſupra te; quamvis autem ſis in gradu altiſſimo, ſuper quem non eſt gradus, tu tamen propter tuam Bonitatem dignatus es deſcendere ad dirigendum me miſerum in viam æternæ ſalutis, à tua altitudine recordatus es mei miſeri latentis in infimitatibus; cum infinita & æterna Bonitate &c. recordatus es mei, quid ergo dicam tibi, quantas gratias tibi infinito poſſum refundere, cùm ſim peccator miſerrimus & finitus.

8. O ſanctiſſima humana Perſona in ſummo Filio æterni Patris, te adoro, te magnifico, te glorifico, & benedico tibi, quantum poſſum, non autem quantum volo, quia mea voluntas eſt major, quàm mea poteſtas; tu DEUS & Homo, qui Chriſtus diceris, tu Chriſte pro me fuiſti venditus, traditus, derelictus, oblitus, vituperatus, flagellatus, deriſus, crucifixus & mortuus, faciens bona, & non mala: quid ego miſerrimus faciam amore tuî, vel quid dicam, dic mihi Domine, mi Redemptor; faciam autem id, quod ſignum tuæ Crucis repræſentat, moriar enim pro te, quia mortuus es pro me: pro te pauper ero, quia pro me pauper fuiſti in ſæculo; tu ineffabilia feciſti pro me, quid ergo potero pro te facere; faciam autem, quidquid pro te potero, quia non ultra poſſe vis vel requiris.

9. Domine & Pater mi, JESU Chriſte, quia totum te dediſti ad ſalvandum me, & quia in fine meorum dierum dignatus es me dirigere, præſta, ut aliquid poſſim operari, quod tibi placeat; concede mihi magnitudinem in fide, ſpe, charitate, & juſtitia, prudentia, fortitudine & temperantia, ut multa poſſim agere in magnitudine virtutum, ut multùm poſſim adverſari vitiis, in quibus per longa tempora verſatus ſum.

10. Flens itaque rogabat Tartarus Blanquernam dicens: chariſſime Pater Blanquerna, Vir electe, Vir timens DEUM, ora pro me miſero ad noſtrum Dominum DEUM, ut dignetur parcere mihi peccatori, multa ſunt mea dilecta. O DEUS DEUS meus! quàmdiu contexerunt me tenebræ; & cùm Tartarus ſic loqueretur,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

recordatus eſt glorioſæ Virginis MARIÆ, & ait:

11. O glorioſa Domina Virgo Virginum, ô Regina, quæ meruiſti portare Filium ſummi Regis, Redemptorem omnium, quis ergo poterit æſtimare altitudinem tuæ felicitatis, directus ſum, electus ſum & illuminatus in ſanctam ſemitam, quæ eſt via viarum, lumen luminum & veritas veritatum, quæ ſinè te non eſſet, quia tu Benedicta es principium meæ ſalutis; ſis ergo medium & finis meæ benedictionis; & quia magna es, da mihi magnum; & quia bona es, fac mihi bonum; nam in tuo Filio & in te produxit Filius DEI plus de ſuis ſimilitudinibus, quàm in omnibus creaturis: dignare ergo me reſpicere, vide, quàm grave periculum mihi imminet, niſi de meo toto poſſe magnificem benedictum Fructum Ventris tui, ſerviens ei omni tempore, quamdiu fuero, qui à tot hominibus ignoratur, & qui etiam ab his, quibus aperuit cognitionem ſuî, non tam debitè, prout conveniret, magnificatur cum ferventi devotione & cordis compunctione.

12. Tartarus fundens lacrymas cum ſuſpiriis adorabat Dominum DEUM omnipotentem, & direxit ſuas preces ad Sanctos Angelos ſupernæ Patriæ, & ad omnes Sanctos & Sanctas DEI, ut apud DEUM pro eo intercederent, agentes illi gratias & magnificationes, quia DEUS revocavit eum ab erroribus in viam perpetuæ beatitudinis: finitâ oratione Tartarus ſurgens dixit Blanquernæ hos ſermones.

De Licentia redeundi, quam accepit Tartarus à Blanquerna.

1. DOmine Blanquerna: quando veni ad te, eram tanquam vas vacuum, nihil habens veritatis, eram plenus nihilo, quia error excæcaverat meam animam; nunc autem cooperante Divinâ Gratiâ ſentio me plenum virtute, veritate, gratiâ, lumine ſcientiæ, & igne charitatis, mediante tuo auxilio: unde quia mediante Gratiâ DEI per te ſum directus in viam veritatis, tu ergo es principium meæ ſalutis, deficit autem mihi medium, ut poſſim pervenire ad finem, qui eſt beatitudo; te deprecor, ut mihi des Sacramentum Baptismatis, per quod Chriſtiani perveniunt ad viam ſalutis.

2. Reſpondit Blanquerna: Fili, paratus ſum tuis precibus acquieſcere, & quia juſtum eſt & opus charitatis, teneor illud adimplere; ſed quia in omnibus eſt recurrendum ad utiliora, bonum debet dimitti propter melius; vade ergo ad Dominum Papam Sanctum Patrem, ut tibi conferat Sacramentum Baptiſmi portans ei & offerens hunc Librum, ut percipiat, quæ inter nos geſta ſunt; ipſe enim in terris eſt Claviger ſupernæ Curiæ, quem includit, eſt incluſus, & quem excludit, eſt excluſus; ideo dabit tibi indulgentiam omnium tuorum peccatorum, & infundet in te ſuam gratiam & benedictionem; poſtea intrabis terram tuæ nativitatis, & evangelizabis Fidem Chriſti, non timeas mori pro eo, qui pro te voluit mori, deſideres tibi ſuſtinere paupertatem & vituperium, labores & tormenta & languores pro eo, qui pro te ſimilia paſſus eſt, ut augeas commune bonum, quod valde gratum eſt DEO: quoniam ſicut ignis producit ſimile calefaciendo & illuminando, ſic & multò meliùs noſter Dominus JESUS Chriſtus, qui pro nobis paſſus eſt, attrahit ſuum ſimile in hominibus, qui pro ipſo & pro ſalute chriſtiana ſunt pauperes & in opprobrium gentibus, ſuſtinentes mortem per Martyrium.

3. Tunc Tartarus ait illi: de tuo ore procedit dulcedo ad meum cor, tradis mihi utile conſilium, vadam ergo, ſicut deliberaviſti, & videbo Dominum Papam Sanctum Patrem pro mea ſalute, oſtendens ei, quæ inter nos dicta ſunt; deinde revertar in patriam, omnia iſta affectuoſiſſimè concupiſco; multùm enim doleo, quia noſter Dominus DEUS non colitur in hoc ſæculo, ſicut deberet; deſidero enim ût plurimùm ſalutem meorum parentum & omnium, qui ſunt in via damnationis, ſicut ego ſimiliter eram: deinde Tartarus valefaciens voluit diſcedere, ambo fleverunt, diu lacrymabiliter laudantes Dominum; ultimò Blanquerna largitus eſt illi ſuam benedictionem, & ille adiit Romanam Curiam, ſatagens, ut poſſit adimplere ea, de quibus deliberaverat.

De Baptizatione Tartari.

1. COntigit, dum Tartarus ingrederetur Romanam Curiam, quòd Dominus Papa celebraret ſolennem Miſſam, & invénit eum celebrantem, & Eccleſia erat plena ſanctis viris, ſcilicet Prælatis & Religioſis; multùm placuit Tartaro divinum Officium, quod

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quod audivit, & videns tantam multitudinem nobilium Virorum dixit in ſuo corde hos ſermones: O ſumme DEUS omnipotens, quàm peregrinæ ſunt mihi omnes iſtæ viſiones & conſiderationes, quas mihi miniſtras; Pater mi, Domine DEUS, quot & quanti ſunt per univerſum orbem, qui oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, intellectum habent, & ignorant, quia non eſt eis adjutor proponens veritatem; parati ſunt intelligere te, nec eſt, qui doceat eos te intelligere, os habent, & neſciunt te laudare, quia de te non audiunt loqui; & ita naſcuntur totâ die & moriuntur, & ſicut flumina præcipiti lapſu non ceſſant fluere ad mare, ſic illi ignorantes te nullo tempore ceſſant ruere in infernum.

2. Dum Tartarus iſto modo cum lacrymis adorans Dominum diu ſtetiſſet in conſiderationibus, Dominus Papa unà cum ſuis Miniſtris explevit divinum Officium, quo expleto Tartarus ſe direxit ad eum, requirens cum intimâ devotione baptizari. Tunc Dominus Papa ait illi: quis es tu, qui vis fieri chriſtianus? Tartarus reſpondit illi: mi Domine, ego ſum Tartarus, error excæcavit me, modò video veritatem. Tunc Papa ait: benedictus ſit noſter Dominus DEUS, qui per ſuam gratiam dignatur te reducere in viam ſalvationis.

3. Tunc Tartarus narravit ei per ordinem omnia, quæ ipſi acciderant de Judæo & Saraceno, & ultimò de Blanquerna, totum per ordinem, quomodo induxit eum in Catholicam Fidem: deinde obtulit Papæ Librum, dicens: credo firmiter & aſſero, quòd hìc ſit verâ Catholica Fides, prout Blanquerna mihi hìc verbótenus declaravit; & quòd vos etiam Sancte Pater omnium Chriſtianorum à Chriſto Filio DEI meruiſtis habere tantam poteſtatem in virtutibus ſpiritualibus & etiam corporalibus, quòd totus mundus per vos poſſit reduci in viam veritatis. Tartarus habuit multa colloquia cum Domino Papa, quæ multùm ipſi Papæ & omnibus Cardinalibus placuerunt.

4. Poſtea Dominus Papa paravit eum baptizare, & conſecrato fonte Baptiſmatis interrogavit eum, quo nomine ſe vellet vocari? ille autem dixit: *Largus* erit meum nomen, & baptizatus eſt Tartarus à Domino Papa; poſtquam autem fuit baptizatus, quæſivit Papa ab eo, quare voluerit illo nomine ſe vocari?

5. Largus reſpondit illi: Domine ſancte Pater, avaritia nimìs extollit in mundo ſuas vires, quas pro meo poſſe propono in me retundere: præterea DEUS fuit tam largus de ſe in homine, quòd ipſe pro nobis Homo mortuus eſt, & qui per veram viam eum nititur diligere, illi tribuit ſe totum DEUS; ideo deſtinavi me appellare illo nomine; nam propono me largiri morti ex amore illius, qui pro me fecit illud idem.

6. Tunc Papa dixit illi: Large, dilecte Fili, proponis incedere per veram viam, DEUS per ſuam gratiam dirigat tuum principium ad laudabilem & glorioſum finem; & ideo Fili, pete à me, & dabo tibi pro meo poſſe, quia juſtum eſt.

7. Largus verò reſpondit: poſtquam mihi dabitur hoc, quod peto, per modum juſtitiæ, dilectiſſime ſancte Pater, unum munus à te ſuppliciter depoſco, tu ergo, ſicut promiſiſti, digneris mihi illud largiri, quia potes; Infideles opinantur, quòd nos Chriſtiani per alium modum credamus in DEUM, per quem non credimus, qui, ſi ſcirent & intelligerent ea, quæ credimus, ſinè dubio multi ſunt, qui derelictis erroribus agnoſcerent Dominum JESUM, & quòd DEUS ſit unus & trinus; ideo ſupplico tibi, ſicut venerabilis Blanquerna mihi injunxit, *quòd illum Librum, quem tibi obtuli, cujus nomen eſt, Quicunque vult ſalvus eſſe, facias transferri in diverſa idiomata, & mitti per univerſum orbem*, ut Infideles intelligant, quomodo credamus in Divinam Trinitatem & in benigniſſimam Incarnationem Filii DEI noſtri Domini JESU Chriſti: ampliùs, paratus ſum ire in fines Tartarorum, & ita rogo vos ſuppliciter ſancte Pater, ut ad Regem eorum deſtineris veſtras literas, ego ero fidelis nuntius ad proteſtandum veritatem Fidei.

8. Auditâ juſtâ poſtulatione Dominus Papa acquievit precibus Largi; dum autem expediretur, de formatione hujus epiſtolæ dixit Largus ad D. Papam: Domine ſancte Pater, Dominus noſter JESUS Chriſtus eſt noſtrum Caput, ergo in Capite hujus Epiſtolæ debet præponi omnibus; Saraceni enim in principio ſuarum epiſtolarum præponunt nomen ſui Mahometi omnibus, qui fuit peſſimus omnium hominum; quantò magìs ergo debemus præponere Nomen noſtri Domini, ſcilicet JESUM Chriſtum, qui fuit & eſt & erit in æternum optimus omnium hominum: audiens Dominus Papa, quòd ſit juſtum & rationabile, præce-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

præcepit, quòd Epiſtola prænotaretur, ſicut Largus voluit; deinde appoſito ſigillo Domini Papæ Largus ſuſcipiens Epiſtolam & benedictionem à ſummo Pontifice profectus eſt in terram, de qua fuit oriundus, ut gentibus prædicaret Catholicam Fidem.

9. Et cùm Largus receſſit à præſentia Domini Papæ & Cardinalium, dixit quidam circumſtantium Clericorum: ô utinam eſſent quamplures talium nuntiorum miſſi à Domino Papa per univerſum orbem; quoniam per eorum demonſtrationem & prædicationem veritatis multi derelictis erroribus converterentur ad Catholicam Fidem, per quorum converſionem Sancta Eccleſia ſuſciperet incrementum.

10. Quo audito objecit ei alius circumſtantium dicens: multò melius eſſet, quòd Dominus Papa conſtitueret unum magnum Principem ad bellandum contra nationes infidelium, & hoc expreſsè ordinatum eſſet, ut nullo tempore ceſſaret deſtruere infideles, donec non eſſet, qui repugnaret Catholicæ Fidei; igitur iſti duo Clerici litigabant ad invicem diſputantes, dicente primo: quòd melius eſſet ampliare Catholicam Fidem per ſcientiam & per effuſionem ſanguinis promerendo Palmam Martyrii ad modum Domini JESU Chriſti & ſanctorum Martyrum, quàm per modum belli cum gladio; alius verò reſiſtebat ei dicens: nunquid eſſet potius, eſſe ordinatum & poſitum expreſsè, ut aliquis maximus Rex eſſet deputatus in perpetuum ſucceſſivè, qui cum magno exercitu Chriſtianorum devaſtaret & deſtrueret Infideles; nam ſi hoc ſciretur in nationibus infidelium, citò converterentur, & obedirent Catholicæ Eccleſiæ: tunc igitur facta fuit hæc Quæſtio coram Domino Papa, quid prædictorum duorum ſit utilius Catholicæ Eccleſiæ, & magis gratum DEO, & utrùm hæc duo ſint neceſſaria; quorum debitam ſolutionem exſpectamus ad honorem illius, qui regnat

Trinus & Unus Omnipotens
Summus DEUS.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI DISPUTATIO FIDELIS ET INFIDELIS.

DEUS ad tuam Laudem & Cognitionem tuæ Omnipotentis Virtutis incipit Liber *de Diſputatione Fidelîs & Infidelîs.*

1. DEUS Omnipotens, ſummè recolibilis, ſummè intelligibilis, ſummè amabilis, cujus Nomen benedictum in æternum. Amen.

RAYMUNDUS indignus ſervus ejus & inſufficiens *Procurator Infidelium*, ſupplicat, quantum poteſt, Univerſitati Pariſienſi, à qua totus Orbis Terrarum ſe exſpectat illuminari in viam Veritatis, ut à ferventibus & devotis Viris illuſtratis Divinâ Scientiâ & Veritate convertantur à ſuis erroribus in Veritatem, quatenus intuitu Charitatis ſtatuatur, ut Catholica Veritas prædicetur Philoſophis Infidelium, qui falsè philoſophantes ex falſis & erroneis poſitionibus nituntur deſtruere rectam Sanctam Catholicam Fidem. Adhibeat ergo Summa Peritia Magiſtrorum Pariſienſium huic tam crudeli naufragio propter Honorem DEI & Exaltationem Fidei optimum remedium; devincantur Infidelium falſæ poſitiones, & annullentur eorum objectiones contra Fidem, quoniam ſunt inſtabiles; & veræ Poſitiones, quas facimus de Veritate Fidei, permaneant integræ & illæſæ, ita quòd Lux Supremæ Scientiæ & Honeſtatis Vitæ Pariſiis edita illuminet Mundum univerſum ad Cognitionem & Dilectionem DEI.

2. Ut autem Fidelibus appareat Modus Objectionis Infidelium, quem faciunt contra Fidem, & Modus eas deſtruendi, ego prædictus RAYMUNDUS compono hunc Librum confidens in Adjutorio Gratiæ DEI. Igitur in hoc Libro conſtituo Diſputationem Catholici & Infidelîs ex oppoſito, ût apparebit in ſequentibus. Primò Catholicus proponit ſuam Poſitionem Infideli, deinde Infidelis objicit illi propoſitæ Poſitioni, & Infidelis rurſus facit ſuam Poſitionem Catholico, cui Poſitioni factæ objicit Catholicus; & ſic per conſequens proponente & objiciente ad invicem altero iſtorum alteri, & è converſo, patet, cujus Poſitiones ſint fortiores; & iſte eſt proceſſus hujus Libri.

De Diviſione hujus Libri.

1. ISte Liber dividitur *in octo Partes;* in quarum *prima* probatur, quòd DEUS ſit, quia ſunt multi, qui negant, quòd DEUS ſit. In *ſecunda* probatur, quòd in Divinis ſit Productio. In *tertia* probatur, quòd ſit Trinitas Perſonarum. In *quarta* probatur, quòd ſit Incarnatio DEI. In *quinta* tractatur de Sacramentis. In *ſexta* tractatur de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Principio Mundi. In *septima* de Resurrectione. In *octava* de Prædestinatione & Libero Arbitrio.

2. In Principio hujus Operis Ego prædictus RAYMUNDUS indignus supplico Vobis Excellentissimis & Honoratissimis Viris Sacræ Paginæ Professoribus, & aliis aliarum Facultatum Doctoribus & Magistris Parisiensibus, quatenus dignemini & vobis placeat audire falsas Positiones, quas Infideles faciunt contra nos arguentes contra Catholicam Fidem; „ & harum Positionum ali„quas Ego, qui longo tempore cum illis di„sputando certavi, commoditati hujus Ope„ris applicavi „; à Vobis igitur tanquam à meis Dominis, etiam tanquam à meis Patribus & Magistris supplex postulo auxilium & etiam correctionem, si in aliquo hujus Operis ignoranter vel minùs bene dixerim, vel fortassis in aliquo repugnaverim Veritati. Valeat (opto mihi) cum Divino Auxilio Gratia & Succursus Vestri Excellentis Consilii, & valeat mea Procuratio, ut non solus Ego (quia sum indignus) sed potiùs Vos valeatis protendere Laudem DEI, & procurare Commoda totius Christianitatis.

PARS I.
Quòd DEUS sit.

1. DIxit Catholicus Infideli: suppono, quòd DEUS sit Ens Reale; & hanc Positionem probo sic: manifestum est, quòd bonum sit objectum humanæ voluntatis, & verum sit objectum humani intellectûs, & interpono Magnitudinem his prædictis quatuor terminis: unde resultat, quòd, si DEUS sit Ens Reale, Magnitudo sit major in prædictis quatuor terminis, quàm si DEUS non est Ens Reale, sed tantùm in Ratione Animæ: nam si DEUS non est Ens Reale, Magnitudo est major in malo, quàm in bono, & in falso, quàm in vero; quia si DEUS non est, est plus mali, quàm boni, & falsi, quàm veri, ût per se patet; Magnitudo etiam est major in verbo, quod voluntas & intellectus producunt ex Ratione non reali, supponentes, quòd DEUS sit, quàm in Ente Reali per se existente; quod est impossibile: cùm Magnitudo Bonitatis & Veritatis & Ens Reale concordent inter se, & parvitas & Ratio similiter conveniant inter se: unde ex his patet, quòd præsupposita Positio sit vera.

Contra istam positionem dixit Infidelis: voluntas potest plus velle, quàm rem volitam obtinere; & intellectus potest plùs intelligere verbum phantasticum de similitudinibus productum, quàm objectum, à quo extrahit similitudines, de quibus constituit verbum; quod est ideo, quia inter intellectum & suum verbum non est aliud medium, nisi suum intelligere; sed inter intellectum & suum objectum, quod est in re, sunt duo media, videlicet intelligere & verbum phantasticum; & sic similiter sequitur de voluntate: ergo ex his videtur, quòd Positio non valeat, quia Magnitudo potest esse major in verbo, quàm in re, & in Bonitate & Magnitudine verbi, quàm in Bonitate & Veritate Entis Realis.

2. Dixit Infidelis Catholico: suppono, quòd DEUS non sit Ens Reale, sed quòd sit ens tantùm in verbo phantastico, in quo est in ratione tantùm; & hanc Positionem probo sic: humanus intellectus & voluntas appetunt multiplicare suam bonitatem in Potestate & Perfectione, quia voluntas semper appetit plùs posse velle & perfectiùs, & idem est de intellectu, qui semper appetit plùs posse intelligere & perfectiùs; ut autem possint habere tale objectum, de quo sit magnum suum intelligere & suum velle, abstrahunt infinitas similitudines à finitis similitudinibus illius, de quibus in ratione constituunt summum ens infinitum, quod affirmant, quòd sit DEUS, illud autem non est in Re, sed in Ratione tantùm.

Contra hanc Positionem dixit Catholicus Infideli: causa, quare intellectus & voluntas appetunt multiplicare suam bonitatem in Potestate & Perfectione, non est contra multiplicationem Veritatis; cùm Veritas sit objectum intellectûs, & Bonitas objectum voluntatis, qui naturaliter non appetunt multiplicare malum & falsum contra verum, bonum, Potestatem & Perfectionem, sed appetunt pertingere ad verum & bonum realiter infinitum; quia nisi ita esset, sed si esset oppositum, sequeretur, quòd falsum esset objectum intellectûs, & malum esset objectum voluntatis; quod est impossibile: sed quia DEUS est realiter, sequitur, quòd intellectus & voluntas in *suis* similitudinibus infinitis se multiplicent agendo & assumendo in ratione eas similitudines, quæ sunt veræ & bonæ, cùm sint de Ente vero, bono & infinito in re, quod est DEUS; & ideo non valet tua Positio.

Ait

(c) 2006 Ministerio de Cultura

3. Ait Catholicus: ſi DEUS eſt, ſequitur, quòd Bonitas & Magnitudo ſint majores Rationes, & per conſequens malitia & parvitas minores rationes; nam ſi DEUS eſt, Bonitas & Magnitudo ſunt Rationes infinitæ & æternæ, ſi autem DEUS non eſt, ſequitur oppoſitum prædictorum; & per conſequens malitia & parvitas habent majorem poteſtatem & finem, quàm Bonitas & Magnitudo, quæ impediunt, has eſſe infinitas Rationes; & ſic poteſtas & finis ſunt magìs appetibiles in malitia & parvitate, quàm in Bonitate & Magnitudine; quod eſt impoſſibile: ex quo patet, quòd DEUS ſit.

Contra hoc dixit Infidelis: ſuppoſito, quòd DEUS non eſſet, niſi in ratione tantùm, concedo, quòd Bonitas & Magnitudo eſſent majores in ratione Animæ tantùm, quàm ſint malitia & parvitas; cùm ratiocinari infinitum bonum & magnum ſit major Poteſtas & Finis, quem Anima poſſit habere; attamen malitia & parvitas ſunt majores in re, quàm Bonitas & magnitudo, aliàs homo poſſet facere plus boni, quàm mali, & plus de magnitudine, quàm de parvitate; quod eſt impoſſibile.

4. Dixit Infidelis: DEUS non eſt, quia, ſi DEUS eſſet, Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium eſſent ſimul in Veritate, quia in DEO eſſent perfecta Sapientia & perfecta Juſtitia; nam quoad rationem perfectæ Sapientiæ convenit, quòd ſit Prædeſtinatio, & quoad perfectam Juſtitiam convenit, quòd ſit Liberum Arbitrium; & ita Prædeſtinatus neceſſariò ſalvaretur & non neceſſariò; quod eſt contradictio: ergo eſt impoſſibile, quòd DEUS ſit, nec per conſequens eſt alia Vita præter iſtam mortalem.

Contra hoc ait Catholicus: ſuppoſito, quòd DEUS ſit Ens Reale, nihilominùs adhuc ſequitur, quòd Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium ſimul poſſint ſtare in Veritate, iſto modo: quia ſicut in DEO Poteſtas & Voluntas & Perfectio eſſent idem, ita in ipſo Sapientia & Juſtitia & Perfectio eſſent idem; nam ſicut Poteſtas poſſet, quidquid Voluntas vellet, & Voluntas vellet, quidquid Poteſtas poſſet, cùm eſſent idem, ſic Sapientia, quæ eſſet idem cum Poteſtate & Voluntate, poſſet, quòd Prædeſtinatio eſſet non obſtante *eſſe* Liberi Arbitrii; & ſic ſimiliter Juſtitia, quæ eſſet idem cum Poteſtate & Voluntate, poſſet, quòd Liberum Arbitrium eſſet, non obſtante *eſſe* Prædeſtinationis; & ideo prædicta Poſitio non valet.

5. Dixit Catholicus: poſito, quòd DEUS ſit vel non ſit, Æternitas eſt, cùm nullum ens poſſit eſſe, niſi ſit Æternitas, quia nullum ens poteſt produci de *non eſſe*: ergo probatum eſt, quòd Æternitas ſit, quia ens eſt, videlicet Mundus, & quæ in eo ſunt. Unde ſi DEUS non eſt, Æternitas quidem eſt infinita quoad durationem, ſed finita & terminata in ſubjecto, videlicet in extenſitate Mundi, qui eſt finitus; non enim protenditur ultra octavam Sphæram: igitur nihil aliud eſt infinitum ſimpliciter, niſi ſola Æternitas, ſi DEUS non eſt; quia nec Bonitas, nec Magnitudo Æternitatis eſt infinita; æternitas quidem mundi non intelligit, quia in ſe non producit magnum intelligibile ſibi æquale, nec diligit in ſe, cùm non habeat voluntatem, & ſic de ſingulis dignitatibus pertinentibus ad Æternitatem: igitur Æternitas eſt defectiva in omnibus præterquàm in duratione; & ita duratio eſt finis, & cæteræ Dignitates vel Proprietates Æternitatis ſe habent defectivè ad finem: ergo Æternitas eſt ſummum ens, & cætera, quæcunque ſunt, habent ſuum finem in duratione, & non in bene agere; quod eſt impoſſibile: nam ſecundùm hoc metalla, & etiam lapis & cætera ſimilia lapidi conſiſtunt in majori bonitate, quàm homo; quod eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd DEUS ſit; qui ſi eſt, Æternitas illius eſt infinita in Duratione & in Magnitudine, & per conſequens in Bonitate & in omni Perfectione; & ſic DEUS eſt Summum Ens & Finis omnium in Æqualitate Bonitatis & Æternitatis & Magnitudinis &c.; & Summum Ens eſt cum omnibus ſuis conditionibus ſummis & perfectis.

Contra hoc ſic dixit Infidelis: ſicut Anima eſt forma corpori exiſtens in Bonitate, & ſic major, quàm corpus, ita Æternitas mundi eſt forma ſuo ſubjecto, & ſic Æternitas eſt infinita, quia eſt major & nobilior, ſed ſuum ſubjectum eſt limitatum in corporali quantitate, quia convenit, quòd ſubjectum ſic ſit proportionatum, corpus autem eſt infinitum in duratione, cùm ſubjectum illius ſit Æternitas: igitur nullum ens eſt ſummum præter ſolam Æternitatem: quod etiam patet, nam omnia entia appetunt *eſſe*, & omnia particularia entia ſunt nobiliora per formam, quàm per materiam; cùm forma ſit id, quod dat *eſſe* rei: ergo ſola Æternitas in univerſo Mundo eſt ſummum ens, & ſubjectum ejus ſunt entia in-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

dividuata, & ipsa Æternitas est totum in Universo, & finis suarum partium tanquam totum; & sic non valet prædicta Positio.

6. Dixit Infidelis: DEUS non est, quia, si DEUS esset, sicut convenit, quòd sit infinitus in Æternitate, ita & similiter in Immensitate extensionis; in extensione autem non posset esse infinitus, nisi haberet corpus; cùm sinè corpore non posset implere illam extensionem; sed non potest esse infinitum corpus, quia sic esset sinè superficie; quod est impossibile: ergo patet, quòd sit impossibile, quòd DEUS sit.

Contra hoc sic dixit Catholicus: si DEUS est, ita sunt in ipso Æternitas & Magnitudo, quòd Æternitas ratione Magnitudinis sit infinita in Immensitate sinè corporeïtate & loco, & Magnitudo similiter infinita in Duratione ratione Æternitatis; nam posito, quòd DEUS sit, sicut se habent Potestas & Voluntas in ipso, videlicet, quòd Potestas possit, quidquid vult Voluntas, & Voluntas habeat, quidquid Potestas potest, cùm sint idem, ita similiter Æternitas & Magnitudo DEI se habent, quæ sunt idem cum Potestate & Voluntate; sed quia, si DEUS est, Potestas Magnitudinis & Voluntatis & Æternitatis est in DEO una & eadem, DEUS potest esse immensus, videlicet sinè Fine, quia vult esse infinitus tam in Immensitate, quàm in Æternitate. Ergo non valet prædicta Positio, quod patet per Identitatem Voluntatis, Potestatis, Æternitatis & Magnitudinis, ût jam dictum est.

7. Ait Catholicus: *esse* & *privatio*, *perfectio* & *imperfectio*, *possibile* & *impossibile* simpliciter opponuntur, & sic *esse*, *perfectio*, *possibile*, simul concordant, *privatio* verò *imperfectio* & *impossibile* conveniunt: unde ex hoc, quia esse & possibile & perfectio sunt in majori magnitudine & entitate, quàm privatio, imperfectio & impossibile, ideo esse, perfectio & possibile possunt magìs contrariari privationi, imperfectioni & impossibili, quàm è converso, quia habent majorem potestatem & majorem magnitudinem, quàm privatio, defectus & impossibile. Igitur ex hoc necessariò sequitur, quòd Summum Ens sit, quod est DEUS; quod Ens non possunt cogere privatio, defectus & impossibile, quòd non sit in summa Bonitate, Potestate, Æternitate, Infinitate &c.; quia si cogerent, quòd illud non esset, privatio, imperfectio & impossibile essent simpliciter summum ens infinitum & æternum; quod est contradictio. Ergo Summum Ens perfectum in Æternitate & Magnitudine &c. est, quod est DEUS.

Contra hoc dixit Infidelis: manifestum est, quòd homo mortuus, brutum mortuum, planta corrupta, & sic de singulis his similibus plùs erunt in privatione, quàm fuerunt in esse; quia à parte post erunt in perpetuum in privatione & defectu; & ita magnitudo illorum est major in privatione, quàm in duratione; & ideo est manifestum, quòd privatio sit finis, & esse se habeat ad privationem: & ideo, quia privatio est finis, cum qua privatione concordant imperfectio & impossibile, sequitur, quòd perfectio & possibile se habeant ad prædictum finem, videlicet perfectio ad imperfectionem, & possibile ad impossibile; igitur per consequens potestas & magnitudo sunt majores quoad privationem, imperfectionem & impossibile, quàm è contrario.

8. Dixit Infidelis: si DEUS est, sua Potestas & Sapientia sunt infinitæ & finitæ; infinitæ, quia ipsæ sunt Rationes infiniti Entis; & sunt finitæ, quia Potestas non potest facere id, quod Sapientia scit, quòd Potestas non sit factura; nam si Potestas posset illud facere, scire Sapientiæ esset finitum, quia non posset [illegible] scire, nisi finita; & ita Potestas esset infinita quoad se, & finita quoad Sapientiam; & quod sequitur de Potestate, idem est de Sapientia; nam ipsa est infinita, quia scit omnia, est tamen finita quoad Potestatem, quæ, cùm suum posse sit infinitum, potest facere id, quod Sapientia scit, quòd ipsa non sit factura; quia si non potest omnia facere, posse illius est finitum: & ideo patet, quòd DEUS non sit; nam si DEUS est, est prædicta contradictio, videlicet, quòd sua Potestas & Sapientia essent infinitæ & finitæ; quod est manifestè impossibile.

Contra hoc Catholicus: si DEUS est, sua Potestas & Sapientia sunt idem numero, & per consequens suum posse & scire; & ideo ex ista Unitate & Identitate numeri, quam habent in essendo & in agendo, est impossibile, quòd una illarum possit finire aliam, & quòd una contrarietur alteri; imò potiùs adeò concordant, quòd Potestas potest, quidquid Sapientia potest scire, & è converso Sapientia scit, quidquid Potestas potest; & sic in Divina Essentia Sapientia nescit quidquam, quod non possit Potestas, nec Potestas potest quidquam, quod nesciat Sapientia: ergo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ergo ſi DEUS eſt, non eſt in illo contradictio; & ideo non valet prædicta Poſitio. Præterea etiam contradictio in creatis non poteſt in Divina Eſſentia implicare contradictionem; quia ſic ſequeretur, quòd effectus poſſet corrumpere ſuam Primam Cauſam; quod eſt impoſſibile: unde etiam illa contradictio, quam prædicta Poſitio inducit, eſt in ratione intellectûs, & non in re, videlicet in DEO; non enim ratio humani intellectûs poteſt tantum ratiocinari de DEO, quanta eſt Divina Realitas.

9. Ait Catholicus: *bonum* & *ens* convertuntur, & per conſequens *malum* & *non ens*; igitur bonum & malum ſunt in oppoſito, & ens & non ens. Unde, ſi DEUS eſt, tanta eſt converſio Bonitatis & Entitatis, quòd ipſa eſt infinita in Æternitate, Poteſtate &c.; & ita major Converſio eſt in eſſe Bonitatis & Entitatis, quàm malitiæ & non entitatis; ſed ſi DEUS non eſt, ſequitur oppoſitum, & malum & non ens tam fortiter convertuntur in infinitate malitiæ & non entitatis, quòd infinitum bonum & infinitum ens non poſſunt eſſe; & ſic infinitum malum & infinitum non ens ſunt in actu cum tanta converſione, quòd non permittunt, quòd bonum & ens convertantur in infinita Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c.; & ita malum & non ens plùs contradicunt bono & enti, quàm è converſo; quod eſt impoſſibile: unde patet, quòd DEUS ſit.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi DEUS eſt, & *bonum* & *ens* in ſe convertuntur in Infinitate &c., & illa Converſio contradicit converſioni *mali* & *non entis*, ſequitur, quòd conſervet malum, & non permittat, quòd illud reducatur in non ens; ergo Bonitas DEI habet Concordantiam cum malitia in Æternitate; quod eſt impoſſibile, cùm Bonitas illius ſit Infinita: ergo Bonitas, cùm ſit infinita, tam fortiter impugnat malitiam, quòd omne malum reducatur in non ens, videlicet in privationem; & inde ſequitur, quòd Juſtitia DEI non poſſit punire culpam, quia ablato malo non eſt culpa: ergo Bonitas & Juſtitia DEI repugnant ſibi ipſis ad invicem; quod eſt impoſſibile: & ideo prædicta Poſitio non valet; nam ſi valeret, in DEO eſſet repugnantia & contrarietas, nec per conſequens eſſet Summum Ens.

10. Dixit Infidelis: ſi DEUS eſt, ſua Poteſtas eſt infinita, & per conſequens ſuum poſſe; quia ſi ſuum poſſe non eſſet in agendo in infinito actu, actus Poteſtatis eſſendo eſſet in Majoritate Magnitudinis, Bonitatis, Æternitatis &c., & poſſe illius eſſet in potentia, & non in actu; & ſic Divina Poteſtas eſſet diminuta; quod eſt impoſſibile; ſed ſi DEUS eſt, vel ſi infinitum poſſe eſt in actu agendo, ſicut Poteſtas eſſendo, neceſſariò convenit, quòd propria paſſio ſit infinita in Divina Eſſentia, in qua agit infinita Poteſtas; ſed in DEO non poteſt eſſe infinita propria paſſio, quia ſic eſſet in eo infinita materia; quod eſt impoſſibile: ergo actus Poteſtatis, qui eſt poſſe, caret in DEO propriâ paſſione infinitâ; ergo non eſt infinitus, nec per conſequens Poteſtas: ergo DEUS non eſt, cùm non ſit infinita Poteſtas.

Contra hoc ſic dixit Catholicus: ſi DEUS eſt, concedo, quòd in illo non ſit materia vel paſſio nec propria nec infinita, nec etiam finita; veruntamen Poteſtas DEI eſt infinita; nam quia ipſa eſt in Infinitate Bonitatis, Æternitatis, Sapientiæ, Voluntatis &c., neceſſarium eſt, quòd habeat infinitum actum, videlicet infinitum poſſe, quem actum Poteſtas habet de ſe & in ſe quoad formam & quoad rationem ſuæ Infinitatis in Bonitate, Sapientia, Æternitate &c.; & ideo non valet prædicta Poſitio, cùm DEUS ſit omnino infinitus in Bonitate &c.

11. Ait Catholicus: ſi DEUS non eſt, nullum ens eſt, in quo Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas &c. ſint idem numero; & ſic in omni bonitate eſt plus privationis boni, quàm eſſe boni, cùm privatio boni ſit, quòd Bonitas non ſit idem numero cum Magnitudine, Æternitate &c., & è converſo: igitur ſi DEUS non eſt, eſt plus privationis boni, magni &c. in quolibet eſſe, quàm exiſtentiæ boni, magni &c.; quod eſt impoſſibile: quia ſic *non eſſe* haberet majorem Concordantiam cum bonitate &c., quàm *eſſe*; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt neceſſariò.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi DEUS & Bonitas & Magnitudo &c. ſunt Rationes eædem numero in Divina Eſſentia, ſequitur, quòd DEUS in illa Identitate numerali ſit compoſitus de Bonitate, Magnitudine &c.; ergo ſua ſimplicitas non eſt infinita in Bonitate &c.; ſed eſt impoſſibile, quòd DEUS ſit compoſitus: ergo eſt impoſſibilis prædicta Poſitio.

12. Dixit Infidelis: ſi DEUS eſt, non eſt alius DEUS præter illum, & ita quoad ſuam Deitatem DEUS differt per infinitam Differentiam à cæteris entibus; veruntamen Rationes

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tiones illius, scilicet Bonitas, Magnitudo &c., non differunt per infinitam Differentiam à cæteris entibus, quia sunt alia entia præter illas, quæ sunt bona, magna, æterna &c., sicut Mundus & cætera, quæ in eo sunt; & ideo si DEUS est, est infinita distinctio inter DEUM & prædictas Rationes ejusdem; quod est impossibile: ergo DEUS non est.

Contra hoc dixit Catholicus: si DEUS est, concedo, quòd differat per infinitam Differentiam à cæteris entibus; & licèt multa entia bona, magna &c. sint alia à DEO, propter hoc non minùs, quàm ipse DEUS, differunt Divinæ Rationes ab entibus aliis à DEO, cùm etiam sint DEUS; nam sicut DEUS differt à nobis quoad Deitatem, ita similiter & tantum differt Bonitas & Magnitudo illius &c. à bonitate, magnitudine, duratione nostra &c., cùm suæ Rationes sint infinitæ, & nostræ finitæ; nam etiam in quantum nos quoad subjectum sumus imagines DEI, in tantum etiam nostræ rationes sunt imagines Rationum DEI; & ideo prædicta Positio non valet.

13. Ait Catholicus: si DEUS non est, Mundus est ab æterno, & generare & corrumpere sunt actus Mundi, & suppositum est ipse Mundus, de cujus suppositi essentia est generare & corrumpere; sicut vegetare de essentia vegetativæ, & calefacere de essentia caliditatis: igitur si generare & corrumpere sint de essentia Mundi, generatio & corruptio sunt essentia Mundi, & Mundus est actus, videlicet ens ex his constitutum; essentiæ autem generationis & corruptionis sunt æternitas, privatio, bonitas & malitia, magnitudo & parvitas, perfectio & defectus, & sic de cæteris universalibus, de quibus Mundus est constitutus: igitur Mundus, cùm nihil aliud sit præter ipsum, est generabilis & corruptibilis, & per consequens æternitas &c., de quibus Mundus est constitutus; quod est impossibile, nam est impossibile, quòd æternitas sit generabilis & corruptibilis: igitur per consequens est impossibile, quòd Mundus sit ab æterno, sed ab alio; & si non est ab æterno, ergo necessariò ab alio; illud aliud autem est DEUS, quem inquiro.

Contra hoc dixit Infidelis: dico, quòd hæc Positio non valeat, quia generare & corrumpere est particularium, quæ particularia sunt bonitas & malitia, duratio & privatio, perfectio & defectus & cætera his similia; Mundus autem stat per universalia, quæ sunt æternitas, bonitas, & cætera his similia, quæ sunt ingenerabilia & incorruptibilia; quod etiam patet in substantia Cœli, quæ est ingenerabilis & incorruptibilis.

14. Dixit Infidelis: si DEUS est, ipse est Summum Ens infinitum & Primum Principium omnium, quæ non sunt DEUS; ergo ipse creavit Mundum; quia si Mundus non esset ab eo creatus, esset ab æterno; & sic DEUS non esset, quia essent duo æterna entia, quorum neutrius Æternitas esset infinita in Magnitudine Bonitatis, Potestatis &c. Igitur restat, si DEUS est, quòd ipse creaverit Mundum, tunc autem creavit illum ad se vel ad aliud; non ad aliud, quia tunc illud esset finis & perfectio mundi, & non DEUS; & sic operatio DEI haberet se ad aliud, quod non esset ipse DEUS; quod est impossibile: ergo creavit Mundum ad se; & si sic, tunc sequitur aliud impossibile, quia si creavit Mundum ad se, tunc erat indigens, & sic defectivus in Magnitudine Bonitatis &c.; & sic DEUS, qui ante Mundum fuit otiosus & imperfectus, perfecit se ipsum, quando creavit Mundum, agendo de sua Bonitate &c.: ergo est DEUS, qui non fuit; & quia etiam creavit Mundum, tunc aut de se aut de nihilo; de nihilo non potuit: ergo, cùm ante Mundum nihil esset præter DEUM, creavit DEUS Mundum de se ipso DEO, videlicet de sua Essentia, ut productio à DEO esset major in Bonitate &c.; nam aliter DEUS esset defectivus producendo; quod est impossibile: & sic convenit, quòd Mundus sit DEUS, vel quòd Divina Essentia sit producta in aliud, quod non est DEUS; quod manifestè est impossibile: ergo per dicta impossibilia est manifestum, quòd DEUS non sit, posito, quòd Mundus esset ab æterno, vel creatus à DEO, ût prædictum est.

Contra hoc dixit Catholicus: concedo, quòd DEUS creaverit Mundum ad se, & non ad aliud, ut sua Operatio sit in majoritate producendo Mundum ad se; nam operatio esset in minoritate, si DEUS non esset Finis suæ Operationis; non autem creavit Mundum, quòd illo indigeret, priusquàm esset; nam DEUS semper fuit, est & erit in se perfectissimus, agendo in se ipso, videlicet producendo in se ipso suum Intellectum &c., sicut adhuc intendimus probare in hoc Libro: nec etiam potuit nec debuit producere Mundum de se ipso; nam cùm DEUS sit infinitus & perfectissimus, est indivisibis; creavit autem Mundum de nihilo, quia Voluntas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

luntas voluit, & Poteſtas Voluntatis, cùm ſit infinita & idem cum Voluntate, potuit perficere velle Voluntatis; & ideo prædicta Poſitio non valet.

15. Ait Catholicus: ſi DEUS non eſt, Species ſunt in prima intentione, quia ſunt incorruptibiles, & earum individua habent ſe ad finem, ſcilicet ad ſpecies; & ſic individua ſunt, ut ſint ſpecies, non autem è converſo: & ſic ubi eſt minus de entitate & bonitate &c., ibi eſt finis; ſed natura finîs non poteſt hoc ſuſtinere: nam ſubjectum Æternitatis eſt Entitas & Bonitas &c., quæ ſunt majores in individuis, & non in ſpeciebus; nam aliter, ubi eſſet plus entitatis & bonitatis, eſſet plus privationis & malitiæ; & ubi plus privationis & malitiæ, ibi plus entitatis & bonitatis; quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo finis conſiſtit in individuis, qui finis eſſet impoſſibilis, ſi DEUS non eſſet, quia non eſſent permanentia, ſed corruptibilia; ſed, ſi DEUS eſt, permanent in Æternitate, videlicet corpora glorificata poſt Reſurrectionem, quam probabimus in hoc Libro.

Contra hoc dixit Infidelis: manifeſtum eſt, quòd Æternitas ſit, ſed quia ſpecies ſunt incorruptibiles, & individua ſunt corruptibilia, ideo finis conſiſtit in ſpeciebus, & non in individuis; nam finis & Æternitas conveniunt, ſed id, quod ſe habet ad finem, ſcilicet individua, concordant cum principio & cum tempore; ergo Æternitas & individua non poſſunt convenire: & ideo prædicta Poſitio non valet.

16. Dixit Infidelis: omne, quod ſubſtantialiter eſt conjunctum de forma & materia, eſt de bonitate & malitia, de magnitudine & parvitate, de æternitate & principio, de poteſtate & debilitate, & ſic de cæteris rationibus & ſuis contrariis, quia malitia eſt privatio boni vel carentia boni; nam omne ens, quod eſt ſubſtantiale, eſt imperfectè bonum & imperfectè malum, quantum ad Summam Bonitatem & ſummam malitiam & cætera contraria; ergo omne ens mixtum & compoſitum eſt de contrariis: omne autem, quod eſt, agit ſecundùm ea, de quibus eſt compoſitum; de nihilo autem nihil poteſt componi, ſed de ſimplicibus finaliter fit omne compoſitum; ſed omne ens, ût prædictum eſt, eſt compoſitum de bonitate & malitia, & ſic de cæteris contrariis: ergo neceſſariò convenit, quòd ſimplex bonitas & ſimplex malitia &c. ſint realia entia univerſalia, de quibus cætera entia particularia componuntur. Ergo eſt impoſſibile, quòd ſit aliquod Summum Ens infinitum in Bonitate ſinè malitia &c.; quia ſi illud eſſet, non permitteret, quòd bonum commiſceretur cum malo, magnum cum parvo &c., nec per conſequens eſſet id, quod eſt; quod eſt impoſſibile: ergo ſunt duo ſumma entia, videlicet duo Dii, quorum unus eſt Summa Bonitas, alius ſumma malitia &c.

Contra hoc dixit Catholicus: bonitas & magnitudo concordant contra malitiam & parvitatem, quæ ſimiliter concordant contra bonitatem & magnitudinem &c., & hoc eſt per ſe manifeſtum: unde ſi prædicta Poſitio eſt vera, ſequitur, quòd bonitas & magnitudo habeant æqualem concordantiam cum malitia & parvitate, cum æternitate & principio, cum poteſtate & debilitate &c., nam ambo prædicti Dii eſſent æquales, quia alius illorum non poſſet deſtruere alium; quod eſt impoſſibile: quia ſi alius eorum non poſſet deſtruere alium, ſola magnitudo eſſet ſummum ens compoſita de contrariis, quæ non eſſent de eſſentia illius; hoc autem eſt impoſſibile: quare Poſitio non valet.

17. Ait Catholicus: magnitudo abſolutè eſt major in concordantia, quàm in contrarietate; & hoc eſt manifeſtum, quia concordantia & eſſe abſolutè concordant, & per oppoſitum iſtorum contrarietas & privatio; & quia eſſe & magnitudo conveniunt, privatio & parvitas ſimiliter conveniunt; igitur magnitudo eſt major in concordantia, quàm in contrarietate; & per prædicta univerſalia principia patet in particularibus, quòd eſſe in quolibet particulari producatur ratione concordantiæ & magnitudinis, & reducatur in privationem ratione contrarietatis & parvitatis: & ſic generatio fit in concordantia & magnitudine, corruptio verò in contrarietate & parvitate. Ideo ex his patet, quòd DEUS ſit, aliàs magnitudo eſſet major in contrarietate, quàm in concordantia, quia magnitudo ratione ſuî ipſius & ratione contrarietatis cogeret, quòd infinita Magnitudo non eſſet in infinita Concordantia, ſed in infinita contrarietate & in potentia; quod eſt impoſſibile: & ideo eſt neceſſarium oppoſitum: ergo DEUS eſt.

Contra hoc dixit Infidelis: manifeſtum eſt, quòd actus propter corruptionem diutiùs conſiſtat in privatione, poſtquam eſt corruptus, quàm propter generationem

conſiſtat

(c) 2006 Ministerio de Cultura

consistat in esse, postquam est generatus; & ita quoad rationem finîs actus est, ut sit in potentia, non autem è converso; ergo magnitudo est major in contrarietate, quàm in concordantia; igitur nullum inconveniens sequitur, si magnitudo contrarietatis cogat, quòd DEUS non sit; & ideo prædicta Positio non valet.

18. Dixit Infidelis: in mundo est plus mali, quàm boni, nam plures homines sunt in errore, quàm in veritate, & plures in vitiis, quàm in virtutibus; etiam magìs tristamur propter afflictionem nostrorum sensuum, quàm gaudeamus propter illorum delectationem; & ideo si Mundus est effectus alicujus DEI, ille DEUS est magìs malus, quàm bonus, quia ejus effectus magìs ostendit, quòd ille sit malus, quàm bonus; ergo si DEUS est, est major in malitia, quàm in bonitate.

Contra hoc dixit Catholicus: magnitudo malitiæ, quæ est in errantibus, est materia bonitati eorum, qui sunt in Veritate, ut in magna Charitate hominis ad DEUM & ad creaturam similem DEO, hi, qui sunt in lumine Veritatis, possint agere magnum bonum convertendo errantes à semita Veritatis in cognitionem & amorem Summæ Veritatis, & inde adipisci magnum meritum; & ideo si DEUS est, non videtur inconveniens, quòd multi sint in errore, ut sit magna materia bene agendi; nam si non haberent hanc materiam, vel saltem non possent habere amatores Veritatis, bonitas DEI esset diminuta in potentia, nec inde posset producere magnum actum, si dicto modo non posset dare materiam bene agendi suis amatoribus. Et ratio, quare sentimus majores afflictiones sensuum, quàm delectationes, & majorem tristitiam, quàm lætitiam, est, quia in præsenti vitâ, ubi hæc patimur, non est noster finis; & ideo si DEUS est, convenit, quòd in illo sit noster Finis; & ideo prædicta Positio non valet.

19. Ait Catholicus: manifestum est, quòd *ordinatio* & *esse* absolutè concordent, & per consequens *inordinatio* & *non esse;* si autem DEUS non est, sequitur oppositum prædictorum, quia esset plus inordinationis, quàm ordinationis in esse; nam omnia corpora supracœlestia, omnia elementa, omnes plantæ & omnia bruta haberent suam ordinationem ad hominem, & homo esset illorum finis, qui videlicet homo nec esset finis suî ipsius, nec ordinaretur ad aliud; & cùm homo sit quid corruptibile, periret omnis ordo & finis ejus in illo: nec ex virtutibus contra vitia sequeretur perfectus ordo, nemo enim diligens virtutes, & odiens vitia acquireret meritum vel retributionem, & materia esset major in potentia, quàm forma in actu, & objectum esset magìs intelligibile & amabile, quàm intellectum & amatum ab aliquo, cùm nec natura unius paleæ posset ab aliquo totaliter comprehendi, nisi sit ille transcendens creatam naturam, videlicet DEUS: quia si DEUS non est, nullum objectum potest tantum attingi ratione formæ, quantùm ratione materiæ; & ita materia esset major & sinè fine & incompleta, quàm forma habens perfectum finem existendo in actu; quod videtur impossibile; & ideo ex prædictis inordinationibus sequitur summum inconveniens & etiam impossibile, si DEUS non est; ergo DEUS est.

Contra ait Infidelis: concedo, quòd supracœlestia corpora & cætera inferiora habeant suam ordinationem ad hominem, homo autem est corruptibilis; & sic prædicta ordinatio, quæ est incorruptibilis, ordinatur ad finem corruptibilem; & hoc non est ordinatio, sed potiùs maxima inordinatio, quia majora & nobiliora sunt ea, quæ se habent ad finem, quàm ipse finis; & etiam homo plùs potest inordinare in se ipso, quàm ordinare; & ideo ex his præmissis manifestè patet, quòd inordinatio concordet cum esse, & ordinatio cum privatione; unde si DEUS esset, esset plus ordinationis, quàm inordinationis; oppositum autem est nobis manifestum per prædicta; ergo patet, quòd DEUS non sit.

20. Dixit Infidelis: si DEUS est, ipse intelligit & diligit se; aliter esset defectivus sibi ipsi, quod est impossibile; & sicut se intelligit & diligit, ita similiter se deificat, se bonificat, se infinit, se æternificat, se possificat, se justificat, se vivificat &c. in Infinitate & Æternitate, aliàs scire & velle essent Finis, & Deitas, Bonitas &c. se haberent ad Finem; quod est impossibile in DEO, si ipse est: ergo necessarium est oppositum; sed quia est impossibile, quòd hoc idem, quod semper est, reagat hoc idem: ergo est impossibile, quòd DEUS se deificet, cùm semper sit DEUS, & bonificet se ipsum, cùm sit summè bonus &c.; ergo per prædicta impossibilia patet, quòd sit impossibile, quòd DEUS sit; quia, si DEUS esset, sequeretur aliquod

(c) 2006 Ministerio de Cultura

aliquod prædictorum impossibilium; ergo DEUS non est.

Contra hoc Catholicus: dico, quòd hæc Positio non valeat; DEUS enim producit in se deificatum bonificatum &c., sicut intellectum & volitum, nec inde sequitur aliquod inconveniens nec impossibile, sed sequeretur, si DEUS non produceret deificatum bonificatum &c., ût in hac secunda sequenti Parte probabimus; & ideo factâ probatione prædictæ Productionis non valet prædicta Positio.

PARS II.
De Productione in Divinis.

PRobatum est in hac prima præcedenti Parte, quòd DEUS sit; nunc autem in ista *secunda* sequenti *Parte* intendimus per *Divinas Rationes* vel *Dignitates* vel *Attributa* vel *Infinitates* probare, quòd in DEO sit Productio. Istæ autem Rationes vel Dignitates sunt hæ: videlicet *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Potestas*, *Sapientia*, *Voluntas*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, *Perfectio*, *Justitia*, *Largitas*, *Simplicitas*, *Nobilitas*: „& sciendum est, „quòd secundùm modum probandi Divi„nam Productionem hìc intentum conve„niat largo modo loqui, ut meliùs & faciliùs „appareant probationes; & ideo, si de DEO „hìc aliquando loquamur fortassis impro„priè, non libeat circa hoc attendere, arbi„tramur enim aliquem hominem morta„lem vix quidquam de DEO propriè posse „loqui; & ideo si contingat hìc dici, quòd „Divina Essentia vel Bonitas &c. producat „vel producatur, est intelligendum sub Ra„tione Suppositi vel Concreti Producentis „vel Producti„.

1. Ait Catholicus: suppono, quòd in DEO sit Productio, videlicet, quòd DEUS producat DEUM; & hanc Positionem probo sic: sicut Magnitudo objectivè se habet ad intellectivam Sapientiam intelligentem DEUM, & ad volitivam Voluntatem diligentem DEUM, ita similiter se habet ad eas producentes DEUM; nam Magnitudo est magìs magnificativa & magìs completiva, si se habeat ad intellectivam & volitivam & objectivè & productivè, ita quòd Sapientia intelligendo DEUM producat DEUM, & Voluntas volendo DEUM producat DEUM, quàm si se haberet ad illas objectivè tantùm, ita quòd non productivè; & hoc est de se manifestum; nam illa Intelligentia est major, quæ potest in DEUM objectivè & productivè, quàm quæ objectivè tantùm; & idem est de Voluntate: sed quia id, per quod Magnitudo meliùs se habet ad Sapientiam & Voluntatem, necessariò convenit magnificativæ Proprietati DEI, ne sit defectiva in se nec in Bonitate, Æternitate &c.: ergo manifestè patet, quòd in DEO sit Productio, videlicet, quòd DEUS producat DEUM.

Contra hoc dixit Infidelis: Divina Sapientia & Voluntas attingunt DEUM omnino in actu, & non in potentia, vel in quantum est actus; quia nulla passiva potentia potest ibi esse; nam, si attingerent eum in potentia, Magnitudo esset defectiva in Æternitate, Potestate &c.; quod est impossibile: sed si in DEO est prædicta Productio, non possunt eum attingere omnino in actu; quod est impossibile, quia sic essent in Æternitate productivus & producibilis & producere passivè, hoc autem non posset sustinere natura Magnitudinis Æternitatis, quare non valet Positio.

2. Dixit Infidelis: est possibile, quòd homo generet hominem, sed est impossibile, quòd homo gignens & homo genitus remaneant idem numero; ita simili modo posito, quòd DEUS producat DEUM, est impossibile, quòd DEUS generans & DEUS genitus sint idem numero, quia sequeretur contradictio; nam si Producens est idem DEUS numero cum Producto, & distinctus ab eodem, vel è converso, ita quòd est alius illorum ab alio, & è converso, ita quilibet eorum est DEUS, & non DEUS; sed hoc est manifestè contradictio, quæ est impossibilis: ergo manifestè patet, quòd in DEO non sit Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: sicut homo Pater remanet cum homine suo filio (& è converso) idem in humana specie, ita etiam & multo meliùs in Divina Essentia DEUS Pater cum DEO Filio (& è converso) permanet idem in Essentia Deitatis; & sicut in humana specie homo est pater quoad patrem, & est filius quoad filium relativè, ita in Divina Essentia DEUS est Pater quoad Patrem, & est Filius quoad Filium, & hoc Divina Potestas potest perficere, cùm ipsa sit infinita in Magnitudine, Æternitate, Sapientia, Voluntate &c., ita videlicet, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DEUS Producens & DEUS Productus quoad Proprietatem Productivam & Proprietatem Producibilem sint distincti numero, non autem quoad Deitatem & Essentiam; nam si Divina Potestas hoc non posset, non esset idem numero cum infinita Magnitudine & Voluntate; quod est impossibile: & ideo Positio non valet.

3. Ait Catholicus: sicut intelligere est in DEO actus Sapientiæ, ita posse est in DEO actus Potestatis; & sicut Sapientia habet in Divina Essentia intelligere, ita Potestas habet in illa posse; quia, nisi sic esset, Magnitudo non esset æqualiter in posse & intelligere DEI; quod est impossibile: unde sicut Sapientia influit in se objectivè intelligere, quo mediante attingit in Essentia intellectum, quem in se ipsam reflectit intelligendo se, ita Potestas productivè in se influit posse, quo mediante in Essentia DEI attingit possificatum; ergo patet, quòd in Divina Essentia sit Productio; nam sinè Productione Potestas quoad se simpliciter non posset habere objectum, sicut nec Sapientia sinè intelligere; quia si Potestas vel Sapientia haberet suum objectum tantùm quoad intelligere, & non simpliciter & æqualiter quoad posse & intelligere, intelligere DEI esset in Majoritate Finis, & posse in Minoritate; & hoc est contra Magnitudinem Bonitatis Perfectionis Justitiæ &c.; quod est impossibile.

Contra hoc dixit Infidelis: in DEO Sapientia & Potestas sunt idem numero, ergo sicut Sapientia objectivè attingit in Essentia DEI suum objectum sinè Productione, ita convenit, quòd Potestas attingat suum objectum sinè Productione, aliàs convenit, quòd Potestas sit essentialiter distincta à Sapientia; quod est impossibile: vel si Potestas non potest attingere suum objectum sinè Productione, sicut Sapientia, ergo non est idem cum Sapientia; & ideo Positio non valet.

4. Dixit Infidelis: Voluntas, Magnitudo & Simplicitas sunt unum idem numero; igitur si in DEO esset Productio, Voluntas objectivè se distingueret diligendo diversa objecta, ût Producens & Productum; & sic deficeret illi Magnitudo Simplicitatis, & per consequens accederet ad compositionem, & distaret à Simplicitate, & etiam esset debilis in quolibet illorum objectorum, quia per illa divideretur; esset autem major simpliciter, si simpliciter se haberet ad unum objectum; sed est impossibile, quòd Divina Voluntas sit defectiva in Simplicitate & Magnitudine, cùm sint idem; ergo est impossibile, quòd in DEO sit Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: sicut se habet Divina Voluntas ad objectum quoad se simpliciter, ita se habet ad illud quoad Magnitudinem simpliciter, aliter Voluntas non esset idem numero cum Simplicitate & Magnitudine: igitur Voluntas se habet tantum ad magnificatum & simplificatum, quantum ad volitum; sed non posset se habere ad simplificatum & magnificatum sinè Productione, cùm sit plus Entitatis essendi in magnificato & simplificato cum Productione, quàm sinè Productione; ergo si Divina Voluntas non vult se habere ad plura objecta, ne dividatur, minuatur & componatur, non potest se habere ad objecta cum Magnitudine & Simplicitate; quia si cum ipsis videlicet Magnitudine & Simplicitate se haberet ad objecta, haberet se sinè divisione suæ Essentiæ & sinè diminutione & compositione; & ideo non valet prædicta Positio; cùm Voluntas in majori Magnitudine & Simplicitate se habeat ad plura objecta & diligendo & producendo permanens una indivisa, simplex & magna, quàm habendo unum objectum tantùm, ut se non dividat, nec diminuat, nec componat.

5. Ait Catholicus: DEUS est simpliciter purus actus, qui solus verè est, & actus sui *est* est *esse* seu entificare seu dare *esse*, quia purum *esse* est causa omnis *esse*; & sic est *esse*, quia est *est*, sinè quo *est* non esset *esse*; & quia Magnitudo Bonitatis, Nobilitatis &c. æqualiter consistit in *est* & in suo actu, qui est *esse*, sequitur, quòd sit *est*, quia *esse* est, & è converso, ût dictum est; alioquin *est* vel *esse* esset in majoritate, & alterum istorum in minoritate in DEO; quod est impossibile: ergo probatum est, quòd sit *est*, quia est *esse*, quod videlicet *est* non posset existere actu sinè Productione existente in *esse*; & sic patet, quòd in DEO sit Productio, videlicèt, quòd *est*, quod est Producens, cùm *esse* producat *est* Productum, quod videlicet *est* Productum sit, quia *esse* est actus ipsius *est* Producentis; & quia, si secundum *est* non sit, nisi sit primum, sequitur, quòd *est* sit actum ipsius *esse*, & *esse* actus ipsius *est*, aliter deficeret Magnitudo &c. in altero ipsorum; & sic sunt duo *est* & duo *esse* distincta, quorum aliud producit alterum; & sic habeo meum Propositum, videlicet, quòd in DEO sit Productio; non autem sunt primum & secun-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſecundum *eſt* prædicta ideo, quaſi quodlibet *eſt* produceret ſuum actum, & quilibet actus ſuum *eſt*, & primum *eſt* produceret ſémet ipſum in agendo, & primum *eſſe* ſémet ipſum in exiſtendo.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi DEUS eſt, eſt unum *eſt* Producens, & aliud *eſt* ab illo Productum, cùm ex hoc, quia *eſſe* eſt, conveniat, quòd ſequatur aliud *eſt* ſecundum; ita ſimiliter ex iſto *eſt* ſecundo ſequitur *eſſe* ſecundum, & per conſequens ex iſto *eſſe* ſecundo *eſt* tertium, & ab iſto *eſt* tertio *eſſe* tertium; & ſic per conſequens de tertio in quartum, de quarto in quintum, & ſic in infinitum; quod eſt impoſſibile: & ideo Poſitio non valet.

6. Dixit Infidelis: DEUS eſt unum Ens, quod eſt Bonitas, Magnitudo, & è converſo, Æternitas, Poteſtas, & è converſo, Voluntas, & ſic de cæteris Dignitatibus ejus, & nulla iſtarum eſt diſtincta ab alia vel ab aliis, cùm ſint unum idem numero, nec aliqua earum eſt in ſe diſtincta, ita quòd Bonitas ſe individuet in plures bonitates, & Magnitudo in plures magnitudines, & ſic de cæteris Dignitatibus: & ratio, quare aliqua earum non poteſt individuari, conſiſtit in hoc, quia quælibet earum eſt infinita in Simplicitate Magnitudinis &c.: ergo quælibet earum eſt inindividuabilis ſive indiſtinguibilis à ſe & ab aliis Dignitatibus: ergo eſt probatum, quòd quælibet ipſarum Dignitatum ſit talis in ſe, qualis eſt in aliis Dignitatibus, & qualis eſt in Unitate Eſſentiæ, & è converſo; & ſic Divina Eſſentia neceſſariò eſt inindividuabilis ſeu indiſtinguibilis; ſed cùm Productio non poſſit eſſe in DEO ſinè diſtinctione Dignitatum & Eſſentiæ DEI, ergo eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: verum eſt, quòd DEI Bonitas &c. non ſit diſtincta ab aliis nec à ſe ipſa, veruntamen Bonitas DEI quoad Suppoſitum eſt infinitè bona ratione ſuî ipſius, & eſt infinitè magna ratione Magnitudinis, & infinitè æterna ratione Æternitatis, & infinitè potens ratione ſuæ Poteſtatis, & ſic de cæteris Dignitatibus; & quod ſequitur de Bonitate, idem ſequitur de Magnitudine, & de cæteris; quod tamen eſſet impoſſibile, niſi Bonitas quoad Suppoſitum produceret bonificatum &c.; nam quanta eſt Deitas ratione ſuæ Exiſtentiæ & ſui exiſtere, tanta eſt ratione ſuæ Bonitatis & ſui bonificare, & ſic de Magnitudine & magnificare &c.; ſed ipſa Exiſtentia DEI eſt in tam infinito exiſtere, quod ipſa eſt, quòd exiſtens ſit infinitum ſimplex: ergo convenit, quòd Deitas vel Exiſtentia DEI ſit in tam infinito ſimplici agere, videlicet in bonificare, magnificare &c., quòd tendat in ſimplicem & infinitum bonificatum, magnificatum &c.; ergo in Deitate ex parte exiſtendi eſt exiſtens, & ex parte agendi videlicet bonificandi &c. agens vel actus, videlicet bonificatus &c. productus per agere de exiſtente, quia ipſum exiſtens tantâ Infinitate agit, quantâ Infinitate exiſtit; & niſi hoc ita eſſet, eſſet majoritas in exiſtere exiſtentis, & minoritas in agere ipſius exiſtentis, ita quòd DEUS magìs eſſet exiſtens, quàm agens; & ſi minoritas eſt in agere exiſtentis, per conſequens majoritas eſt in ejus exiſtere; quia exiſtens eſſet major, ſi non in tantum ageret, in quantum exiſtit; & ſic eſſet defectus & privatio in DEO, quod eſt impoſſibile: & ideo Poſitio non valet.

7. Ait Catholicus: ita ſe habet in DEO Deitas ad deificare, & deificare ad Deificatum, ſicut Sapientia ad intelligere, & intelligere ad Intellectum; aliàs Poteſtas & Magnitudo eſſent magìs communicabiles Sapientiæ, quàm Deitati; quod eſt impoſſibile: ergo probatum eſt, quòd Deitas ſe habeat ad deificare, & deificare ad deificatum; & ſic ſimiliter Unitas ad unire, & unire ad unitum; Deitas autem non poteſt ſe habere ad deificare, nec deificare ad deificatum ſinè producente, producere & producto, quia ſic deficeret Magnitudo unienti, unito & unire, niſi Deitas exiſtens producens aliquid de ſe uniret ſe in producto exiſtente cum ipſo producente unâ Deitate, uno DEO, uno deificare, unâ Unitate, ipſo deificante uniente deificatum in eſſe unum diſtinctum ab Unitate deificantis unientis; & omnia iſta ſufficientia non poſſunt haberi in Magnitudine Deitatis Unitatis &c. ſinè producere in DEO: ergo in DEO eſt Productio.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi in DEO deificans & deificatum ſunt idem numero cum deificare, convenit, quòd ſint cum infinita Magnitudine & Poteſtate in illa Identitate Unitatis; & ſi ſic, tunc deificatum ita agit & producit aliud deificatum, ſicut deificans deificatum; aliter deificans & deificatum non eſſent idem cum deificare in infinita Magnitudine & Poteſtate; quod eſſet impoſſibile: & iterum illud deificatum produceret aliud deificatum, & ſic in infinitum; quod eſt impoſſibile: ergo non eſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Productio in DEO; & ideo Positio non valet.

8. Dixit Infidelis: si in DEO est Productio, sic sunt in illo accidentia isto modo: videlicet, quia producens est activum, eò quòd productivum, & productum est passivum, eò quòd producibile, sic producens est quantum sub ratione agentis, & productum quantum sub ratione patientis, & per consequens ipsum activum est unum quale, & passivum aliud quale, & sunt relativa, & unum est prius tempore, quàm aliud, videlicet productivum, & in producente est habituatum producibile, & insimul sunt situata in tempore; sed quia est impossibile, quòd in DEO sint hæc accidentia, quæ essent in illo, si in illo essent productivum & producibile; ergo est impossibile, quòd in DEO sit productivum & producibile, & per consequens Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: si in DEO est producens, ipsum est forma infinita & æterna in Summa Perfectione, producens de tota se ipsa productum, non autem de alio; & quia ipsa Forma nullum accidens habet in se, nam, si haberet illud, esset in se defectiva in Magnitudine &c.; ideo est impossibile, quòd in ipsa & in suo producto sint accidentia, quia sic non produceret ipsum de tota se ipsa; & sic non valet Positio. Veruntamen concedo, quòd in DEO sit Relatio, non accidentalis, sed substantialis vel essentialis quoad Suppositа; nam subjectum hujusmodi Relationis sunt producens & productum cum infinita & æterna Magnitudine &c., in quibus accidentia non possunt esse.

9. Ait Catholicus: necessariò convenit, quòd Magnitudo & Largitas in DEO sint ita proportionatæ, quòd sibi ipsis & omnibus Rationibus, quæ sunt in DEO, possint sufficere, & è converso similiter, quòd omnes Rationes ita sint proportionatæ & conditionatæ, quòd possint sufficere ipsis, scilicet Magnitudini & Largitati. Unde si in DEO non est Productio, est impossibile, quòd in DEO sit prædicta sufficientia prædictarum Rationum ad invicem; & hoc patet sic: convenit, quòd Magnitudo sit tam magna in Largitate, quòd Largitas de se ipsa largiatur infinitum & æternum largitum, ut Bonitas possit bonificare infinitum & æternum bonificatum in se & in cæteris Rationibus, & hoc sequitur de Æternitate & de qualibet aliarum & de omnibus similiter ad invicem; quia, quod est de una, id idem est de qualibet alia & de omnibus ad invicem, cùm sint idem; & ideo nisi Magnitudo de se infiniret infinitum largitum magnificatum, & Largitas similiter infiniret de se infinitum magnificatum largitum, Bonitas, Æternitas &c. non haberent sufficientiam in agendo, nec similiter Magnitudo & Largitas, nisi Bonitas de se infiniret bonificatum, & Æternitas de se æternificatum &c., quia sic non essent infinitum æternificare, bonificare &c.; sed quia hoc manifestè est impossibile in DEO: ergo necessariò sequitur oppositum, videlicet, quòd Magnitudo infiniat infinitum largitum magnificatum, & sic de singulis, ût prædictum est; & per consequens prædicta sufficientia est inter Divinas Rationes, sinè qua sequerentur multa impossibilia in DEO, ût superiùs dictum est; sed est impossibile, quòd prædicta sufficientia sit in DEO sinè Productione, ût jam probatum est: ergo necessariò est Productio in DEO.

Contra hoc dixit Infidelis: si in DEO est Productio, est impossibile, quòd Magnitudo per se simpliciter possit sufficere Largitati, quia Largitas non tantùm debet largiri infinitum largitum in Magnitudine, sed etiam in Bonitate; & non tantùm etiam in Bonitate, sed etiam in Æternitate, & sic de singulis aliis Rationibus: & ita, si in DEO est Productio, Magnitudo est defectiva, & per consequens ipsa Largitas, & quælibet aliarum Rationum; sed est impossibile, quòd Rationes sint defectivæ seu finitæ: ergo Productio est impossibilis in DEO; & ideo Positio non valet.

10. Dixit Infidelis: si in DEO est Productio, aut est in eo ratione indigentiæ, aut non indigentiæ, aut utroque modo? si ratione indigentiæ, sic est in eo defectiva Magnitudo Bonitatis suæ Perfectionis; & si est non propter indigentiam, sic est in eo superflua, & ita est defectiva Voluntas illius in Magnitudine Bonitatis Gloriæ Nobilitatis &c.; si autem sit in eo Productio utroque modo, videlicet propter indigentiam & non indigentiam, sic est in eo Magnitudo & Voluntas in imperfectione; cùm autem in DEO non possit esse Productio, nisi propter aliquem istorum modorum, & propter aliquem istorum sit impossibile, quòd in illo sit Productio, quia propter quemlibet eorum sequitur defectus & imperfectio in DEO; quod est impossibile: igitur est probatum, quòd sit impossibi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

possibile, quòd in DEO sit Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: Productio est necessaria in DEO, ût suprà dictum est, quia sinè Productione Divinæ Rationes essent in se otiosæ, & nulla earum communicaret se totam ad agendum, sed ejus actus semper esset infinitus in potentia; quod patet, nam Potestas DEI sinè Productione non posset habere suum posse tantum in actu, quanta ipsa Potestas est; quia non sequeretur tantum ex suo posse, quantum ipsa Potestas est; & quod est de Potestate, hoc idem est de Bonitate &c.: ergo necessaria est in DEO Productio, & talis necessitas non implicat defectum in aliqua Dignitate DEI, cùm Productio sit infinita, æterna, perfecta &c. in omnibus & singulis Dignitatibus, ut quælibet earum possit agere in se & in qualibet alia de tota sua entitate: ergo in DEO non est Productio propter indigentiam, quæ sit in DEO, sed est, quia necessariò ita convenit esse; esset tamen in illo indigentia, si in DEO non esset Productio; & ideo Positio non valet.

11. Ait Catholicus: in DEO sunt Bonitas & Magnitudo idem numero, quia si non essent idem numero, sequeretur inde malum & parvum; malum enim & parvum inessent eisdem, si non essent idem numero, quia nec Magnitudo esset bona, nec Bonitas esset magna, & sic illud malum & parvum producerentur in DEO ex diversitate earum, si Bonitas & Magnitudo in DEO non essent idem, & implicaretur illud malum in infinitum, quia esset impossibile, quòd Bonitas & Magnitudo existentes in malitia & parvitate essent infinitæ & summum ens; sed hoc est impossibile in DEO: ergo est necessarium; quòd totum oppositum sit in DEO, videlicet, quòd, sicut malum & parvum in infinitum producerentur in DEO, si Bonitas & Magnitudo ejus non essent idem, ita bonum & magnum in infinitum producantur in Deitate, quia Bonitas & Magnitudo DEI sunt unum idem numero; & sic Unitas Identitatis ipsarum, scilicet Bonitatis & Magnitudinis, non caret fine, qui finis esset in privatione, si Bonitas & Magnitudo sinè Productione se haberent ad Unitatem Identitatis sinè utilitate. Igitur est probatum secundùm prædicta, quòd in DEO sit Productio.

Contra hoc dixit Infidelis: si Productio est in DEO, quia Bonitas & Magnitudo sunt idem numero, sequitur, quòd origo Productionis sit tantùm ex parte ejusdem numero Identitatis Bonitatis & Magnitudinis, non autem ex parte Bonitatis vel Magnitudinis simpliciter per se; & ita nec Bonitas per se nec Magnitudo per se sufficiunt Rationi Productionis, & ita Magnitudo est defectiva & finita in Bonitate, & è converso; quod est impossibile: & ideo Positio non valet.

12. Dixit Infidelis: intelligere est in DEO quoad Rationem Sapientiæ, & velle quoad Rationem Voluntatis, & posse quoad Rationem Potestatis, & sic de cæteris Dignitatibus; igitur si in DEO est Productio de Sapientia intelligendo, & de Voluntate volendo, & de Potestate possendo, & sic de singulis aliis, sequitur, quòd quælibet earum quoad Rationem sui ipsius producat, sed plus quoad se, quàm quoad aliam Rationem, ita quòd productum plus participet cum Sapientia per intelligere, quàm per posse & velle; & plus cum Voluntate per velle, quàm per intelligere & posse; & plus cum Potestate per posse, quàm per intelligere & velle; & sic de cæteris Rationibus DEI; & ita Sapientia esset defectiva in Magnitudine Potestatis & Voluntatis &c., & è converso; ergo limitatio & finitas sequitur in DEO, si in illo est Productio; sed est impossibile, quòd in DEO sit limitatio & finitas, ergo etiam Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: ita æqualiter & in tantum producit in DEO Sapientia quoad velle & posse &c., quantum producit quoad intelligere; & similiter quælibet aliarum in tantum quoad quemlibet actum cujuslibet aliarum, quantum quoad suum actum, cùm propter infinitam Magnitudinem & Virtutem unius & simplicis numero Identitatis omnes Dignitates sint unum idem numero, & quælibet idem, quod quælibet alia & quod omnes, & è converso; & sic similiter de actibus earum: ergo est impossibile, quòd sit majus vel minus in eis vel in aliqua earum aliquo modo; & ideo Positio non valet.

13. Ait Catholicus: sicut Bonitas DEI est, ita se habet totam ad bonum objectivè, & sic se habet totam ad habere Objectum; & ideo habet se ad bonificare, ut habeat bonificatum; hoc idem est de Infinitate, Æternitate &c., quod est de Bonitate, cùm omnino sint unum idem numero; & ideo sicut Bonitas se habet per bonificare ad bonificatum, ita Infinitas per infinire ad infinitum,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& sicut ipsa Infinitas se habet per infinire ad infinitum, ita se habet per bonificare ad bonificatum, & Bonitas per infinire ad infinitum; quia nisi hoc ita esset, Infinitas non esset in DEO, sed potiùs finitas, & per consequens defectus & malitia; quod est impossibile: ergo Bonitas se habet ad Infinitatem in DEO, sicut prædictum est, & per consequens de necessitate est Productio. Nam, quia Bonitas & Infinitas se habent ad bonificatum & infinitum, necessariò convenit, quòd bonificatum sit infinitum, quia tota Infinitas & tota Bonitas se habent ad bonificatum, ut infiniant ipsum; sed non possunt ipsum infinire, nisi producant ipsum; quia, si se haberent ad ipsum sinè Productione, sic se haberent ad ipsum sinè Intrinseca Operatione & sinè totalitate suæ Virtutis & suarum conditionum; & sic in illo habere non esset infinire infinitum, nec infinitum bonificare, æternificare, possificare &c., nec esset infinitum Objectum ipsis, videlicet Bonitati & Infinitati, nec per consequens tota Bonitas, Infinitas &c. haberent se ad suum Objectum, nec quælibet earum ad aliam nec ad suum perfectum agere in infinitum; & sic Dignitates DEI essent deificativæ objectando tantùm, sed earum Objectum esset incompletum; & ideo, si in DEO non est Productio, hæc & multa alia impossibilia sequuntur: ergo necessariò Productio est DEO.

Contra hoc dixit Infidelis: Infinitas &c. se habet ad infinire, ut objectivè attingat Infinitum, non autem se habet ad infinire, ut iterum infiniat Infinitum; quia, cùm jam sit Infinitum, non convenit, quòd Infinitum iterum infiniatur, nec istud est de conditionibus Infiniti, quòd recipiat infiniri, quia sic non esset Infinitum; ergo non quoad sùas conditiones recipit infiniri, nec quoad Infinitatem, cùm sit infinitum, nec quoad Immensitatem, cùm sit immensum, nec quoad Infinitatem Bonitatis, Æternitatis &c., cùm jam sit infinitè bonum, infinitè æternum &c.; ideo Positio non valet.

14. Dixit Infidelis: DEUS est Nobilitas, quæ est infinita in Bonitate Magnitudinis, Æternitatis &c.; item DEUS est Unus, & ejus Unitas est infinita in Nobilitate, Bonitate &c.; ergo ejus tota Unitas potest recipere totam Nobilitatem, & sic non est in DEO, nisi una Unitas tantùm sufficiens toti Nobilitati DEI; igitur in DEO non est Productio, ut Nobilitas DEI possit recipi in plures unitates; quia sic ejus Unitas esset diminuta, eò quòd non posset recipere totam illam Nobilitatem, quæ pertinet ad plures unitates.

Contra hoc dixit Catholicus: hæc positio esset vera, si in DEO essent plures diversæ Unitates in Essentia Nobilitatis, Bonitatis &c.; Catholica Fides autem tenet, quòd DEUS sit Unus, & quòd sua Nobilitas sit una; & sic in sua Unitate est & potest esse tota sua Nobilitas; nam aliter esset in DEO defectus suæ Unitatis; & hoc non tollit in DEO Productionem; nam major & nobilior & potentior est Unitas DEI, si sinè distinctione suî ipsius & sinè diminutione suæ Infinitatis & Perfectionis potest esse tota & eadem in Producente & Producto distinctis, & tota & eadem in quolibet eorum, ipso Producente infinito nobili uniente de tota sua Unitate unitum infinitum nobilem, quàm si in DEO non essent Producens & Productus prædicto modo, ût per se patet. Et nisi etiam ita esset, tota Nobilitas non posset existere in Unitate, quia non haberet suum infinitum sive perfectum actum agendi, quia in non nobilificare suum nobilificatum esset otiosa; & hoc esset illi vilitas; & sic non valet Positio.

15. Ait Catholicus iterum: Sapientia DEI est infinita, & ideo sciendo attingit infinitum; Voluntas DEI similiter, cùm sit infinita, vult infinitum objectum, & habet infinitum velle, & hoc scit Sapientia, quæ similiter habet infinitum scire; & ideo, sicut Voluntas vult infinitum Objectum, id est, in volendo, videlicet in agendo, & sic tendit in infinitum Objectum, ita convenit, quòd ipsum Objectum tendat ad Voluntatem in agendo; aliàs Objectum esset existens tantùm, & non agens, & ita Voluntas & Objectum essent inæqualiter proportionata, & per consequens Objectum esset insufficiens Voluntati; quod est impossibile: etiam hanc insufficientiam sciret Sapientia, quod scire est similiter impossibile; quia similiter esset insufficiens Sapientiæ: ergo ex his manifestè patet, quòd in DEO sit Productio, ut objectans tendens ad Objectum sive ad objectatum tendens similiter ad objectans attingat ipsum (& è converso) in producendo, sicut attingit illud in agendo, videlicet in volendo & intelligendo; quia nisi hoc ita est, non est Infinitas in objectante nec in objectato; quod est impossibile: ergo in DEO est Productio.

Contra

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Contra hoc dixit Infidelis: ſufficit Divinæ Voluntati, quòd attingat infinitum Objectum, ût eſt infinitum, & ita non convenit, quòd producendo Objectum veniat ad objectans, quia ſequeretur magnum inconveniens, ſi Objectum veniret ad Voluntatem in producendo; quia non ſufficerent Immenſitas & Æternitas Voluntati in attingendo Objectum; quod eſt impoſſibile. Nec etiam Objectum, in quantum eſt [illegible]*bile*, eſt in actu, ût bonificabile, æternificabile, infinibile, producibile &c., ergo Voluntas non poteſt actu attingere id, quod eſt attingendum in potentia ût objectabile; ſed Voluntas, cùm ſit æterna & immenſa, ſemper ſe habet actu ad Objectum attingens illud actu, in quantum eſt objectatum, ſed attingit illud in potentia, in quantum eſt objectabile; & ita Objectum Voluntatis partim eſt actu, partim potentiâ; quod eſt impoſſibile & contra Magnitudinem Voluntatis, Sapientiæ &c.: ideo non valet Poſitio.

16. Dixit Infidelis: poſito, quòd ſit alia Vita, ita quòd in Paradiſo Beati fruentur DEO, eſt impoſſibile, quòd illum poſſint attingere completè ſibi ipſis, ſi in illo eſt Productio, ita quòd Productus immensè & æternaliter producatur, quia ſic non eſt eis DEUS in actu completo, ut objectivè illo poſſint frui, quia eſt eis productivus & producens, producibilis & productus, & ſic eſt eis gloria incompleta; nam cùm quilibet Beatus ſit finitus in Patria, non poteſt attingere DEUM, niſi finitè: ergo Beati in Patria finitè attingunt DEUM producentem & productum actu, & remanet eis infinitè productivus & producibilis in potentia: ergo habent majorem gloriam in DEO producente & producto finito eis, quàm in ipſo DEO producente & producto infinitè in ſe ipſo; quod eſt impoſſibile. Ergo in DEO non eſt Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: gloria Beatorum eſt intelligere & diligere DEUM, ſed convenit, quòd ipſi æqualiter glorientur in exiſtere & agere DEI, ut fruitio & gloria ſit eis proportionaliter, videlicet tantum propter attingere DEUM quoad infinitum agere DEI, quantum propter attingere DEUM quoad ejus infinitum exiſtere; DEUM autem non poſſunt attingere quoad ejus infinitum agere, ſi in DEO non eſt Productio, ita quòd producat quoad omnes ſuas Rationes infinitè, ſicut ipſe exiſtit quoad omnes ſuas Rationes infinitus; veruntamen, cùm finitum non poſſit attingere infinitum ût infinitum, Beati, qui ſunt in Patria, non attingunt DEUM infinitum quoad ſuum exiſtere & agere, bene tamen quilibet eorum in ſuo finito intelligere & diligere attingit, quòd DEUS ſit infinitus quoad ſuum exiſtere & agere, intelligens & diligens, quòd ſit infinitus; ſicut natura & proprietas totius attingitur in natura & proprietate partis; & tantum Viſionis & Dilectionis DEI influitur in quemlibet eorum, quantum quisque in ſe poteſt recipere; & ita non eſt eis vel alicui eorum diminuta Gloria; ſed diminueretur in eis, ſi non ſolùm vellent intelligere, quòd DEUS ſit infinitus, ſed potiùs ipſum infinitum, ût eſt; quia ſic non eſſet in eis juſtitia, & vellent id, quod eſt impoſſibile; & ſic remanente præſuppoſitâ Poſitione adhuc ſequeretur, quòd in DEO ſit Productio.

17. Ait Catholicus: manifeſtum eſt ſecundùm Magnitudinem DEI, quòd neceſſariò conveniat, quòd in DEO ſit id, per quod Divina Sapientia ſcit, quòd DEUS magìs diſtet à non deo, & quòd in illo ſit id, per quod ſcit, quòd Bonitas magìs diſtet à malitia, & Infinitas à finitate, & Æternitas à non æternitate &c., & ita neceſſariò vult Voluntas; & ratio, quare hoc ita eſt, conſiſtit in hoc, quia neceſſariò convenit, quòd in DEO ſit id, per quod DEUS eſt magìs remotus ſive diſtat ab omni defectu; quia aliter Sapientia DEI non eſt completa in ſciendo, nec ejus Voluntas in volendo; quod eſt impoſſibile. Sed ſi in DEO eſt Productio, ita videlicet, quòd DEUS æternus & infinitus in Bonitate, Poteſtate, Sapientia & Voluntate &c. de toto ſe ipſo producat æternè & infinitè DEUM æternum & infinitum in Bonitate, Poteſtate, Sapientia, Voluntate &c., ita quòd ambo, videlicet Producens & Productus ſint Unus DEUS infinitus & æternus, DEUS eſt magìs remotus ſeu diſtat in Infinitate & Æternitate à non deo, & ejus Bonitas à malitia &c., quàm ſi non eſt in DEO talis Productio, ſicut nunc prædictum eſt: ergo manifeſtum eſt, quòd in DEO ſit Productio.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi DEUS producit DEUM, ut in illo ſit id, per quod magìs diſtat à non deo, & per quod ejus Bonitas magìs diſtat à malitia &c., ſequitur, ſi non produceret, quòd eſſet in illo ille defectus, per quem non eſſet DEUS, & per quem eſſet in illo malitia &c.: ergo producit, ut ille defectus non ſit in illo, non autem finaliter

(c) 2006 Ministerio de Cultura

naliter ratione sui Producti; & sic Producens esset in majori fine, quàm Productus; sed est impossibile, quòd magis & minùs sint in DEO: ergo non valet Positio.

19. Dixit Infidelis: quicunque credunt DEUM, affirmant, quòd ipse sit Unus tantùm, bonus, infinitus & æternus &c.; & etiam Prophetæ in suis Scripturis clarè posuerunt, quòd DEUS sit Unus tantùm, bonus, omnipotens, æternus &c., non autem, quòd Productio vel pluralitas sit in eo; ideo si in DEO esset Productio vel pluralitas, ita manifestè essent locuti de ejus Productione vel pluralitate, sicut de ejus Unitate, cùm sint in DEO æquales in Bonitate, Infinitate, Æternitate &c.; constat autem, quòd non ita clarè dixerint de Productione DEI, sicut de ejus Unitate, nec etiam Gentes, utpote Judæi & Saraceni quidquam de ea sentiunt nec credunt, sed tantùm de ipsius Unitate. Ideo patet, quòd in DEO non sit Productio; quia si in ipso est Productio, in illo est passa & etiam patitur injuriam, quia tam largo modo non revelatur populo, quàm Unitas & Dignitates DEI, & hæc etiam injuria illata est illi à suámet Sapientia & Voluntate, quæ noluerunt & nolunt eam revelare Gentibus; sed est impossibile, quòd in DEO sit injuria: ergo in DEO non est Productio.

Contra hoc dixit Catholicus. DEUS dedit naturam & proprietatem humano intellectui, ut attingat objectum per acquisitum habitum scientiæ: unde, quantò plùs intellectus attrahit ab objecto similitudines, formans eas in virtute Rationis, tantò plùs ascendit ipsum intelligere; & quantò plùs ascendit ipsum intelligere, tantò plùs ascendit ipsius intellectus in sua virtute, & tantò plùs agit de sua bonitate, magnitudine, potestate (& sic de singulis suis creatis similitudinibus) in eas ad similitudinem Divinarum Dignitatum; & hoc est ita, quia DEUS creavit humanum intellectum & voluntatem, ut multum agant, & quantò altiùs poterunt, ascendant ad plùs intelligendum & diligendum DEUM; & ideo „Prophetæ signi„ficaverunt in ænigmate, quòd in DEO sit „Productio, ut intellectus & voluntas per „investigationem ascendentes de DEO in„quirant, & inde acquirant magnum habi„tum scientiæ; & ideo, quia per suam ardu„am investigationem attingunt, quòd in „DEO sit Productio, meliùs & sublimiùs „fruuntur intrinsecâ Productione vel Ope„ratione DEI, quàm si Prophetæ eam clarè in Sacra Pagina significâssent; & sic prædicta Positio non valet.

20. Ait Catholicus. *Positivè & privativè* in omnibus actibus Rationum DEI considero Productionem, & illam probo sic: manifestum est, quòd in DEO bonificare sit actus Bonitatis, & magnificare actus Magnitudinis, & intelligere actus Intellectûs, & velle actus Voluntatis, & sic de cæteris Divinis Rationibus; & quilibet istorum actuum totus propter Infinitatem, quam habent, attingit quemlibet alium totum & etiam omnes, sicut totum intelligere attingit totum velle, totum bonificare &c., & è converso: hoc idem similiter sequitur de qualibet Ratione vel Dignitate istorum actuum; nam quælibet in se attingit aliam & etiam omnes cum suo actu & cum omnibus actibus aliarum, & è converso. Unde, si Dignitas attingit Dignitatem, & actus actum, ût prædictum est, in tanta Immensitate vel Infinitate attingendi, quòd inde resultet vel producatur tantum, quantum sunt ipsæ Dignitates cum suis actibus, videlicet DEUS infinitus existens idem, quod ipsæ Dignitates cum suis actibus, sic sequitur positivè *multiplicatio* per Productionem, videlicet, quòd, in quantum ipsæ Dignitates sunt, in tantum se *multiplicent;* & hæc multiplicatio est de illis ipsis; & ita Voluntas & Intellectus & Bonitas & Magnitudo &c. *positivè* habent DEUM volendo, intelligendo, bonificando, magnificando &c.; si autem hoc est per oppositum, videlicet, quòd Dignitas attingat Dignitatem, & actus actum, ût prædictum est, ita, quòd non resultet de ipsis vel producatur vel tendat in *esse* tantum, quantum ipsæ sunt, sicut prædictum est, Voluntas cum suo velle attingit *privativè* Sapientiam cum suo intelligere, & è converso, & sic de cæteris Dignitatibus; quia Voluntas non diligit, quòd intelligere in tantum se multiplicando implicet, quantum ipsum est; & sic diligit *minus*, & non diligit *majus;* hoc autem est contra bonificare, infinire &c. in DEO; quod est impossibile. Unde patet, quòd in DEO sit Productio.

Contra hoc dixit Infidelis. Velle Divinæ Voluntatis ita attingit intelligere & cæteros actus Dignitatum, quòd positivè diligit, quòd ipsum intelligere & omnes alii actus sint æterni & infiniti; & ita bonificare & magnificare non possunt quidquam ulteriùs implicare; est enim impossibile, quòd quid-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quidquam ſuper Infinitatem & Æternitatem implicetur; & ideo non valet prædicta Poſitio. Et ſequeretur aliud impoſſibile, videlicet, quòd ipſum velle attingeret ipſum intelligere privativè, ita, quòd in DEO eſſent implicativum & implicabile, quia Sapientia DEI non haberet vel attingeret actu, ſed potentiâ; hoc autem eſſet attingere privativè, quod eſt impoſſibile in DEO: & ideo ſimiliter non valet Poſitio.

20. Dixit Infidelis. Intelligere in DEO eſt ita completum, ſicut Intellectus, & hoc vult Voluntas, ut intelligere attingat ſe ipſum perfectum ſimpliciter; hoc idem ſequitur de cæteris actibus Dignitatum. Unde ſi intelligere eſſet in DEO, ut produceretur Intellectum, ipſum Intellectum productum eſſet finis illius intelligere, & ipſum intelligere ſe haberet ad finem; & ſic Magnitudo Infinitatis Bonitatis &c. deficeret ipſi intelligere; hoc autem non vult Voluntas, cùm ſit infinita in Bonitate, Poteſtate &c., quia ſic vellet in DEO defectum; quod eſt impoſſibile: ergo in DEO non eſt Productio.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Voluntas attingit divinum intelligere & cæteros actus Dignitatum DEI quoad Eſſentiam Suppoſiti, quod eſt Intellectus, in quantum Producens, & quod eſt Intellectum, in quantum Productum, & ſic ipſum intelligere eſt eſſentialiter utriusque, ſcilicet Producentis & Producti; & ita ipſum intelligere eſt infinitum quoad Infinitatem Producentis & quoad Infinitatem Producti; & ideo prædicta Poſitio non valet.

PARS III.

De Trinitate Perſonarum in Divinis.

PRobatum eſt, quòd in DEO ſit Productio, & per conſequens producens, producere & productum; & ita ſecundùm hos tres terminos ponit Catholicus, quòd in DEO ſint Tria Suppoſita vel Tres Perſonæ tantùm, & non ulteriùs; hæc autem Poſitio ſic probatur.

1. Ait Catholicus: Divinæ Rationes habent quælibet ſuum proprium actùm, ût Bonitas bonificare, Magnitudo magnificare, Sapientia intelligere &c., & quælibet Dignitas habet ſuum actum in actu cujuslibet alterius Dignitatis, ût Bonitas ſuum bonificare, & Magnitudo ſuum magnificare in intelligere, quod eſt actus Sapientiæ &c.; & ideo Producens in intelligere intelligit ſe quoad Producentem, & intelligit Productum; & in ipſo eodem intelligere ipſe Productus intelligit ſe quoad Productum, & intelligit Producentem; & ſic unum idem intelligere, quod eſt actus Sapientiæ, eſt totus Producentis, & idem totus Producti, & totus utriusque exiſtens actus Sapientiæ; diſtinctimodè autem ſunt in ipſo intelligere Producens & Productus intelligentes, quia diſtinctimodè ſe intelligunt, & diſtinctimodè ſunt duo, videlicet Producens & Productus: intelligere autem eorum tam hujus, quàm illius eſt unum; & id, per quod ipſum intelligere utriusque conjungitur, eſt unum diſtinctum ab illis duobus, idem tamen quoad Rationem Eſſentiæ Sapientiæ eſt ipſum id, per quod ſe conjungunt in uno intelligere prædicta duo Suppoſita, videlicet Producens & Productus; & illud, in quo ſe conjungunt, eſt Tertium Suppoſitum; quia, ſi Conjunctio, ſive id, in quo prædicta duo Suppoſita conjunguntur, non eſſet Suppoſitum per ſe, ſicut Producens vel Productus, qui ſunt diſtincta Suppoſita, eſſent diminuti in illo prædicto intelligere actus Dignitatum DEI, videlicet bonificare, magnificare &c., quia non conſtituerent illud, in quo Producens & Productus ſe conjungunt, videlicet ipſum intelligere in *eſſe* Ens Subſtantiale ſive Eſſentiale, ſed accidentale, quod eſt impoſſibile in DEO: ergo ſequitur, quòd ſit Eſſentiale Suppoſitum, & habeat in tantum Rationem Suppoſiti ſive Perſonæ, quantum ipſe Producens vel ipſe Productus. Ergo ſunt Tria Suppoſita in Divinis, & non plura nec pauciora, videlicet Producens, Productus, & Tertium conjungit hos duos, & permanet unum intelligere, unus DEUS, una Bonitas &c. unum bonificare, magnificare &c.; & iſtud Tertium Suppoſitum per ipſum idem intelligere intelligit ſe diſtinctum Productum ab ambobus in hoc, quòd conjungat eos, & conſervet ipſum intelligere eorum unum numero; nec tranſeunt Divina Suppoſita in quaternarium vel quinarium vel ulteriùs; ſufficiunt enim in ipſo intelligere Tria prædicta Suppoſita quoad Rationem Unius DEI, videlicet unius & perfectæ Eſſentiæ, & unius perfecti intelligere; quia, niſi ſufficeret Ternarius prædictorum Suppoſitorum, eſſet in DEO diminuta Bonitas, & ſimiliter bonificare, & Magnitu-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gnitudo & magnificare &c.; quod est impossibile. Ergo in DEO est tantùm Trinitas Suppositorum.

Contra hoc dixit Infidelis: probatum est, quòd in DEO non sit Productio, & sic est impossibile, quòd in DEO sit Trinitas vel binitas, vel alius numerus præter Unitatem, cùm DEUS sit tantùm unus. Et dato, quòd in DEO sit prædicta Productio, adhuc remanet, quòd alius numerus à ternario magìs conveniat DEO; & si sic, improbatur Catholica Fides, & hoc sic patet: in divino intelligere Producens intelligit se infinitum in Bonitate &c., & sic intelligit se infinitum in bonificare &c.; & sicut intelligit se infinitum, eodem modo intelligit Productum infinitum in eadem Bonitate &c.; eodem modo intelligit ipse Productus se & suum Producentem, & ita permanent ambo sinè tertio unus DEUS, una Sapientia, unum intelligere, & una Bonitas &c., nec indigent tertio Supposito, quia illud frustra esset in eis, cùm quilibet eorum habeat in se suam sufficientiam per suam infinitatem: ergo sunt tantùm duo Suppositа Divina, & non ulteriùs; quia, si illa duo non sufficiunt, sic deficit in eis bonificare, magnificare &c., quod est impossibile, cùm Producens & Productus sint idem cum infinito bonificare, magnificare &c. Ergo in DEO non est Trinitas.

2. Dixit Infidelis: in divino intelligere est infinita Simplicitas Producente intelligente se Producentem, & intelligente Productum, & intelligente Procedentem ab utroque; & sic Producens habet per se tres actus distinctos alterum ab altero; quia, nisi sic esset, non esset in ipso intelligere Producentis infinita Simplicitas; quia major & nobilior est Simplicitas ipsius intelligere, si sinè diminutione Simplicitatis ipsum intelligere sit in tria intelligere infinitè simplicia, quàm si diminutio Simplicitatis cogeret, quòd ipsum intelligere non esset in prædicta tria intelligere infinitè simplicia; & sic esset finita simplicitas in DEO, quod est impossibile: ergo est necessarium, quòd oppositum hujus impossibilîs in DEO sit, videlicet, quòd ipsum intelligere Producentis sit in tria intelligere, sicut dictum est: ergo probatum est, quòd intelligere Producentis habeat tria, quia Producens distinctè intelligit tria objecta distincta; & sicut Producens habet tria, eodem modo Productus habet tria, & Procedens tria, cùm nullus eorum, videlicet Producentis, Producti & Procedentis sit major, quàm alius: ergo in divino intelligere sunt ter tria suppositа, quæ sunt novem, aliàs Simplicitas ipsius intelligere non esset infinita, ût jam etiam probatum est; quia sic deficeret illi Magnitudo Bonitatis, Potestatis &c.; quod est impossibile: ergo in Divina Essentia sunt novem suppositа, & non tria tantùm.

Contra hoc dixit Catholicus: qui est Pater existens totum ipsum intelligere Sapientiæ, cùm ipse sit ipsa tota Sapientia, quæ in DEO est idem, quod totum ipsum intelligere, de toto se ipso generat Filium in suo intelligere, & spirat Sanctum Spiritum in eodem intelligere; & sic, cùm Pater sit unum intelligere tantùm, generat unum intelligere tantùm, quod est Filius, & spirat unum intelligere tantùm, quod est Sanctus Spiritus; quia, si in DEO essent plures patres, conveniret necessariò, quòd derivarentur ab uno primo Principio uno Patre, cùm DEUS sit unus, quia quilibet per se non posset esse sinè aliquo uno tantùm Patre generante vel producente illos; quia sic essent præcisè distincti, nec convenirent in aliqua unitate, quod est impossibile, quia sic non esset in DEO Unitas, sed essent plures Dii in DEO penitùs distincti; quod est manifestè impossibile: relinquitur ergo, quòd in DEO sit Unus Summus Pater, & hoc concedo, & est impossibile, quòd aliquis alius Pater derivetur vel generetur ab illo, quia Pater generaret patrem: ergo est manifestum, quòd in DEO sit unus Pater tantùm, & per consequens unus Filius; quia Pater, cùm ipse ratione Paternitatis sit unus & infinitus in Bonitate &c., generat de toto se ipso unum Filium tantùm; quia, si generaret plures, sic generaret contrarium suæ Unitatis; quod est impossibile: ergo est in DEO unus Filius tantùm, & non plures; eodem modo Pater non spirat, nisi tantùm unum Sanctum Spiritum, qui idem Sanctus Spiritus spiratur à Filio, cùm sit ipsa Conjunctio Patris & Filii, ût superiùs dictum est; & licèt sint duo Spirantes Sanctum Spiritum, Pater ratione Paternitatis, Filius ratione Filiationis, spirant tamen ratione unius Essentiæ unius DEI, & ita non spirant, nisi unum Sanctum Spiritum; nam sicut Pater est unus, & ratione unius Essentiæ & ratione unius Paternitatis generat Filium, & spirat Sanctum Spiritum, & sicut Filius est unus, & ratione unius ejusdem Essentiæ & unius Filiationis generatur à Patre, & spirat Sanctum Spiritum, sic Sanctus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tus Spiritus ratione unius Eſſentiæ & unius Spirationis ſpiratur unus idem à Patre & Filio; quia, ſi eſſent plures Sancti Spiritus, ſic ſufficeret unus Pater & unus Filius, ût probatum eſt, ſed non unus Sanctus Spiritus, & DEUS haberet ſe plùs ad Spirationem, quàm ad Generationem; quod eſt impoſſibile: ergo eſt unus Sanctus Spiritus. Ergo per prædicta patet, quòd ſint Tria Suppoſita, & non plura, nec pauciora; & ſic „in uno „intelligere ſunt tria, & de uno eodem in„telligere intelligunt illa tria, videlicet Pa„ter in ratione Patris, & Filius in ratione Fi„lii, & Procedens in ratione Procedentis; & „Pater de ſuo intelligere intelligit plura ſinè „variatione ſui intelligere, & Filius & Sanc„tus Spiritus ſimiliter, & hoc eſt nobis ma„nifeſtum in creato intellectu, quia de uno „eodem intelligere attingit plura objecta „ & ſic non valet Poſitio.

3. Ait Catholicus: DEUS Pater non poteſt generare DEUM infinitum in Bonitate, Immenſitate, Æternitate &c., niſi de toto ſe ipſo; cùm non ſit in Deitate, niſi tantùm unus Pater infinitus æternus &c., ût jam probatum eſt, & hoc etiam, quia ſolus eſt Unus DEUS, & ipſe ſolus eſt infinitus &c.: ſequitur ergo, quòd Pater, qui eſt ipſe ſolus DEUS, non poſſit de alio, niſi de ſe ipſo etiam toto generare infinitum DEUM; ergo infinitus DEUS generatur de infinito DEO; & ſic in Deitate ſunt duo, Generans & Generatus, & ipſe Generatus, quia in tantum eſt infinitus &c., quantum Generans, eſt de tota Eſſentia infinita &c. Generantis, imò etiam tota eadem infinita Eſſentia, videlicet tota Deitas Generantis; & „ſicut viſus non „poteſt attingere objectum, niſi per videre, „ſimili modo Pater, qui eſt DEUS, in dili„gendo non poteſt attingere Filium, niſi „per deificare, & è converſo Filius fruendo „Patre in diligendo non poteſt attingere „Patrem, niſi per ipſum deificare; hoc „deificare autem eſt DEUS infinitus, per „quem DEUM DEUS Pater diligit DEUM „Filium, & è converſo; & iſte DEUS eſt „Tertium Suppoſitum à Patre & Filio in in„finita mutua Dilectione ſpiratum„ quia, niſi ipſum Spiratum eſſet Suppoſitum ita perfectum & completum, ſicut Pater vel Filius, ſic Pater diligeret Filium (& è converſo) cum Voluntate finita in Bonitate, Poteſtate &c.; quod eſt impoſſibile: ergo Spiratus eſt ita perfectum & completum Suppoſitum, ſicut Pater vel Filius; & „iſte eſt Sanctus Spi„ritus exiſtens DEUS perfectus in mutuo „diligere, intelligere, bonificare &c. Patris „& Filii„ ut Juſtitia Bonitatis &c. non deficiat in illa Summa Mutua Dilectione Patris & Filii. Quartum ſuppoſitum autem non poteſt eſſe in Deitate, quia, ût ſuprà probatum eſt, in Deitate non poteſt eſſe, niſi unus Pater tantùm, & unus Filius tantùm, & unus Spiratus ab eis tantùm; nec plures proprietates perſonales, quàm Paternitatem, Filiationem & Spirationem, poteſt humanus intellectus intelligere in Deitate ſecundùm Dignitates DEI & actus earum; „quia ſi eſt „alia proprietas perſonalis vel proprietates „ultra prædictas, ſic Divinæ Dignitates & „actus earum mentiuntur nobis, vel nolunt „eam vel eas nobis revelare; & hoc, quia non „ſufficit intellectus ad apprehendendum „vel attingendum eam propter ſuam Digni„tatem; quod eſt impoſſibile, quia ſic major „eſſet iſta, quàm illæ, quas intelligimus; vel „quia vult, quòd illa à nobis non intelligatur „& diligatur; & ſic eſſet minor, quàm præ„dictæ, quas intelligimus & diligimus, nam „iſtæ habent actionem in creaturam, quia „influunt in nos, illa verò non„; hoc autem eſt impoſſibile: ergo nulla alia proprietas eſt in DEO præter prædictas, quas intelligimus. Ergo Ternarius Suppoſitorum eſt in DEO tantùm, & non ultrà.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi in Deitate Pater de toto ſe ipſo generat Filium, & ſpirat Sanctum Spiritum, de toto ergo communicat ſe illi; ſic igitur in tantum communicat illi ſuam Paternitatem, quantum Bonitatem, Infinitatem &c., aliter eſſet major Bonitas, Infinitas &c. in Patre, quàm Paternitas; quia ſic Paternitas eſſet defectiva in Magnitudine Bonitatis; quod eſt impoſſibile: ergo Pater communicat ſuam Paternitatem Filio & Sancto Spiritui per tantam Infinitatem, quantus ipſe Pater eſt: ergo Filius eſt pater habens filium alium à ſe, hoc idem eſt de Sancto Spiritu; ergo ſunt plures patres & filii in Deitate, & ſic non valet Poſitio; quia, ſicut homo pater generans hominem filium habituat in filio paternitatem, ut poſſit eſſe pater alterius filii, ita ſimiliter etiam in Divinis; nec ſequitur, quòd in Divinis non poſſit eſſe alia proprietas perſonalis præter Paternitatem, Filiationem & Spirationem: & quamvìs illa non reveletur humanis intellectibus, nullum inconveniens ſequitur in DEO; nam eſt impoſſibile, quòd ex finito implicetur aliquod inconve-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

niens in infinito, quia est impossibile, quòd ex intelligere vel non intelligere creaturæ in DEO possit esse aliquid majus vel minus, cùm ipse sit in se simpliciter infinitè perfectus; & sic non valet Positio, quòd non possint esse plures proprietates, quàm prædictæ.

4. Dixit Infidelis: si Pater de se toto generat Filium, non potest spirare Sanctum Spiritum; vel si de se toto spirat Sanctum Spiritum, non potest de se toto generare Filium, quia una Persona non potest sufficere duabus Personis omninò æqualibus, cùm Magnitudo sit major in dualitate Infinitatis, Æternitatis &c. duarum Personarum, quàm sit tantùm in Unitate Infinitatis, Æternitatis unius Personæ tantùm: sic igitur patet, quòd in DEO sit Unitas Personarum vel Suppositorum, non autem Trinitas, nec ulteriùs, videlicet Pater & Filius, vel Spirans, & Sanctus Spiritus, quia solus Filius indiget toto Patre, vel solus Sanctus Spiritus toto Patre spirante.

Contra hoc dixit Catholicus: quia Pater de toto se ipso generat Filium, diligit ipsum Filium totum de se ipso toto Patre; & quia Filius est de toto Patre genitus, diligit ipsum Patrem totum de se ipso toto Filio, & per consequens, in quantum est necessarium, quòd Pater de se toto generet Filium, in tantum est necessarium, quòd totus Pater diligat totum Filium, & è converso in quantum est necessarium ipsi Filio, quòd ipse totus generetur de toto Patre, tantum est necessarium, quòd totus Filius diligat totum Patrem; nam nisi hoc ita esset, Generatio esset major in Deitate, quàm Mutua Dilectio Gignentis & Geniti; & sic non esset in DEO infinita Dilectio, nec per consequens infinita Generatio, quia ipsi Generationi deficeret infinita Dilectio; quod est impossibile: ergo ipsa Dilectio in tantum est Suppositum per se à Gignente & Genito distinctum existens DEUS, quantum Gignens vel Genitus. Quia etiam, sicut inter volentem & volitum necessarium est velle, ita similiter convenit, quòd inter Patrem DEUM & Filium DEUM mutua Dilectio sit DEUS, videlicet illud medium, per quod Pater generat Filium, & per quod Filius generatur à Patre, quæ „Dilectio vel medium non est Pater „nec Filius, ût per se patet, quamvìs sit id, „quod est Pater, & quod est Filius, scilicet „ipsa Deitas vel ipse DEUS„; & cùm DEUS Pater sit ipsámet Infinitas, Æternitas &c., potest idem sufficere totus ad generandum totum Filium, & ad spirandum Sanctum Spiritum, quia ipsa Infinitas Patris supplet cum tanta Immensitate Potestatis Æternitatis Bonitatis &c. ad diligendum Filium, id est, ad producendum Sanctum Spiritum, cum quanta supplet ad generandum illum, & è converso; & sic non valet Positio.

5. Ait Catholicus: „DEUS in tantum assimilavit suas Creaturas sibi ipsi, in quantum „creaturæ potuerunt recipere similitudinem ejus secundùm suas qualitates, ut per „illam similitudinem humanus intellectus „plùs ascendat ad cognoscendum DEUM, „& humana voluntas ad plùs diligendum „illum„; hoc autem ita convenit esse, ut Magnitudo Divinæ Bonitatis, Sapientiæ, Voluntatis, Justitiæ, Largitatis &c. non deficeret humano intellectui & voluntati; sed quia in creatis est nobilior & magìs universalis numerus unitas & trinitas, quàm alius numerus: ergo patet, quòd numerus in Divinis sit Unitas & Trinitas; Unitas quoad Essentiam; Trinitas quoad Suppositа vel Personas. Quòd autem in creaturis unitas & trinitas sit numerus nobilior & magìs universalis, patet, quia unaquæque substantia creata continet prædictum numerum secundùm suam totalitatem, & non ultra, ût substantia Mundi, quæ est tota in natura sensuali & intellectuali & in conjuncto, ût in animali rationali, quod ex illis est conjunctum, & hæc tria sunt unus Mundus: hoc etiam patet in unaquaque substantia individuata, quia unaquæque substantia individua est ex forma & materia & ex conjunctione illarum; nam ex forma & materia cujusque substantiæ procedit una conjunctio ratione unius substantiæ. Iterum hoc etiam patet in intellectualibus substantiis, ût in anima rationali, nam in anima rationali sunt tres proprietates vel potentiæ, quæ sunt saltem realiter, si non formaliter ipsa anima: hoc idem etiam sequitur de verbo, quod producunt potentiæ, videlicet recolere, intelligere & velle, quæ tria sunt unum verbum: hoc idem etiam est de verbo argumenti, quod est unum de duabus propositionibus & una conclusione procedente ex duabus præmissis propositionibus; & sic de similibus istis. Unde patet necessariò, quòd in Divinis sit tantùm numerus unus & trinus, & non alius; quia, si esset alius, necessariò conveniret, quòd alius numerus à trino & uno esset nobilior & universalior, quod est falsum, ût manifestum est nobis, vel quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd DEUS non assimilaret sibi creaturas in tantum, quantum creaturæ possent recipere ejus similitudinem, cujus oppositum patet, ût nunc prædictum est.

Contra hoc dixit Infidelis: nullus numerus in creatis constitutus de unitate & trinitate est in æqualitate finîs;& hoc est manifestum in unaquaque substantia, ût in substantia Mundi & in omnibus individuis substantiis; nam in substantia Mundi intellectualitas est nobilior & magìs accedit ad finem, quàm sensualitas; & in humana substantia anima est nobilior, quàm corpus, & propinquior fini, & homo est nobilior, quàm corpus per se, & quàm anima per se, homo enim est ipsum conjunctum ex anima & corpore, & ita anima & corpus sunt in minoritate finîs, homo autem, cùm sit ipsémet finis, est in majoritate; nam omnis finis est nobilior, quàm ea,quæ se habent ad finem; hoc idem sequitur in omnibus substantiis compositis ex forma & materia; similiter anima est nobilior, quàm quælibet potentiarum per se; similiter conclusio argumenti est nobilior, quàm præmissæ; nam præmissæ argumenti sunt propter conclusionem; & ipsum argumentum est nobilius, quàm præmissæ vel conclusio; & sic inductivè patet, quòd in nulla substantia creata numerus sit in æqualitate finîs. Sed quicunque numerus sit in Divinis, convenit, quòd ille sit in æqualitate finîs; inferiora verò significant secundùm numerum, quòd trinum & unum in DEO sit in inæqualitate finîs: ergo convenit, quòd numerus alius à Trinitate sit in DEO, in quo sit æqualitas finîs: ergo Positio non valet.

6. Dixit Infidelis: si in DEO est Sanctus Spiritus, convenit, quòd sit æqualis Patri & Filio in Bonitate, Infinitate &c.; non autem potest esse æqualis Patri, cùm non generet, nec Filio, cùm non spiret, quia Christiana Secta tenet, quòd Sanctus Spiritus nec generet nec spiret; ergo in DEO non est Sanctus Spiritus; vel convenit, quòd generet & spiret in Infinitate Bonitatis &c. alium à se; & ille, cùm sit æqualis in omni conditione suo producenti, producet iterum alium à se ejusdem conditionis, & ille alium, & sic in infinitum; ergo necessariò convenit, quòd in Divinis sit infinitus numerus suppositorum, vel quòd productio, quam tenet Christianitas, quòd sit in Divinis, non sit in Proprietate Generativa, nec in Proprietate Spirativa, sed fortè in aliis proprietatibus omninò separatis ab istis.

Contra hoc dixit Catholicus: Pater, qui est DEUS, generat cum hac conditione, ut de ipso sit unus Filius,& spirat cum hac conditione, ut de ipso sit unus Sanctus Spiritus, sicut ipse est unus Pater, unus Spirans, una Bonitas, una Magnitudo &c., unum bonificare, unum magnificare &c., Unus DEUS, una Unitas, una Essentia; si autem essent duo vel plures patres, & sic similiter plures filii & plures sancti spiritus, destrueretur conditio Divinæ Unitatis, videlicet unius Bonitatis, unius Deitatis &c.; quod est impossibile, ût jam etiam suprà manifestè probatum est: ergo Sanctus Spiritus non debet nec potest generare nec producere, nec Filius debet nec potest generare, sed generari, quia sic non esset Filius; nec appetit generare, quia sic esset contra conditiones unius Patris & unius Deitatis &c.; nec etiam Sanctus Spiritus potest generare, quia sic esset contra conditiones unius Patris & unius Filii & unius Deitatis, & sic haberet & Filius & Sanctus Spiritus aliquid, quod Pater non habuit, quod est impossibile: & ideo non valet Positio. Quòd autem Productio sit in Divinis, & hoc in Proprietate Generativa & in Proprietate Spirativa, manifestatur in hac sequenti Positione.

7. Ait Catholicus: homo Pater non potest producere hominem filium, nisi per proprietatem generativam, nec planta potest producere plantam, nisi generativè; nec etiam intellectus verbum, nisi generativè &c.; nec in omnibus istis producens potest retinere suum productum in sua specie, nisi per viam generationis; nec forma & materia possunt se habere in conjuncto, nisi ex se ipsis influant illam virtutem, per quam se conjungunt, ita, quòd conjunctum est suppositum aggregatum ex forma & materia & ex illa virtute, quæ est conjunctio eorum; & manifestum est, quia hoc debet fieri per proprietatem generativam & processivam, & sinè istis in nullo conjuncto creato producens posset producere, nec sufficeret de se ipso ad producendum productum permanens in sua specie, nec esset tanta relatio, concordantia, finis & unitas, nec tanta distantia à contrarietate, corruptione, cessatione, privatione, minoritate, malitia &c. Sed convenit, quòd in Divinis necessariò sit id, per quod Deitas magìs distat à contrarietate, corruptione, cessatione, privatione, minoritate, malitia & cæteris his similibus;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bus; per infinitam Generationem autem & Proceſſionem infinitè diſtat ab illis, ût per ſe patet: ergo Generatio & Spiratio ſunt in Deitate. Nam, ſi generatio & proceſſio in creaturis ſunt id, per quod magìs diſtant à prædictis imperfectionibus, quod etiam eſt nobilius, quod creaturæ habeant in ſe: quantò magìs ergo convenit, quòd in Divinis ſit Generatio & Proceſſio, & hoc in infinita Bonitate, Magnitudine &c., ut Producens, videlicet Generans, & Productus, videlicet Genitus, & Medium, quod procedit ab utroque, ſit in infinita Bonitate, Magnitudine &c., & in infinita Unitate, Deitate & Concordantia & Relatione, per quas ipſa Deitas infinitè diſtet ab omni contrarietate, corruptione & ceſſatione. Ergo per prædicta manifeſtè patet, quòd Productio, quæ eſt in Divinis, neceſſariò ſit in Proprietate Generativa & Spirativa ſeu Proceſſiva.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi Pater generat Filium, & ſpirat Sanctum Spiritum, & Filius tantùm ſpirat Sanctum Spiritum, Pater eſt major, quàm Filius, per Proprietatem Generativam & per Proprietatem Spirativam; per Proprietatem Generativam quidem, quia generat Filium, ut ſpiret Sanctum Spiritum; nam niſi Pater generaret Filium, non poſſet ſpirare Sanctum Spiritum; eſt etiam major, quàm Filius, per Proprietatem Spirativam, quia de ipſo Patre generante & ſpirante procedit Sanctus Spiritus, ſed non procedit de Filio niſi ſpirante tantùm: ergo Pater eſt major, quàm Filius, quoad Magnitudinem Finîs & quoad numerum actuum producendo Sanctum Spiritum, quia habet duos actus, Filius verò unum tantùm; cùm autem ſit impoſſibile, quòd in DEO ſit inæqualitas, & inæqualitas cadat in DEUM, ſi Divina Productio eſt in Generatione & Proceſſione, ût nunc probatum eſt: ergo convenit, quòd Productio non ſit in Divinis, vel quòd ſit in proprietatibus aliis à Generatione & Proceſſione: & ſic adhuc reſtat, quòd prædicta Poſitio non valeat.

8. Dixit Infidelis: ſi Sanctus Spiritus non producit, ſed fruitur tantùm, convenit, quòd Magnitudo ejus neceſſariò ſit major in exiſtendo, quàm in agendo; quia ipſe exiſtendo eſt DEUS, ſed de ſuo agere non reſultat DEUS, cùm agendo non producat DEUM; ſed eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit majoritas & minoritas: ergo Sanctus Spiritus eſt tantus agendo, quantus exiſtendo; ſed totum ſuum exiſtere eſt converſum in exiſtere DEUM; ergo totum ſuum agere convertit ſe, quòd agat DEUM, videlicet, quòd producat DEUM: ergo Sanctus Spiritus producit: igitur ſunt plures perſonæ in DEO.

Contra hoc dixit Catholicus: ſicut jam dictum eſt, Sanctus Spiritus eſt agere Patris & Filii, quia in diligendo invicem ſpirant ipſum, & ſic ſuum exiſtere eſt à Patre & Filio in agendo DEUM; & totum illud exiſtere Sancti Spiritûs, quod producitur in agendo, convertit ſe in fruendo Patre & Filio; & ſic Sanctus Spiritus eſt DEUS in agendo; & ex hoc patet, quòd Sanctus Spiritus, quantum ad ſuum exiſtere & ſuum agere, ſit æqualis, licèt non producat; nam non poteſt producere, quia Finis, quare ipſe eſt, eſt, ut ſit Fruitio Patris & Filii; & ſic, ſi produceret, ageret contra Finem, ad quem eſt productus; & ita Sanctus Spiritus eſſet, in quantum ſequeretur Intentionem & Finem, ad quem eſt; & non eſſet, in quantum produceret contra prædictam Intentionem; quod eſt impoſſibile: ergo non valet Poſitio; & eſt probatum, quòd in DEO ſint Tres Perſonæ tantùm, & non plures, nec pauciores.

PARS IV.

De Incarnatione.

POſtquam diximus de Trinitate Perſonarum ſive Suppoſitorum in Divinis, & hoc ſecundùm intrinſecam Operationem DEI, nunc dicendum eſt de extrinſeca Operatione DEI, & primò de Incarnatione: utrùm DEUS ſit incarnatus in homine? unde quando dicimus Incarnationem DEI, vel quòd DEUS ſit incarnatus, intelligendum eſt, quòd DEUS aſſumpſerit humanam Carnem; & ad hoc tenemur per Catholicam Veritatem, quod videtur multùm impoſſibile apud Infideles; quòd autem DEUS ſit incarnatus, poteſt probari per multas Rationes iſto modo.

1. Dixit Catholicus: ſuppono, quòd DEUS ſit incarnatus; & hanc Poſitionem probo ſic: neceſſariò convenit, quòd ſit id, per quod Divinæ Dignitates magìs poſſunt exiſtere, participare & agere in creaturis, & per quod ipſum exiſtere & agere Deitatis magìs manifeſtantur in creaturis in Bonitate &c.; ſed per nullum alium modum poſſunt Rationes vel Dignitates DEI tantum exiſtere & agere in creaturis, & manifeſtare ſuos actus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

actus in creaturis, quantum per Incarnationem DEI; quia, ſi per Incarnationem Unitas DEI ſibi unit Humanitatem, quantum poteſt, ita quòd DEUS unus cum uno Homine tantùm unitus idem DEUS participet cum omnibus creaturis quoad naturam, etiam quoad finem, quare creavit Mundum, & quoad majorem Bonitatem, majorem Poteſtatem, Sapientiam &c., quam creatura poſſit recipere, ita quòd ille Homo, qui eſt unitus DEO, ſit magìs bonificatus quoad Bonitatem, & magìs magnificatus quoad Magnitudinem, & magìs potentificatus vel factus potens quoad Poteſtatem, & factus magìs ſapiens quoad Sapientiam, & magìs amabilis quoad Voluntatem &c., quàm aliqua alia creatura, imò ſuper omnes creaturas incomparabiliter ratione Deitatis, cui eſt unitus, patet manifeſtè, quòd nullo alio modo poſſint Rationes DEI vel ipſa Deitas tantum exiſtere & agere in creaturis, nec tantum poſſit manifeſtari ipſum exiſtere & agere DEI in creaturis: ergo convenit, quòd DEUS ſit incarnatus; & hoc vult Divina Voluntas: quia, niſi ita vellet, eſſet contra ſuúmmet exiſtere & agere in creatis, videlicet contra majorem Unitatem Bonitatis, Magnitudinis, Poteſtatis, Sapientiæ &c., & contra majorem Bonitatem, majorem Magnitudinem, Poteſtatem, Sapientiam &c., quam ipſum exiſtere & agere DEI poſſint habere in creaturis; quod eſt impoſſibile.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi DEUS eſt incarnatus, eſt manifeſtum, quòd DEUS per exiſtere & agere ſit contra ſuas altas Rationes; nam eſt ſumma vilitas, quòd Summum Ens infinitum in Bonitate &c. ſe inclinet ad ens finitum, creatum & corruptibile, videlicet ad hominem, & quòd faciat, quòd homo ſécum ſit unus in Perſona, & quòd infinitum Ens, quod eſt ipſe DEUS, ſit unum in infinita Bonitate &c. ſuæ Perſonæ cum finita bonitate &c. ipſius hominis, quem aſſumpſit; ſed quia eſt impoſſibile, quòd Divinæ Rationes, cùm ſint in Infinitate Nobilitatis, inclinent ipſum Summum Ens infinitum in infinita Nobilitate, quod eſt DEUS, ad tantam vilitatem, quanta eſt homo: ergo DEUS non eſt incarnatus; & ſic non valet Poſitio.

2. Dixit Infidelis: dico, quòd DEUS non ſit incarnatus; & hoc ſic probo: Divina Voluntas eſt una, & eſt infinita in Infinitate Bonitatis, Magnitudinis &c., & eſt eadem cum omnibus Divinis Rationibus; & ideo, ſi vult eſſe una cum aliquo, tota ſe communicat ad eſſendum una cum illo; & per conſequens ad illam Unionem concurrunt omnes Divinæ Rationes, cum quibus ipſa Voluntas eſt eadem: unde, ſi Divina Voluntas vult eſſe una Perſona cum aliqua creatura, convenit, quòd concurrat ad illam Unionem cum Infinitate Bonitatis, Magnitudinis &c.; & ſic illa creatura eſſet infinita in extenſione & infinita in Bonitate, Æternitate, Poteſtate &c., quod eſt impoſſibile; &, ſi illa creatura, quam Voluntas ſibi aſſumpſit, eſt omnino finita, deficit ipſa Voluntas in Magnitudine Bonitatis, Immenſitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c.; & illi deficiunt omnes Divinæ Rationes, quod eſt impoſſibile: ergo patet manifeſtè, quòd Incarnatio DEI ſit impoſſibilis.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Voluntas in ſuo velle & in ſuo bonificare Bonitatis, & magnificare Magnitudinis, & cæterarum Rationum DEI per alium modum ſe habet ad unitatem cauſæ & effectûs; & ideo, quamvìs Voluntas cum creatura velit eſſe una, nihil prohibet eam, cùm ſit infinitæ Poteſtatis, Sapientiæ &c., quòd ſit una cum creatura, quin ſimul permaneant ipſi Divinæ Voluntati omnes conditiones, quæ pertinent ad ipſam Deitatem, & quin etiam permaneant illi creaturæ ſécum unitæ omnes conditiones, quæ pertinent ad creaturam, ita, quòd ambæ Naturæ, videlicet increata & creata permaneant id, quod ſunt, ſinè omni confuſione earum ita, & multò meliùs, ſicut in homine rationalis natura unita cum corporali natura permanet id, quod eſt, cum omnibus ſuis conditionibus, & ſimiliter corporalis natura id, quod eſt, cum omnibus ſuis conditionibus ſinè confuſione utriusque naturæ.

3. Ait Catholicus: DEUS eſt Summum Ens cum omnibus ſuis Rationibus, & creavit ſuum effectum ad ſe ipſum; videlicet increata Bonitas creatam bonitatem ad diligendum ipſam increatam Bonitatem &c., & increata Magnitudo creatam magnitudinem ad magnificandum ipſam increatam Magnitudinem &c., & increata Sapientia creatam Sapientiam ad cognoſcendum increatam &c.; & quia Divina Magnitudo eſt idem cum omnibus Divinis Rationibus, convenit, quòd effectus ſit creatus in tanta & tali diſpoſitione, quòd ipſe effectus multùm intelligat, diligat, magnificet, glorificet &c. DEUM cum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cum omnibus suis Rationibus, & sic multùm possit intelligere, diligere &c.; & nisi hoc ita esset, ipsa Magnitudo DEI esset defectiva in fine, quare creavit creaturas, quod est impossibile: ergo est manifestum, quòd DEUS, qui est Summum Ens, sic creaverit creaturas, ut ipse à creatura multùm cognoscatur, multùm diligatur &c. in tanta magnitudine, quantam creatura potest vel potuit recipere ad multùm excellenter magnificandum & diligendum DEUM in Divino existere & agere: sed, si DEUS est incarnatus, videlicet, quòd DEUS sibi ipsi univerit Hominem ita, ut, sicut DEUS est Summum Ens entium quoad Deitatem, sic ille assumptus à DEO sit summa Creatura creaturarum & Finis omnium creaturarum, ita quòd illa summa Creatura ita excellenter intelligat & diligat, magnificet & glorificet DEUM cum suis Rationibus plùs, quàm alia creatura, imò super omnes creaturas excellentissimè ineffabiliter ratione Deitatis, cui est unita, est manifestum, quòd Divina Bonitas &c. nullo alio modo possit tantum diligi à creata bonitate, nec Divina Magnitudo &c. tantum magnificari à creata magnitudine, nec Divina Sapientia &c. tantum intelligi à creata sapientia &c.; nec creatura potest recipere nobiliorem dispositionem nec majorem magnitudinem ad multùm excellenter intelligendum, diligendum, magnificandum, glorificandum &c. DEUM cum suis Rationibus, quàm cùm est unita DEO; quia, si nihil esset nostrum unitum esse Deitati, manifestum est, quòd non sufficeremus ad multùm intelligendum, diligendum &c. DEUM, sicut decet eum quoad se & quoad Actus & suas Rationes: ergo est DEUS necessariò incarnatus sic, ût prædictum est; quia, nisi ita esset, Divina Bonitas esset defectiva creatæ bonitati ad multùm diligendum Divinam Bonitatem &c., & Divina Magnitudo creatæ magnitudini ad multùm magnificandum Divinam Magnitudinem &c., & Divina Sapientia creatæ Sapientiæ ad multùm intelligendum Divinam Sapientiam, & sic de Voluntate &c.; & creatura esset magìs apta ad recipiendum nobiliorem dispositionem & majorem magnitudinem ad multùm intelligendum, diligendum, magnificandum DEUM cum suis Rationibus, quàm DEUS ad largiendum, ex quo sequerentur hæc & multa alia impossibilia: ergo manifestum est, quòd Incarnatio DEI sit.

Contra hoc dixit Infidelis: si DEUS est incarnatus, ut multùm cognoscatur & diligatur &c., sequitur, quòd DEUS, qui est ipsa Summa Nobilitas, voluerit, quòd ille, qui est unitus DEO, habuisset in hoc Mundo, dum vixit inter nos, plus honoris & nobilitatis, quàm omnes homines, qui antè fuerant, & qui tunc erant, & postea fuerunt, & qui adhuc erunt, cùm sit conjunctus vel unitus Deitati, & cùm sit quoad Deitatem & Humanitatem finis omnium creaturarum; & nisi hoc ita esset, Nobilitas deficeret in Magnitudine Bonitatis, Justitiæ, Perfectionis; quod est impossibile: sed ille Homo, dum nobíscum vivebat, fuit pauper, & hoc est contra Potestatem & Magnitudinem; fuit flagellatus, vituperatus & crucifixus, quod est contra Honorem & Nobilitatem, & illum locum, ubi est natus & passus, tenent & possident illi, qui vituperant, quòd ipse sit DEUS, & multa alia vituperia fiunt illi per Mundum, & etiam vituperatur à pluribus, quàm laudetur; quod est contra Magnitudinem suæ Nobilitatis: ergo DEUS non est incarnatus in homine, & sic non valet Positio.

4. Dixit Infidelis: DEUS est Voluntas, & illa est infinitè bona, infinitè magna &c.; igitur, si Voluntas DEI voluit assumere humanitatem unius hominis tantùm, sic fuit defectiva in Magnitudine Bonitatis, Potestatis &c., quia esset major, si voluisset assumere multos homines, id est, in multis hominibus incarnari, cùm sit plus Bonitatis, Magnitudinis, Potestatis &c. in pluribus hominibus, quàm in uno tantùm; sed quia est impossibile, quòd Voluntas DEI sit defectiva in Magnitudine Bonitatis, Potestatis &c.: ergo necessariò convenit, vel quòd DEUS non sit incarnatus, vel quòd sit incarnatus in pluribus hominibus, & non in uno tantùm.

Contra hoc dixit Catholicus: sicut de Conditione DEI est, quòd DEUS sit Summum Ens quoad suam summam Bonitatem, summam Magnitudinem &c., ita similiter & in tantum est de Conditione ejus, quòd sit summus quoad suam summam Unitatem: unde, in quantum DEUS injuriaret suam summam Bonitatem, suam summam Magnitudinem &c., si assumeret creatam bonitatem, creatam magnitudinem, potestatem, durationem &c. non summam & non finem omnibus creaturis, in tantum per consequens injuriaret suam summam Unitatem, si sibi uniret unitatem non summam omni-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

omnibus unitatibus creatis; ſed non potuiſſet aſſumere ſummam unitatem creatam, ſi unîſſet plures humanitates ſuæ Unitati; quia, ſi ab illo eſſent plures humanitates aſſumptæ; ſic omnes eſſent æquales in Bonitate &c.; & ſic non valet Poſitio.

5. Ait Catholicus: Divina Sapientia cum infinito intelligere in Bonitate, Immenſitate, Æternitate &c. attingit ſuam Voluntatem, in quantum ipſamet Voluntas vult in ſemet ipſa diligere, & è converſo ſimiliter de Voluntate ad Sapientiam cum infinito diligere in Bonitate, Immenſitate &c.; & hæc attinctio eſt intima in Divina Intrinſeca Operatione: nunc igitur per hæc ſuprema præmiſſa Principia intendo probare Incarnationem DEI iſto modo: ſicut Divina Sapientia attingit ſuam Voluntatem, quanta eſt ipſa Voluntas exiſtendo & agendo in ſe, ita attingit eam, in quantum vult in ſuo effectu, & in quantum poteſt in ipſo agere, & è converſo ſimiliter Voluntas Sapientiam; ſed Sapientia attingit, quòd Voluntas diligat ſuum effectum, quantum poteſt, in Magnitudine Bonitatis, & è converſo Voluntas attingit, quòd Sapientia ſciat illum, quantum poteſt eodem modo, ut Magnitudo Bonitatis &c. non deficiat Voluntati: ergo convenit, quòd Divina Voluntas in tantum diligat ſuum effectum, ſicut ſcit Sapientia; & Sapientia ſciat eundem in tantum, in quantum Voluntas illum diligit; ſed per Incarnationem DEI Sapientia ſcit effectum ſuæ Voluntatis in majori Magnitudine Bonitatis &c., quâ poſſit eſſe: ergo Voluntas vult, quòd DEUS ſit incarnatus: & inde ſequitur, quòd, ſi DEUS non eſſet incarnatus, ita quòd aliquis homo non eſſet unitus DEO, propter quam Unitatem homo cum DEO eſſet Summa Creatura & Finis omnium creaturarum vel omnibus creaturis, Voluntas tantum diligeret ſuum effectum, quòd omnes creaturæ eſſent in humana ſpecie, & aſſumpſiſſet eas omnes propter infinitam Magnitudinem volendi, niſi Sapientia DEI ſciret, quòd hoc eſſet contra ſuam infinitam Unitatem, ût ſuprà dictum eſt: ergo ſequitur, quòd Voluntas ordinata voluerit incarnando aſſumere unam creaturam tantùm, quæ ſit Finis omnibus aliis creaturis, & quòd cæteræ creaturæ ſe habeant ad illam ſummam Creaturam tanquam ad Finem; ſed manifeſtum eſt, quòd hæc ſumma Creatura, de qua hìc loquor, non poſſet eſſe ſinè Incarnatione DEI, videlicet ſinè hoc, quòd eſſet unita DEO; nec Voluntas de omnibus creatis implicuit unum ſummum ens creatum, quod univerit ſibi totum, ita quòd aliæ creaturæ non eſſent ſinè illa ſumma creatura, in qua omnes naturæ eſſent unitæ DEO; quod eſt ſummum inconveniens & impoſſibile: ergo neceſſariò eſt Incarnatio DEI, aliter conveniret, quòd Voluntas neceſſariò ſibi uniret omnes creaturas, ût dictum eſt; quod eſt impoſſibile.

Contra hoc dixit Infidelis: manifeſtum eſt, quòd DEUS quoad ſe plus poſſit influere de Bonitate &c., quàm creatura recipere; ſed ſi Divina Voluntas diligit creaturam, quantum poteſt, & influit in eam tantum Bonitatis, Magnitudinis, quòd exaltet eam ſuper cæteras creaturas ſibi uniendo eam & aſſumendo: ergo illa creatura poteſt aſſumere tantam bonitatem &c. à Divina Voluntate, quantam ipſa Voluntas poteſt infundere in illam creaturam; quod eſt impoſſibile: & ſic non valet Poſitio.

6. Dixit Infidelis: inter Divinam Unitatem & Sapientiam & Poteſtatem & Simplicitatem addo Magnitudinem, & per hæc Principia intendo reprobare Incarnationem DEI iſto modo: manifeſtum eſt, quòd Divina Sapientia attingat Unitatem in infinita Simplicitate, & ſic intelligit, quòd Poteſtas nihil alienæ eſſentiæ poſſit addere ipſi Unitati, ut cum ea ſit una Perſona, præter id tantùm, quod eſt ipſius Unitatis & Simplicitatis; quia, ſi per Poteſtatem aliquod creatum poſſet addi ipſi Unitati, Divina Sapientia ſciret, quòd Poteſtas per ſuam Magnitudinem poſſet deſtruere Magnitudinem Simplicitatis Divinæ Unitatis, quia poſſet ipſam Unitatem componere cum aliena eſſentia; ſic igitur eſſet deſtructa Magnitudo Simplicitatis in ſumma Unitate DEI; quod eſt impoſſibile: ergo manifeſtè patet, quòd Incarnatio DEI non ſit.

Contra hoc dixit Catholicus: ex tuísmet terminis, quos hìc aſſumpſiſti, probo, quòd tua Poſitio neceſſariò ſit falſa iſto modo: Divina Sapientia attingit ſuam Poteſtatem ita magnam, ſicut ſuam Unitatem & Simplicitatem; & ſicut Sapientia attingit, quòd Divina Unitas ſit ita infinita in Simplicitate, quòd non poſſit eſſe compoſita, ſic ſimiliter attingit, quòd Divina Poteſtas ſit ita infinita in Simplicitate & Unitate, quòd ipſa Poteſtas poſſit unire hominem cum illa ſumma Unitate, ita quòd ipſa ſumma Unitas permaneat omnino ſimplex; quia, niſi Sa-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pientia sic attingeret Potestatem, attingeret ipsam Potestatem defectivam, videlicet non habentem posse infinitum in Magnitudine, nec per consequens in Unitate & Simplicitate, nec in Æternitate &c.; quod est impossibile: & ideo Positio non valet.

7. Ait Catholicus: ad probandum, quòd Incarnatio necessariò sit, assumo istos quatuor terminos, videlicet Bonitatem, Sapientiam, Potestatem & Voluntatem, & per istos deduco Magnitudinem isto modo: si Incarnatio non est, totum *nihil* (quod tamen nihil non dico esse aliquid positivè) non potest sufficere actibus terminorum, quos assumpsi, & hoc sic patet: nam, sicut se habet Voluntas ad suum objectum cum Magnitudine volendi, sic similiter Potestas se habet ad suum objectum cum Magnitudine possendi, & hoc ita scit Sapientia: & quia Sapientia scit, quòd Potestas sit tam magna in producendo perfectum bonum de nihilo, quantum convenit ipsi Potestati, sic similiter scit, quòd Voluntas sit tam magna, quòd velit producere bonum perfectum in tantum, quantum Potestas potest producere illud: & ideo patet Divina Incarnatio, ut sit perfectum bonum, in quo perficiantur cætera bona creata à Potestate; nam, si non esset Incarnatio, videlicet Unio Naturæ increatæ & creatæ, in qua illud creatum, quod agitur à Potestate, perficeretur secundùm finem & ordinationem ad Finem, posse & velle in æternum producerent bonum, non tamen perfectum in Fine, quia illa æterna productio Potestatis non terminaretur ad aliquid; & sic *nihil* non sufficeret Magnitudini propositorum terminorum, quòd de ipso aliquod bonum perfectum posset produci; nam, si nihil sufficeret Magnitudini eorum, sic Potestas posset de nihilo producere æternum, quod est manifestè impossibile; quia est impossibile, quòd natura Æternitatis hoc sustineat; nam, si Æternitas sustineret illud, similiter & Immensitas & Bonitas & cæteræ Dignitates sustinerent illud idem, quod est impossibile, ut sit impossibile, quòd DEUS de nihilo sibi producat DEUM; nec etiam alia natura, quæ non sit DEUS, posset sufficere Magnitudini Potestatis &c.: ergo est manifestum, quòd DEUS non possit producere æternum de nihilo, nec per consequens ad perfectum finem; nec aliquid, quod non est DEUS, potest per se simpliciter sufficere, quòd perficiatur à Potestate, ût jam dictum est: restat ergo, quòd conveniat, quòd ex aliquo nobiliori & communiori effectu Potestatis, ût ex Homine, cum quo participant plura diversa entia, & ex ipsámet Potestate, Bonitate, Magnitudine, Sapientia &c. sit unitum unum Ens perfectum, videlicet unus Homo DEUS, qui, cùm sit ipse DEUS, ipsa Potestas, Magnitudo &c., sufficit & potest sufficere Magnitudini Potestatis, Sapientiæ &c. pro omnibus creaturis; nam, nisi sufficeret, deficeret illi Magnitudo Potestatis &c., cùm sit ipse DEUS, quod est impossibile: ergo pro omnibus creaturis sufficit perfectioni, quam ex creaturis requirit Magnitudo Potestatis, Sapientiæ, Bonitatis: ergo iste Homo, qui est Creatura summè perfecta ratione Deitatis, est ultimus Finis & summa Perfectio omnium creaturarum; ergo ad eum sunt creata omnia, tanquam ad suum ultimum Finem; & sic non convenit, quòd Potestas in æternum producat de nihilo, nec immensè ab alio habeat suam sufficientiam pleniorem, quàm si produceret, sicut prædictum est. Ergo, cùm hæc sufficientia etiam sit in ultimo gradu Perfectionis ipsi Potestati, Sapientiæ, Bonitati, Magnitudini &c., concluditur omne producibile de nihilo sub certo termino & certa quantitate, prout Magnitudo prædicti summi Finis requirit.

Contra hoc dixit Infidelis: ex præassumptis tibi terminis reprobo has rationes tuæ Positionis isto modo: Divina Sapientia scit, & Voluntas ipsius Sapientiæ vult, quòd sua Bonitas sit in tanta Magnitudine Potestatis, cùm sit infinita, quòd sit & possit esse infinitè perfecta & completa de se ipsa in se ipsa; ergo propter aliquod bonum vel malum exterius, si fiat vel non fiat, non cogitur, nec potest cogi fieri perfecta vel defectiva; & idcirco dato, quòd *nihil* vel possit sufficere vel possit non sufficere actibus præassumptorum terminorum, propter hoc Deitas non suscipit nec potest suscipere augmentum vel decrementum Bonitatis, Perfectionis, Magnitudinis, Potestatis, Sapientiæ, Voluntatis &c.; quia sic *nihil* esset causa vel occasio cogendi Potestatem, Bonitatem, Perfectionem &c.; quod est impossibile. Eodem modo dico, quòd bonitas vel malitia effectûs, quantacunque possit esse, non cogat Divinam Potestatem; quia, si posset cogere illam, conveniret, quòd esset major, quàm Potestas; quod est impossibile: & ideo, cùm DEUS sit in se ipso & possit esse tantâ Infinitate perfectus, quòd non possit ulteriùs,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ulteriùs, eſt impoſſibile, quòd poſſit reperiri Poteſtas in ſuo effectu, vel ex ſuo effectu ſibi producere majorem perfectionem, nec etiam ſibi æqualem, quia jam habet illam in ſe ipſa ab æterno; & quotquot perfectiones adduces æquales ipſi Poteſtati, vel potentes ſufficere ipſi Poteſtati, dicam: jam habet illas ab æterno; & ſic non valet Poſitio. Etiam ſequeretur aliud inconveniens, ſecundùm quòd tu dicis, ſi eſſet Incarnatio, videlicet, quòd ipſa Incarnatio eſſet cauſa terminandi Poteſtatem, ne poſſit producere ultra illos terminos, quos convenit eſſe ſecundùm Finem ipſius Incarnationis; & hoc, quia Voluntas non vult, quòd de nihilo producat ultra illos terminos, quos Sapientia ſcit ſufficientes ipſi Incarnationi ſecundùm Finem illius; & ideo ſequitur, quòd Incarnatio ſit cauſa terminandi & conſtringendi Poteſtatem & Voluntatem in non poſſe & non velle producere de nihilo ultra prædictos terminos; ſed hoc eſt contra Magnitudinem Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c., quod eſt impoſſibile: quare ſimiliter non valet Poſitio.

8. Dixit Infidelis: DEUS eſt infinitus in Immenſitate, & ideo ſua Magnitudo eſt eſſentialiter ubique; etiam continet omnia in ſe, cùm ſit immenſus: unde, ſi ipſe eſt incarnatus, eſt impoſſibile, quòd tota ſua Eſſentia ſecundùm ſuam Magnitudinem ſit incarnata, cùm illud corpus, quod aſſumpſit, ſit finitum & terminatum in magnitudine extenſionis, ita, quòd non eſt ubique eſſentialiter; & ſicut non poteſt incarnari ſecundùm Magnitudinem ſuæ Immenſitatis, nec per conſequens ſecundùm Magnitudinem ſuæ Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis, Sapientiæ &c., cùm ſint idem, quod ipſa Immenſitas, & per totam ipſam Immenſitatem infinitè; bonitas verò & magnitudo &c. humanitatis finitè; ſed, cùm conveniat, quòd omnes Rationes DEI æqualiter ſe habeant ad Incarnationem DEI, ut Magnitudo in omnibus æqualiter ſit ad ipſam Incarnationem, ſi ipſa eſt: ergo eſt manifeſtum, quòd DEUS non ſit totus incarnatus; etiam ſic DEUS includit in ſe Majoritatem & Minoritatem; quod eſt impoſſibile: ergo DEUS non eſt incarnatus.

Contra hoc dixit Catholicus: quidquid eſt in DEO, exiſtit formaliter quoad Eſſentiam DEI & quoad ſuas Rationes; & ideo, ſi Incarnatio eſt, Magnitudo Divinæ Simplicitatis, quæ videlicet Simplicitas exiſtit eadem cum Exiſtentia & Divinis Rationibus, cum tota Forma ſe habet ad ipſam Incarnationem, & ita vult Voluntas & poteſt Poteſtas, ut ipſa Incarnatio non ſit in Minoritate Finîs Bonitatis, Unitatis &c., & etiam, ut Deitas in ipſa Incarnatione conſervet ſuas Conditiones, videlicet, quòd ſit tota, & non diviſa in ipſa Incarnatione; & infinita Poteſtas, cùm ſit idem cum infinita Voluntate, poteſt hoc, quia Voluntas ita vult; & ſic Voluntas, quia vult incarnari, poteſt adimplere ſuum velle, cùm ſuum velle & poſſe Poteſtatis ſint inſimul unum idem in infinita Perfectione; & ſic, ſi DEUS eſt incarnatus, nulla impoſſibilitas DEI incarnandi ſequitur ex parte Divinæ Eſſentiæ, cùm ſit pura Forma infinita ſimplex & incorporea, nec ſimiliter ex parte ſuarum Rationum. Veruntamen quoad conditiones humanæ naturæ concedo, quòd ſit impoſſibile, quòd ſit corpus immenſum quoad ſuam corpoream quantitatem, & ſimiliter æternum, ita quòd non habeat principium temporis; & nihilominùs inde non ſequitur, quòd DEUS non ſit incarnatus, poſtquam ſua Voluntas voluit incarnari; quia, cùm conditio humanæ naturæ, videlicet, quòd non ſit corpus immenſum nec æternum, ſit valde modica reſpectu Divinæ Conditionis, non potuit impedire Conditionem Deitatis & ſuarum Rationum; & ſic non valet Poſitio, quòd tota Deitas non ſit incarnata, poſtquam Voluntas ita conſenſit.

9. Ait Catholicus: ſi DEUS non eſt incarnatus, Divina Magnitudo non poſſet ſuſtinere conditiones, quas increatæ Rationes habent cum creatis, quia offenderetur; & hoc manifeſtè probo iſto modo: manifeſtum eſt, quòd Divina Bonitas, Æternitas, Poteſtas &c. habeant majorem Concordantiam ad agendum de bonitate, duratione, poteſtate &c. creatorum actu exiſtentium, quàm creandorum, videlicet actu non exiſtentium; quia illa, quæ non ſunt actu, non poſſunt actu pati: unde, ſi DEUS non eſt incarnatus nec incarnandus, Divinæ Rationes poſſunt habere majorem Concordantiam in ſubjecto, quod eſt in potentia & non in actu, quàm in ſubjecto, quod eſt in actu; cùm ſit poſſibile ſecundùm Magnitudinem Divinæ Bonitatis, Infinitatis &c., quòd DEUS poſſit incarnari, ſi vult, & hoc maximè, cùm per ſuam Incarnationem Divinæ Rationes magìs poſſint agere in creaturis, quàm ſinè Incarnatione, ût etiam ſuprà proba-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

probatum eſt: & quia eſt impoſſibile, quòd Natura & Conditio Divinæ Magnitudinis & quoad ſe & quoad alias Divinas Rationes poſſit ſuſtinere, quòd Divinæ Rationes habeant majorem Concordantiam cum ſubjecto, quod non eſt actu, ſed poteſt eſſe, quàm cum illo, quod eſt actu: ergo eſt manifeſtum, quòd Incarnatio DEI ſit, ut Divinæ Rationes meliùs ſe habeant ad ſubjectum exiſtens actu, quàm potentiâ; aliàs potentia concordaret cum majoritate, & actus cum minoritate; quod eſt manifeſtè impoſſibile.

Contra hoc dixit Infidelis: ſecundùm ea, quæ nunc dicta ſunt in Poſitione, ſequeretur, quòd Mundus eſſet ab æterno, ut Divinæ Rationes poſſent habere majorem concordantiam in ſubjecto exiſtente actu, quàm potentiâ; & etiam ſequeretur, quòd in perpetuum à parte poſt Divinæ Rationes non ceſſarent producere ſubjectum de potentia in actum, ut agendo meliùs concordarent in ſubjecto exiſtente actu, quàm exiſtente potentiâ; & ſic motus naturæ non ceſſaret in perpetuum, ſed ſemper fuiſſet & eſſet; ſed quia hoc eſt impoſſibile: ergo non valet Poſitio.

10. Dixit Infidelis: ſi DEUS eſſet incarnatus, Natura Eſſentiæ & *eſſe* non ſuſtineret in illa Incarnatione, quòd ipſa Perſona Deitatis, quæ eſſet incarnata, & Humana Natura, quam illa Perſona aſſumpſiſſet, eſſent una Perſona ſinè diſtinctione eſſentiæ & *eſſe*, quia Divina Natura & Humana Natura eſſent Eſſentiæ, & Suppoſitum ſive Perſona conſtituta ex illis eſſet *eſſe* compoſitum ex Divina Natura & Humana Natura; & ſic Divina Natura non haberet ſuum actum quoad ſuam ſimplicem eſſentiam, ſed quoad illud *eſſe* compoſitum de duabus prædictis Naturis; & ſic eſſet diminuta in Infinitate Æternitatis & Perfectionis, quod eſt impoſſibile: ergo eſt neceſſarium, quòd Incarnatio DEI non ſit; quia ſic Divina Natura eſſet alterata, & haberet differentiam inter ſuam Eſſentiam & ſuum *eſſe*; quod eſt impoſſibile.

Contra hoc dixit Catholicus: in DEO Voluntas, quia eſt ipſa Poteſtas, ratione ipſius Poteſtatis habet Poteſtatem in Infinita Magnitudine & Æternitate, cùm ipſa Poteſtas ſit infinita in Magnitudine & Æternitate; & ideo, quia Voluntas eſt illámet Poteſtas, quæ eſt infinita in Magnitudine & Æternitate, ipſa Voluntas poteſt habere infinitam Poteſtatem in Magnitudine & Æternitate. Unde ſi Divina Voluntas quoad Rationem, quam habet infinitam in Magnitudine & Æternitate, vult, quòd Divina Natura ſit ſinè differentia Eſſentiæ & *eſſe* una Perſona, quæ aſſumpſit Humanitatem, poteſt hoc, quia vult, cùm ſuum velle habeat infinitam Poteſtatem; nam, ſi Voluntas vult, & non poteſt, ſua Poteſtas non eſt infinita in Magnitudine nec in Æternitate; & ſic quoad Rationem Magnitudinis non poteſt rem volitam perficere, nec quoad Rationem Æternitatis eam conſervare, videlicet Divinam Naturam in hoc, quod ipſa Voluntas vult; ſed hoc eſt manifeſtè impoſſibile: ergo Poſitio non valet.

11. Ait Catholicus: ſicut convenit, quòd DEUS ſit id, quod intellectualis Anima meliùs poteſt conſiderare in ſuprema Bonitate Magnitudinis &c., & neceſſariò convenit, quòd ita ſit, ut ipſa Anima non poſſit altiùs contemplari ipſum, quàm ſit ipſúmmet: ſic neceſſariò convenit, quòd divinus effectus, quem Divina Natura ad ſe creavit, ſit in tanta ſuperexcellentia bonitatis, magnitudinis &c., quòd nos non poſſimus altiùs conſiderare illam altitudinem, quam habet in ſe; ſed, ſi DEUS eſt incarnatus, id eſt, aſſumpſit Humanitatem, effectus DEI, & quidquid ſe habet ad ipſum, non poteſt conſiderari eſſe in majori bonitate &c.; & ſic, ſi non eſt incarnatus, ſequitur, quòd quilibet homo poſſit conſiderare, quòd effectus DEI poſſet eſſe nobilior, quàm ſit; & quia talis conſideratio eſt impoſſibilis: ergo eſt Incarnatio DEI.

Contra hoc dixit Infidelis: omnis homo naturaliter appetit Summum Ens, & ideo appetitus ad Summum Ens facit, quòd effectus ipſius Summi Entis ſit appetibilis in majori nobilitate, in quâ poſſit eſſe, ut Anima in illo tam magno appetitu poſſit attingere majores ſimilitudines ſui primi, quas ipſa poſſit conſiderare, quas ſimilitudines Anima appetit, quantum poteſt, in majoritate bonitatis &c.; & ſic ex ſummo appetitu Animæ ad Summum Ens generatur verbum phantaſticum in Anima circa effectum Summi Entis; & iſto modo Incarnatio DEI eſt appetibilis in verbo phantaſtico Animæ; ſed tamen propter hoc non ſequitur, quòd ipſa ſit realiter, quamvìs ita videatur in verbo.

12. Dixit Infidelis: Poteſtas non poteſt ſuper Immenſitatem & Æternitatem; ſed ſi DEUS

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DEUS eſt incarnatus, Poteſtas poteſt ſuper Immenſitatem & Æternitatem, quod eſt impoſſibile: ergo Incarnatio DEI non eſt, & hoc patet, quia Immenſitas eſt major, poſtquam DEUS, qui eſt ipſa Immenſitas, eſt Homo, quàm priùs, dum ipſe DEUS non erat homo; eodem modo ſimiliter ſequitur de Æternitate, quia ſic DEUS, qui non fuit homo, eſt Homo. Quòd autem ſit impoſſibile, quòd Poteſtas poſſit addere ſuper Æternitatem, hoc per ſe manifeſtè patet, quia illud non eſt Immenſitas, quod recipit additamentum, nec Æternitas, quod includit realiter *non fuiſſe:* igitur eſt manifeſtum, quòd ſit impoſſibile, quòd DEUS fuerit incarnatus.

Contra hoc dixit Catholicus: DEUS eſt in lapide, in quo non erat, priusquàm mundus eſſet, nec propter hoc ſequitur, quòd ipſe ſit magìs vel minùs DEUS, quàm fuerit, priusquàm lapis eſſet, cùm DEUS ſit infinitè perfectus. Ita ſimili modo, quamvìs DEUS ſit Homo, qui DEUS non erat homo, priusquàm fuiſſet factus vel creatus Homo, propter hoc non eſt ipſe DEUS magìs vel minùs DEUS, quia Homo unitus DEO non addit ſupra Deitatem, nec poteſt diminuere de Deitate, ſicut & lapis habens per totum ſe ipſum DEUM, nihil poteſt addere vel minuere in Deitate; & ſic, licèt Deitas aſſumpſerit & univerit ſibi ipſi Humanitatem, ſemper eſt eadem Deitas, eadem Immenſitas, Æternitas &c., nec plùs nec minùs, quia hoc eſt de Ratione Immenſitatis ipſius Poteſtatis, Bonitatis, Æternitatis &c., quòd DEUS ſinè alteratione, additione & diminutione Deitatis ſit id, quod non erat. Et, ſi quoad lapidem videtur magìs impoſſibile, quòd aliquid per ſe-ſtans ſit ſemper (quamdiu lapis eſt) per totum ipſum lapidem, attingens omnem minimam partem lapidis, & tamen non ſit lapis, quàm, ſi ipſum eſſet lapis: ita è contrario ſimiliter, ſi DEUS eſt per totam eſſentiam hominis, & eſt homo, videtur minùs impoſſibile, quàm, ſi eſt per totam humanam eſſentiam, & non eſt homo; quòd autem DEUS ſit per unumquodque totum creatum ſuppoſitum, nec ſit illud, patet, cùm ſit immenſus & interminabilis, infinitè potens &c.; & ſic non valet Poſitio.

13. Ait Catholicus: quando DEUS creat & producit creaturas, omnes Divinæ Perfectiones ſeu Rationes agunt invicem alia de alia iſto modo: Divina Bonitas quoad ſuam Rationem agit de Magnitudine, quia producit magnas creaturas in bonitate, quam habent creaturæ; & de Æternitate, quia producit eas in durante bonitate vel in bona duratione; & de Poteſtate, quia producit eas in potente bonitate vel in bona poteſtate, & ſic de ſingulis Rationibus DEI: &, ſicut dictum eſt de Bonitate, ita eſt de qualibet alia per quamlibet aliarum, & ſic Rationes mutuò agunt de ſe ipſis in producendo creaturas, ût, ſicut Bonitas agit de Magnitudine producendo magnas creaturas in bonitate, ita è converſo Magnitudo agit de Bonitate producendo eas bonas in magnitudine, & ſic de ſingulis aliis ſimiliter vice versâ. Igitur per hæc, quæ ſunt prædicta, manifeſtè patet, quòd Incarnatio DEI ſit; quia, ſi Incarnatio DEI non eſt, ſic in creando deficerent omnes Dignitates ad invicem; quia Bonitas non produceret eas in tanta Magnitudine Bonitatis &c., quantam Poteſtas poteſt, nec quantam Sapientia ſcit; & ſic Bonitas non ageret de Magnitudine, quantum poteſt, nec è converſo &c.; & ſic quælibet earum eſſet in ſe & in alia defectiva in Nobilitate extrinſecè producentis, quod eſt impoſſibile: quare neceſſariò patet, quòd Incarnatio DEI ſit, ut non ſequatur prædictus defectus Rationum DEI.

Contra Infidelis: ſecundùm prædictas rationes ſequitur, quòd Divinæ Rationes æqualiter debeant producere omnes creaturas in bonitate, magnitudine &c., ut quælibet Dignitas producendo tantum poſſit de qualibet alia agere, quantum de ſe ipſa; ſicut Bonitas, quæ tantum poteſt producere de magno, quantum de bono, & è converſo; & ideo hæc mutua converſio de alia Dignitate ad aliam diſcurrens per omnes ipſas Dignitates implicat, quòd omnes creaturæ ſint æqualiter creatæ in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & ſic ſunt æternæ & immenſæ & æquales; quod eſt impoſſibile: & ideo non valet Poſitio.

14. Dixit Infidelis Catholico: ſuperiùs poſuiſti, quòd in Deitate Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint Tres Perſonæ & Unus DEUS; modò autem ponis, quòd DEUS ſit incarnatus: quare manifeſtè dicis contra te ipſum; quia, ſi in DEO ſunt Pater & Filius & Sanctus Spiritus exiſtentes una Deitas, Unus DEUS, & Incarnatio eſt, convenit, quòd omnes Tres Perſonæ ſint incarnatæ, ut in illa Incarnatione Bonitas plùs poſſit agere de Magnitudine, de Poteſtate &c. in bono

© 2006 Ministerio de Cultura

magno &c.,& Magnitudo ſimiliter plùs agere de Bonitate, Poteſtate &c. in magno bono &c., eò quòd majus bonum & majus potentificatum &c. eſt, ſi omnes Tres Perſonæ ſunt incarnatæ, quàm, ſi una tantùm: ergo omnes Tres Divinæ Perſonæ ſunt incarnatæ; ſed illud, quod reſultat ex Divina Natura aſſumente & ex Humana Natura aſſumpta, eſt unum Suppoſitum: igitur relinquitur, quòd in ipſa Incarnatione Tria Divina Suppoſita infinitè diſtincta ſint unum Suppoſitum, quod eſt impoſſibile, quod ſequitur ex parte DEI: ergo eſt manifeſtum,quòd Incarnatio non ſit: ſed & aliud impoſſibile ſequitur ex parte creaturæ, videlicet, quia, ſi convenit, quòd Incarnatio DEI ſit, convenit, quòd ſit in majori gradu bonitatis, magnitudinis &c., quo poſſit eſſe; & ſi ſic, convenit, quòd DEUS ſit vel incarnatus, vel incarnandus; quòd non ſit incarnatus,patet, quia factâ ejus Incarnatione ſtatim debuiſſet eſſe tanta influentia utilitatis in bonitate, magnitudine &c. in creatura, quòd omnis homo totus debuiſſet eſſe converſus ad cognoſcendum & diligendum illam; eſt autem manifeſtum, quòd plures diſcredant illam, quàm credant, & etiam plures ſint illi, qui neſciunt illam, quàm qui ſciunt illam, & plures in vitiis, quàm in virtutibus; & ideo, ſi DEUS eſt incarnatus, ſua Incarnatio non eſt in majori gradu bonitatis, magnitudinis &c., quo poſſit eſſe: ergo ſua Incarnatio eſt diminuta, quod eſt impoſſibile, ſi eſt incarnatus; ergo eſt manifeſtum,quòd DEUS non ſit incarnatus; igitur relinquitur, quòd, ſi conveniat, quòd Incarnatio DEI ſit, ipſe adhuc ſit incarnandus, ut ſequatur ille gradus majoris bonitatis &c., qui eſt prædictus.

Contra hoc dixit Catholicus: in Incarnatione DEI agit Bonitas, quantum poteſt, de Magnitudine, & è converſo, & ſic ſimiliter cæteræ Dignitates, quælibet quoad ſuas Rationes & quoad Rationes aliarum Dignitatum; & ſic in hac actione Incarnationis ſunt ad invicem conditionatæ &connexæ omnes Divinæ Dignitates alia cum alia, & alia ad aliam; & ideo convenit, quòd DEUS neceſſariò ita ſit incarnatus, quòd non deſtruatur connexio & unio prædictarum Rationum, quæ deſtruerentur, ſi omnia Divina Suppoſita eſſent incarnata: quia,ſi unum Divinum Suppoſitum tantùm non ſufficeret,ut DEUS eſſet incarnatus,ût Perſona Filii,ſic illud Suppoſitum eſſet defectivum in Bonitate &c.; quod eſt impoſſibile: quia ſic Divina Bonitas non ageret in ipſa Incarnatione, quantum poſſet, de tota Magnitudine, nec è converſo, nec eodem modo cæteræ Dignitates, quod eſt impoſſibile. Ergo unum Divinum Suppoſitum tantùm ût Perſona Filii ſufficit ipſi Incarnationi; cùm illud Suppoſitum ſit DEUS infinitus in Bonitate &c., & ipſa Incarnatio ſit una tantùm, ut Unitas ipſius Incarnationis ſit magna in bonitate &c.; & ſic non valet Poſitio in hoc, quod dictum eſt ex parte DEI. Ad illud autem, quod dicitur ex parte creaturæ, dicendum eſt, quòd, ſi DEUS adhuc non eſt incarnatus, omnes Chriſtiani, qui fuerunt, & qui nunc ſunt, & qui erunt usque tunc, quando incarnabitur, ſint damnati propter falſum credere, & ita Divina Bonitas, Magnitudo &c. non influunt tantum in nos, quantum influerent, ſi DEUS jam eſſet incarnatus, quia ſic eſſemus in Veritate credendo ipſam Incarnationem DEI; & etiam ſequeretur, ſi DEUS eſt incarnandus, quòd tunc,quando erit incarnatus, Chriſtiani, qui tunc erunt, credent, ſicut nunc credimus, & Judæi & Saraceni & cæteri Infideles non credent, ſed potiùs dubitabunt, & ſic illa Incarnatio erit cauſa ſummæ dubitationis,& ſic contra Fidem, Spem &c.; nec etiam erit aliqua mulier apta nec digna, de qua ſumat carnem, quia, priusquàm concipiat illum, non erit ſub aliqua vera Lege; & etiam multa alia inconvenientia ſequerentur; & ideo manifeſtè patet, ſi DEUS non eſt incarnatus, ſed incarnandus, quòd illa ſua Incarnatio erit defectiva in bonitate, magnitudine &c., & contra Divinam Voluntatem, quæ diligit ſuum effectum cum Magnitudine Bonitatis &c.; & quia hoc eſt impoſſibile: ergo DEUS non eſt incarnandus; & ſic in hoc non valet Poſitio. Ergo reſtat,quòd ſit incarnatus, ſecundùm quòd jam probavimus; nec ſequitur, quòd propter ipſam Incarnationem jam factam omnes homines ſcirent & crederent illam ſtatim, quando fuit, quia ſic non veniſſent ad credendum illam cum majori libertate, quâ poſſent, & deficeret materia, in qua credentes multum poſſent mereri in manifeſtando incredulis ipſam Incarnationem; & ſic eſſet defectiva in Incarnatione, eò quòd non daret magnam occaſionem multum agendi propter ipſam Incarnationem, ut Juſtitia multum poſſet juſtificare; & ſic ſequeretur, quòd Incarnatio DEI non eſſet in majori gradu bonitatis, magnitudinis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nis &c., in quo posset; quod est impossibile: & sic non valet in hoc Positio.

15. Ait Catholicus: si Incarnatio DEI est, & Resurrectio est, quam probabo, sequitur, quòd corpora Sanctorum in Patria post Resurrectionem habebunt gloriam in illo Corpore, quod est unitum DEO, quia illud erit eis sensibile; & sic DEUS in illo Corpore sibi unito erit sensualis Finis eorum objectivè; & ita objectum sensibile erit propter hoc in majori bonitate, magnitudine &c., in quâ possit esse, & per consequens gloria Sanctorum secundùm virtutem sentiendi: si autem Incarnatio non est, sequitur, quòd unumquodque corpus glorificatum habebit immediatum finem suæ gloriæ in se ipso, cùm DEUS sit insensibilis; & sic bonitas finîs gloriæ erit in minoritate, & per consequens quælibet Dignitas DEI deficiet cuilibet alteri Dignitati quoad rationem corporalis effectûs, quod est impossibile: unde patet, quòd Incarnatio DEI sit.

Contra hoc dixit Infidelis: manifestum est, quòd sensualis gloria Beatorum possit esse major in omnibus sensibus eorum, quàm non in omnibus; & ideo secundùm tuas rationes sequeretur, quòd secundùm magnitudinem bonitatis &c. illud corpus, quod esset unitum DEO, esset ab omnibus corporibus Beatorum tangibile, gustabile, odorabile; quod est impossibile: & ideo non valet Positio.

16. Dixit Infidelis: cùm Divina Sapientia & Potestas sint idem cum Voluntate, est impossibile, quòd finis effectûs Sapientiæ & Potestatis mutetur, quia Voluntas vult, quòd Sapientia & Potestas attingant finem sui effectûs cum Magnitudine Bonitatis &c.; nam est major bonitas &c. effectûs, si ipse effectus emanaverit à Potestate & Sapientia ita perfectus, quòd non conveniat, quòd iterum perficiatur, quàm si conveniat; & ideo, si Incarnatio DEI est, convenit, quòd ipsa sit secundùm quòd tenet Christiana Secta, ut iterum perficeret effectum Potestatis & Sapientiæ DEI, videlicet humanam naturam, quam creatam ad perfectum finem, videlicet ad finem, qui est bonus, primus homo pervertit in malum, devians illam ab illo fine, quare fuit creata; & inde sequitur, quòd primus finis fuerit destructus, quem DEUS incarnatus restauravit; sed est impossibile, quòd primus finis destruatur, quia sic mutaretur prædictus finis, quod est impossibile, ût prædictum est: ergo DEUS non est incarnatus ad reparandum illum finem. Et, si est incarnatus propter humanitatem, non tamen principaliter propter Humanitatem, quam assumpsit; quia secundùm humanam naturam est plus bonitatis &c. in tota humana natura multorum, quàm unius tantùm; & etiam major est Largitas Divinæ Bonitatis, & magìs distans ab avaritia, quia DEUS est factus noster frater perfectus homo, sicut quisque nostrûm, quàm, quia particularis homo est DEUS: ergo propter communem utilitatem omnium hominum DEUS est incarnatus, non autem principaliter propter suam Humanitatem; & si sic, statim fuit incarnatus, quando cœperunt esse homines, & est, & erit semper incarnatus, quamdiu erunt homines; quia, nisi sic esset, Æternitas deficeret Largitati Bonitatis &c. in prædicta Incarnatione; & sic Largitas Bonitatis &c. non ageret in ipsa Incarnatione, quantum posset, quod est impossibile: ergo DEUS est incarnatus ab initio sæculi, quod est contra Christianam Sectam. Vel, si DEUS propter se vult esse Homo, cùm, quidquid DEUS agit, sit propter Finem ipsius DEI, convenit, quòd sit Homo ab æterno; cujus ratio est, quia, si DEUS est Homo, convenit, quòd totus DEUS sit Homo; &, si DEUS est Homo, tota Divina Bonitas est Homo, tota Magnitudo est Homo, tota Æternitas est Homo, tota Potestas &c.; quia, si aliqua istarum non est tota Homo, nec aliqua aliarum est tota Homo, nec per consequens totus DEUS est Homo; quod est impossibile: quia sic in DEO deficeret infinita Magnitudo & Potestas; quod est impossibile: ergo, si DEUS est Homo, est totus ab æterno Homo; aliter tota Æternitas non esset Homo, quod est impossibile, ût prædictum est: & sic est superfluum, quòd ipse incarnetur, ut sit iterum Homo. Unde per prædicta patet manifestè, quòd DEUS non sit incarnatus, vel, si est incarnatus, non sit, sicut Christiana Secta tenet.

Contra hoc dixit Catholicus: principalis Finis, quare DEUS creavit omnia, est ad ipsum DEUM, DEUS enim creavit omnia ad se, sed est impossibile, quòd iste Finis destruatur vel divertatur in contrarium finem, cùm Divina Voluntas sit idem cum Potestate, Æternitate &c.; & sic dico, quòd fuerit impossibile, quòd primus homo deviaret hunc Finem, sed deviavit se ipsum & nos à beatitudine, ad quam fuimus creati in primo homine; & hic finis est sub Primo Fine,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Fine, videlicet sub illo, quare creavit omnia, qui Finis est, quòd DEUS sit Homo, & Homo sit DEUS; & iste Finis quoad creaturam non potest esse major; & sic omnis creatura habet suum Finem principaliter in hoc, quòd DEUS sit Homo, & Homo sit DEUS; & ideo, si iste Finis invénit humanam naturam deviatam in aliquo contra illum Finem, convénit, quòd rectificaret eam, cùm sit principalis Finis humanæ naturæ; aliter Magnitudo Bonitatis, Potestatis &c. deficeret in illo Fine, quod est impossibile, cùm ipse Finis sit perfectissimus Homo & DEUS: & sic non valet id, quod ad hoc dixisti. Et manifestum est, quòd principalius fuerit DEO, quòd sit incarnatus propter Humanitatem, quam habet sibi unitam, quàm propter aliam communem humanam naturam, vel etiam quàm propter restauratio-
17. nem humanæ naturæ; quia, cùm illa Humanitas sit unita DEO, est nobilior & potentior & sapientior &c., quàm reliqua natura omnium hominum; aliter DEUS magìs diligeret id, quod est remotum, quàm id, quod est propinquum sibi; & per consequens magìs aliud à se ipso, quàm se ipsum, quod est impossibile: ergo DEUS fuit incarnatus propter Humanitatem, quam habuit unitam sibi; & sic non valet, quod dixisti contra hoc. Sed adhuc est alius Principalissimus Finis, & ultra istum non est quærendus finis, videlicet propter Deitatem, omnia, quæcunque DEUS facit, fecit & faciet, principalissimè sunt propter se ipsum, cùm non tantum diligat nec possit diligere aliud, quantum se ipsum; & sic dico, quòd DEUS sit incarnatus propter majorem bonificationem, magnificationem, possificationem &c. Deitatis in creatis; & sic non fuit necessarium eligere tempus Incarnationis ab initio sæculi propter majorem dilectionem hominum, sed fuit necessarium, quòd eligeret tempus magìs manifestandi, magìs magnificandi, glorificandi &c. Deitatem ab Humanitate, sicut Sapientia DEI scivit, & Voluntas voluit; & ideo non valet, quod contra hoc dixisti. Nec sequitur, quòd sit Homo ab æterno, nec propter hoc minùs, quòd ipse totus DEUS sit Homo; quia, si DEUS esset Homo ab æterno, Humanitas esset æterna, & per consequens immensa &c.; & sic corpus esset ab æterno immensum; quod est impossibile: & sic etiam esset impossibile, quòd DEUS haberet dispositionem humani corporis, & sic esset imperfectus homo; quod est impossibile, & similiter multa alia impossibilia sequerentur: & adhuc sequeretur, quòd esset incarnatus in finito homine, videlicet in finita bonitate & in finita magnitudine hominis, ut infinita Potestas, infinita Sapientia, infinita Voluntas &c. posset habere in DEO unionem infiniti & finiti, principiati & æterni, videlicet Divinæ Naturæ perfectæ & simplicis, & Humanæ Naturæ perfectæ & simplicis sinè aliqua alteratione Deitatis & Humanitatis, ita etiam, quòd DEUS Filius esset totus Homo, id est, totus incarnatus, aliter omnes Divinæ Dignitates essent quælibet in se defectiva secundùm extrinsecam operationem; quod est impossibile: & sic non valet, quod contra hoc dixisti; & sic adhuc remanet Positio Catholicæ Fidei.

Ait Catholicus: Divina Bonitas, Divina Magnitudo &c. atque Divina Unitas producunt suas similitudines in homine, ita quòd bonitas in humano esse producit ipsum bonum, & magnitudo magnum &c., atque unitas unum, videlicet distinctum ab omni alio homine; si autem istæ similitudines inducuntur in Divinum *Esse*, ita quòd DEUS assumat Humanitatem, est manifestum, quòd DEUS magìs inducat suas similitudines ad se & in se, quàm, si non assumit Humanitatem: ergo necessariò convenit, quòd Incarnatio DEI sit, ut Divina Voluntas non deficiat in Magnitudine ad diligendum similitudines DEI in excellentiori gradu Bonitatis, Magnitudinis &c. atque Unitatis, id est, unius hominis, in quo possit eas diligere; quia, si Incarnatio non est, sic Divina Voluntas est defectiva ad diligendum similitudines in Magnitudine Unitatis, Bonitatis, Magnitudinis &c., quod est impossibile; & Justitia injuriaret illas similitudines in deficiente Voluntate, diligendo eas in Minoritate contra Majoritatem; quod est impossibile, cùm ipsa Voluntas sit infinitè potens: ergo Incarnatio est.

Contra hoc dixit Infidelis: si DEUS esset incarnatus ideo, quia Voluntas non potest in altiori gradu diligere suas similitudines, & aliter deficeret, ût prædictum est, sic sequitur, quòd Divina Voluntas tantum diligat similitudines Dignitatum, quòd reducat omnes creaturas in se, uniendo eas sibi, aliter Divina Voluntas non diligeret similitudines Dignitatum in Magnitudine, Potestate &c., & sic esset defectiva; quod est impossibile: ergo DEUS reduxit omnes

suas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuas ſimilitudines, videlicet omnes creaturas ad ſe, uniens eas ſibi, ita quòd omnes creaturæ ſint DEUS ; quod manifeſtè eſt impoſſibile : & ideo non valet Poſitio. Et dato etiam, quòd uniret unam creaturam, videlicet Hominem ſibi in DEUM, ita, quòd ille Homo eſſet DEUS, ſequeretur, quòd Divina Voluntas diligeret diminutionem ſuæ Deitatis, quia ille Homo exiſtens DEUS eſſet finitus in Immenſitate, Bonitate &c.; & ſic ratione unitatis Hominis in DEUM ipſa Deitas exiſtens ratione ſuî infinita, eſſet alterata in exiſtere finito proveniente ex parte illius Hominis, & ita homo eſſet ſubjectum diminutionis Deitatis; ſed eſt falſum, quòd Deitas ſit diminuta vel poſſit diminui: quare manifeſtè patet, quòd Incarnatio DEI non ſit.

18. Dixit Infidelis: homo in humana natura producit ſibi ſimilem hominem in humanis conditionibus, ita, quòd homo producitur verus & perfectus homo de homine vero & perfecto; & ſic iſta productio eſt ſufficiens & perfecta ſecundùm humanam naturam; ſi autem in Divinis eſt Productio, ſecundùm quòd tenet Chriſtiana Secta, & convenit, quòd DEUS ſit incarnatus, ſequitur, quòd productio, quæ eſt in humana natura, ſit magìs perfecta, quàm illa Productio, quæ eſt in Divina Natura; nam, ſi Incarnatio DEI eſt, ſicut Chriſtiani tenent, DEUS producens producit iterum hominem DEUM in illud *Eſſe* numerale, quod *Eſſe* eſt DEUS Productus de ipſo DEO Producente, eò quòd in Divina Natura non ſufficiat, quòd DEUS de ſe producat DEUM, quod eſt manifeſtè impoſſibile, ſi in eo eſt Productio, quia ſic in DEO deficeret Magnitudo Bonitatis, Poteſtatis &c.; quod eſt impoſſibile: & ſic manifeſtè patet, quòd, ſi Divina Incarnatio eſt, Chriſtiana Secta teneat, quòd in DEO non ſit Productio de DEO in DEUM in Divinis, ſecundùm quòd tenet Chriſtiana Secta, quia ſic eſſet inſufficiens & imperfecta, ût dictum eſt; quod eſt impoſſibile: vel ſi in DEO eſt Productio, cùm conveniat, quòd ſit omnino ſufficiens & perfecta, eſt impoſſibile, quòd ſit prædicta Incarnatio, ſicut nunc dictum eſt.

Contra hoc dixit Catholicus: ſunt *duæ* Divinæ Productiones; *prima* & principalior Productio eſt intrinſecè in ipſa Divina Eſſentia in hoc, quòd DEUS Pater de toto ſe ipſo producat DEUM Filium, & Sanctus Spiritus in ſummo diligere Patris ad Filium & Filii ad Patrem producatur ab utroque, ſicut in præcedentibus Partibus manifeſtè probatum eſt. *Secunda* productio eſt creaturarum à DEO, ſicut infrà manifeſtè patebit; & hæc ſecunda eſt imago & ſimilitudo primæ, ſecundùm quòd creatura poteſt recipere divinas ſimilitudines; quod per ſe patet: quia, ſicut DEUS eſt bonus, magnus, æternus &c. per ſuam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem &c., ita quæcunque creatura eſt bona, magna, durans &c. per ſuam bonitatem, magnitudinem, durationem &c. ſecundùm ſuum finem, ad quem dirigitur, hoc eſt, ut DEUS bonificet, magnificet, juſtificet, largificet &c. tantum, quantum creatura poteſt recipere actus Rationum DEI ; & ideo eſt manifeſtum, ſi DEUS non eſt incarnatus, quòd major imago & major ſimilitudo, quæ poſſit eſſe, Primæ Productionis videlicet Intrinſecæ in Divinis non ſit, nec DEUS tantum bonificet, magnificet, juſtificet &c., quantum Sapientia ſcit, quòd creatura poſſet recipere; & ſic omnes actus Divinarum Rationum, & per conſequens ipſæ Rationes, & ipſa Intrinſeca Productio DEI, & ipſa Deitas deficerent in ſecunda productione, quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo DEUS eſt incarnatus. Nec propter hoc ſequitur, quòd tota Intrinſeca Productio DEI non ſit ſufficientiſſima & perfectiſſima, cùm ſit infinitè bona, magna &c.; & hoc etiam, quia aliud eſt, quòd DEUS producat totum DEUM infinitum de toto ſe ipſo DEO infinito, & aliud eſt, quòd DEUS producat Hominem in totum DEUM infinitum, ita, quòd DEUS ſit Homo, & Homo ſit DEUS; & eſt manifeſtum, quòd nihil repugnet, quin hæ duæ productiones poſſint ſimul ſtare in ſummo gradu perfectionis, quælibet ita, quòd utraque ſit ſufficiens & perfecta, hæc in producendo de DEO DEUM, & illa in producendo Hominem in DEUM; hinc non valet, quod contra hoc dictum eſt.

19. Ait Catholicus: ſi Incarnatio DEI eſt, ille, qui credit Incarnationem, poteſt habere plus virtutis, & magìs reſiſtere vitiis, quàm ſi Incarnatio non eſt; nam Fides eſt bona, magna &c.; & neceſſariò convenit, quòd credere, ex quo naſcitur major bonitas, major magnitudo, major duratio, major poteſtas Fidei, Spei, Charitatis, Juſtitiæ &c., habeat verum objectum, ex quo naſcantur virtutes tantæ excellentiæ, & ex quo vi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tioſus ſe ſentiat magìs obligatum ad pœnam; quia, niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd ex falſo oriretur verum, & ex nihilo aliquid, & ex privatione *eſſe*, & id, quod nihil eſſet, id eſt, quod eſſet falſum, haberet poteſtatem, magnitudinem & virtutem influendi verum, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. in ſumma excellentia Fidei, Spei &c.; quod eſt manifeſtè impoſſibile: ſed ex credere, quòd DEUS ſit incarnatus, videlicet, quòd DEUS ſit factus Homo, naſcitur major bonitas, major magnitudo &c. Fidei, Spei, Charitatis, Juſtitiæ &c., quæ poſſint eſſe de DEO ad creaturam; quia ſic DEUS non poteſt plus agere in creatura, nec creatura plus recipere à DEO, ſicut ſuprà probatum eſt: ergo neceſſariò convenit, quòd illud objectum credendi, videlicet, quòd DEUS ſit incarnatus, ſit verum; nam, ſi non eſt incarnatus, ſequitur, quòd ex falſo naſcatur verum, & ex nihilo aliquid, & ex privatione *eſſe*, & id, quod nihil vel falſum eſt, habeat magnitudinem & virtutem influendi verum, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. in ſumma excellentia Fidei, Spei, Charitatis, Juſtitiæ &c.; quod manifeſtè eſt impoſſibile: ergo DEUS eſt incarnatus.

Contra hoc dixit Infidelis: cùm omne, quod eſt, ſit propter DEUM, & Divina Bonitas, Magnitudo &c. exiſtentes unum idem ſint infinitè æternaliter perfectæ, propter hoc omnis homo, ut magìs ſit ſimilis DEO, & magìs ſe habeat ad ſuum Finem, qui eſt ipſe DEUS, debet, quantò plùs poterit, agere bonum, & evitare malum; & ex iſto ſubjecto naſcitur bonitas, magnitudo &c. Fidei, Spei, Charitatis, Juſtitiæ &c. in ſumma excellentia, quia, cùm ſubjectum ſit DEUS, non poteſt eſſe minus nec majus; ſi autem Incarnatio DEI eſt, propter quam naſcantur major bonitas, magnitudo &c. Fidei, Spei &c., quàm ſi non eſſet, ſequitur, quòd Divina Bonitas, Magnitudo &c. non eſſent ſimpliciter perfectum ſubjectum vel objectum, ex quo naſcantur bonitas, magnitudo &c. Fidei, Spei &c. in ſumma excellentia; quod eſt impoſſibile, cùm Divinæ Dignitates ſint infinitè & æternaliter perfectæ: & ideo non valet Poſitio.

20. Dixit Infidelis: ſi DEUS voluit in ſe unire hominem, convenit, quòd ille Homo inter cæteros homines ſit dignior; non potuit eſſe dignior, niſi eſſet magìs virtuoſus; nec potuit eſſe magìs virtuoſus, niſi ſuperaverit eos merito virtutis; nec potuit habere meritum pro virtutibus, niſi potuiſſet peccare; nemo autem, qui potuit peccare, potuit eſſe DEUS; quia, ſi ſic, cùm ille homo ſemper ab initio ſuæ conceptionis fuerit DEUS, ût tenet Chriſtiana Secta, Homo DEUS potuiſſet peccare; ſed eſt impoſſibile, quòd DEUS peccet nec ratione ſuî nec etiam ratione alicujus ſibi uniti, dato, quòd DEUS ſit Homo, quia ſic Divina Bonitas poſſet malificare, & Divina Nobilitas vilificare, & Divina Juſtitia injuriare &c.; quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo, cùm nullus homo ſit vel fuerit, quin poſſit vel potuerit peccare (quia aliter non habetur meritum pro virtutibus, nec earum dignitas) eſt manifeſtum, quòd homo non ſit DEUS.

Contra hoc dixit Catholicus: homo in via eſt virtuoſus per acquiſitionem, DEUS autem eſt infinitè virtuoſus, cùm ipſe ſit ipſa infinita Virtus; igitur, ſi unus homo tantùm eſt DEUS, nec propter hoc DEUS eſt minùs virtuoſus in ſe ipſo, eſt manifeſtum, quòd ſua ſumma Virtus ita ſufficiat Divinæ Unitati, Bonitati, Poteſtati, Magnitudini &c., quòd non poſſit eſſe excellentior, quantum ad extrinſecam operationem DEI, quia facit, quòd finitum & infinitum ſint unum, & facit, quòd id, quod ex ſua natura eſt finitæ poteſtatis, bonitatis &c., ſit infinitæ Poteſtatis, Bonitatis &c.: ergo eſt neceſſarium, quòd unus Homo ſit DEUS; & dico, quòd ſit virtuoſus & digniſſimus, & fuerit ſuper cæteros homines & ſuper cæteras creaturas DEI, ſed non eo modo, quo alii homines, quia iſti ſunt virtuoſi & digni acquirendo virtutem & dignitatem, iſte autem, cùm ſit ipſe DEUS, eſt ipſa infinita Virtus & Dignitas, & fuit ab initio ſuæ Conceptionis in Homine, natus ex homine, ut eſſet veriſſimus homo, videlicet ex Virgine propter Perfectionem & Nobilitatem &c. Deitatis; & ideo, cùm iſte Homo ſit ipſa infinita Virtus, ipſa infinita Dignitas; igitur fruſtra acquireret aliunde virtutem & dignitatem; &, cùm ipſe ſit ipſa infinita Juſtitia, ipſa Merces, pro qua virtuoſi laborant, igitur fruſtra laboraret pro mercede; & ideo non valet prædicta Poſitio.

PARS V.

De Sacramentis.

SUnt ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, videlicet: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſtia, Pœnitentia, Sacerdotium, Matrimonium, Unctio; & hæc Sacramenta probat Catholicus univerſaliter & particulariter, & eodem modo objicit Infidelis, & particulariter reprobat illa: igitur primò probat Fidelis iſta Sacramenta univerſaliter iſto modo.

1. Ait Catholicus: neceſſariò convenit, quòd illud ſit, per quod DEUS plus agit, & plus poteſt agere de natura & in natura & ſupra naturam creatam, & per quod eſt major proportio inter Divinas Rationes & rationes naturæ; ſed per Sacramenta DEUS plus agit, & plus poteſt agere de natura & in natura & ſupra naturam, ſicut manifeſtè patet in Euchariſtia, quia DEUS poteſt plus agere de natura & in natura & ſupra naturam, ſi Sacramentum Euchariſtiæ eſt, quàm ſi non eſt; quia facit, quòd creatura panîs tranſubſtantietur in Hominem DEUM, videlicet JESUM Chriſtum, & facit, quòd ſuperentur tempus & locus & quantitas & cætera accidentia naturæ; & ſimiliter in Baptiſmo, Confirmatione, Sacerdotio &c. oſtenditur major operatio & major proportio, quæ poſſit eſſe in natura & ſupra naturam, de Divinis Rationibus, & de rationibus ipſius naturæ; quod per ſe patet: ergo Sacramenta ſunt neceſſariò; quia, ſi Sacramenta non ſunt, ſequitur, quòd non ſit id, per quod DEUS plus poteſt agere de natura & in natura & ſupra naturam, nec ſit major proportio inter Divinas Rationes & rationes naturæ; & ſic id, quod habet Concordantiam cum *eſſe*, habet concordantiam cum privatione, malitia, parvitate &c., & ejus oppoſitum cum *eſſe*, bonitate &c.; quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo prædicta Sacramenta ſunt neceſſariò, ut DEUS ſit in majori actione ſuper ſuum effectum, & ut ſit effectus magìs ductilis & obediens, ad quidquid DEUS vult de ipſo agere, ſicut ignis in quarto gradu habet majorem actionem ſuper aquam ſibi ſubditam, & aqua eſt magìs obediens igni, quàm, ſi ignis eſſet in tertio gradu.

Contra hoc dixit Infidelis: ignis plus agit de ſuis rationibus in rationibus aquæ, ſi ſecundùm curſum naturæ agat in aqua, quàm, ſi ſupra curſum naturæ agat in ea; nam agere ſupra naturam, eſt corrumpere conditiones naturæ & ſuas rationes; ita eodem modo DEUS, ſi per Sacramenta, quæ tu dicis, agit ſupra naturam, ût ſuprà dixiſti, deſtruit naturæ ſuas conditiones & operationes & ſuas rationes; & ita eſt contra ſuum naturalem effectum, ut ſit innaturalis, quod eſt impoſſibile, cùm effectus ratione ſuæ naturalitatis ſit major in bonitate, magnitudine &c., & magìs ſimilis Bonitati, Magnitudini &c. ſuæ Cauſæ, videlicet ſui primi, quàm ratione innaturalitatis: & ideo non valet Poſitio.

2. Dixit Infidelis Catholico: dico, quòd ſit impoſſibile, quòd ſit illud Sacramentum Euchariſtiæ, quod ſuprà dixiſti; & hoc evidenter oſtendo: manifeſtum eſt, quòd, quandocunque aliqua ſubſtantia transmutatur in aliam, ſit impoſſibile, quòd factâ transmutatione remaneant accidentia ſubſtantiæ, quæ transmutatur, quia ſic eſſent accidentia ſinè ſubjecto, quod eſt manifeſtè impoſſibile; ſed, ſi prædictum Sacramentum eſt in veritate, ſubſtantia panîs & vini transmutantur in Subſtantiam Carnis & Sanguinis, permanentibus accidentibus panîs & vini ſinè ſubſtantia panîs & vini; quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo prædictum Sacramentum Euchariſtiæ non eſt. Et dato, quòd Sacramentum Euchariſtiæ & cætera Sacramenta ſint, quæ tenet Chriſtiana Secta, ſequitur, ſi DEUS eſt incarnatus, ût Chriſtiani tenent, quòd ejus Incarnatio ſit inſufficiens & imperfecta, quod tamen eſt impoſſibile, ſi eſt incarnatus; & hoc ſic patet: nam, ſi DEUS eſt incarnatus, convenit, quòd ſit incarnatus, ut Divinæ Rationes in tanta excellentia agant de creata natura & in creata natura & ſupra creatam naturam, quòd creata natura non poſſit ulteriùs recipere, nec Divinæ Rationes quoad hoc ulteriùs in ipſa agere: ergo in Divina Incarnatione includitur, quidquid DEUS operatur in ſumma Actione de creata natura & ſupra creatam naturam & in creata natura: ergo Sacramentum Euchariſtiæ & cætera prædicta Sacramenta non ſunt; quia, ſi eſſent, convenit, quòd illa ſint, ut DEUS ſupernaturaliter agat in creatura, ut ſua actio ſit major in creatura, & ut ſit major proportio inter Divinas Rationes & creatas rationes; hoc autem totum cadit in Incarnationem DEI, & eſt de Ratione ipſius Incarnationis: quare aut conveniet, quòd Incarnatio ſit diminuta, quod eſt impoſſibile, ſi DEUS eſt incarnatus, aut quòd prædicta Sacramenta neceſſariò nihil ſint.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Sapientia attingit, quòd Divina Poteſtas poſſit agere ſupra creatam naturam, cùm

(c) 2006 Ministerio de Cultura

attingat ipsam Potestatem in Magnitudine Bonitatis, Virtutis & Perfectionis; eodem modo similiter Divina Voluntas attingit ipsammet Potestatem: igitur Sapientia scit, & Voluntas vult, „quòd sua Potestas possit „supra naturam, sicut cogere, quòd acci-„dentia stent sinè subjecto, & cætera super-„naturalia, quæ pertinent ad supradicta Sa-„cramenta„; & sicut Sapientia scit, & Voluntas vult, quod sua Potestas potest, ita necessariò convenit, quòd fiat à Potestate; nam aliter Sapientia & Voluntas attingerent suam Potestatem, quantum ad hoc, in otioso & superfluo posse, & plùs in potentia, quàm in actu; & sic deficeret ipsis, videlicet Sapientiæ, Voluntati & Potestati Magnitudo Bonitatis, Virtutis & Perfectionis; quod est impossibile: ergo Potestas potest, & ita fit supra naturam, ût prædictum est. Quòd autem Sapientia ita sciat, & Voluntas velit, patet in prædictis Sacramentis, quòd Justitia ita consentiat propter magnum usum, quem Divinæ Rationes habent in hominibus per Sacramenta, & per magnam fruitionem, quam habent humanæ rationes in Divinis Rationibus per eadem Sacramenta; & sic non valet, quod contra dictum est. Et quamvìs DEUS sit incarnatus, propter hoc non minùs convenit, quòd prædicta Sacramenta sint, imò etiam nihil essent, nisi DEUS esset incarnatus; nam concedo, quòd DEUS ad hoc sit incarnatus, ut Divinæ Rationes in tanta excellentia agant de creata natura & in creata natura & supra creatam naturam, quòd ipsa creata natura non possit ulteriùs recipere, nec Divinæ Rationes in ea ulteriùs agere; & sic concedo, & est verũ, quòd in Divina Incarnatione includatur, quidquid DEUS in summa Actione operatur de creata natura & in creata natura & supra creatam naturam; sed multa includuntur in Divina Incarnatione, quædam magìs principalia, & quædam minùs principalia; *primò* & principaliter inter cætera DEUS est incarnatus propter se, id est, propter majorem bonificationem, magnificationem &c. suæ Deitatis in creaturis, *secundò* propter ipsam Humanitatem, quam sibi univit, *tertiò* propter dilectionem & charitatem, quam habuit & habet erga nos, *quartò*, ut essemus magìs obligati ad recolendum & diligendum DEUM, cùm videamus ipsum similem unicuique nostrûm in conditionibus humanæ naturæ, *quintò*, ut, cùm ipse Homo DEUS sit Principium & Finis omnium creaturarum, ût probatum est, & sit Medium inter DEUM & creaturam, ut ipse Homo DEUS habeat magnum usum in creatura, & creatura magnam fruitionem in DEO; & ita necessariò convenit, quòd sit Sacramentum Eucharistiæ & cætera Sacramenta, ut Homo DEUS non solùm naturaliter, sed maximè supernaturaliter habeat suum usum in creatura bonificando, magnificando &c., & creatura è converso magnam fruitionem in recolendo, intelligendo & diligendo ipsum, simili modo, sicut convenit, quòd in Divinis sit magnum Medium, videlicet Sanctus Spiritus inter Patrem & Filium, Patre bonificante, magnificante &c. generando Filium, & Filio bonificante, magnificante &c. fruendo Patre. Unde hæc, quæ dicta sunt, & etiam multa alia includuntur in Divina Incarnatione. Quare, si DEUS non esset incarnatus, ipsa Sacramenta nihil essent, nec cætera, quæ suprà dicta sunt; unde sequerentur multa inconvenientia contra DEUM & suas Rationes in creatis: ergo necessariò convenit, quòd DEUS sit incarnatus, ut sint omnia, quæ suprà dicta sunt; ergo Sacramenta sunt necessariò: & sic non valet, quod contrà dictum est, quia accipitur exclusivè ab Incarnatione.

3. Ait Catholicus: cùm Divina Virtus & Voluntas sint idem cum Divina Bonitate, Magnitudine &c., & ipsa Voluntas diligat Magnitudinem sui effectûs in bonitate, potestate, virtute &c., quia aliter ipsa Voluntas esset defectiva magnitudini virtutis &c. sui effectûs, ideo vult ipsa Voluntas, quòd Virtus DEI influat in nos magnitudinem & bonitatem virtutum, ita quòd nostræ virtutes sint magnæ in nostris voluntatibus, bonitatibus &c.; aliter esset defectiva, sicut suprà dictum est, quod est impossibile: ergo necessariò diligit, quòd nos habeamus magnas virtutes; sed non potest sinè Sacramentis diligere, quòd nos habeamus magnas virtutes, cùm Sacramenta sint media, per quæ habemus majorem magnitudinem bonitatis &c. in nostris virtutibus, ût suprà ostensum est: ergo Sacramenta sunt necessariò, aliàs Divinæ Dignitates resisterent magnitudini sui effectûs; quod est impossibile: ergo sunt necessariò Sacramenta.

Contra hoc dixit Infidelis: si Divina Voluntas diligit in suo effectu magnitudinem virtutum, convenit, quòd odiat in eodem magnitudinem vitiorum; ut autem evitetur augmentum vitiorum in malitia, DEUS

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DEUS non vult, quòd ſint Sacramenta, ut homines inhoneſti & indigni propter ſua vitia non multiplicent ipſa ſua vitia in magnitudine malitiæ,& per conſequens in magnitudine pœnæ, tractando ipſa Sacramenta inhoneſtè & indignè; & ſic non valet Poſitio.

4. Dixit Infidelis: ſi in Sacramento Euchariſtiæ, ſecundùm quòd Chriſtiani tenent, ſubſtantia panîs tranſubſtantiatur in Corpus veri Hominis, videlicet JESU Chriſti, ſic neceſſariò ſequitur, cùm Corpus iſtius Hominis, videlicet JESU Chriſti, contineatur ſub certa & determinata quantitate, aut quòd Corpus illius augmentetur ultra metas quantitatis humani corporis, & hoc etiam in tantum poſſet augmentari, quantum univerſa ſubſtantia panîs poſſet ſufficere ad tranſubſtantiandum; & ſic non eſt vera Tranſubſtantiatio, quia expellit ipſum Corpus Chriſti à quantitate humani corporis, & ſic facit, quòd ſit imperfectus homo, quod eſt impoſſibile; aut convenit, quòd factâ Tranſubſtantiatione tota illa ſubſtantia, quæ ſuperfluit ultra quantitatem Humani Corporis, deveniat in nihilum; quod eſt impoſſibile: ergo Sacramentum Euchariſtiæ non eſt.

Contra hoc dixit Catholicus: cùm Tranſubſtantiatio panîs in Corpus JESU Chriſti veri Hominis ſit ſupernaturalis operatio, & conveniat, quòd hæc ſit, ût jam probatum eſt, dico, quòd „illa ſubſtantia panîs ſinè „quantitate ipſius panîs tranſeat in Subſtan„tiam Corporis JESU Chriſti, videlicet in „verum Corpus Hominis, qui eſt JESUS „Chriſtus; & ita eſt impoſſibile, quòd Cor„pus Chriſti augmentetur, cùm ſinè quan„titate ſit impoſſibilis augmentatio; nec ma„teria annihilatur, quia convertitur ſinè ac„cidentibus ipſius JESU Chriſti in nutri„mentum corporis hominis recipientis „ipſum Corpus Chriſti; ſicut priùs conver„ſa fuerat ſinè accidentibus panîs in Sub„ſtantiam JESU Chriſti, ita, quòd anima „vivat de Transmutatione, & corpus de nu„trimento: & ſic non valet Poſitio.

5. Ait Catholicus: quidquid eſt creatum, eſt tali modo creatum, quòd DEUS cognoſcatur & diligatur; & quia DEUS eſt Magnitudo, eſt omne creatum, quod eſt creatum, ut DEUS multùm cognoſcatur & multùm diligatur; ſed, ſi Sacramenta ſunt vera, meliùs poſſumus cognoſcere & diligere Intrinſecam Operationem, quam DEUS habet in ſe ipſo, quàm ſi Sacramenta non ſunt, & hoc patet iſto modo: ſuperiùs probatum eſt, quòd in Divinis Pater generet Filium, & Sanctus Spiritus ſpiretur ab utroque, & iſta Generatio & iſta Spiratio non requirunt locum nec tempus, nec motum, nec quantitatem, nec cætera accidentia; quia, quidquid in DEO agitur, eſt infinitum ſinè aliquo accidente; ſimili modo in Sacramento Euchariſtiæ non requiruntur conditiones accidentium, imò ſuper conditiones eorum debet fieri illud Sacramentum ad magis repræſentandam illam prædictam Intrinſecam Operationem, quam DEUS habet in ſe ipſo; & ideo manifeſtè patet, quòd, ſi DEUS repugnat prædicto Sacramento, ita, quòd illud Sacramentum nihil ſit realiter, niſi fortè in ratione, ſcilicet in verbo phantaſtico: ſic ſequeretur iſtud impoſſibile, videlicet, quòd intellectus falſo modo intelligat, & quòd noſtra Voluntas plùs diligat Intrinſecam Operationem per hoc, quod eſt falſum, quàm per hoc, quod eſt verum, cùm ipſa voluntas per nullam aliam ſimilitudinem poſſit tantum diligere, & intellectus intelligere in DEO prædictam Intrinſecam Operationem, quantum per Sacramentum Euchariſtiæ; & etiam neceſſariò conveniret, quòd iſtud Sacramentum eſſet falſum, quia Divina Voluntas vellet, quòd ipſum non ſit verum; & ſic manifeſtè patet, quòd DEUS repugnet illi rei, per quam ipſe DEUS à creatura plùs cognoſcitur & diligitur: ergo relinquitur, quòd ipſe ſit contra Principia, quare creavit omnia creata, quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo eſt Sacramentum Euchariſtiæ.

Contrà Infidelis: ſuprà probatum eſt, quòd non ſit Productio in Divinis, & ſic non valet Poſitio; & dato, quòd ipſa Productio ſit, oſtendo, quòd ſit impoſſibile, quòd Sacramentum Euchariſtiæ ſit; & hoc iſto modo: quidquid eſt in DEO, eſt actu, cùm ipſe DEUS ſit infinitum *Eſſe* infinitè remotum à *non eſſe*, *poſſibile* autem & *eſſe* habent concordantiam, *impoſſibile* verò & *non eſſe*: igitur eſt manifeſtum, quòd, ſi prædicta Intrinſeca Operatio eſt in DEO, conveniat, quòd meliùs cognoſcatur & diligatur per id, quod repræſentat *eſſe* & *poſſibile*, quàm per id, quod repræſentat *non eſſe* & *impoſſibile*; ſed, quia per Euchariſtiam plùs repræſentatur *non eſſe* & *impoſſibile*, quàm *eſſe* & *poſſibile*: ergo per Euchariſtiam Intrinſeca Operatio DEI non plùs cognoſcitur, nec plùs diligitur:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ligitur: cùm ergo Sacramentum Eucharistiæ sit id, per quod Intrinseca Operatio DEI plùs cognoscitur & diligitur, sicut suprà dixisti, est manifestum, quòd illud Sacramentum non sit in re, nec etiam in ratione; quia, si illud esset, DEUS diligeret, quòd plus cognosceretur & diligeretur per *non esse* & *impossibile*, quàm per *esse* & *possibile*; & sic plùs per suum contrarium, quàm per suum concordans; & plùs per suum dissimile, quàm per suum simile, & plùs per hoc, quod est ab illo remotum, quàm propinquum; & etiam sequeretur, quòd *non esse* & *impossibile* essent majora & nobiliora & magis dilecta à DEO, quàm *esse* & *possibile*; hæc autem sunt manifestè impossibilia: quare non valet Positio.

6. Dixit Infidelis: illud non est verum Sacramentum, in quo includitur impossibile; igitur Baptismus non est verum Sacramentum, quia in ipso includitur impossibile, quod patet isto modo: est impossibile, quòd Sacramentum sit sinè Forma, & Forma sinè Materia; Materia autem deficit Formæ illius Sacramenti in hoc, quòd parvulus puer, dum baptizatur, cùm adhuc careat omni discretione, non intelligat nec diligat se baptizari, & ita non potest recipere Formam Baptismi; nec aliud à puero, sicut patrinus, potest pro puero, ût Materia, se subjicere Formæ illius Sacramenti, quia non baptizatur pro puero; & dato, quòd puer baptizetur secundùm sensum, dico, quòd discretio patrini, cùm non sit unita sensualitati ipsius pueri, non possit sufficere pro absente discretione ipsius pueri ad suscipiendum Formam Baptismi; quia sic sequeretur, quòd duæ materiæ individuæ reciperent unicam individuam Formam; quod est manifestè impossibile.

Contra hoc dixit Catholicus: intellectus & objectum sunt duo individua numero, & ista duo non possunt recipere unicam individuam formam, intellectus autem influens suas similitudines activas tanquam formam ad objectum, abstrahit ab objecto passivas similitudines ipsius objecti tanquam materiam, quibus videlicet formâ & materiâ se attingentibus, videlicet formâ attingente materiam, & è converso, resultat verbum intellectûs constitutum ex prædicta forma & ex prædicta materia, videlicet ex similitudinibus intellectûs & ex similitudinibus objecti, per quod verbum intellectus transit ad attingendum objectum; & in hoc patet resolutio Positionis: nam, dum puer baptizatur, intellectus patrini attingit & recipit in suas similitudines attractivas Formam Baptismi, influens illas similitudines ad similitudines pueri, attingendo eas cum Formâ Baptismi omnibus modis, quibus possunt attingi, ad recipiendum beneficium Baptismi, videlicet in actu, in habitu, & in potentia; & sicut unitur verbum ex similitudinibus intellectûs patrini, & ex similitudinibus hujus objecti, videlicet pueri, ita mediante tali verbo sic informato Formâ Baptismi attingit intellectus ipsum puerum de toto ipso verbo sic informato, & informat eum totum in actu, in habitu & in potentia, sicut attingit eum in actu, in habitu & in potentia: & concedo, quòd patrinus non recipiat Formam Baptismi pueri pro puero vel loco pueri, patrinus autem est medium, per quod Forma Baptismi transit in puerum, sicut aër non recipit ab igne calefactionem aquæ pro aqua vel loco aquæ, sed est medium, per quod ipsa calefactio aquæ transit in aquam; & sic non valet Positio.

7. Ait Catholicus: necessariò convenit, quòd sit Sacramentum Eucharistiæ, & hoc manifestatur isto modo: Divina Potestas est tanta in Actu Bonitatis, Magnitudinis &c., quòd conveniat, quòd agat *omnibus modis operandi*, qui cedunt in summam Nobilitatem & Perfectionem Dignitatum DEI & actûs earum, ut ipsa Potestas *nullo modo*, quo possit agere bonum, magnum, justum &c., sit otiosa; & sic necessariò convenit

Primò, quòd totus DEUS Pater, qui est ipsa tota Potestas, generet de tota ipsa Potestate DEUM Filium existentem totam ipsam Potestatem, permanente ipso Patre totâ ipsâ eâdem Potestate, sicut etiam suprà probatum est; & hæc est major Operatio, quam DEUS, qui est ipsa Potestas, possit agere, quia est de Infinito *Esse* in Infinitum *Esse*.

Secundò autem DEUS operatur *alio modo* extra se, & *primò* operando creaturas de nihilo, videlicet creando ita, quòd essentia nihili (ût ita loquar) non remaneat in illo aliquo, quod est creatum; & in hoc ostenditur, & ita est magna Nobilitas, magna Bonitas, magna Magnitudo &c. Divinæ Potestatis, quia agit supra id, quod nullo modo est, & quod nullo modo habet naturam essendi, videlicet supra nihil, sicut infrà de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de Creatione probabitur. *Secundò* eſt alia operatio Poteſtatis &c. DEI, & hæc eſt mirabilis in Magnitudine Poteſtatis &c. videlicet unire in Uno Suppoſito individuo in numero, videlicet in Uno *Eſſe* penitùs indiviſibili duo entia remotiſſima & quaſi contradictoria, videlicet Infinitum & finitum, id eſt, DEUM & Creaturam, videlicet DEUM & Hominem, remanente Naturâ utriusque in illo Suppoſito integrâ & perfectâ & *intransmutatâ*, ût jam ſuprà probatum eſt. „*Tertiò* eſt alia operatio, quam DEUS „dedit creatæ Naturæ, & etiam *Artificibus*, „videlicet operari aliud de alio permanen„te eſſentiâ & naturâ operabilîs tunc in „operato, & in ipſo operabili exiſtente „nihil ſecundùm ſpeciem vel figuram, in „qua priùs erat„; & *in hac operatione aſſimilatur ipſa natura operationibus ſuæ Cauſæ, quantum poteſt.* *Quartò* convenit, quòd etiam Divina Poteſtas agat aliam operationem, quia aliter eſſet inſufficiens Magnitudini Bonitatis &c., videlicet, quòd de alio fiat aliud, non permanente eſſentiâ nec naturâ factibilîs in facto; ſicut eſſentia nihili (ût ita loquar) non permanet in aliquo creato, ipſo factibili etiam, poſtquam eſt factum, id eſt, *tranſubſtantiatum*, exiſtente nihil ſecundùm ſpeciem & figuram, in qua priùs erat; ſicut operabile naturæ in operato exiſtit nihil ſecundùm ſpeciem & figuram, in qua priùs erat, ſicut ſuprà dictum eſt; & hæc talis Operatio eſt Sacramentum Euchariſtiæ: ergo illud Sacramentum eſt; aliàs quoad *iſtum modum* operandi Divina Poteſtas eſſet defectiva in Actu Nobilitatis Bonitatis, Magnitudinis &c.; quod eſt impoſſibile, quia ſic ad iſtum modum implicaret in ſe potentiam, quod eſt impoſſibile, ergo prædictum Sacramentum eſt.

Contra hoc dixit Infidelis: ſi convenit, quòd Divina Poteſtas operetur ſecundùm illos prædictos diverſos modos, ut inde ſit ſumma Nobilitas & Perfectio Dignitatum DEI & Actûs earum, convenit, quòd operetur, ut adhuc ſint nobiliores & perfectiores Dignitates DEI & ſui Actus per infinitos diverſos modos, cùm ipſa ſit infinita & ſuus Actus ſit infinitus; quia aliter ipſa Poteſtas deficeret in Nobilitate & Magnitudine Bonitatis &c.; ſed hoc eſt impoſſibile, quòd Poteſtas ſic operetur in creaturis, quia infinitas illorum modorum non poſſet recipi in creaturis, cùm ſint finitæ, ergo non ſunt prædicti modi operandi. Et dato, quòd ſint primi prædicti quatuor modi operandi, dico tamen, quòd ſit impoſſibile, quòd ſit prædictus ultimus quintus modus operandi; nam „ſi de aliquo fit aliud, & eſſentia factibilîs nihil ſit in facto, nec ipſum factibile, „poſtquam factum eſt, remaneat *penitùs* „*aliquid* in hoc, quod priùs fuerat, eſt ma„niteſtum, quòd ipſum factibile vel id, „quod eſt tranſubſtantiatum in factum, „convertatur in nihilum, quod eſt impoſſi„bile„: ergo talis modus operandi non eſt, nec per conſequens Sacramentum Euchariſtiæ; & ſic non valet Poſitio.

8. Dixit Infidelis: dico, quòd Sacramentum Ordinis Sacerdotii non ſit, & oſtendo ſic: Divina Sapientia attingit Divinam Poteſtatem infinitam in Simplicitate, ita, quòd ſit propria ipſius DEI, & non alicujus alterius entis; ergo nulla creatura habet poteſtatem ipſius DEI præter ipſum DEUM; & hoc ſcit ipſa Sapientia, & ſicut ipſa ſcit, ita eſt neceſſariò in re; ſed ligare & ſolvere animas hominum eſt ſolius Poteſtatis DEI, ergo nulla creatura poteſt ſolvere & ligare animas hominum, cùm non habeat ipſam Poteſtatem DEI; quia, ſi poſſet, haberet ipſam Poteſtatem DEI; quod eſt impoſſibile: ergo Sacramentum Ordinis Sacerdotii non eſt.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Sapientia non tantùm attingit Divinam Poteſtatem infinitam in Simplicitate, ſed etiam in Bonitate Virtutis &c.; & ſic dico, quòd homo, qui eſt nobiliſſima creatura, habeat Divinam Poteſtatem ad ſolvendum & ligandum in Juſtitia animas hominum, ut ipſa Poteſtas DEI cum ſumma Bonitate in Juſtitia, Largitate &c. ſe influat & communicet noſtræ creatæ poteſtati, & etiam magìs participet cum noſtra poteſtate, ut noſtra poteſtas magìs fruatur illâ cognoſcendo & diligendo ipſam: ergo Sacramentum Sacerdotii eſt; quod niſi eſſet, deficeret in hoc Magnitudo ipſius Divinæ Poteſtatis in Largitate Juſtitiæ, Virtutis &c., quod eſt impoſſibile; & nullum inconveniens ſequitur ex hoc, quòd in ligando & ſolvendo cum Juſtitia creatura habeat Poteſtatem DEI, non ût ſuam, ſed ût ipſius DEI, quia loco DEI ſolvit & ligat de ipſa Poteſtate DEI; ſicut præfectus Regis habet poteſtatem ipſius Regis, non ût ſuam, ſed ût ipſius Regis, ut loco Regis exerceat juſtitiam ipſius Regis; & ſic multiplicatur amor & timor, quos

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quos habent ſubditi erga ſuum Regem, quia Rex poteſt ſuis Miniſtris communicare ſuam virtutem & poteſtatem; & ſic manifeſtè patet, quòd Poſitio non valeat.

PARS VI.
De Principio Mundi.

QUoniam, ût ſuprà diximus, ſicut ſunt multi Philoſophi infidelium, qui negant, quòd DEUS ſit, ita etiam ſunt multi eorundem, qui negant, quòd Mundus habuerit Principium Creationis; igitur contra tales probatur, quòd Mundus habuerit Principium, videlicet, quòd ſit creatus; & primò Catholicus tradit ſuam Poſitionem iſto modo.

1. Dixit Catholicus: dico, quòd Mundus ſit creatus, & hoc probo ſic: de Conditionibus Magnitudinis Unitatis DEI eſt, quòd ſit tantùm Unus DEUS, & non plures, una ſola infinita Bonitas, una ſola infinita Magnitudo, una ſola infinita Æternitas, & ſic de Poteſtate &c., & non plures, & ſic Unitas DEI, quæ eſt ipſa Unitas cujuslibet Dignitatis, eſt infinita in Bonitate, Magnitudine &c.; igitur, ſi Mundus eſt ſinè Principio Creationis, eſt æternus, & ita ſunt duæ æternitates, una DEI, & alia Mundi, & non una infinita tantùm, & per conſequens ſunt duæ infinitæ bonitates in duratione, & duæ magnitudines &c., quod eſt impoſſibile: nam, ſicut convenit, quòd ſit Unus infinitus DEUS, ita convenit, quòd ſit una infinita Bonitas, una infinita Magnitudo, una infinita Duratio &c., videlicet una infinita Unitas, quæ eſt ipſa infinita Bonitas, infinita Magnitudo, infinita Duratio &c.: & ideo, ſi Mundus eſt æternus, eſt quidem tantùm unus DEUS infinitus, ſed non eſt tantùm una duratio infinita, nec per conſequens tantùm una bonitas infinita in duratione &c.; & ſic ſequitur, quòd Deitas, cui non eſt æquale, ſit major, quàm ſua infinita Duratio vel Æternitas, & quàm ſua infinita Bonitas in Duratione &c., quibus ſunt æquales infinita duratio vel æternitas Mundi, & bonitas ipſius Mundi infinita in duratione &c., quod eſt manifeſtè impoſſibile, cùm ipſa Deitas & Æternitas, Bonitas &c. ipſius Deitatis ſint unum idem, videlicet Unus DEUS, una Deitas, & quælibet earum per ſe ſit ipſe totus DEUS & ipſa tota Deitas, & è converſo, ſinè aliqua majoritate vel minoritate: ergo Mundus non eſt æternus; igitur remanet, quòd ſit creatus.

Contra hoc dixit Infidelis: Divina Unitas eſt ita infinita, quòd non ſit, niſi Unus DEUS, cujus Unitas eſt infinita quoad rationem Cauſæ in Infinitate Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis &c., ita, quòd ſola ejus Bonitas eſt Cauſa totius bonitatis Mundi, & ſola ejus Æternitas eſt Cauſa totius æternitatis Mundi &c.; & ideo non valet Poſitio, imò potiùs ipſa Unitas eſſet defectiva, niſi Mundus eſſet æternus, quia fuiſſet otioſa ab æterno, quod eſt impoſſibile, quia non eſſet effectus, in quo ageret ab æterno, ût ſtatim patebit in ſequentibus.

2. Dixit Infidelis: ſi DEUS non eſt, Mundus neceſſariò eſt æternus; ſed ſuperiùs in prima Parte hujus Libri probatum eſt, quòd DEUS non ſit: ergo Mundus eſt æternus. Et dato etiam, quòd DEUS ſit, nihilominùs Mundus eſt æternus; & hoc probo ſic: ſi DEUS eſt, ſua Bonitas eſt infinita in Magnitudine & Duratione: ergo, ut ipſa Bonitas nunquam fuerit otioſa in producendo ſuum ſimile, videlicet bonum creatum, quod eſt Mundus, & ſic de Magnitudine &c., neceſſariò convenit, quòd Mundus ſit ab æterno; quia, ſi non eſt ab æterno, Magnitudo deficit Bonitati, & è converſo, & ſic de aliis, in hoc, quòd in cauſando aliquando fuerint otioſæ, qui defectus eſt in eis impoſſibilis: ergo Mundus eſt ab æterno, ut Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. producant ſuum ſimile, ita, quòd Bonitas producat illud in genere Bonitatis, & Magnitudo in genere Magnitudinis, & Æternitas in genere Æternitatis, videlicet bonitatem, magnitudinem æternitatem &c. Mundi.

Contra hoc dixit Catholicus: manifeſtum eſt, quòd in Mundo ſit malum, & ita ſimpliciter Mundus non eſt ſinè malo; mundus etiam eſt limitatus, continetur enim ab octava ſphæra Firmamenti; nec eſt ſimpliciter ex toto potens, quia in ſe multa continet, quæ indigent poteſtate; nec eſt in eo ex toto ſapientia, quia ſunt in eo plura entia non utentia ratione, quàm, quæ utuntur ratione; & ideo, ſi Mundus eſt æternus, ut Æternitas ex toto cauſet ſuum ſimile, videlicet creatam æternitatem, ſequitur, quòd ſola Æternitas cauſando habeat perfectionem, & cæteræ Dignitates defectum, quia Æternitas cauſando producit Mundum ſinè principio durationis, ſicut ipſa eſt, ſed Bonitas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nitas non producit eum ſinè malo, nec Magnitudo ſinè limitatione &c.; & ſic ſola Æternitas excedit cæteras Rationes DEI producendo ſuum ſimile, quod eſt impoſſibile, cùm Juſtitia ſit in qualibet earum infinita. Nec ſequitur, quòd otioſitas agendi effectum implicet in eis aliquam inconvenientiam vel defectum; nam ſicut Æternitas produceret eum infinitum in duratione, ita ſimiliter Bonitas produceret eum infinitum in bonitate, & Magnitudo eum infinitum in magnitudine &c., quod eſt impoſſibile, quia ipſe Mundus ſic neceſſariò eſſet DEUS, quod eſt manifeſtè impoſſibile: & ſic non valet Poſitio.

3. Ait Catholicus: Divina Sapientia attingit, quòd ſit Unus DEUS tantùm, quia, ſi attingeret plures Deos, ſic attingeret in utroque defectum Rationum & Conditionum Deitatis, quia Conditiones Deitatis iſtius finirent Conditiones Deitatis illius, & ſic neuter illorum eſſet DEUS; igitur remanet, quòd Sapientia attingat, quòd ſit Unus DEUS tantùm, & Voluntas diligat, quòd ſit Unus DEUS tantùm, ut habeat tantum velle in diligendo, quòd ſit Unus DEUS tantùm, quantum ſcire habet ipſa Sapientia in ſciendo, quòd ſit Unus DEUS tantùm; eodem modo ſequitur de cæteris Rationibus vel Perfectionibus DEI; nam in infinita Concordantia, quam habent, attingunt Divinam Unitatem: ergo intelligit & diligit DEUS, quòd ipſe ſolus ſit DEUS de toto ſuo intelligere & diligere, quæ ſunt infinita in Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c.; & in quantum ſe intelligit & diligit eſſe DEUM, in tantum ſe intelligit & diligit eſſe æternum, quia in DEO nihil eſt majus nec minus, nec aliquid per priùs, nec per poſteriùs, cùm in eo ſit omnimoda Æqualitas: ergo cum intelligere & velle infinitis intelligit & diligit ſe eſſe æternum, ſicut DEUM; ergo cùm ſit Unus DEUS, eſt unus æternus, & non duo æterni. Igitur reſtat, quòd Mundus non ſit æternus; quia, ſi eſſet æternus, Divina Æternitas non intelligeret ſe ſolam eſſe, quia intelligeret, æternitatem Mundi eſſe; nec diligeret ſe ſolam eſſe, quia diligeret æternitatem Mundi eſſe; & per conſequens, cùm ipſa Æternitas ſit idem DEUS totus, & è converſo, DEUS non intelligeret nec diligeret ſe eſſe DEUM ſolum, quia intelligeret & diligeret Mundum eſſe DEUM; nam, cùm ipſa Æternitas & ipſe DEUS ſint unum idem & una infinita Unitas, tantâ Infinitate convertuntur, quòd ipſa Æternitas, in quantum intelligit, & diligit eſſe æternum, in tantum intelligat & diligat eſſe DEUM, & quòd ipſe DEUS, in quantum intelligit & diligit eſſe DEUM, in tantum intelligat & diligat eſſe æternum; aliàs DEUS eſſet diſtinctus à ſua Æternitate, & è converſo, & in DEUM caderent magis & minùs, & intentio prima & ſecunda, & per conſequens accidens & defectus, quæ ſunt manifeſtè impoſſibilia in DEO. Igitur, cùm ſit impoſſibile, quòd DEUS intelligat & diligat alium DEUM præter ſe ipſum, eſt impoſſibile, quòd ſit alia æternitas præter ipſam Æternitatem DEI: ergo Mundus non eſt æternus, ſed creatus.

Contrà Infidelis: DEUS habet infinitam Poteſtatem in Magnitudine, & ſic quoad Rationem Infinitatis Magnitudinis Poteſtatis poteſt intelligere & diligere, quòd ſit Unus DEUS tantùm bonus, magnus, æternus &c., & nihilominùs poteſt intelligere & diligere ſuas ſimilitudines, ſcilicet æternitatem Mundi, & ejus bonitatem &c., ſemper permanente ipſo DEO ſolo tantùm; qui, niſi ſic eſſet, ejus Poteſtas non eſſet infinita in Magnitudine, quia in hoc deficeret illi infinitum poſſe, & ſic Sapientia intelligeret, & Voluntas diligeret poſſe DEI finitum in hoc; & per conſequens DEUS intelligeret & diligeret ſe finitum, quod eſt manifeſtè impoſſibile; & ſic non valet Poſitio.

4. Dixit Infidelis: eſt manifeſtum, quòd ſubſtantia Cœli ſit ingenerabilis, & per conſequens incorruptibilis; ergo æterna. Etiam prima Materia à parte pòſt inceſſanter ſucceſſivè ſinè fine eſt informabilis, & ſemper fuit informata, & ſemper informatur, & in quantum Forma proſequitur ipſam Materiam informando, in tantum ipſa Materia ſe ſubjiciendo præcedit, ita, quòd Forma nunquam attinget potentiam ipſius Materiæ ſe ſubjiciendo, aliter Forma & Materia non eſſent ſub ſuis rationibus; & ſic ſemper eſt generari, quod nunquam ceſſavit nec ceſſabit: ergo eſt ab æterno; quare concluditur, quòd Mundus poſſit exiſtere per ſe ſinè alio à ſe & à ſuis partibus: ergo patet, quòd ſit æternus, cùm in ſe habeat ſuas univerſales perfectiones incorruptibiles quoad ſubſtantiam Cœli & quoad ſubſtantiam elementorũ, de quibus producuntur inferiora.

Contra hoc dixit Catholicus: probatum eſt, quòd DEUS ſit, & ſic eſt infinita Poteſtas & infinita Juſtitia in Bonitate, Magnitu-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gnitudine, Æternitate, Sapientia, Voluntate &c., quæ ſunt ipſe DEUS; & ſic ſequitur, quòd DEUS potuerit creâſſe ſubſtantiam Cœli, ſicut eſt, videlicet ingenerabilem & incorruptibilem; quòd autem DEUS neceſſariò creaverit Mundum, patet per ſupradicta; & ſic Poſitio non valet. Et licèt informare ipſius Formæ & ſubjicere ipſius Materiæ non eſſent ab æterno, nihilominùs Forma & Materia eſſent ſub ſuis rationibus, quia alia ipſarum exiſteret completè in alia, & quælibet earum haberet ſuum perfectum exiſtere, quia finis rationis & formæ & materiæ plùs conſiſtit in actu eſſendi, videlicet exiſtendi, quàm in actu operandi; „aliter „earum rationes ſe haberent plùs ad acci„dens, videlicet ad generare, quàm ad ſub„ſtantiam, videlicet ad generatum„, & id, quod ſe habet ad finem, eſſet ipſe finis, & è converſo; quod eſt impoſſibile: & ideo non valet Poſitio.

5. Ait Catholicus: eſt manifeſtum, quòd ſit talis proportio inter Principium, Medium & Finem, quòd Medium tendat de Principio ad Finem, qui eſt perfectio Principii & Medii. Ideo, ſi Mundus eſt æternus, conſtat, quòd nunquam fuerit primus homo, nec erit ultimus, nec ſimiliter unquam fuerit primum brutum nec ultimum, nec prima planta nec ultima, & ſic eſt confuſa circulatio ab æterno inter Principium, Medium & Finem; & ſic bonitates, magnitudines, æternitates &c., de quibus Mundus eſt conſtitutus, ſunt confuſæ & indeterminatæ in Principiis, Mediis & Finibus Mundi: unde ſequitur plus mali, quàm boni, & plus parvi, quàm magni, & plus privationis æternitatis, quàm *eſſe* æternitatis, quia omnia ſuppoſita naturæ magìs habent *eſſe* in duratione privationis, quàm in duratione ipſius *eſſe;* & ex hoc ſequitur, quòd Mundus habeat plus privationis, quàm *eſſe*, & plus malitiæ, quàm bonitatis, & etiam æternitas ipſius habeat majorem convenientiam cum privatione & malitia, quàm cum *eſſe* & bonitate; quod eſt impoſſibile. Et etiam eſt neceſſarium ſecundùm Bonitatem, Magnitudinem, Juſtitiam, Poteſtatem &c. DEI, quòd ſit alia Vita præter iſtam, ut ipſæ Divinæ Perfectiones habeant majorem uſum, quem poſſint habere in ſuis creatis ſimilitudinibus, & ut ipſæ ſimilitudines habeant majorem fruitionem, quam poſſint habere ad ipſas Perfectiones; ſi autem Mundus eſt æternus, eſt impoſſibile, quòd ſit alia Vita, quia unumquodque ens individuum, quod eſt ſubditum generationi & corruptioni, quod fuit & quod eſt, debet circulariter redire; nam, ût ſuprà dictum eſt, nunquam fuit primus homo &c., nec erit ultimus; quia, ſi eſſet alia Vita exiſtente Mundo æterno, materia non ſufficeret ad producendum ſuppoſita in circulo; & ita ſequitur, quòd ſit alia Vita ſecundùm Divinas Perfectiones, & non ſit ſecundùm æternitatem Mundi; quæ, ſi non eſt, æternitas Mundi habet majorem poteſtatem & virtutem reſiſtendi & devincendi id, quod ſequitur ex Divinis Perfectionibus, quàm Divinæ Perfectiones id, quod ſequitur ex æternitate Mundi; quod eſt impoſſibile: ergo Mundus non eſt æternus.

6. Contra hoc dixit Infidelis: eſt manifeſtum, quòd bonum ſit finis mali, malum enim eſt, ut ſit bonum, non autem è converſo; hoc idem eſt de parvitate & magnitudine &c., nam parvitas eſt, ut ſit magnitudo, & non è converſo &c.; & ita, licèt Mundus ſit æternus, non eſt inconveniens, ſi Mundus eſt conſtitutus de perfectionibus & imperfectionibus; de perfectionibus quidem tanquam de his, quæ ſunt finis ipſius Mundi, videlicet, quòd ſit æternus in ſe & per ſe: de imperfectionibus verò tanquam de his, quæ ſe habent ad illum finem; & in hoc habet Mundus ſua principia, media & fines ordinatos; & ſic, quantum ad hoc, non valet Poſitio. Et licèt omnia ſuppoſita naturæ plùs permaneant in *non eſſe*, quàm in *eſſe*, hoc eſt quoad ſuppoſita, non autem quoad eſſentias & partes ſubſtantiales cujuslibet earum, quas eſt impoſſibile venire in *non eſſe*, ſed quoad diverſas renovationes, diverſas uniones, diverſos ſitus & diverſas ſuppoſitiones, quas ipſæ partes habent in motu & *fieri* continuò de ſe ipſis in ſe ipſas, unde reſultant diverſa diverſarum ſpecierum, quia ipſæ partes ſubſtantiales vel ſubſtantiantes poſſunt dimittere hunc ſitum & hanc diſpoſitionem hujus ſuppoſiti, & recipere alios diverſos ſitus & diſpoſitiones, & ſic ſe disgregant illæ partes, & uniunt & renovant diverſa ſuppoſita; aliter ſubſtantia Mundi, de qua hìc loquimur, non eſſet in motu & *fieri* continuò, quod eſt impoſſibile: & ſic ſuppoſita non habent durationem ex ſe ipſis, ſed recipiunt illam à partibus ſubſtantialibus, à quibus habent *eſſe*, quæ partes nunquam ſecundùm ſe deſinunt eſſe; & ſic conſervatur æternitas Mundi in prædicta ſubſtantia Mundi transmutabili in diverſa ſuppoſita

(c) 2006 Ministerio de Cultura

posita, non autem potest conservari in ipsis suppositis, quia ex se non habent suum *esse*, nec per consequens durationem, ût suprà dictum est; & ita non valet, quod contra hoc dictum est in ipsa Positione. Nec sequitur, quòd sit alia Vita, si DEUS est; sed suprà probatum est, quòd ipse non sit: ergo alia Vita non est; & sic non valet Positio, quantum ad hoc, quod dictum est.

7. Dixit Infidelis: est manifestum, quòd finis Mundi consistat in suo existere & in suo agere; igitur non ampliùs indiget, quàm existere & agere: & ideo, si Mundus ab æterno est constitutus de suis substantialibus principiis, quæ sunt istæ substantiales formæ, videlicet bonitas, magnitudo, æternitas, potestas &c., potest per eas existere substantialiter, & per eas agere substantialiter; & sic Mundus potest habere de se ipso in se ipso & secundùm se ipsum & per se ipsum suum finem tam quoad suum existere, quàm quoad suum agere, quia de se ipso, videlicet de hoc, quod ipse est, agit in se ipsum, videlicet in hoc, quod ipse est, sicut patet; & ita non convenit, quòd DEUS sit, nisi propter se & secundùm se tantùm, & secundùm hoc non convenit, quòd DEUS sit, ut faciat, quòd Mundus existat & agat, cùm ipse Mundus per se possit esse in se ipso, & agere de se ipso in se ipso; & ita nihil repugnat, quòd Mundus sic non possit esse ab æterno, & ita est necessariò, quia si Mundus non est æternus, ergo est creatus ab aliquo Ente æterno, & sic non est æternus, illud Ens autem debet esse DEUS infinitus in Bonitate, Potestate, Æternitate &c.; & sic convenit, quòd Divina Bonitas, quæ est infinita in Magnitudine &c., crearet bonitatem Mundi meliorem, quam potuit; sed, quantò magìs durat bonitas, tantò melior est: ergo DEUS creavit Mundum magìs durantem, quem potuit; & sic sequitur, cùm Mundus sit creatus in *nunc*, quòd DEUS in alio *nunc* priùs creâsset eum, ut Mundus haberet majorem durationem, ut esset melior, & iterum in alio *nunc* prius isto; & iterum in alio *nunc* prius, & sic esset processus durationis in infinitum, quæ est æternitas; & sic ultimatò sequeretur, quòd DEUS creâsset Mundum ab æterno non æternum, si non est æternus; hoc autem est contradictio: ergo Mundus necessariò est æternus, & non novus.

Contra hoc dixit Catholicus: si Mundus ab æterno est constitutus de bonitate, magnitudine, potestate &c., convenit, quòd finis existendi sit tantus, quantus finis agendi, & finis agendi sit tantus, quantus finis existendi, ut non deficiat in bonitate, magnitudine &c.; & in hoc non valet prædicta Positio; & hoc manifestè patet: nam, si Mundus est æternus, ipse non potest habere suum finem æqualem quoad suum existere & suum agere, quia non agit tantum bonum, magnum, æternum &c., quantum est suum existere; & ita deficit ei finis agendi æqualis suæ bonitati, magnitudini &c. existendi: igitur Mundus non potest habere finem in suo agere, cùm finis semper consequatur in magnitudine & perfectione bonitatis &c., non autem in parvitate & defectu bonitatis &c.; nec etiam, si est æternus, potest habere suum finem in se ipso, quia non causat aliquam bonitatem æternam in se permanentem ab æterno; nullum enim est bonificatum, magnificatum &c. ab æterno productum ex illo, sed potiùs, quæcunque de eo producuntur, corrumpuntur, & plus sinè comparatione permanent in *non esse*, quàm in *esse*: igitur, cùm adhoc, quòd Mundus sit æternus ab æterno constitutus de bonitate, magnitudine, æternitate, potestate &c., conveniat, quòd finis agendi sit tantus, quantus finis existendi, & è converso, & hoc sit impossibile, ût ostensum est, restat, quòd Mundus non sit æternus; & secundùm hoc non valet Positio. Nec convénit, quòd Divina Potestas crearet ipsum meliorem nec pejorem, quàm scivit eum Sapientia DEI, & quàm voluit eum Divina Voluntas, & ita non convénit, quòd crearetur in alio *nunc*, nec prius illo, in quo est creatus, sicut nec in majori vel minori quantitate, quàm in illa, in qua est creatus; & sic non valet Positio.

8. Ait Catholicus: si Mundus est æternus, sua duratio non est ita bona, magna &c., sicut, si non est æternus; & hoc probo sic: si Mundus est æternus, Divina Sapientia &c. attingit similitudinem suæ Bonitatis, Magnitudinis &c. in æternitate Mundi tanquam in subjecto, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. Mundi in ipsa æternitate Mundi; si autem Mundus non est æternus, conveniebat tunc, quando præter solum DEUM nihil erat, quòd ipsa Sapientia attingeret simpliciter similitudinem suæ Bonitatis, Magnitudinis &c. in se ipsa, videlicet bonitatem, magnitudinem &c. ipsius Mundi in sua Idea; & sic dico, quòd, si Mundus est inceptus, prædicta Similitudo DEI est

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nobilior, & in majori magnitudine bonitatis, durationis &c., quia creativè & inceptivè descendit à nobiliori Termino, qui possit esse, videlicet ab Idea DEI, quàm si est æternus, propter cujus æternitatem Sapientia DEI nunquam simpliciter sinè reali subjecto attigit suam Similitudinem, nec bonitatis &c., videlicet ipsum creatum in sua Idea: ergo Mundus non est æternus, ut Divina Bonitas, Sapientia &c. producant suas similitudines in nobilius *esse*, in quod possint produci, & ut nobiliori & majori modo attingant eas, quo possint attingi; nam, si Sapientia, Potestas, Virtus, Voluntas, Perfectio, Justitia, Simplicitas, Nobilitas &c. ab æterno attingunt suas similitudines immediatè, quia ab æterno non sunt in re, sed simpliciter in Ideis, attingunt eas altiori modo & in nobiliori fine, quàm si attingunt eas mediatè; nam immediatè sunt propinquiores ipsis Ideis, quàm mediatè, ût patet, & sic attingunt eas immediatè; & etiam sequitur, quòd Mundus habeat principiatum *esse*, in quo attingunt eas mediatè; quia, si Mundus haberet æternum *esse*, nunquam attingerent eas immediatè, cùm semper essent reales & in proprio subjecto; ergo, quia Mundus est, attingunt eas mediatè; & adhuc etiam immediatè, quia permanet illa Natura attingendi, in qua attingebantur, priusquam producerentur in *esse*: sed, quia plus est, quòd prædictæ Perfectiones attingant immediatè & mediatè, sicut dictum est: ergo Mundus non est æternus, sed inceptus.

Contra hoc dixit Infidelis: Divina Sapientia non attingit suam similitudinem nec suæ Boniratis &c. in se immediatè sinè subjecto illius similitudinis, quia sic attingeret phantasticè; quod est impossibile: ergo attingit eam per proprium subjectum ipsius similitudinis, & est ab æterno in proprio subjecto, cùm ab æterno attingat eam, & Divina Sapientia, Potestas &c. etiam plùs attingit eam in se & in subjecto simul, quàm in se tantùm, & plùs, si immediatè & mediatè ab æterno, quàm si immediatè ab æterno, & mediatè non ab æterno; & ideo non valet Positio.

9. Dixit Infidelis: Divina Sapientia est æterna, cùm ipsa sit idem cum Æternitate, Bonitate, Voluntate &c.; & ideo applicando Divinam Magnitudinem cuilibet istorum terminorum probo, quòd Mundus sit æternus, & hoc isto modo: cùm Divina Sapientia sit ipsa eadem infinita Magnitudo, convenit, quòd attigerit ab æterno Mundum; &, si attigit ab æterno Mundum, qui non erat, sic deficiebat Magnitudo Bonitatis Voluntatis, quæ non producebat Mundum, dum Sapientia attingebat eum; & ita Magnitudo se communicat plùs Sapientiæ & Æternitati, quàm Bonitati & Voluntati; quod est impossibile: ergo æqualiter se communicat illis; igitur restat, quòd Mundus sit æternus.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Sapientia non potuit attingere Mundum contra se ipsam nec contra Bonitatem & Voluntatem &c.; si autem propter hoc, quia Sapientia ipsum attigit ab æterno, conveniret, quòd esset productus ab æterno, magìs sequitur, quòd, sicut attingebat eum ab æterno, ita similiter attingebat, quòd, si produceretur ab æterno, Bonitas, Magnitudo, Voluntas &c. non possent illi dare perfectum Finem existente ipso Mundo sub motu, generatione & corruptione, sicut nunc manifestè videmus, quia ab æterno fuisset motus, generatio & corruptio, &, si moveretur ad aliquem perfectum Finem, nunquam attingeret illum, nisi motum, generationem & corruptionem ab æterno; nam circulariter moveretur ad generationem & corruptionem, & circulatio esset sinè Principio, Medio & Fine: ergo mundus non est æternus, quia, si esset æternus, Sapientia, Bonitas, Magnitudo, Voluntas &c. attigissent & produxissent eum æternum, & ita egissent contra ultimum Finem, & sic Sapientia sic attingendo Mundum fuisset contra se ipsam, & contra Bonitatem, Voluntatem &c., quod est impossibile, ût suprà dictum est. Sed, si Mundus est sinè fine à parte pòst, & à parte antè est principiatus in duratione, sic Sapientia potuit attingere Mundum secundùm ordinatam Bonitatem &c. in ordinato Principio, & in ordinato Medio, & in ordinato Fine, nec sequitur aliquod inconveniens ex parte ipsius Sapientiæ; quia, si Mundus est principiatus, sicut jam dictum est, concedo, quòd ab æterno attigerit Mundum, & hoc in futuro *esse*, quando non erat; nunc autem attingit eum in præsenti *esse*, quia jam est; & sic non valet Positio.

PARS

PARS VII.
De Reſurrectione.

IN hac Parte volumus conſequenter probare, quòd ſit Reſurrectio, & hic Articulus ſecundùm Chriſtianam Fidem eſt, quòd omnis humana Anima recuperabit ſuum proprium corpus, & quælibet humana Anima & ſuum proprium corpus erunt iterum verus homo, ſicut priùs, tamen immortalis; & hanc Reſurrectionem nititur Catholicus probare iſto modo.

1. Dixit Catholicus: ſi hæc Reſurrectio, quam Chriſtiana Fides tenet, eſt, Sapientia DEI attingit, quòd Divina Magnitudo ſe plùs communicet Bonitati, Æternitati, Poteſtati &c. in effectu ipſarum Rationum DEI, quàm ſi Reſurrectio non eſt; nam, ſi ipſa eſt, Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas &c. DEI influunt plus bonitatis, magnitudinis &c. durantis &c., quàm ſi Reſurrectio non eſt; & quia Divina Sapientia plus attingit actum cujuslibet Divinæ Rationis, ſicut dictum eſt, ſi Reſurrectio eſt, quàm ſi non eſt, convenit, quòd ipſa neceſſariò ſit; nam, in quantum Sapientia cum Magnitudine attingit Magnitudinem, quam Divinæ Rationes debent habere ſuper noſtras rationes, in tantum convenit, quòd Divina Voluntas cum Magnitudine velit eandem Magnitudinem, aliàs Magnitudo eſſet magìs communicabilis Sapientiæ in ſciendo, quàm Voluntati in volendo, & etiam quàm Bonitati in bonificando &c., quod eſt impoſſibile: ergo Voluntas vult prædictam Magnitudinem; & ſi ipſam vult, ita eſt neceſſariò, cùm Voluntas ſit idem cum infinita Poteſtate: igitur per conſequens prædicta Reſurrectio eſt.

Contra hoc dixit Infidelis: non ſequitur, quòd Divina Voluntas velit, quòd, quidquid boni Sapientia DEI attingat, à Divina Poteſtate poſſit fieri; quia ſic ſequeretur, quòd fieret tantum bonum, quantum Sapientia ſcit, quòd Poteſtas DEI poſſit facere, quod eſt impoſſibile; quia Poteſtas ab æterno faceret omne bonum tantum, quòd faceret illud infinitum & æternum ſinè omni ſucceſſione, quod eſt manifeſtè impoſſibile: & ideo non valet Poſitio.

2. Dixit Infidelis: quòd prædicta Reſurrectio ſit impoſſibilis, probo iſto modo: eſt impoſſibile, quòd aliquid creetur de nihilo, quia Divina Sapientia in nihilo non poteſt aliquid attingere; nam ſic nihil eſſet aliquid, quod eſt manifeſtè impoſſibile: ergo Creatio non eſt, videlicet, quòd de nihilo ſit aliquid; & ſi prædicta Creatio non eſt, neceſſariò ſequitur, quòd intellectus cujuslibet hominis ſit unus numero, diverſificatus tamen mediante materiâ humani corporis; & ideo, quando homo moritur, quicunque ſit, cùm ſuus intellectus non poſſit redigi in nihilum, revertitur ad ſuum univerſale, tanquam pars ad ſuum totum, & ejus corporea materia ad univerſalem materiam, & ſic illa materia humani corporis eſt miſcibilis per infinitas atomos; & ideo eſt impoſſibile, quòd illud corpus revertatur idem numero, ſicut eſt impoſſibile, quòd gutta vini projecta in medium maris revertatur eadem numero, quæ priùs erat; & ſi non revertitur corpus, eſt impoſſibile, quòd revertatur anima illius in illud, quam priùs ipſum corpus habuerat: ergo Reſurrectio non eſt, nec etiam eſt alia Vita præter iſtam, in qua modò vivimus, quia intellectus ſeparatus ab humano corpore redactus in ſuum univerſale non intelligit, quia per ſuum univerſale eſt confuſus in ipſo univerſali.

Contra hoc dixit Catholicus: ſi DEUS non poteſt creare aliquid de nihilo, aut hoc eſt, quia iſtud non poſſe Divinæ Poteſtatis eſt in Bonitate, Magnitudine, Virtute, Juſtitiâ, Perfectione, Nobilitate &c., quod eſt impoſſibile, cùm ſit maxima Bonitas, maxima Virtus, maxima Juſtitia, maxima Nobilitas &c. nihil realiter convertere in realem ſubſtantiam: aut quia nihil habet vim & poteſtatem reſiſtendi actioni Divinæ Poteſtatis, quod non poſſit illud convertere in ejus oppoſitum, quod eſt impoſſibile: quia ſic nihil eſſet aliquid, & in hoc finiretur actus ipſius Poteſtatis, & per conſequens ipſa Poteſtas & cæteræ Dignitates DEI, quod eſt impoſſibile: ergo DEUS poteſt neceſſariò creare aliquid de nihilo, & ita neceſſariò creat; nam, ſi hoc poſſe ipſius Poteſtatis DEI non reduceretur ad actum, deficeret in hoc Magnitudo Bonitati, Virtuti, Juſtitiæ, Nobilitati &c., quod eſt impoſſibile: ergo DEUS poteſt creare aliquid de nihilo. Et licèt Divina Sapientia non attingat aliquid in nihilo, tamen attingit ipſum aliquid, videlicet ſimilitudinem ſuæ Bonitatis, Magnitudinis &c. in ſe ipſa, id eſt, in Idea, quamvìs ipſum aliquid, id eſt, ipſa ſimilitudo non ſit ens reale per ſe ſtans; & ideo non valet, quod contrà dictum eſt. Et quia prædicta Creatio

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſt, non eſt neceſſarium, quòd ſit unus univerſalis intellectus, ſicut ſuprà dictum eſt, imò etiam eſt impoſſibile, quia homo ſic poſſet plus mereri, quàm Divina Juſtitia retribuere, & ita deficeret actus Juſtitiæ DEI & Largitas Miſericordiæ, Dominii, Nobilitatis, Gloriæ, Bonitatis &c. in effectu; & in hoc eſſet creatura magìs juſtificabilis, quàm DEUS juſtificativus, quod eſt impoſſibile: & anima etiam eſſet magìs recolitiva, intellectiva & dilectiva DEI, quàm DEUS recolibilis, intelligibilis & amabilis ab anima, quod ſimiliter eſt impoſſibile: ergo eſt impoſſibile, quòd prædictus intellectus univerſalis ſit: ergo eſt neceſſarium, quòd ſit alia Vita; & ideo non valet, quod contrà dictum eſt. Et quia alia Vita eſt, in qua quælibet humana anima recolit, intelligit &c., eſt poſſibile, quòd ſit Reſurrectio, quamvìs corpus cujuslibet humanæ animæ poſt ſeparationem animæ à corpore ſit diviſum per atomos nobis infinitas; quia, ſi DEUS per Creationem poteſt educere aliquid de nihilo, ût hìc ſuprà dictum eſt, bene ſequitur, quòd poſſit reducere materiam cujuslibet humani corporis à confuſione primæ materiæ, & à diverſa multitudine atomorum ad ſuam propriam animam, imò etiam eſt neceſſarium, quia ſimiliter prædicta impoſſibilia & etiam multa alia ſequerentur; nam creatura eſſet magìs juſtificabilis in hoc, quàm DEUS juſtificativus, & magìs fruitiva DEI, quàm DEUS fruibilis ab illa; quod eſt impoſſibile: & ſic non valet Poſitio.

3. Ait Catholicus: Divina Sapientia attingit quemlibet hominem viventem bene vel malè, ita quòd attingat: hic homo agit bonum, & ille malum; & quia ſic attingit hominem agentem aut bonum aut malum, attingit totum humanum ſuppoſitum conſtitutum de anima & corpore agens bene vel malè; & ſicut ipſa Sapientia ſciendo attingit eum, ita Divina Voluntas diligit eundem, ſi bene agat, vel odit illum, ſi homo malè agat, & ita etiam Juſtitia judicat eundem ſecundùm merita illius; & ex hoc arguitur, quòd neceſſariò ſit Reſurrectio, ut Magnitudo non deficiat actui Juſtitiæ in Bonitate, Poteſtate, Virtute &c. ad retribuendum ſic meritum, ſicut Sapientia & Voluntas attingunt, qui defectus eſt impoſſibilis: ergo, quia homo eſt ille, qui agit bonum vel malum ſub libertate, Divina Juſtitia debet remunerare hominem pro bono, & punire hominem pro malo; nam, cùm Divina Juſtitia juſtè judicet in Bonitate, Magnitudine &c., non ſolùm convenit, quòd anima judicetur ſinè corpore, ſed etiam totum & anima & corpus conjunctim, videlicet homo, debet judicari, ſicut attingunt Sapientia & Voluntas, quòd non ſolùm anima ſinè corpore, dum erat homo, egit bonum vel malum, ſed potiùs totum conjunctum, videlicet homo, & ideo etiam totus homo debet judicari; aliter Divina Juſtitia, cùm ſit bona, magna, potens, nobilis, ſapiens & perfecta, eſſet inſufficiens ad hoc, quod eſt impoſſibile: atque Sapientia & Voluntas haberent majores ſuos actus attingendo hominem, quàm Juſtitia; quod eſt impoſſibile: ergo totus homo judicabitur: & ideo neceſſariò convenit, quòd ſit Reſurrectio.

Contra hoc dixit Infidelis: Divina Sapientia & Voluntas attingunt, quòd corpus hominis ſit materia, & anima ſit forma, materia autem non poteſt peccare, cùm ſit pura paſſio; quia, ſi peccaret, eſſet agens; & ſi eſt agens, eſt forma; & ſic materia non eſt id, quod eſt, videlicet materia, quod eſt contradictio: ergo corpus non peccat; peccare autem conſiſtit in libertate, libertas in voluntate, voluntas in anima, ergo ſola anima movens voluntatem per libertatem ad peccatum peccat: ergo, cùm ſit impoſſibile, quòd corpus ſit anima, eſt impoſſibile, quòd corpus peccet; eodem modo de bene agere, quod eſt oppoſitum peccandi: ſi igitur corpus non bene agit nec peccat, quia non eſt aptum adhoc, ſicut probatum eſt, Divina Juſtitia non debet, nec poteſt, cùm ſit infinitè juſta, judicare corpus, quia non eſt aptum ad agendum; ſed cùm ſit Reſurrectio, ut anima & corpus judicentur ſimul, & ſit impoſſibile, quòd corpus judicetur, ût jam dictum eſt: igitur eſt impoſſibile, quòd ſit Reſurrectio; &, licèt homo agat bonum, hoc eſt ex parte ſuæ formæ, videlicet animæ, non autem ex parte ſuæ materiæ, videlicet corporis, quia ſequeretur, quòd materia eſſet activa, & ſic ſequeretur prædicta contradictio, quæ eſt impoſſibilis, ſic non valet Poſitio.

4. Dixit Infidelis: Divina Sapientia ſcit, quòd DEUS ſit multùm recolibilis, intelligibilis & amabilis, & hoc in tantum, quòd ipſa ſcit, quòd Divina Voluntas diligat, quòd DEUS ſit tantum recolitus, intellectus & dilectus, quantum Poteſtas poteſt agere, quòd ipſe recolatur, intelligatur & diligatur; ſed cùm Poteſtas ſit idem cum Infinita-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nitate: ergo poteſt agere, quòd DEUS infinitè recolatur, & intelligatur & diligatur ergo poteſtas producit infinitas animas ab æterno, ut DEUS ab infinita multitudine recolatur, intelligatur & diligatur; quia nulla anima, cùm ſit finita, poteſt infinitè apprehendere DEUM: & ideo poteſtas agit, quantum poteſt; & quia non poteſt facere animam infinitam ad recolendum, intelligendum & diligendum DEUM, quia ſic faceret illam DEUM, quod eſt impoſſibile, ergo producit infinitam multitudinem finitarum animarum, ut ab illa infinita multitudine DEUS recolatur, intelligatur & diligatur: & ex hoc manifeſtè arguitur, quòd Reſurrectio ſit impoſſibilis; nam, cùm tota prima materia, de qua producuntur corpora generabilia & corruptibilia, ſit finita, eſt impoſſibile, quòd convertatur in infinita corpora hominum, quæ requirit prædicta infinitas animarum, ut quælibet anima juncta cum ſuo corpore ſint infiniti homines.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Sapientia attingit ſuam Voluntatem ſic volentem, quòd Divina Poteſtas poſſit tantum agere, quòd DEUS ſummè recolatur, intelligatur & diligatur, quin ſequatur ullum inconveniens vel impoſſibile inter Divinas Rationes vel Perfectiones; & ideo, ſi Voluntas DEI vult, quòd Poteſtas producat infinitam multitudinem animarum, vult, quòd producat ulteriùs, quàm Sapientia poſſit attingere; nam Sapientia non poteſt attingere aliquid aliud infinitum à ſe, ſicut nec attingit aliud æternum à ſe; nec per conſequens Poteſtas poteſt producere aliquid aliud infinitum à ſe; quia, ſi Infinitas produceret aliam infinitatem à ſe, neutra illarum eſſet infinita; ſed eſt impoſſibile, quòd Infinitati DEI aliquid deficiat: quare non valet Poſitio. Et poſito, quòd Poteſtas ita poſſet, ſequeretur adhuc aliud impoſſibile, videlicet, quòd Infinitas DEI produceret infinitum effectum, ſed Unitas Eſſentiæ DEI non produceret eum unum eſſentialiter; & ſic Divina Infinitas eſſet major, quàm Unitas, quod eſt impoſſibile, cùm ſint idem eſſentialiter: nec ipſa Unitas deficit ipſi Infinitati in non poſſe producere infinitum, quia ipſa Infinitas ût producens producit infinitum eſſentialiter unum cum ipſo infinito producente, ſicut ſuprà probatum eſt.

5. Ait Catholicus: convenit, quòd Divina Voluntas diligat id, per quod DEUS magìs participat cum ſuo effectu in Magnitudine Bonitatis Unitatis Juſtitiæ &c., ut DEUS plus poſſit agere in effectu, & ipſe effectus recipere; ſed, cùm DEUS ſit incarnatus, id eſt, factus verus Homo habens rationalem Animam & verum Corpus veri hominis, ſicut ſuprà probatum eſt, ergo, ut ille Homo DEUS ſit ſenſibilis tanquam verus Homo, convenit, quòd ſit Reſurrectio, ut in Patria ſentiendo illum DEUS, cum quo ille Homo eſt unitus, participet cum noſtris ſenſibus: ergo ſic convenit, quòd ſit Reſurrectio, ut noſtri ſenſus ſentientes illum, qui eſt DEUS, conſequantur ſuum ultimum Finem, ſicut anima conſequitur ſuum Finem recolendo, intelligendo & volendo & diligendo DEUM, qui eſt Finis omnium; ſed ſinè Reſurrectione non poteſt conſequi prædictus Finis ſenſuum, videlicet ille Finis, quem anima requirit de ſenſibus erga DEUM: ergo Reſurrectio eſt; aliàs Divina Voluntas in hoc repugnaret ſuæ Magnitudini in omnibus Divinis Rationibus; quod eſt impoſſibile.

Contra hoc dixit Infidelis: Divina Magnitudo non vult aliquid contra Magnitudinem Bonitatis Nobilitatis Gloriæ &c.: unde, ſi Reſurrectio eſſet, ſequeretur, quòd homo in Paradiſo comederet & biberet, & haberet carnalem acceſſum ad mulieres, & ex hoc naſceretur multa immunditia, quæ eſſet contra Nobilitatem Bonitatis: ergo Voluntas non debet velle talem immunditiam, nec per conſequens Reſurrectionem; nam, ſi Reſurrectio eſt, & aliquis eorum, qui reſurrexerunt, non bibat, nec comedat, nec cognoſcat mulieres, injuriabuntur guſtus & tactus; ut ergo Juſtitia non permittat, quòd fiat injuria hominibus circa ſenſus eorum, ſi Reſurrectio eſt, convenit, quòd utantur prædictis delectationibus, ex quibus oritur horribilis immunditia in conſpectu illius Hominis, quem Chriſtiani aſſerunt, quòd ſit DEUS, videlicet JESU Chriſti; quia, cùm ipſe ſit DEUS & Homo glorificatus, omnia turpia ſenſibilia latent ſuos ſenſus; & omnes, qui cum eo erunt glorificati, ſemper contemplabuntur eum facie ad faciem, cùm omnes ſenſus habeant in illo & per illum ſuum Finem: ergo Divina Voluntas vult, quòd non ſit Reſurrectio, ut Juſtitia non permittat, quòd fiat prædicta injuria ab hominibus ipſi Chriſto, & ne prædicta tam horribilis ſordities naſcatur in conſpectu illius, qui eſt mundiſſimus & puriſſimus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rissimus inter omnes creaturas, ût tu dicis; & sic non valet Positio.

6. Dixit Infidelis: naturaliter ultra sphæram ignîs non est locus aptus, ubi possit permanere corpus compositum ex elementis; nam omne, quod est supra sphæram illius ignîs, est plenum & indivisibile & infinibile; & ita ibi non potest esse nec recipi corpus extraneum, nec habere motum. Præterea supra sphæram ignîs non est aër; ergo homo resuscitatus ibi non poterit respirare. Præterea omne corpus elementatum habet has passiones, videlicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem & ponderositatem, & sic est corruptibile & mortale, & sic illud corpus non poterit permanere in perpetuum in Paradiso, & sic frustra est Resurrectio, cùm iterum debeat mori: ergo non convenit, quòd sit Resurrectio.

Contra hoc dixit Catholicus: DEUS non creavit creaturam quoad medium, in quo modò est creatura, ita, quòd non perveniat ad Finem, sed potiùs creavit creaturam quoad statum Finîs, & ita corpus glorificatum quoad se potest permanere in prædicto loco, & habere motum, anhelitum, temperamentum & cætera, quæ convenit esse in ejus qualitatibus; nec proprietates prædicti loci possunt impedire illud; nam, quia corpus est glorificatum, illius proprietates sunt ita proportionabiles omnibus proprietatibus locorum, quòd non rejiciant illud, nec possint impedire ejus motum, & sic non valet Positio; cùm Divina Potestas omne id reducat ad Finem, quod vult Divina Voluntas.

7. Ait Catholicus: si Resurrectio non est, nullum sensitivum nec sensibile potest habere suum Finem in DEO, nec etiam in aliqua separata substantia, cùm ipse DEUS & separatæ substantiæ sint insensibiles: ergo sensualia habent suum Finem in se ipsis, si Resurrectio non est: ergo sensualia sunt creata ad se ipsa, & non ad aliud, quod est falsum; quia Divina Bonitas creavit omnia ad se, & inclinavit omnia ad se tanquam Supremum Finem, ut Finis consequatur in Majoritate, & non in Minoritate: & ideo manifestè sequitur, quòd sit Resurrectio, ut sensualia consequantur suum Finem in DEO, qui est sensibilis in Homine sibi unito, ût suprà dictum est, qui Homo DEUS est Finis omnium sensualium, ut ea non sint sinè Fine, sed potiùs consequantur illam majorem Magnitudinem Finîs, quam Divina Sapientia in illis potest attingere, ut Divina Voluntas non deficiat in diligendo Magnitudinem Finîs sui effectûs, cùm Voluntas & Magnitudo sint unum idem.

Contra hoc dixit Infidelis: si convenit, quòd sit Resurrectio, ut sensualia consequantur Majoritatem Finîs, sicut arguis, sequitur, quòd omnia animalia bruta resurgant, ut videant DEUM Hominem, & in eo recipiant suum finem, quod est contra Christianam Sectam: etiam quòd plantæ resurgant, & fiant sentientes, & etiam substantia Cœli fiat sentiens, ut hoc modo sentiendo DEUM Hominem recipiant suum finem; sed, si non convenit, quòd hæc sensualitas propter Majoritatem Finîs resurgat, nec similiter convenit, quòd humana sensualitas propter Majoritatem Finîs resurgat; & sic non valet Positio.

8. Dixit Infidelis: Divina Bonitas est idem cum Magnitudine & Voluntate; unde, si alia Vita est, Voluntas diligit, quòd sint plures boni homines, quàm mali, cùm Voluntas sit idem cum Magnitudine Bonitatis; & ideo, si Voluntas ita diligit, convenit, quòd ita sit, & etiam necessariò convenit, quòd ita diligat; quia ejus Bonitas est eadem cum Magnitudine; sed per experientiam manifestè videmus, quòd sint plures mali; quàm boni, & fuerunt etiam semper, ac etiam illi, qui sunt mali, magìs intensè se habent ad malitiam, quàm boni ad bonitatem: quare est manifestum argumentum, quòd alia Vita non sit; quia, si alia Vita esset, plures homines essent boni, quàm mali, & boni etiam magìs boni, quàm mali mali, ut Bonitas & Voluntas habeant concordantiam in Magnitudine, & ne circa suum effectum sint otiosæ; manifestè autem videmus oppositum; ergo alia Vita non est, nec per consequens Resurrectio.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Bonitas & Voluntas concordant cum Magnitudine quoad Durationem Actûs Justitiæ puniendo illos homines in æternum, qui sunt mali, & remunerando bonos; etiam quoad Rationem Misericordiæ, exspectando eos ad veniam; & sic Bonitas & Voluntas non deficiunt in Magnitudine; & etiam „concordant cum Magnitudine in hoc, „quod est futurum, quia plures homines „erunt boni, quàm mali; & etiam boni erunt „magìs boni, quàm mali mali; & hoc pa„tet secundùm Divinas Rationes, quia Ac„tus cujuslibet earum hoc requirit quoad „finem,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

„finem, quare Mundus eſt creatus„; & ſic non valet Poſitio.

PARS VIII.
De Prædeſtinatione & Libero Arbitrio.

ULtima Pars Libri eſt de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio, & circa iſtam Partem dubitant multi Infideles, ita, quòd quidam eorum etiam affirment, quòd omnia eveniant inevitabiliter, alii verò non: igitur circa iſtam Partem procedit Catholicus ex utraque parte affirmativè, Infidelis verò quandoque ex utraque parte negativè, quandoque ex altera tantùm. Et primò Catholicus probat, quòd Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium ſint iſto modo.

1. Dixit Catholicus: hæc affirmatio eſt vera; Sapientia DEI eſt perfecta; & ſimiliter hæc affirmatio eſt vera: Juſtitia DEI eſt perfecta; & ex iſtis duabus affirmationibus probo, quòd Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium neceſſariò ſint; nam, cùm Sapientia DEI ſit perfecta, convenit, quòd omne id, quod ipſa attingit, inevitabiliter eveniat, ſicut ipſa attingit; & ſic eſt Prædeſtinatio, aliàs Sapientia non eſſet perfecta in ſuo intelligere, quod eſt impoſſibile. Hoc etiam ſimiliter ſequitur de Divina Juſtitia, nam, cùm Juſtitia ſit perfecta, convenit, quòd habeat perfectum agere, id eſt, perfectum juſtificare, ſicut Sapientia habet perfectum ſcire; ejus autem juſtificatio eſſet imperfecta, niſi juſtè judicaret pro malo ad pœnam, & pro bono ad gloriam; ſed non poteſt juſtè judicare, niſi per Liberum Arbitrium: ergo neceſſariò convenit, quòd ſit Liberum Arbitrium; nam aliter ejus juſtificatio in juſtè judicando eſſet imperfecta, quod eſt impoſſibile: ergo per prædicta manifeſtè patet, quòd prædeſtinatus per Prædeſtinationem neceſſariò ſalvabitur, cùm ſit impoſſibile, quòd Sapientia DEI ſit imperfecta, & neceſſariò habeat Liberum Arbitrium ad [illegible] poſſe ſalvari: cùm ſit impoſſibile, quòd Juſtitia DEI ſit imperfecta; nam Magnitudo æqualiter convenit Sapientiæ & Juſtitiæ DEI.

Contra hoc dixit Infidelis: eſt manifeſtum noſtris intellectibus, quòd iſtæ duæ negativæ ſint veræ: Liberum Arbitrium non eſt, quia Prædeſtinatio eſt; nam propter Prædeſtinationem convenit, quòd prædeſtinatus neceſſariò ſalvetur; & ubi eſt coactio neceſſitatis, ibi eſt nulla libertas: item Prædeſtinatio non eſt, quia Liberum Arbitrium eſt; nam ubi eſt libertas, ibi non eſt inevitabilitas, nec è converſo; & quòd Liberum Arbitrium ſit, hoc patet propter Actum Divinæ Juſtitiæ, & hoc etiam ſentimus in nobis, quia ſumus in libera potentia ad hoc vel ad illud; & ita neceſſariò patet, quòd alterum iſtorum neceſſariò non ſit, quia alterum eorum eſt, ſicut Prædeſtinatio non eſt, quia Liberum Arbitrium eſt, vel Liberum Arbitrium non eſt, quia Prædeſtinatio eſt; & ita patet, quòd neutrum eorum ſit; nam, ſi alterum illorum eſſet, ſic eſſet imperfecta vel Sapientia vel Juſtitia DEI, quod eſt impoſſibile: vel ſi ſunt ambo, ſic convenit, quòd Actus Juſtitiæ & Actus Sapientiæ DEI repugnent alter alteri, quod eſt impoſſibile, quia ſic eſſent in confuſione & limitatione: & ſic Magnitudo Bonitatis deficeret Divinæ Sapientiæ & Juſtitiæ, & etiam Divinæ Voluntati, Simplicitati, Perfectioni &c., quod eſt impoſſibile: ergo nec Prædeſtinatio neque Liberum Arbitrium eſt: ergo Poſitio eſt nulla.

2. Dixit Infidelis: in inferioribus potentiæ magìs ſe habent ad ſuum agere, quàm ad ſua objecta; ſicut viſus meliùs ſe habet ad videre, quàm ad coloratum, & intellectus ad intelligere, quàm ad intellectum &c.; hoc idem eſt de Dignitatibus DEI: nam Divina Bonitas meliùs ſe habet ad bonificare, quàm ad bonificatum, & Divina Sapientia ad intelligere, quàm ad intellectum, & Juſtitia ad judicare, quàm ad judicatum; & ratio hujus conſiſtit in hoc, quia actus eſt propinquior ipſi exiſtere, quàm objecto, quod eſt alienum ab eſſentia Dignitatis vel potentiæ agentis ſuper illud: unde manifeſtè patet, quòd Divina Sapientia magìs ſe habeat ad prædeſtinare in ſciendo, quàm ad prædeſtinatum, & Divina Juſtitia ad uſum libertatis in judicando, quàm ad utentem ipsâ libertate, ita, quòd nec ipſi Sapientiæ nec ipſi Juſtitiæ ſit cura de objectis, quia ſufficit eis, quòd in agendo habeant Concordantiam: unde ſequitur, quòd nec ſit prædeſtinatus nec utens libertate ſecundùm neceſſitatem, ſed potiùs ſecundùm contingentiam, ne propter eorum neceſſitatem Sapientia & Juſtitia DEI patiantur inter ſe ad invicem repugnantiam, quæ eſt impoſſibilis inter eas.

Contra hoc dixit Catholicus: Anima eſt forma corporis, & ita movet viſum ad viden-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

videndum, ut visus per videre attingat coloratum, & intellectus mediante illo colorato attingat phantasticè intellectum coloratum ad hoc, ut ex illo intellecto habeat intelligere, & ex illo intelligere habeat verbum phantasticum intellectum, in quo attingat similitudines DEI, ut per eas fruatur DEO, & hoc quidem quoad finem; nam objectum visibile est finis videndi, & objectum intellectuale vel spirituale est finis intelligendi, ût dictum est; & ideo non valet exemplum. Præterea in DEO se habent æqualiter Bonitas, bonificativum, bonificabile, bonificare, bonificatum; eodem modo sequitur de Divina Sapientia, Justitia &c.; & convenit, quòd hæc Æqualitas necessariò sit; nam aliter Magnitudo deficeret Divinæ Bonitati, Justitiæ &c., quod est impossibile, quod manifestè patet: nam, sicut DEUS se habet in existendo & agendo, sic similiter se habet in suo effectu, ita videlicet, quòd Sapientia DEI prædestinet, quia ipsa Voluntas DEI vult, quòd suum prædestinare sit perfectum, quod non esset perfectum, si haberet esse per contingentiam; hoc idem sequitur de Divina Justitia in suo justificare & justificato; nam, si suus justificatus esset per contingentiam, sic non esset remuneratio; & ideo est manifestum, quòd scire Sapientiæ, & judicare Justitiæ in hoc deficerent in Magnitudine Potestatis Bonitatis &c., quod est impossibile: & etiam ex hoc, quòd judicare & scire Justitiæ & Sapientiæ DEI non possent se perfectè habere ad suum objectum, quia per contingentiam se haberent ad illud, sequeretur, quòd ipsum scire & ipsum judicare per contingentiam reducerent suum objectum ad Finem, ita, quòd ipsum scire Sapientiæ & judicare Justitiæ essent per contingens, quod est impossibile: & ideo non valet Positio.

3. Ait Catholicus: est manifestum, quòd Divina Sapientia multò meliùs attingat prædestinationem, quàm noster intellectus, & similiter Divina Justitia multò meliùs attingat Liberum Arbitrium, quàm noster intellectus, quia Sapientia & Justitia immediatè attingunt, nos autem mediante verbo phantastico; & ideo, quando affirmando dicimus: *Prædestinatio est, quia Sapientia DEI est perfecta;* &: *Liberum Arbitrium est, quia Justitia DEI est perfecta,* convenit, quòd hæ duæ affirmativæ necessariò sint veræ, ut Sapientia & Justitia DEI verè attingant suum objectum: cùm autem negando dicimus: *Liberum Arbitrium non est, quia Prædestinatio est;* &: *Prædestinatio non est, quia Liberum Arbitrium est,* istæ duæ negativæ sunt falsæ, quia contradicunt prædictis duabus affirmativis, quæ, ût dictum est, necessariò debent esse veræ, ut scire DEI & suum judicare sint vera, cùm ipsa veraciter sint unum idem in DEO; & ratio, quare prædictæ duæ negativæ sint falsæ, est, quia de supradictis duabus veris affirmativis prod[illegible]imus irrationabiliter contra rem existentem veram, quia implicamus eas contra veritatem rei deficientes secundùm Rationem, in qua non possumus tantum attingere, quanta est realitas objecti; sed quia ita est, quòd plus intelligamus affirmando, quàm negando, & concordemus cum Divinis Rationibus, si affirmamus in hoc proposito, & contrariemur eisdem, si negamus, ideo affirmandum est, quòd Prædestinatio & Liberum Arbitrium necessariò sit, & quòd contradictorium cujuslibet istorum sit negandum.

Contra hoc dixit Infidelis: est manifestum, quòd ex ista affirmatione: *Prædestinatio est*, oriatur hæc negatio: *Liberum Arbitrium non est*, sicut consequens de suo antecedente; & quia antecedens propter Divinam Sapientiam est verum, necessariò convenit, quòd consequens propter veritatem sui antecedentis sit verum; nam, si consequens est falsum, convenit, quòd antecedens sit falsum; & si istud consequens est verum, antecedens necessariò est verum; aliàs ex veritate simpliciter oriretur falsitas, quod est impossibile: & quia propter Perfectionem Divinæ Sapientiæ est impossibile, quòd istud antecedens sit falsum: *est Prædestinatio;* ergo est impossibile, quòd istud consequens sit falsum: *Liberum Arbitrium non est;* & sic ista negatio nunc dicta, & ipsa affirmatio, ex qua oritur, sunt ambæ veræ, & quia sunt ambæ veræ, necessariò convenit, quòd istud consequens sit falsum: *Prædestinatio non est;* & hoc dupliciter, primò, quia ejus contradictorium est necessariò verum, ût probatum est; & iterum, quia ejus antecedens est falsum: *Liberum Arbitrium est*, quia ejus contradictorium est necessariò verum, ût probatum est: vel, si sit è contrario, videlicet, quòd propter Perfectionem Divinæ Justitiæ istud antecedens sit verum: *Liberum Arbitrium est;* istud consequens necessariò erit verum: *Prædestinatio non est;* & arguetur

tur eodem modo, ſicut de ſupradicto antecedente & conſequente, ita quòd neceſſariò ſequatur: ſi Prædeſtinatio eſt, Liberum Arbitrium non eſt; vel: ſi Liberum Arbitrium eſt, Prædeſtinatio non eſt, vel quòd Prædeſtinatio eſt & non eſt, & Liberum Arbitrium eſt & non eſt; hoc autem eſt manifeſta contradictio: quare non valet Poſitio.

4. Dixit Infidelis: ſi Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium ſunt realiter, ſic ſequitur, cùm Prædeſtinatio ſit major ratione Divinæ Sapientiæ, quàm ratione Divinæ Juſtitiæ, & Liberum Arbitrium ſimiliter majus ratione Divinæ Juſtitiæ, quàm Divinæ Sapientiæ, ût per ſe patet, quòd Sapientia ſit Finis Prædeſtinationis, non autem Juſtitia; & Juſtitia ſimiliter ſit Finis Liberi Arbitrii, non autem Sapientia; hoc autem eſt impoſſibile, cùm Divina Sapientia & Juſtitia ſint unum idem, ita quòd Sapientia eſt ipſa Juſtitia, & ipſa Juſtitia eſt ipſa Sapientia, & eſt impoſſibile, quòd alia non ſit id, quod eſt alia: ergo eſt impoſſibile, quòd Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium ſint realiter, ſed tantùm in noſtris rationibus.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Sapientia & Juſtitia ſunt unum idem numero, & alia id, quod alia, cùm quælibet ſit infinita in Unitate unius Deitatis, & in Ratione cujuslibet & omnium Dignitatum; nam, niſi ſic eſſet, quælibet eſſet limitata in alia, quod eſt impoſſibile: igitur eſt manifeſtum, quòd ſint unum idem, & alia etiam idem, quod alia, & quod omnes, & è converſo: ergo Prædeſtinatio, quæ eſt DEUS, & Libertas, quæ eſt DEUS, ſunt unum idem numero, & alia etiam ipſarum idem, quod alia in Infinitate Bonitatis &c.; & ex hoc manifeſtè patet, quòd Prædeſtinatus in tantum utatur Libero Arbitrio ſub Ratione Sapientiæ DEI, in quantum ſub Ratione Juſtitiæ DEI, & è converſo; & utens libertate eſt in tantum prædeſtinatus ſub Ratione Juſtitiæ DEI, in quantum ſub Ratione Sapientiæ DEI, ita quòd Sapientia DEI eſt æqualiter Finis prædeſtinati & utentis Libero Arbitrio, & Juſtitia eodem modo, & ſimiliter omnes Dignitates; ſed quia noſter intellectus eſt diſtinctus à noſtra libertate, ita, quòd non ſunt unum idem numero, ſicut in DEO, videtur nobis ſecundùm deficientem rationem noſtri intellectûs, quòd Cauſa prædeſtinati & Cauſa usûs Liberi Arbitrii ſint cauſæ diſtinctæ alia ab alia, ita, quòd Sapientia ſit Cauſa prædeſtinati, ita, quòd non Juſtitia, & Juſtitia Cauſa usûs Liberi Arbitrii, ita, quòd non Sapientia, ſic, quòd de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio falſo modo judicamus ſecundùm falſam phantaſiam noſtri intellectûs; & ita non valet Poſitio.

5. Ait Catholicus: eſt manifeſtum, quòd aliud verbum ſit illud, per quod attingimus Prædeſtinationem, & aliud verbum ſit illud, per quod attingimus Liberum Arbitrium; nam illud eſt abſtractum & conſtitutum de ſimilitudinibus Sapientiæ DEI, & de Magnitudinibus ejus, iſtud verò de ſimilitudinibus Juſtitiæ DEI, & de Magnitudinibus ejus; & ideo, dum intelligimus Prædeſtinationem, tunc intelligimus, quòd illa ſit, quia attingimus veras ſimilitudines Divinæ Sapientiæ; eodem modo, quando intelligimus Liberum Arbitrium, tunc intelligimus, quòd illud ſit, quia ſimiliter attingimus veras ſimilitudines Divinæ Juſtitiæ; & ideo neceſſariò concluditur, quòd Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium ſint, quia ſimilitudines tam hujus verbi, quàm illius ſunt acceptæ neceſſariò veræ: ſed, quia quandoque in uno iſtorum verborum volumus intelligere id, quod in alio ipſorum verborum intelligitur propriè ſecundùm proprietatem ſimilitudinum ab illo verbo acceptam, fallimur, acſi vellemus videre in voce, & audire in colore, quod eſt impoſſibile: & ſic iſta veritas ſtat ex parte objectorum, videlicet Prædeſtinationis & Liberi Arbitrii; ſi autem volumus illa objecta ineptè & eodem modo (quod non decet) accipere, fallimur; hæc autem falſitas non provenit ex parte objectorum, quia ſunt vera, ſed ex noſtro indebito & falſo modo accipiendi ea; & ita negamus Prædeſtinationem & Liberum Arbitrium, ſicut guſtus infirmus negat, quòd pomum dulce ſit dulce.

Contra hoc dixit Infidelis: eſt impoſſibile, quòd noſter intellectus accipiens vero modo ſimilitudines DEI producat duo verba in contrarium, quia ipſæ ſimilitudines abſtractæ à Dignitatibus DEI ſic eſſent in contrario, & per conſequens non eſſent ſimilitudines, ſed potiùs diſſimilitudines, quia inter Divinas Rationes eſt nulla contrarietas; & ideo cùm Divina Sapientia ſit omninò idem in DEO, quod ipſa Juſtitia, & è converſo: ergo nihil eſt ita proprium alicui prædictorum verborum, quin ſit in tantum proprium alteri eorum; & ſic per verbum generatum ex ſimilitudinibus Sapientiæ poſſumus intelligere ſimilitudines Juſtitiæ,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& è converso; & sic non possumus deficere in modo accipiendi prædicta objecta : & ideo non valet Positio.

6. Dixit Infidelis: contradictio & inconveniens sunt impossibilia in DEO, ut Magnitudo non deficiat omnibus Divinis Rationibus; sed, si Prædestinatio & Liberum Arbitrium sunt, est manifestum, quòd contradictio & inconveniens manifestè implicentur in DEO; quod patet isto modo: Sapientia scit, quòd prædestinatus necessariò salvabitur; igitur, si Liberum Arbitrium est, sic Sapientia scit, quòd prædestinatus fortè salvabitur, & fortè non, quia potest damnari ratione Justitiæ, & hoc modo Sapientia scit, quòd idem sit verum, & non verum, quod manifestè est contradictio, quæ est impossibilis in DEO: ergo Prædestinatio est, ita, quòd non Liberum Arbitrium, vel Liberum Arbitrium, ita, quòd non Prædestinatio, vel neutrum ipsorum, ut non sequatur contradictio; quòd autem alterum ipsorum tantùm non possit esse, manifestè patet, quia sic sequeretur inconveniens vel ex parte Rationis Justitiæ vel Sapientiæ; quod est impossibile: ergo alterum eorum tantùm non est; nec utrumque, quia sequeretur prædicta contradictio in DEO, quod est impossibile: ergo est impossibile, quòd sit Prædestinatio & Liberum Arbitrium.

Contra hoc dixit Catholicus: Divina Sapientia scit ratione suî, quòd prædestinatus necessariò salvabitur, illo habente Liberum Arbitrium ad posse damnari, nec sequitur contradictio nec inconveniens; quod patet isto modo: quando Divina Sapientia scit, quòd prædestinatus necessariò salvatur, ipsa scit hanc Necessitatem simpliciter quoad Rationem suî *scire* perfecti in Bonitate, Magnitudine &c.; sed illa Necessitas non cogit illum, qui est Prædestinatus, quia scit, quòd habeat Liberum Arbitrium ex parte suî, ut per Liberum Arbitrium se inclinet ad agendum id, per quod Justitia in eo justificat; & sic non sequitur contradictio, quia non provenit ex eadem parte; & hoc manifestè patet; quia Sapientia determinatè attingit futurum *Terminum* hominis, homo verò non; & sic homo ex parte Sapientiæ DEI est prædestinatus vel præscitus, ex parte suî verò nec prædestinatus nec præscitus, sed indifferenter, id est, liberè ad hoc vel ad aliud movetur ad *Terminum*, quem Sapientia de ipso scit, & in quo Justitia eum judicat, ipso Prædestinato habente in potentia facere malum quoad materiam, & in habitu quoad formam, sed non vult illud reducere ad actum, sed ejus oppositum, quod similiter est ei in potentia & in habitu, ut habeat libertatem; & sic non valet Positio.

7. Ait Catholicus: Divina Sapientia attingit suam Potestatem majorem, si Divina Potestas potest facere hoc, quod *scire* ipsius Sapientiæ scit justum & perfectum, scilicet, quòd sit Prædestinatio & Liberum Arbitrium, quàm si non potest facere, quòd ipsum scireSapientiæ sit justum & perfectum in eo, quòd Prædestinatio & Liberum Arbitrium sint; & quia necessariò convenit, quòd illud sit verum, per quod Sapientia attingit suam Potestatem majorem, ut in Magnitudine Potestatis non deficiat: ergo necessariò convenit, quòd Prædestinatio & Liberum Arbitrium sit, quia Sapientia per Prædestinationem & Liberum Arbitrium attingit suam Potestatem majorem, ût suprà dictum est, & etiam Voluntas & cæteræ Dignitates; aliàs Magnitudo Potestatis deficeret Sapientiæ in sciendo, & Voluntati in volendo &c.; quod est impossibile: ergo est Prædestinatio & Liberum Arbitrium.

Contra hoc dixit Infidelis: illud non est Magnitudo Potestatis, quod est contra Sapientiam DEI; sed scire, quòd prædestinatus possit damnari, vel quòd præscitus possit salvari, est contra Sapientiam DEI in hoc, quia majus *scire* est ipsi Sapientiæ, quòd prædestinatus nullo modo possit damnari, postquam ipsa scit eum prædestinatum, nec præscitus possit aliquo modo salvari, postquam scit eum præscitum, quàm si prædestinatus possit damnari, & præscitus salvari; quia istud posse jam diminuit de *scire* ipsius Sapientiæ, si prædestinatus aliquo modo possit damnari, & præscitus aliquo modo salvari: & ideo non valet Positio.

8. Dixit Infidelis: cùm secundùm Christianam Sectam DEUS creavit hominem ad Imaginem & Similitudinem suam super omnia animantia, & constituerit ipsum de suis similitudinibus, quæ sunt bonitas, magnitudo, duratio &c., probo, quòd Liberum Arbitrium non sit, isto modo: in DEO est Intellectus, scilicet Sapientia, & in homine similiter est intellectus, quem DEUS creavit in illo; igitur est magna similitudo inter Divinum Intellectum & humanum intellectum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tellectum: ergo, ſi Liberum Arbitrium eſt in homine, ſic eſt contrarium illi ſimilitudini, quæ eſt inter Divinum Intellectum & humanum: ergo prædicta ſimilitudo eſt minor, quàm ſimilitudo, quæ eſt inter DEUM & cætera animantia, quæ non habent Liberum Arbitrium; quia iſta eſt ſinè contrarietate, illa verò cum contrarietate, quia Liberum Arbitrium repugnat Perfectioni Divinæ Sapientiæ in hoc, quòd prædeſtinatus per Liberum Arbitrium poteſt damnari, & etiam poteſtas humanæ voluntatis per Liberum Arbitrium contradicit Poteſtati DEI, quia humana voluntas per libertatem nulli eſt ſubdita; & ſic Divina Poteſtas eſt limitata, quia non poteſt eam cogere; ſed eſt impoſſibile, quòd Divina Poteſtas ſit limitata, & etiam eſt impoſſibile, quòd ſit repugnantia inter Divinas Rationes & earum ſimilitudines: ergo eſt impoſſibile, quòd Liberum Arbitrium ſit aliquid reale.

Contra hoc dixit Catholicus: concedo, quòd DEUS creando ſibi aſſimilaverit hominem in tantum, in quantum homo ejus ſimilitudines potuit recipere, ita, quòd, ſicut Divinus Intellectus, videlicet Divina Sapientia ſibi aſſimilavit humanum intellectum, & Divina Voluntas humanam voluntatem, ita eodem modo Divina Libertas ſibi aſſimilaverit humanam libertatem in tantum, in quantum homo eam potuit recipere; homo autem eſt finitus: ergo homo non potuit recipere infinitam libertatem; ergo humana voluntas neceſſariò utitur finitâ libertate, & recipit illam ſub ea Ordinatione & Regula, ut homo eſſet multùm ſimilis DEO in bene agere, qui de tota ſua infinita Bonitate liberè ſe convertit ad bene agendum, ût ſuprà probatum eſt; libertas autem non eſt creata humanæ voluntati, ut repugnet Divinis Perfectionibus; & ideo non valet Poſitio: Sed quia homo fuit nihil, & modò eſt aliquid, non poteſt exuere iſtam naturam, quòd non fuerit nihil; & ſic habet inclinationem ad nihil, unde eſt productus; & in quantum ſe inclinat ad nihilum, in tantum ſe elongat à DEO, qui eſt Summum Quid, quod creavit ipſum hominem, ut multùm accederet ad ipſum DEUM, agendo de ſimilitudinibus ipſius DEI, quas creativè dedit homini ad multùm fruendum DEO; dum autem declinat ad nihilum propter prædictam inclinationem, quam habet, tunc pervertuntur omnes ſimilitudines, quas homo habet à DEO, in oppoſitum Divinæ Fruitionis, quia ſimiliter declinant ad nihilum, quod eſt oppoſitum Summi Entis; & in agendo hoc ipſæ non ſunt ſimilitudines DEI, ſed potiùs diſſimilitudines; hanc inclinationem autem habet homo per ſe, ſicut dictum eſt, non autem habet illam à DEO; & inde habet potentiam ad hoc ex ſuo Libero Arbitrio, Liberum Arbitrium verò habet à DEO, quia eſt ſimilitudo ejus, ût ſuprà dictum eſt; nec habet hanc potentiam ex ſuo Libero Arbitrio, ut adducat malum ad actum, ſed potiùs, ut abſtineat ab illo actu, acquirendo inde bonum, quod eſt virtus & meritum per virtutem. Nec ſequitur, quòd poteſtas humanæ voluntatis propter ſuam libertatem repugnet Divinæ Poteſtati, quia, ſi Voluntas Divinæ Poteſtatis vellet, eſſet nulla voluntas nec libertas alia à Voluntate & Libertate DEI; ſed, quia DEUS in ſumma Excellentia eſt honorabilis & amabilis, eſſet inconveniens Poteſtati Divinæ Voluntatis, Bonitatis &c., quòd homo coactè diligeret & honoraret DEUM, cùm inde ſit major Nobilitas & DEI & hominis, ſi ipſe cognoſcit & diligit & honorat DEUM ex propria libertate; & ſic non valet Poſitio.

Explicit iſte Liber Catholici & Infidelîs ad Honorem & Gloriam Omnipotentis DEI & Glorioſæ Beatæ MARIÆ Virginis, in quorum Protectione & Cuſtodia ſit iſte Liber, qui eſt editus ad Laudem & Exaltationem Nominis Domini JESU Chriſti.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER QUI EST DISPUTATIO RAYMUNDI CHRISTIANI ET HAMAR SARACENI.

DEUS cum tua gratia & benedictione *incipit Liber Disputationis Raymundi Christiani, & Hamar Saraceni.*

DE PROLOGO.

Dicitur, quòd quidam Homo Christianus Arabicus, cujus nomen erat RAYMUNDUS, qui diu laboravit, ut Infideles venirent ad Sanctam Catholicam Fidem, & ut Terra Sancta, in qua noster Dominus JESUS Christus fuit vivus & passus, recuperaretur à Saracenis colentibus Mahometum, qui dixit suo populo: in DEO non est Trinitas, nec Christus est DEUS; qui prædictus Raymundus ivit ad quandam civitatem Saracenorum, cujus nomen erat Bugia, in qua ipse prædicando & laudando sanctam Catholicam Fidem, in platea à Saracenis fuit captus, percussus & in carcerem positus: dum Raymundus sic stabat in carcere, frequenter veniebat ad eum quidam literatus Saracenus, qui vocabatur Hamar, cum aliis Saracenis, ad disputandum cum eo de Fide ex parte præcepti Episcopi Saracenorum, qui dicebatur esse magnus literatus, ipsis opinantibus, Raymundum deducere ad Fidem Mahometi.

Dum diu sic disputaverunt inter se, Hamar intendebat concludere philosophicè, quòd Trinitas & Incarnatio in DEO sint impossibiles; cui Raymundus dixit, quòd ambo facerent unum *Librum de Disputatione*, in quo Saracenus faceret fortiores Rationes, quas ipse posset invenire, contra Trinitatem & Incarnationem, & quòd Christianus destrueret illas, probando, quòd in DEO sit Trinitas & Incarnatio, & quòd facto Libro ipse transmitteretur Summo Pontifici & Reverendis Cardinalibus, & Episcopo Saracenorum & etiam literatis Saracenis, & Saracenus consensit in hoc; sed dixit, quòd ipse vellet primò incipere, quia ipse faceret tales Rationes, contra quas Christianus rationabiliter nihil posset dicere.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

De Divisione hujus Libri.

ISte Liber dividitur *in tres Partes.*

Prima est de Positione & Disputatione Saraceni.

Secunda est de Positione & Disputatione Christiani.

Tertia est de Fine vel Ordinatione, propter quem iste Liber est factus.

In prima Parte ponit Saracenus decem & octo Principia; cum quibus intendit destruere Legem Christianorum.

In secunda Parte ponit Christianus eadem Principia, cum quibus intendit destruere Legem Saracenorum; nam probatis Trinitate & Incarnatione Lex Christianorum erit vera, & Lex Saracenorum erit destructa & falsa.

In tertia Parte ambo ordinant, ut Liber transmittatur Majoribus, ut ipsi videant, quis eorum deducat fortiores Rationes contra Legem alterius.

INCIPIT PARS I. DE Positione & Disputatione Saraceni.

1. DIxit Saracenus: DEUS altus & sublimis habet septem Conditiones sibi essentiales, cum quibus convertitur, & sinè illis non potest esse; quæ sunt hæ: videlicet *Entitas necessaria*, per quam DEUS est Ens necessarium; *Unitas*, per quam DEUS est unus; *Singularitas*, per quam DEUS est singularis; *Infinitas*, per quam DEUS est infinitus; *Æternitas*, per quam DEUS est æternus; *Simplicitas*, per quam DEUS est simplex; *Vita*, per quam DEUS est vivus: omnes istæ septem prædicantur de DEO tali modo, quòd subjectum & prædicatum convertantur, sicut definitio & definitum; & talis conversio non invenitur, nisi in solo DEO.

2. Ait Saracenus: nos attribuimus DEO undecim Qualitates, quæ sunt hæ: videlicet *Bonitas, Magnitudo, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Justitia* & *Misericordia;* sed non dicimus, quòd istæ sint essentiales DEO; & hoc intendo probare in *secunda Parte:* nec dico, quòd sint substantiales nec accidentales; non sunt substantiales, quia substantia non existit nisi mediantibus formâ & materiâ, ex quibus est composita; & quia in DEO non potest esse compositio ratione suæ infinitæ Simplicitatis, ideo non sunt substantiales: non sunt accidentales; nam accidens non existit per se, ratione cujus ipsum est imperfectum; & quia Essentia DEI est remota & denudata ab omni imperfectione, inde patet, quòd in DEO non sint accidentales: ergo sunt altiores, quàm substantia & accidens, ut in Essentia DEI sustententur & radicentur, ut DEUS cum ipsis agat in creaturis multò meliùs, sicut substantia, quæ cum suis accidentibus agit in suo effectu.

Posito, quòd prædictæ Qualitates in DEO non sint substantiales nec accidentales, sequitur, quòd DEUS non sit trinus nec incarnatus; & istum modum intendo tenere in *secunda Parte.*

CAPUT I. *De Entitate Necessaria.*

1. DIxit Saracenus: DEUS est Ens necessarium in tantum, quòd aliter se non potest habere; & hoc probo sic: omne Ens infinitum & æternum est necessarium; sed DEUS est Ens infinitum & æternum, ergo DEUS est Ens necessarium: Major est manifesta per se, minorem probo sic: si enim DEUS non est infinitus & æternus, jam esset quantus & novus; & de tali DEO non intendo concludere, nec teneo ipsum pro DEO, quia est effectus; sed de DEO illi præjacente per infinitatem & æternitatem, sinè quibus nullus effectus potest esse: unde per hoc demon-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

demonſtratur, quòd DEUS ſit Ens neceſſarium.

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit Ens ne-
a. ceſſarium; cum Ente verò neceſſario nullum ens non neceſſarium poteſt converti; Chriſtiani autem dicunt, quòd Filius DEI ſit DEUS, & Sanctus Spiritus ſit DEUS, & quòd ipſi ad invicem convertantur cum Pa-
b. tre per Eſſentiam; & quia Filius eſt neceſſitatus à Patre, quia eſt genitus ab illo, jam non eſt neceſſarius per ſe, ſed per Patrem; & ſic poteſt dici de Sancto Spiritu procedente ab utroque: nec etiam Pater per ſe eſt Ens neceſſarium, quia non poteſt eſſe ſinè Filio & Sancto Spiritu; nam relativè ſe habent: & ideo patet, quòd Trinitas in DEO ſit impoſſibilis, aliter implicaretur contradictio, videlicet, quòd DEUS ſit Ens neceſſarium, & non neceſſarium; quod eſt impoſſibile.

3. Chriſtiani dicunt, quòd Filius DEI ſit
a. incarnatus; poſito, quòd ipſe ſit DEUS (ût ipſi dicunt) ipſe non poteſt incarnari, & arguo ſic: nullum Ens neceſſarium infinitum & æternum poteſt eſſe ens non neceſſarium; Filius DEI eſt Ens neceſſarium infinitum & æternum, ergo non poteſt incarnari. Major eſt manifeſta per ſe, minorem autem ſic declaro: Chriſtus Homo non eſt neceſſarius,
b. nam homo eſt homo creatus, quantus & novus; ens autem creatum, quantum & novum non poteſt eſſe Ens increatum & infinitum & æternum: ergo probatum eſt, quòd DEUS non poſſit incarnari.

CAPUT II.
De Unitate.

1. AIt Saracenus: omne Ens exiſtens unum
a. per infinitam & æternam Unitatem eſt ſeparatum & denudatum ab omni pluralitate; ſed DEUS eſt Ens exiſtens unum per infinitam & æternam Unitatem, ergo DEUS eſt ſeparatus & denudatus ab omni pluralitate. Majorem ſic declaro: Ens unum exiſtens unum infinitè & æternaliter, eſt oppoſitum pluralitati, & è converſo, ſicut unus homo non eſt multi homines, nec è converſo; minorem ſic probo: ſi DEUS non eſſet Ens unum infinitè & æternaliter, ſequeretur, quòd eſſent plures Dii, & ſic unus terminaret alium; quod eſt impoſſibile: ergo concluditur, quòd DEUS ſit ſeparatus & denudatus ab omni pluralitate vel Trinitate.

2. Nullum Ens exiſtens unum infinitè &
b. æternaliter eſt conjunctum cum alio ente infinito & æterno; nam ſi eſſet conjunctum, quodlibet eſſet infinitum & finitum & terminatum; quod eſt manifeſta contradictio: ſed tu Chriſtiane dicis, quòd unus ſit Pater infinitus & æternus, alius unus ſit Filius infinitus & æternus, & alius unus ſit Sanctus Spiritus infinitus & æternus, & omnes iſti tres ſint unus DEUS infinitus & æternus, & ſic in DEO implicas contradictionem; nam in ente, in quo eſt infinita & æterna Unitas, non poteſt eſſe infinita & æterna alietas, per quod demonſtratur, quòd in DEO non ſit Trinitas.

c. Iterum dixit Saracenus: tu dicis, quòd Pater ſit DEUS, & Filius ſit DEUS, & Sanctus Spiritus ſit DEUS, & unus iſtorum non ſit alius, & ſic dicis, quòd ſint tres Dii differentes numero; quod eſt contradictio: ergo in DEO non eſt Trinitas.

d. Item dico, quòd, quia tu ponis differentiam Perſonarum in DEO, ideo ſequeretur, quòd eſſent differentiæ in ſuis Rationibus, ita, quòd una non eſſet alia; & ſic eſſent in ipſis accidentia; ſicut Entitas neceſſaria, quæ non eſſet per ſe una, ſingularis, infinita & æterna &c., ſed per accidens; videlicet eſſet una per Unitatem, & ſingularis per ſingularitatem &c., & è converſo; quod eſt falſum & impoſſibile, quia in Rationibus DEI nullum accidens poteſt eſſe: unde patet, quòd in DEO nec per differentiam nec aliquo modo poſſit eſſe Trinitas; ſed tu in tua anima ponis differentias Divinarum Rationum, ſed extra tuam animam non ſunt in illo multæ realiter; ſed nos facimus reſpectu creaturarum dicendo ſic: DEUS habet bonitatem, quia creat bonum, & habet magnitudinem, quia creat magnum, & habet poteſtatem, quia creat potentem, & ſic de aliis.

e. Quando dicis, quòd differentia conſiſtat in correlativis perſonalibus, & dicis, quòd illa ſint eſſentialia & conſubſtantialia & coëſſentialia &c., inde ſequitur, quòd differentia tranſeat in ſubſtantiam & eſſentiam & æternitatem, multiplicando multas ſubſtantias, eſſentias, æternitates &c.; quod eſt impoſſibile: & ſic implicas contradictionem, & deſtruis Divinam Unitatem, quæ eſt infinita & æterna.

3. Nullum Ens exiſtens unum, infinitum
a. & æternum poteſt eſſe conjunctum cum uno homine finito & novo & compoſito ex

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diversis essentiis; nam sicut est impossibile, quòd unus lapis conjungatur cum planta aut leone, sic & multò meliùs est impossibile, quòd Ens unum infinitè & æternaliter conjungatur cum uno homine finito &c.: & ideo patet, quòd DEUS non sit incarnatus.

b. Præterea, quando dicis, quòd DEUS sit incarnatus cum una humana Natura, dico, quòd melius esset, quòd ipse esset incarnatus cum pluribus.

CAPUT III.
De Singularitate.

1. & 2. Dixit Saracenus: omnis infinita & æterna Singularitas ponit, quòd non sit nisi unum Ens singulare infinitum & æternum; sed DEUS est hujusmodi, ergo in DEO non est Trinitas sive pluralitas. Major est manifesta per se, minorem autem probo sic: Phi-
a. losophus ponit unam primam singularem causam, & hoc idem asserunt omnes Leges; nam sic dicunt, & multò meliùs, quòd sit unus & singularis DEUS, sicut est unus singularis mundus, & unus Sol, & unus ignis, & una albedo &c.: ergo concluditur, quòd in DEO non sit Trinitas.

3. Nullum Ens infinitè & æternaliter sin-
a. gulare potest conjungi cum homine, qui non est singularis nec infinitus nec æternus,
b. sicut de ratione calidi est, quòd non conjungatur cum frigido, nec bonus cum malo; sed DEUS est hujusmodi, ergò concluditur, quòd sit impossibile, quòd DEUS incarnetur.

c. Iterum, posito, quòd DEUS esset incarnatus in uno homine, jam non sufficeret unus singularis homo, nec duo, nec mille, nec numerus infinitus, cùm DEUS sit Ens infinitum: & sic patet, quòd sit impossibile, quòd DEUS incarnetur.

CAPUT IV.
De Infinitate.

1. NUllum infinitum Ens est multa, nam
a. infinitum Ens non potest limitari per aliud; aliter enim infinitum esset multa infinita, & non multa infinita; quod est contradictio: sed DEUS est hujusmodi, ût per me & te est concessum, igitur patet, quòd DEUS non sit multa, sive quòd in DEO non sit Trinitas.

2. Præterea, tu dicis, quòd Pater infinitus
b. generet Filium infinitum, & ab utroque procedat Sanctus Spiritus infinitus: unde sequitur, quòd, si Pater est infinitus, possit generare infinitos filios, & Filius possit esse Pater, & generare infinitos filios; & sic potest dici de Sancto Spiritu; nam in infinita Essentia non est aliquid impediens potestatem infinitæ Personæ; nam infinita potestas est communis utrique Personæ: & sic inde sequitur, quòd in DEO erunt infinitæ Personæ, & non tres tantùm, secundùm quòd tenet Lex Christianorum.

c. Item nullum Ens producens de se ipso infinitum ab æterno & in æternum potest remanere infinitum, quia evacuaret & annullaret se de sua essentia; tu autem dicis, quòd Pater producat Filium ab æterno & in æternum, ergo ponis, quòd Pater evacuet se producendo Filium, & etiam Filius spirando Sanctum Spiritum: unde sequitur, quòd solus Sanctus Spiritus remaneat infinitus & æternus: ergo in DEO non est Trinitas.

3. Nullum Ens infinitum & æternum est
a. dispositum nec proportionatum, quòd uniatur cum ente finito & novo; ratio hujus est, quia inter infinitum & finitum, & æternum & novum nulla est proportio: unde patet, quòd sit impossibile, quòd DEUS incarnetur.

CAPUT V.
De Æternitate.

1. & 2. IN illa Æternitate, in qua non est generare & spirare, non est Trinitas, nam gene-
a. rare & spirare sunt actus includentes in se agentem & patientem, nam relativè se habent; adhuc etiam includunt in se tempus & motum & successionem & hujusmodi; sed omnia ista sunt remota ab æternitate, sicut finitum est remotum ab infinito; sed ego & tu concedimus, quòd DEUS sit æternitas, ergo est manifestum, quòd in DEO non sit Trinitas.

b. Convenit, quòd omne Ens æternum habens actum, habeat illum in fieri, aut in facto esse; nam actus non potest esse sinè successione & termino à quo & ad quem; nullum autem istorum est de ratione æternitatis, sed de ratione temporis & novitatis; sed ambo concedimus, quòd DEUS sit æternus, ergo patet, quòd in DEO non sit Trinitas.

c. Iterum in nullo Ente æterno, in quo non sunt principium, medium & finis, est Trinitas; nam principium est divisum à medio

(c) 2006 Ministerio de Cultura

medio & fine, & è converſo; ſed iſta non ſunt de ratione æternitatis, & DEUS eſt æternus, ergo patet, quòd in DEO non ſit Trinitas.

3. Nullum æternum, quod non poteſt eſſe illud, quod non eſt, poteſt incarnari; ratio hujus eſt, quia Ens, quod eſt ab æterno, non poteſt eſſe hoc, quod non erat, aliàs illud Ens non eſſet ab æterno; ſed DEUS eſt Ens æternum &c., ergo DEUS non poteſt incarnari.

CAPUT VI.
De Simplicitate.

1. & 2. Ait Saracenus: Nullum Ens ſimplex infinitè & æternaliter habet Trinitatem; ſimplex enim non includit in ſe Tri-
a. nitatem; nam ideo dicitur ſimplex, quia eſt ſinè pluralitate, aliter enim eſſet cum pluralitate & compoſitum; ſed DEUS eſt Ens ſimplex infinitè & æternaliter, ergo manifeſtum eſt, quòd in DEO non ſit Trinitas.

b. In Ente ſimplici infinitè & æternaliter, in quo non ſunt prius & poſterius, non eſt Trinitas; nam Ens ſimplex non habet in ſe prius & poſterius, aliàs eſſet compoſitum ex iſtis; prius enim & poſterius non ſunt idem, quia eſſet compoſitum ex iſtis; ſed DEUS eſt Ens ſimplex infinitè & æternaliter, ergo prius & poſterius non ſunt in DEO, quia ſunt oppoſita ſimplicitati infinitæ & æternæ, quæ eſt DEUS; ſed quia tu Chriſtiane dicis, quòd Pater ſit communis Filio & Sancto Spiritui, ponis in DEO communitatem, prioritatem & poſterioritatem, & ſic es contradictorius, quia ponis DEUM ſimplicem & non ſimplicem; nam ût dictum eſt in majori, prius & poſterius cauſant compoſitionem: unde patet, quòd in DEO non ſit Trinitas.

c. Ampliùs ait Saracenus: tu Chriſtiane ponis, quòd Pater ſit ſubſtantia, & Filius ſit ſubſtantia, & Sanctus Spiritus ſit ſubſtantia; & quia omnis ſubſtantia eſt compoſita ex materia & forma, inde ſequitur, quòd quælibet prædicta ſubſtantia ſit compoſita ex forma & materia.

d. Iterum ponis, quòd Pater habeat duas actiones, videlicet unam generando Filium, & aliam ſpirando Sanctum Spiritum: adhuc ponis, quòd Filius habeat unam paſſionem, quia eſt genitus à Patre, & unam actionem in ſpirando Sanctum Spiritum: ampliùs ponis, quòd Sanctus Spiritus habeat duas paſſiones, videlicet unam à Patre, & aliam à Filio; & ſic implicas in DEO compoſitionem cauſatam ex multis ſubſtantiis & accidentibus; quod eſt contra divinam Simplicitàtem: ergo patet, quòd in DEO non poſſit eſſe Trinitas.

3. *a.* Nullum Ens ſimplex infinitè & æternaliter poteſt conjungi cum ente finito, novo & compoſito; nam Ens ſimplex infinitum & æternum non habet naturam, nec materialitatem; ſed DEUS eſt ens ſimplex infinitè & æternaliter, ergo DEUS non poteſt conjungi vel incarnari.

CAPUT VII.
De Vita neceſſaria.

1. & 2. Dixit Saracenus: DEUS eſt Vita infinita & æterna, in qua non exiſtit *vivere*: ideo arguo ſic:

a. In Vita infinita & æterna, in qua non eſt vivere, non eſt Trinitas; nam in ente, in quo non eſt vivere, non ſunt agens & patiens, qui ſunt accidentia, quæ non ſunt de ratione Vitæ infinitæ & æternæ; vivere enim eſt actus procedens ab iſtis; ergo in tali ente non eſt Trinitas: ſed DEUS eſt Vita infinita & æterna, ergo in DEO non eſt vivere, nec per conſequens Trinitas, quæ non poteſt eſſe, niſi Filius vivat à Patre, & Sanctus Spiritus à Patre & Filio.

3. *a.* Nullum Ens habens Vitam infinitam & æternam poteſt conjungi cum ente mortali, finito & novo, quia poſſet eſſe mortale & immortale; quod eſt impoſſibile; ſed DEUS eſt ens habens Vitam infinitam & æternam, ergo non eſt incarnatus.

b. Iterum tu Chriſtiane dicis, quòd Chriſtus in Cruce fuerit vivus & mortuus; vivus erat, quando Anima non erat ſeparata à Corpore; ſed mortuus fuit, quando Anima receſſit à Corpore, & deſcendit ad Inferos; & ſic ponis, quòd DEUS in uno tempore ſit homo, & in alio tempore non ſit homo; nam quando homo erat mortuus, DEUS non potuit eſſe homo vivus, & debuit iterum incarnari; & unumquodque iſtorum eſt inconveniens dicere & credere: & ideo patet, quòd DEUS non poſſit incarnari.

Dixit Saracenus: probavi per ſeptem ſupradictas Rationes, quòd DEUS non ſit trinus nec incarnatus, modò intendo probare, quòd DEUS habeat undecim Qualitates, quæ non convertuntur cum ſua Eſſentia,

(c) 2006 Ministério de Cultura

sed sunt ei proprietates, ut cum ipsis agat in creatis; & hoc probato intendo probare per ipsas, quòd DEUS non sit trinus, nec incarnatus; & primò per Bonitatem.

CAPUT VIII.
De Bonitate.

1. DIxit Saracenus: DEUS est bonus, quia
a. bene agit in creaturis, & creavit bonum mundum, non, quòd DEUS agat de sua Essentia cum sua Bonitate producendo bonum; sicut Sol, qui non agit in inferioribus de sua essentia producendo Solem, sed causat effectivè calidum & siccum cum sua virtute, vel per suam speciem; à simili, & multò magis DEUS cum sua Bonitate effectivè causat bonitatem vel bonitates creatas. DEUS non est sua Bonitas, sed Bonitas
b. est ei proprietas; nam si ipse esset Bonitas, sua Bonitas esset infinita & æterna, unde sic sequeretur, quòd nullum malum posset esse, sicut nulla aqua posset esse, posito, quòd ignis haberet infinita & æterna ligna ad comburendum; nam combureret omnia, quæ sunt in cœlo, & etiam ipsum cœlum, & extra cœlum; & hoc idem faceret Sol, si per se esset calidus & siccus, nam combureret totam aquam & omnia elementa.

2. Probatum est, quòd DEUS non sit sua
a. Bonitas, & ideo ipse non potest esse trinus, & hoc probo sic: Tu Christiane dicis, quòd DEUS Pater de toto se ipso producat Filium, & Sanctus Spiritus sit spiratus de toto Patre & Filio; & dicis, quòd illa productio sit tota bona, infinita & æterna, sed hoc non
b. potest esse, postquam ipsa bonitas non est DEUS: ergo partim est bona, & partim non; & sic pars, quæ non est bona, est habitus privativus, scilicet habitus malus, & DEUS est suum subjectum; quod est impossibile: & ideo patet, quòd in DEO sit impossibilis Trinitas, quam tu dicis.

3. Posito, quòd DEUS sit incarnatus, val-
a. de magnum inconveniens sequitur contra suam Bonitatem; nam sicut Homo Christus est DEUS, & DEUS Christus est Homo, sic Divina Bonitas, quæ est per prius, est bonitas, quæ est per posterius, & è converso; aliàs non potest fieri Incarnatio: & sic injuriata est Divina Bonitas, & deficiunt Divina Justitia, Sapientia, Voluntas, Virtus & Perfectio, quia sunt conjunctæ cum substantia composita ex forma & materia; quod est impossibile: ergo patet, quòd DEUS non sit incarnatus.

CAPUT IX.
De Magnitudine.

1. AIt Saracenus: DEUS est magnus, & est
a. magnus per suam Magnitudinem: item dicitur magnus, quia effectivè produxit magnum mundum, & producit in mundo magnas creaturas.
b. Non dico, quòd Magnitudo sit sua Essentia, quia sic esset mensura infinita extensivè vel intensivè, mensurando successivè usque ad infinitum; extensivè non potest, quia extensio est de ratione corporis, DEUS autem non est corpus; intensivè non est, quia mensura intensiva non potest inveniri in ratione magnitudinis: ergo patet, quòd Divina Magnitudo non sit Divina Essentia, quæ est infinita sinè mensura & successione.

2. Cùm Divina Magnitudo non sit Divi-
a. na Essentia, ût probatum est, ideo Trinitas in DEO est impossibilis; ratio hujus est, quia non potest esse, nisi Divina Magnitudo sit
b. Divina Essentia: & hoc probo sic: nisi Magnitudo DEI esset infinita & æterna, æternè Gignens non haberet sufficientiam ad producendum Genitum magnum infinitum & æternum, nec Gignens & Genitus haberent sufficientiam ad producendum Sanctum Spiritum magnum infinitum & æternum: ergo concluditur, quòd in DEO non possit esse Trinitas.

3. DEUS cum sua Magnitudine est ubi-
a. que præsentialiter & æternaliter; ratio hujus est; quia sua Magnitudo est major, quàm cœlum & omne creatum; ipsa verò Magnitudo non est divisibilis, quia divisio competit soli corpori; & ideo, posito, quòd DEUS sit incarnatus, aut ipse est totus incarnatus,
b. aut pars? si totus, sequitur, quòd Homo Christus sit ita magnus sicut cœlum & plùs, & sit ubique; quod est impossibile: sed si DEUS non est totus incarnatus, sed pars, inde sequitur, quòd Divina Mágnitudo & subjectum, in quo est, videlicet Divina Essentia sit divisibilis; quod est impossibile: ergo manifestè ostenditur, quòd DEUS non sit incarnatus, nec incarnandus.

CAPUT

CAPUT X.
De Poteſtate.

1. DIxit Saracenus: DEUS habet Poteſtatem, & propter hoc dicitur, quòd DEUS ſit potens, & cum ipſa poteſtate poſſit omnia; non, quòd ſua Poteſtas convertatur cum ſua Eſſentia, quia ſi ſic, tunc ſua Poteſtas eſſet infinita & æterna, ratione cujus poſſet producere infinitum & æternum; quod eſt impoſſibile: nam productio ſic diſtat & multò magìs ab infinito & æterno, ſicut malum à bono, & album à nigro, & magnum à parvo, & Angelus à corpore, & hujusmodi: ratio hujus eſt, quia productio tantùm eſt de ratione finitatis, novitatis, loci, motûs & temporis: ergo patet, quòd Poteſtas DEI non ſit Divina Eſſentia.

2. Poſtquam Poteſtas non eſt Divina Eſ-
a. ſentia, eſt Trinitas impoſſibilis in DEO; & hoc probo ſic: nullum Ens infinitum & æternum poteſt producere infinitum & æter-
b. num ſinè infinita & æterna Poteſtate; ratio hujus eſt, quia Poteſtas ſinè infinitate & æternitate non eſſet ſufficiens ad hoc; ſicut poteſtas luminis alicujus candelæ, quæ non eſt ſufficiens ad illuminandum totum aërem mundi: ergo patet, quòd in DEO ſit impoſſibilis Trinitas, deficiente infinitâ & æternâ Poteſtate.

3. Quando dicis, quòd Pater & Filius ſint
a. idem per Eſſentiam, jam ponis, quòd Filius non poſſit incarnari, niſi Pater incarnaretur, vel conveniret, quòd Eſſentia DEI divideretur; quod eſt falſum & impoſſibile ſecundùm me & ſecundùm te: & ſic patet, quòd Incarnatio ſit impoſſibilis.

b. Nec Divina Poteſtas, nec aliqua alia poteſtas poteſt cauſare, quòd effectus ſit cauſa, nec è converſo; nam cauſa & effectus ſic ſunt diſparati, ſicut potentia viſiva eſt diſparata ab audibili, & auditiva à viſibili, & tactiva ab olfabili, & quia non eſt de ratione Poteſtatis, quòd ipſa poſſit cauſare, quòd effectus eſſet cauſa, nec è converſo, ergo patet, quòd DEUS non poſſit eſſe Homo, nec Homo DEUS; & ſic patet, quòd DEUS non ſit incarnatus, cùm DEUS ſit cauſa, & homo ſit effectus.

CAPUT XI.
De Intellectu.

1. DIxit Saracenus: DEUS habet Intelle-
a. ctum, ratione cujus eſt intelligens, non quòd Intellectus ſit DEUS; nam Intellectus ponit differentias inter ſuum actum & objectum, quæ non poſſunt eſſe in DEO; quia nulla differentia eſt in Ente infinito & æterno.

b. Iterum, ſi DEUS eſt Intellectus, intelligeret ſe naturaliter; ſed in DEO non poteſt eſſe Natura; nam omnis natura conſiſtit per terminum à quo, & per terminum ad quem, & per ſuum actum, qui ſunt idem cum ipſa per Eſſentiam, & ipſa eſt Eſſentia in illis ſuſtentata; terminus à quo dicit materiam, & terminus ad quem dicit formam, naturare autem eſt actus exiſtens in fieri, & non in facto eſſe; ſed iſti tres termini non poſſunt eſſe Eſſentia DEI, nec eſſe in ipſa, cùm ſit infinita & æterna: ergo DEUS non habet Naturam, ſed cum ſuo intellectu naturat naturabilia creata. Iterum, ſi DEUS eſſet naturaliter Intellectus, ſicut naturaliter intelligeret ſeipſum, ſic naturaliter bonificaret ſe, & magnificaret ſe, & infiniret ſe, & æternaret ſe, & poſſificaret ſe &c.; quod eſt impoſſibile, quia nullum ens agit ſeipſum.

2. Probatum eſt, quòd DEUS non ſit Intellectus, & per conſequens, quòd Trinitas non ſit in eo; quia Trinitas non poteſt eſſe in DEO, niſi mediante naturali intellectu; nam conveniret, quòd Pater eſſet Pater naturaliter, non autem artificialiter, & ſic conveniret, quòd Filius & Sanctus Spiritus eſſent Perſonæ naturales, quod eſt impoſſibile; quia privato intellectu naturali eſt impoſſibile, quòd Trinitas ſit in DEO.

3. DEUS habet Intellectum, ut cum ipſo
a. habeat intelligere, & cum intelligere intelligat creaturas, & intelligat ſeipſum agentem, videlicet intelligentem, quòd ſit Creator & Salvator & Gubernator & hujusmo-
b. di; ſed ſi DEUS eſſet incarnatus, ſicut tu dicis, DEUS intelligeret, quòd ipſe eſſet homo, & hoc naturaliter, quia ſinè natura non poſſet ſe facere hominem, & è converſo; & tale intelligere eſt ſic impoſſibile, & multò magìs, ſicut intelligere, quòd ſex ſint quinque, & è converſo; & quòd mille ſint duo, & duo ſint mille; nam tale intelligere non eſt de ratione intellectûs, ſicut non eſt de ratione intellectûs bibere & calefacere & hujusmodi; nec DEUS poſſet hoc facere, quia implicaret contradictionem, quam non poteſt facere.

CAPUT

CAPUT XII.

De Voluntate.

1. DIxit Saracenus: DEUS habet Voluntatem, cum qua voluit creare mundum
a. & omnia creata, non quòd DEUS sit sua Voluntas, nec è converso; quia si sic, haberet velle & nolle infinitans & æternans, quæ essent ei naturales actus & innati per Voluntatem, quæ se potest habere ad eligendum quodlibet; & sic DEUS posset se diligere per velle, & odire per nolle infinitè & æternaliter; quod est impossibile & manifesta contradictio, quod est contra primum Caput, quod est de Entitate necessaria, & etiam contra secundum, quod est de Unitate &c.

b. Ulteriùs, si DEUS esset sua Voluntas, suum velle & nolle essent ab æterno & in æternum, sicut sua Essentia; unde sequeretur, quòd infinitè & æternaliter diligeret ab æterno & in æternum creaturas, & odiret eas ab æterno & in æternum, & hoc æqualiter, eò quia quilibet actus esset infinitus & æternus; & sic creaturæ haberent esse per velle, & essent in privatione per nolle, quia essent & non essent; quod est manifesta contradictio: ergo est probatum, quòd DEUS non sit sua Voluntas.

2. Probato supradicto jam est probatum
a. per consequens, quòd in DEO sit impossibilis Trinitas; nam Pater non posset velle,
b. quòd sit Pater infinitè & æternaliter sinè infinita & æterna Potestate Voluntatis; & similiter potest dici de Filio & Sancto Spiritu: & sic ipsa Voluntas cum sua Potestate esset DEUS; quod est impossibile: ergo patet, quòd in DEO non sit Trinitas.

3. Si DEUS est incarnatus, cum sua Vo-
a. luntate vult, quòd in Christo DEUS sit Homo, & Homo sit DEUS, ita, quòd Christus sit DEUS & Homo; sed ad hoc Divina Voluntas non sufficeret, postquam ipsa non est DEUS; nam habitus non sufficit ad causandum habituatum simpliciter; quia habituatus plùs dicit per suam essentiam, quàm per suum habitum; sicut homo plus dicit per suam humanitatem, quàm per suam cappam, cum qua est habituatus: ergo patet, quòd DEUS non sit incarnatus.

b. Ulteriùs, posito, quòd DEUS esset incarnatus, ipse non fuisset prudens in amando, quia plùs valeret, quòd ipse esset angelicatus, quia Angelus est altior, quàm homo.

CAPUT XIII.

De Virtute.

1. DIxit Saracenus: DEUS habet Virtutem,
a. ratione cujus bene dicitur, DEUS est virtuosus, & habet Virtutem, ut per ipsam possit creare virtutes naturales & morales; & ipsa Virtus est sic generalis ad omnes virtutes, sicut idem martellus ad multos clavos & enses & hujusmodi, non dico, quòd ipsa Virtus sit DEUS, sicut clavus non est martellus, nec justitia est homo & hujusmodi; nam DEUS est prior, & sua Justitia est posterior, sicut homo & martellus, qui sunt prius, clavus autem & justitia posterius: ratio hujus est, quia Virtus DEI est instrumentum, ut DEUS cum ipsa possit agere in Angelis & in hominibus judicando, reddendo bonum pro bono, & malum pro malo; ipse tamen DEUS non est instrumentum, sed est DEUS, ut ipse sit DEUS; nam instrumentum non est de ratione Entis infiniti & æterni; & sic Justitia DEI non habet se ad DEUM quoad esse, sed quoad bene esse: ergo probatum est, quòd DEUS non sit sua Virtus.

b. Iterum per multas alias rationes posset probari, quòd DEUS non sit Virtus, quod longum esset narrare; sicut DEUS, qui non habet contrarium, virtus autem sic, videlicet vitium: DEUS non est, ut acquirat meritum, virtus autem est, ut acquirat illud.

2. Probatum est, quòd DEUS non sit virtus, & per hoc probatur, quòd in DEO non
a. sit Trinitas; nam Pater cum potestate virtutis, quæ non est DEUS, non posset se facere virtuosum infinitè & æternaliter in generando Filium, & in spirando Sanctum Spiritum; & sic omnes tres Personæ essent virtuosæ secundùm quid, & non simpliciter; quod est inconveniens dicere.

b. Iterum, si esset Trinitas, esset facta injuria Filio per Patrem impedientem Filium, ut Filius non sit Pater, nec habeat Filium; & sic potest dici de Patre & Filio, qui impediunt Sanctum Spiritum per invidiam, ut non sit Spirator, nec sit Filius, nec Pater; quæ injuria est impossibilis in DEO, quia est peccatum: ergo ostenditur, quòd in DEO sit impossibilis Trinitas.

3. Si DEUS est incarnatus, ipse facit injuria
a. riam suæ Essentiæ, & etiam sibi ipsi cum sua Virtute; & sic est contra suam Justitiam, & contra suam Entitatem necessariam, & suam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuam Unitatem &c., & contra ſuam Bonitatem, Magnitudinem &c.; & talis injuria eſſet prius, & Juſtitia poſterius; & hoc patet, quia hoc, quod eſt ſuperius, non debet uniri cum hoc, quod eſt inferius; quia deſcenderet, nec inferius debet aſcendere ad gradum ſibi non competentem: ergo patet, quòd Incarnatio ſit impoſſibilis in DEO, ut DEUS non ſit injuſtus, ſed juſtus; non imprudens, ſed prudens.

b. Et quando dicis, quòd Filius aſſumpſerit Carnem, non autem Pater, nec Sanctus Spiritus, ponis, quòd ipſi fecerint injuriam ſibi ipſis, quia non aſſumpſerunt carnem, ſicut Filius; cùm ipſi teneantur ita exaltare univerſum creatum per Incarnationem, ſicut fecit Filius; & quia in DEO non poteſt eſſe injuria, ergo patet, quòd tua Fides nihil ſit.

CAPUT XIV.
De Veritate.

1. *a.* AIt Saracenus: DEUS habet Veritatem, cum qua verificat creata entia & omnes veritates, ſed ipſe non eſt veritas; quia ſi ſic, intellectus, qui non eſt DEUS, eſſet ſuus habitus, cum quo intelligeret ſeipſum, ipsâ exiſtente infinitâ & æternâ; quod eſt inconveniens dicere, videlicet, quòd infi- *b.* nitum & æternum Ens habeat habitum, quia habitus eſt accidens, quod nullo modo poteſt eſſe de ratione infinitatis & æternitatis: ergo manifeſtè oſtenditur, quòd DEUS non ſit veritas. Ampliùs, ſi DEUS eſſet veritas, revelaret omnia ſecreta, & deſtrueret omnes falſitates & omnia falſa; nam contraria infiniti & æterni Entis non poſſunt ſtare contra illud; hoc autem veritas non facit, quia magìs ignoramus, quàm intelligimus, ideo DEUS non eſt veritas.

2. *a.* Probatum eſt, quòd DEUS non ſit veritas, unde ſequitur, quòd non ſit trinus; quia ſi DEUS eſſet veritas, DEUS Pater non eſſet ſimpliciter Pater, ſed ſecundùm quid, & ſic de Filio & Sancto Spiritu; quia veritas non ſufficeret ad hoc, cùm ſit finita; nam finitum ens non ſufficit ad eſſendum cauſa infiniti Entis; tu autem dicis, quòd DEUS Pater ſit verè Pater infinitè & æternaliter, & ſic de Filio & Sancto Spiritu; quod eſt manifeſtè falſum.

b. Ulteriùs, illud, quod Divinus Intellectus non poteſt intelligere, Divina Veritas non poteſt verificare; ratio hujus eſt, quia DEUS non credit, nec habet fidem, ſed intelligit.

c. DEUS non poteſt intelligere, quòd ſit Filius ſinè Matre, ſicut non poteſt intelligere, quòd ſit Filius ſinè Patre; tu autem non dicis, quòd Filius habeat Divinam Matrem: item dico, quòd DEUS non poſſit intelligere in ſe locum, tempus, motum, diviſionem & hujusmodi, quæ haberet in ſe ipſo, ſi Pater generaret Filium, quia Generatio ſinè prædictis non eſt intelligibilis, nec per conſequens veritas poteſt verificare ea, quæ non ſunt intelligibilia, nec poſſibilia.

3. *a.* Adhuc, Divinus Intellectus non poteſt intelligere, quòd infinitus ſit concluſus in finito loco, videlicet in utero Mariæ Virgi- *b.* nis; nec immobile, ſcilicet DEUS, deſcendat de cœlo ad aſſumendam Carnem in terra; quia, quod eſt immobile infinitè & æternaliter, non poteſt eſſe mobile in tempore & in loco.

c. Iterum, DEUS non poteſt intelligere, quòd minor cauſa ſit cauſa majoris cauſæ; nam aliter omne, quod eſt poſterius, cauſaret id, quod eſt prius; quod eſt impoſſibile: appello autem minorem cauſam utilitatem hominum, majorem autem diviſionem DEI, qui divideret ſe incarnando, & innovaret ſe recipiendo Carnem: & ſicut DEUS hoc non poteſt intelligere, ita ſua voluntas non poteſt hoc velle, nec ſua unitas unire, nec per conſequens ſua veritas verificaret hoc: ergo oſtenſum eſt, quòd DEUS non poſſit incarnari.

CAPUT XV.
De Gloria.

1. *a.* DIxit Saracenus: DEUS habet Gloriam, cum qua in Paradiſo glorificat beatos, non quòd ipſe ſit gloria; nam omnis gloria habet cauſam, videlicet efficientem, quæ dat gloriam; DEUS autem non habet ſupra *b.* ſe cauſam dantem ei gloriam; nam gloriari eſt actus procedens à forma & à materia, & hoc propter finem, qui exiſtit priùs; ſed efficiens, forma & materia & actus exiſtunt poſteriùs; tales cauſæ verò non ſunt de ratione Entis infiniti, æterni, neceſſarii, unius &c.; ergo patet, quòd DEUS non ſit gloria.

2. *a.* Probatum eſt, quòd DEUS non ſit gloria, & ideo in eo non poteſt eſſe Trinitas; quod probo ſic: Pater in generando Filium non poſſet habere tantam gloriam, quanta eſt ſua Divina Eſſentia; & ſic Filius non eſſet totus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

totus glorioſus, ſed ſecundùm quid, ſicut Pater, & ſic de Sancto Spiritu; quia Eſſentia Perſonarum eſſet infinita, ſed earum gloria eſſet finita & limitata in tantum, quòd Eſſentia eſſet prius, & gloria poſterius, tanquam habitus;& per conſequens omnes tres Perſonæ eſſent aſſituatæ in gloria, mediantibus quantitate, actione & paſſione, & etiam qualitate accidentali,quas cifets in arabico vocamus, & omnia iſta ſunt de genere accidentis; & quia accidentia non ſunt de Eſſentia DEI, nec Trinitas ſinè his poſſet eſſe, ergo patet, quòd DEUS non ſit trinus.

3. Præterea Divinus Intellectus non po-
a. teſt intelligere dedecus & vituperationem DEI, quia DEUS in talibus non poteſt habere gloriam nec delectationem; quæ prædicta haberet, ſi ipſe aſſumeret Carnem.

b. Adhuc, ût patet per exemplum, anima in homine habet triſtitiam & paſſionem, quando corpus affligitur, & hoc ratione unionis animæ & corporis, & homo, qui eſt conjunctus, patitur per animam & corpus; à ſimili, ſi Chriſtus in Cruce fuit DEUS & Homo, ipſe fuit paſſus quoad Deitatem & Humanitatem ratione unionis Deitatis & Humanitatis; ſed Divinus Intellectus nullo modo poteſt intelligere, quòd infinitus & æternus DEUS aliquo modo paſſus fuiſſet dolorem & triſtitiam & languorem; & ſicut Divinus Intellectus hoc non poſſet intelligere, nec Divina Voluntas velle, nec Veritas verificare, ſic nec Divina Gloria haberet delectationem in hoc: ergo patet, quòd DEUS non poſſit incarnari.

CAPUT XVI.
De Perfectione.

1. AIt Saracenus: DEUS habet Perfectio-
a. nem, ut cum illa perficiat creaturas, non quòd DEUS ſit perfectio; quia omnis
b. perfectio eſt ſub cauſis, videlicet agente, patiente, perficere & perfecto; & quia perficere conſiſtit in fieri, & non in facto eſſe, ideo antè ſunt agens & patiens, quàm perfectum quoad cauſas & quoad tempus;& quia prioritas in DEO eſt impoſſibilis, manifeſtè patet, quòd DEUS non ſit perfectio, & per conſequens non ſit Trinitas; & hoc probo ſic.

2. Tu Chriſtiane dicis, quòd Pater gene-
a. ret Filium, & invicem ſpirent Sanctum Spiritum: jam Pater non poſſet perficere Filium, & ſic de Sancto Spiritu, ſinè perficere; ſed perficere non poteſt tranſire in Eſſentiam infinitam, æternam, neceſſariam, unam
b. & ſingularem &c., quia perficere ſemper eſt in fieri, & non in facto eſſe; ſed tu dicis, quòd omnes tres Perſonæ ſint perfectæ per perficere, & dicis, quòd DEUS ſit perfectio, quod eſt falſum, ût ſuprà probatum eſt: ergo concluditur, quòd Trinitas in DEO ſit impoſſibilis.

3. Tu Chriſtiane dicis, quòd DEUS ſit per-
a. fectus, & quòd DEUS ſit incarnatus: perfectus, qui eſt unitus cum imperfecto non
b. poteſt eſſe perfectus, ſicut aqua in vaſe valde calido eſt calida per accidens, & non frigida; & ſi aqua eſſet unita cum vaſe, & ipſum vas eſſet ignis, aqua eſſet magìs calida, & remota ab omni frigiditate; à ſimili poteſt dici de Incarnatione ſuo modo; ſed hoc eſt valde abſurdum dicere, quòd DEUS aliquo modo ſit imperfectus: & ideo patet, quòd Incarnatio ſit impoſſibilis.

CAPUT XVII.
De Juſtitia.

1. AIt Saracenus: DEUS habet Juſtitiam,
a cum qua judicat bonos & malos homines, ût jam dictum eſt, ſed ipſe non eſt ju-
b. ſtitia; nam ſi eſſet juſtitia, judicaret ſeipſum infinitè & æternaliter, quia ſua Juſtitia eſſet infinita & æterna, habens infinitum & æternum actum; DEUS verò non indiget juſtitiâ quoad ſe, quia non agit bonum nec malum in ſémet ipſo, ſed indiget habere ipſam in creaturis in tempore & in loco, ut ſit Judex, non autem in Infinitate & Æternitate: ergo probatum eſt, quòd DEUS non ſit juſtitia.

2. Per hoc,quod dictum eſt de juſtitia,po-
a. teſt probari, quòd in DEO non ſit Trinitas, quod probo ſic: poſito, quòd DEUS Pater producat DEUM Filium, & ſic de Sancto Spiritu, vel producit ipſum juſtè vel injuſtè; non injuſtè, quia DEUS non eſt injuria; & ſi non producit ipſum juſtè, ergo eſt injurioſus, quia non producit eum juſtè; ergo
b. producit ipſum juſtè & hoc infinitè & æternaliter; infinitè & æternaliter non poteſt, quia juſtitia eſt finita & nova, & non ſufficit ad hoc; nam finitum & novum non ſufficit ad infinitum & æternum actum: ergo Pater producit Filium juſtè cum actu finito & novo, & per conſequens in tempore & loco; & ſic Filius, qui eſt infinitus & æternus, non eſt totus juſtus, ſed in parte; & ideo ſua juſti-

tia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tia est ei habitus defectivus, sicut brevis cappa cappato; & sicut Filius est defectivus per habitum, sic & Pater: sed quia defectus non est de ratione DEI, ergo patet, quòd Trinitas non possit esse in illo.

c. Adhuc, vel Pater indiget Filio, vel non? si indiget illo, justè generat eum; veruntamen ipse DEUS est indigens; & sic sequitur, quòd hoc, quod non indiget, causet se indigentem injuriosè; quod est impossibile: si autem dicas, quòd Pater generet Filium, & tamen non indigeat illo, jam ponis, quòd Pater injuriet se ipsum, quia agit superfluè & in vanum & extra terminum ad quem; quod est falsum & impossibile: nam omnis pater generat filium propter finem, videlicet ut multiplicet suam speciem; sed DEUS non indiget multiplicatione, nam est infinitus & æternus; & quia omnia supradicta sunt falsa & impossibilia, ergo sequitur, quòd in DEO non possit esse Trinitas.

3. Si DEUS est incarnatus, fecit injuriam
a. Angelis, quia non assumpsit Angelicam Naturam, cùm Angelus sit prius, & homo sit posterius.

b. Etiam fecit injuriam multis hominibus, quia non assumpsit carnem eorum, sed unius tantùm: item injuriavit ipsam naturam, quam assumpsit, quia eam non assumpsit in principio mundi: & similiter injuriavit Christum, quia permisit, quòd ipse pateretur paupertatem & dedecus & flagella, & mortem in Cruce; & ista injuria fuit figurata in Cruce, quando Christus dixit bis in ea: DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me: & ideo multa falsa supradicta sunt erronea, propter quæ Justitia DEI non posset pati, quòd permitteret, DEUM incarnari.

CAPUT XVIII.

De Misericordia.

1. DIxit Saracenus: DEUS habet Misericordiam, ut cum ea parcat peccatoribus facientibus pœnitentiam de commissis;
a. DEUS autem non est misericordia; quia si esset, sua Misericordia esset infinita & æterna, habens infinitum & æternum actum, parcendo sibi ipsi de commissis ab æterno & in æternum; quod est impossibile; nam DEUS non peccat, nec potest peccare; si autem non haberet actum ab æterno, esset otiosus; quæ otiositas est habitus privativus, vacuus & vitiosus & defectivus, sed æterna misericordia non potest habere talem habitum: unde sequitur, quòd DEUS non sit Misericordia.

b. Ulteriùs, si DEUS esset Misericordia, Misericordia esset infinita, & sic parceret omnibus peccatis sinè contritione, confessione & pœnitentia de commissis; sicut ignis, qui combureret totam aquam, posito, quòd ipse haberet infinita ligna, licèt aqua contrariaretur igni cum sua magna frigiditate; & sic DEUS esset contra suam infinitam [illegible] Justitiam; [illegible]; quod est impossibile: ergo ostenditur, quòd DEUS non sit sua misericordia.

2. Probatum est, quòd DEUS non sit misericordia, ratione cujus in DEO non est
a. Trinitas, quod probo sic: Si in DEO esset Trinitas, quælibet Persona haberet misericordiam, una per priùs, & altera per posteriùs gradatim; & per hoc, quia Pater est priùs habens duas actiones generando & spirando, posset plùs uti misericordiâ, quàm Filius & Sanctus Spiritus; & etiam Filius, quàm Sanctus Spiritus, cùm sit activus in spirando, & Sanctus Spiritus non; & quia est impossibile, quòd Misericordia DEI in illo aliquo modo sit imperfecta, ideo sequitur, quòd in DEO non sit Trinitas.

3. Tu Christiane dicis, quòd DEUS assumpserit Carnem, & pro Homine fuerit passus mortem in Cruce, ut redimeret humanum genus ab originali peccato, & quòd
a. non posset redimi alio modo; & sic attribuis defectum Misericordiæ DEI, cùm illi deficiant sua Magnitudo, Potestas & Perfectio; quod est impossibile: ergo patet, quòd non sit Incarnatio DEI, cùm Misericordia DEI posset parcere originali peccato sinè Incarnatione: & si potuit & voluit incarnari, sinè causa fuit incarnatus; & sic DEUS fuit imprudens; quod est impossibile: ergo quidquid dicis de Incarnatione, est manifestè erroneum & falsum.

Saracenus finivit suam Disputationem, & dixit Christiano hæc verba: ostensum est tibi manifestè, quòd DEUS non sit trinus nec incarnatus, & hoc per ita efficaces & necessarias rationes, quòd intellectus non posset rationabiliter considerare contrarias; quapropter relinque fabulas, quas Christiani dicunt de Trinitate & Incarnatione, & non cures arguere contra me, quia bene scis, quòd falsitas non possit evellere veritatem à suo fundamento, nec ipsam devincere, sed è converso: ratio hujus est, quia veritas convenit cum *esse*, falsitas autem cum *non esse*;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& sic evita tua inutilia, laborioſa & vana verba: unde conſulo tibi, quòd te facias Saracenum, & ego promitto tibi coram iſtis ſapientibus Saracenis, quòd impetrabo tibi à noſtro Rege & Epiſcopo, quòd dabuntur tibi pulchræ puellæ nobiles genere & pulchra domus & tot divitiæ, cum quibus poteris honorificè & in pace vivere; & nos Sapientes viſitabimus te frequenter, faciendo reverentiam & honorem, loquendo técum theologicè & philoſophicè, vel quocunque alio modo velis, tali modo, quòd inſimul erimus cum charitate, gaudio & delectatione.

INCIPIT PARS II. DE Poſitione & Diſputatione Chriſtiani.

1. Dixit Chriſtianus Saraceno: ego audivi te pacificè, idcirco audias me, ſicut audivi te: poſuiſti decem & octo Principia, quorum ſeptem concedo tibi, quòd ipſa ſint coëſſentialia DEO, undecim autem nego, videlicet, quòd ipſa ſint qualitates in DEO, ſed non ſint ei Rationes vel Dignitates coeſſentiales, ſed dico, quòd ſint; quod probabo, & etiam probabo Divinam Trinitatem & Incarnationem; & hoc ita manifeſtè, quòd intellectus judicabit tuas Rationes vanas & erroneas, meas autem veras.

2. Ulteriùs propono probare *Quadraginta Signa*, cum quibus ſignificabo, quòd Sancta Catholica Lex ſit vera; & hoc probato tibi manifeſtè apparebit, quòd tua Lex ſit falſa & erronea, eò quia mea Lex eſt contraria tuæ Legi; nam Lex Chriſtianorum affirmat & confitetur, quòd in DEO ſit Trinitas & Incarnatio, ſed tua totum hoc negat.

3. Promiſiſti mihi uxorem & multa alia terrena, ſi acciperem Legem Mahometi, feciſti malam comparationem, quia cum talibus terrenis non acquiritur ſempiterna gloria; ſed ego promitto tibi, quòd, ſi tu dimittas tuam falſam & diabolicam Legem multiplicatam per enſem & vim, & accipias meam, habebis æternam Vitam; nam mea Lex eſt incepta & multiplicata cum prædicatione & effuſione ſanguinis beatorum Martyrum.

De Diviſione ſecundæ Partis.

HÆc Pars dividitur in *duas Partes*. In *prima* probabitur Beatiſſima Trinitas & Incarnatio, & reſpondebitur ad Rationes Saraceni, deſtruendo eas ordinatim de Capite in Caput. *Secunda* Pars eſt de Quadraginta Signis, cum quibus ſignificatur vera Lex. Et primò de prima Parte dicemus, & in quolibet Capite probabimus tria, *primò* Beatiſſimam Trinitatem, *ſecundò* Incarnationem, *tertiò* improbabimus Rationes Saraceni.

CAPUT I. *De Entitate neceſſaria.*

1. Dixit Chriſtianus: Ens neceſſarium intelligitur *tribus modis*: *primum* eſt Ens neceſſarium, cui nullum Ens præjacet, & iſtud eſt DEUS, quod Philoſophi Saraceni in Arabico dicunt huuiden mutlach: *ſecundum* eſt Ens creatum, & iſtud dividitur in *duas partes*, videlicet quando eſt ens neceſſarium per naturam & per artificium; ſicut effectus neceſſitatus per ſuam cauſam: de primo Ente intendo dicere, quantùm ad Beatiſſimam Trinitatem, de ſecundo autem, quantùm ad Incarnationem.

2. Primum Ens neceſſarium intendo pro-
a. bare per tria media, & hoc ſic: Divina Bonitas & DEUS convertuntur, ût probabo in decimo Capite; quia DEUS eſt infinitus & æternus, ideo Bonitas eſt ei ratio infinita & æterna, quòd producat Bonum infinitum & æter-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

æternum; aliàs Bonitas non eſſet infinita & æterna diffuſivè, & non haberet Naturam, quam habet, ût probabo in octavo Capite; & quia habet Naturam infinitam & æternam diffuſivè, ideo in Eſſentia DEI eſt Producens bonus infinitus & æternus, ut Bonitas non ſit otioſa nec vacua ab æterno nec in æternum; & talis Producens eſt neceſſarius ratione ſuæ Bonitatis, Infinitatis & Æternitatis, & iſtum dicimus DEUM Patrem, & ſic ſequitur Filius neceſſitatus bonus infinitus & æternus; & quia eſt bonum, quòd ſe diligant infinitè & æternaliter, ideo ipſi neceſſitant Sanctum Spiritum ſpirando vel diligendo, ut Amor, quem habent, ſit ita bonus, infinitus & æternus, ſicut ipſi ſunt; & hæc eſt ratio, propter quam ponimus hæc nomina, nam Producens non poteſt producere bonum infinitum & æternum de alia Eſſentia, niſi de ſua, quia illa alia non eſt; & iſtud nomen Pater competit illi propter hoc, quòd omnis producens productum naturaliter de ſeipſo eſt Pater neceſſarius, & per conſequens Filius eſt neceſſitatus, quia relativè ſe habent; & ſic de Sancto Spiritu ſpirando & amando.

Secundum medium eſt iſtud: omne Ens neceſſarium eſt magìs neceſſarium exiſtendo & agendo, quàm exiſtendo tantùm; ratio hujus eſt, nam exiſtere & agere dicunt plùs naturaliter, quàm exiſtere tantùm, ût patet per arborem vivam & per arborem mortuam; nam viva habet exiſtere & agere naturaliter, mortua autem habet exiſtere tantùm prolongatum à natura, & habituatum de habitu privativo, DEUS autem eſt Ens magìs neceſſarium, ſi eſt & producit infinitum & æternum, quàm ſi eſt, & non producit infinitum & æternum; & hoc patet per exemplum ſupradictarum arborum.

Tertium medium eſt iſtud: omnis Intellectus, qui habet neceſſaria correlativa, eſt magìs neceſſarius, quàm intellectus, qui non habet neceſſaria correlativa; & hoc patet per potentiam, objectum & actum; ſicut intellectus intelligens objectum intellectum per intelligere eſt magìs neceſſarius, quàm intellectus non habens objectum per intelligere, cujus ignorantia eſt ſuus habitus, ſicut cæcitas cæci; DEUS autem eſt Intellectus, ût probabo in decimo tertio Capite: & ſi DEUS habet correlativa, eſt magìs neceſſarius, quàm ſi non habet; & quia ipſe eſt magìs neceſſarius, ideo habet ipſa, videlicet intelligentem, intellectum & intelligere; & iſtos tres dicimus eſſe Beatiſſimam Trinitatem, ſinè quibus Divinus Intellectus eſſet infinitè & æternaliter vacuus, otioſus & habituatus de ignorantia; quod eſt impoſſibile.

b. Reſpondeo ad tuas Rationes, quando dicis, quòd Filius & Sanctus Spiritus non ſint neceſſarii, quia ſunt à Patre, dicis falſum; quamvìs exemplum ſit groſſum, nam ſicut clavus eſt neceſſitatus, quòd ſit ferrum, poſtquam eſt de maſſa ferri, ſic Filius & Sanctus Spiritus ſunt DEUS, poſtquam ſunt de DEO Patre & de Deitate, quæ eſt Eſſentia neceſſaria.

3. *a.* Ait Chriſtianus: tu Saracene ſcis, vel debes ſcire, quòd Divina Neceſſitas neceſſariò ponat, quòd in DEO ſuus Intellectus & ſua Voluntas ſint æquivalentes & æquipotentes & hujusmodi; nam in DEO non eſt prius nec poſterius; ideo quando DEUS voluit creare mundum, ſuus Intellectus, qui eſt infinitus, ſcivit altiorem finem creationis mundi, quem potuit ſcire, & ſua Voluntas voluit illum finem, ut altitudo finîs eſſet tanta per Divinam Voluntatem, quanta per Divinum Intellectum: & quia omne agens agit propter finem, ideo Intellectus & Voluntas objectaverunt altiorem finem, quem potuerunt; & quia altior finis fuit, quòd DEUS crearet mundum, ut ipſe ſe faceret Hominem, & Homo eſſet DEUS, ut Primus Divinus Finis, & primus creatus finis eſſent conjuncti in Chriſto, & ut totus mundus eſſet exaltatus per illam conjunctionem; ſic manifeſtè apparet, quòd in DEO ſit Incarnatio; aliàs Divinus Intellectus eſſet per prius in objectando altiorem finem, & voluntas per poſterius non diligendo finem: non dico, quòd neceſſitas Incarnationis fuiſſet naturalis, ſed quoad bene eſſe & moraliter & liberè intellecta & conſiderata; ſicut agens, qui liberè & ad placitum cauſat ſuum effectum.

b. Et quando dicis, quòd DEUS non poſſit incarnari, quia Ens neceſſarium, infinitum & æternum non poteſt conjungi cum ente finito & novo, verum dicis naturaliter, ſed ſupra naturam non dicis verum, quia limitas infinitam Poteſtatem DEI; nam ſi Divinus Intellectus potuit hoc objectare, & Voluntas amare ratione majoris finîs, Divina Poteſtas potuit hoc perficere, quia Intellectus, Voluntas & Poteſtas ſunt idem in DEO; aliàs Poteſtas eſſet magìs diffuſiva per intelligere & amare, quàm per ſuum poſſe;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quod est valde impossibile: ergo patet, quòd mea ratio stat, & tua non.

CAPUT II.
De Unitate.

1. AIt Christianus: Unitas est *duplex*, videlicet suprema infinita & æterna Unitas, & ista est Unitas DEI; est & alia unitas creata existens super omnes creatas Unitates, & ista est Christus; & primò dicam de prima sic:

2. Nulla unitas est infinita sinè infinito actu, nam sinè illo esset vacua & otiosa, quia non uteretur illo; sed divina Unitas est infinita, ût per me & per te concessum est, ergo Unitas DEI non est infinita sinè infinito actu: actum infinitæ Unitatis dico infinitum Unire necessitatum per Unientem & Unitum infinitos & æternos & necessarios, ût suprà dictum est; & istos tres voco Beatissimam Trinitatem; & per istos est ostensum, quòd Divina Unitas sit necessaria, & quòd se non possit aliter habere: tu autem Saracene non probas, quòd illa sit necessaria, sed positivè dicis, quòd ipsa sit.

a. Et quando dicis, quòd omne Ens existens unum per infinitam & æternam Unitatem, sit separatum & denudatum ab omni pluralitate, dicis verum de unitate differente per essentiam ab aliis unitatibus; sicut unus homo non est multi homines, quia differunt per essentiam; sed de Divina Unitate non dicis verum; nam licèt ipsa habeat tria correlativa, propter hoc non sunt multa differentia per Essentiam, quia ipsa correlativa sunt idem per Essentiam Unitatis; Uniens enim, qui est Pater, est tota Deitas, & de toto se ipso & tota Deitate producit Filium, & invicem de totis se ipsis spirant Sanctum Spiritum; sicut, posito, quòd martellus, qui est de ferro, produceret de tota sua essentia forfices, & sic forfices essent de ferro, sicut etiam martellus; & posito, quòd ipsi ex tota sua essentia producerent clavum, ipse clavus etiam necessariò esset ferrum, sicut & ipsi sunt ferrum: & ideo patet, quòd in ipsis non esset pluralitas essentiarum, sed numerorum tantùm: unde manifestè patet, quòd in DEO sit Trinitas.

b. Et quando dicis, quòd nullum Ens existens unum infinitè & æternè, sit conjunctum cum alio ente infinito & æterno; nam si esset, jam quodlibet esset finitum & infinitum, quod esset contradictio: respondeo & dico, quòd esset verum, si talia entia essent distincta per essentiam; sed quia non distinguuntur per essentiam, ideo dicis falsum; nam posito, quòd in una voluntate esset volens, volitus & velle per essentiam, unus non terminaret alterum.

c. Et quando dicis, quòd Pater sit DEUS, & Filius sit DEUS, & Sanctus Spiritus sit DEUS, & unus istorum non sit alius, jam dicis, quòd sint tres Dii; quod est contradictio: respondeo & dico, quòd diceres verum, si quilibet haberet suam Essentiam divisam ab altero; sed quia infinita Unitas ratione suæ infinitæ Naturæ ponit unam Deitatem, & non plures, ideo pono, quòd quælibet Persona sit una distincta ab altera personaliter, & quòd ad invicem sint una Deitas, una Essentia & unus DEUS.

d. Item quando dicis, quòd ego ponam distinctionem Personarum in DEO, verum dicis; sed propter hoc non pono, quòd sit distinctio in Divinis Rationibus, ita, quòd una non sit alia; imò dico, quòd sint idem essentialiter, ut non destruatur Infinitas earum, & ut Essentia DEI remaneat indivisa, & ut accidens in ipsis non habeat locum: sed dico, quòd, sicut potentia cognoscitur per actum, videlicet bonitas per bonificare, & magnitudo per magnificare &c., sic DEUS cum suis Correlativis & distinctione eorum, sinè qua ipsa Correlativa non possunt esse, cognoscit suas multas Rationes objectando numerando, quòd ipsæ sint multæ; & hoc sic: DEUS Pater, ut cognoscat, quòd producat unum bonum Filium bonificando, cognoscit & numerat unam Bonitatem cognoscendo unum bonum Filium productum; & ut cognoscat, quòd producat unum magnum Filium, cognoscendo ipsum unum magnum cognoscit & numerat unam Magnitudinem, & sic de aliis; & sic Distinctio remanet in correlativis tantùm, & non transit in Rationes: sed sicut Intellectus cum intelligere mensurat multa, sic DEUS cum Distinctione Personarum vel suorum Correlativorum cognoscit & numerat multas Rationes, de quibus non posset habere infinitam & æternam Notitiam sinè infinita & æterna Distinctione suorum Correlativorum; nam aliter notitia esset finita & ligata; quod est impossibile: sed sicut tu Saracene consideras in DEO multas rationes respectu differentiæ creaturarum, quæ differunt per essentiam, sicut bonitas cœli & magnitudo cœli,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cœli, quæ ſunt multæ eſſentiæ differentes, ſic putas, quòd nos Chriſtiani conſideremus in DEO multas Rationes reſpectu differentiæ Eſſentiæ Perſonarum & Divinarum Rationum; hoc autem non ſic conſideramus, ût jam ſuprà dictum eſt: & ſic tuus intellectus eſt valdè depreſſus, quia es Infidelis, ſed meus intellectus eſt altus per gratiam DEI, quia ſum Fidelis; & ſic ſumus differentes in judicio, quoad prius & poſterius.

e. Item quando dicis, quòd diſtinctio Correlativorum tranſeat in Subſtantiam, Eſſentiam, Æternitatem &c., quia Correlativi ſunt coëſſentiales & conſubſtantiales &c., dicis falſum, quia Eſſéntia & Subſtantia &c. convertuntur, & ſunt communia Correlativis, qui non convertuntur correlativè; nam Filius eſt ex Patre, & Sanctus Spiritus ex ambobus; & quælibet Perſona eſt ſingularis, habens perſonalem Proprietatem; & ſic patet, quòd diſtinctio non tranſeat extra Relationem in Divinis; & ſic meæ rationes valent, ſed tuæ non.

3. Manifeſtum eſt philoſophicè, quòd omne agens ſe plùs delectet in producendo ſuum ſimile, quàm quando producit id, quod non eſt ei tam ſimile; ideo DEUS, qui eſt ſummè unus, per ſuam ſupremam Unitatem habet majorem delectationem in producendo unum Ens ſupremum creatum, quàm multa entia creata non ſuprema, ut duo ſuprema ſe conjungant in uno Chriſto, qui eſt una Perſona, videlicet DEUS Homo: & hoc utique per Divinum Intellectum eſt intelligibile, & per Divinam Voluntatem eſt amabile, & per Divinam Poteſtatem perfectibile, & per Divinam Bonitatem bonificabile, & per Divinam Magnitudinem magnificabile & hujusmodi: unde eſt manifeſtum, quòd DEUS ſit incarnatus.

a. Et quando dicis, quòd nullum Ens exiſtens unum infinitum, poſſit conjungi cum uno homine finito & novo & compoſito ex diverſis eſſentiis, ex eo, quia ſicut eſt impoſſibile, quòd unus lapis conjungatur cum planta vel leone, ſic eſt impoſſibile, & multò meliùs, quòd fiat ſupradicta conjunctio: reſpondeo & dico, quòd dicas verum naturaliter, ſed ſupra naturam dicis falſum; nam ſicut Charitas elevat hominem ad diligendum DEUM magìs, quàm ſémet ipſum, & ſuum proximum ſicut ſeipſum, ſic Divina Natura poteſt elevare humanam Naturam ratione ſuæ infinitæ Poteſtatis, ut homo ſit in ipſa & per ipſam DEUS, ita quòd per ſuam humanam Naturam remaneat Homo, ut per humanam Naturam DEUS ſit Homo, ita, quòd DEUS remaneat DEUS per Divinam Naturam.

b. Et quando dicis, quòd plùs valeret, quòd DEUS incarnaretur cum pluribus naturis, quàm cum una: reſpondeo & dico, quòd dicas falſum, quia deſtrueretur ſimilitudo ſupremæ Unitatis, videlicet Unitatis DEI; quod eſt impoſſibile ratione Magnitudinis Divinæ Unitatis, Bonitatis, Sapientiæ & Voluntatis: & ſic meæ rationes ſtant, & tuæ non.

CAPUT III.
De Singularitate.

1. AIt Chriſtianus: concedo tibi, quòd DEUS ſit ſingularis, & eſt ſingularis ratione ſuæ Infinitatis, quia nullum ens eſt infinitum, niſi ſolus DEUS; & ideo ad probandum Trinitatem arguo ſic: omne Ens eſt magìs ſingulare per Infinitatem & infinire, quàm per Infinitatem tantùm, quia Singularitas eſt major in Infinitate per exiſtere & agere, quàm per exiſtere tantùm; & hoc patet in igne, qui eſt ſingularis per infinitatem, in quantum habet ipſam in potentia ad comburendum infinita ligna, poſito, quòd ipſa eſſent, & ad multiplicandum ſe in infinitum; ſed quia non habet infinita ligna, ideo non poteſt habere ignire in infinitum; & ſi haberet, eſſet magìs ſingularis, quàm ſit: tu autem dicis, quòd DEUS ſit ſingularis per exiſtentiam, & non per ſingularem actum coëſſentialem; & ſic concludis, quòd DEUS non ſit infinitè ſingularis; ſed quia ipſe eſt infinitè ſingularis, ideo eſt ſingularis per infinitam Exiſtentiam & Agentiam, quam Singularitatem nullum aliud ens poteſt habere.

Poſito, quòd cœlum eſſet mobile ab æterno, & in æternum, ipſum eſſet ſingulare in multiplicando dies in infinitum numerum exiſtendo & agendo; ſed ſi non eſſet mobile, haberet infinitam diſpoſitionem ad multiplicandum infinitos dies, ſed non eſſet tam ſingulare ſinè actu, quàm cum actu; DEUS autem, qui eſt infinitè ſingularis, & non eſt impeditus ab aliquo, eſt ſingularis per infinitam Exiſtentiam & per infinitam Agentiam.

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit ſingularis per exiſtere & agere; ſed non eſſet ſingularis per infinitum agere, niſi in eo eſſet Trinitas; & hoc oſtendo ſic: quia ſi Pater non eſſet

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſſet Pater ſingularis & infinitus,& non alius Pater infinitus, & niſi eſſet unus Filius ſingularis & infinitus, & non alius Filius ſingularis infinitus, & ſic de Sancto Spiritu ſuo modo, Divina Singularitas non haberet,ex quo eſſet infinita & plena, ſicut Divina Unitas ſinè infinito uniente & infinito unito & infinito unire non haberet, ex quo eſſet infinita nec plena: ergo eſt probata Divina ſingularis Trinitas, cùm Perſonæ ſingulariter exiſtant, & una non ſit altera; nam aliter eſſet deſtructa Singularitas Patris & Filii & Sancti Spiritûs; quod manifeſtè eſt impoſſibile.

Adhuc ad magìs declarandum do iſtud exemplum: quando humanus intellectus eſt practicus, in ipſo conſiſtunt ſingulariter intelligens, intellectus & intelligere, & hoc per differentiam; & ſi quis removeret differentiam ab utroque, eſſet deſtructa ipſa ſingularitas; nam intelligens non tantùm eſſet intelligens, imò eſſet intellectus & intelligere, & è converſo: ergo oſtenditur Beatiſſima Trinitas.

a. Et quando dicis, quòd DEUS ſit infinita &æterna Singularitas,& quòd ipſe ſit una ſingularis Cauſa,concedo tibi,ſed ſua Singularitas non poſſet eſſe infinita & æterna ſinè Beatiſſima Trinitate, ût ſuprà dictum eſt.

3. Si DEUS eſt incarnatus, eſt una Perſona ſingularis in ſumma Singularitate infinita & increata, & in ſumma Singularitate finita & creata; & iſta Perſona eſt noſter Dominus JESUS Chriſtus conjunctus ex ſumma ſingulari Natura increata & ex ſumma ſingulari Natura creata, ratione cujus ſummæ Singularitatis ſequitur iſta ſumma ſingularis prædicatio, quæ in alio ſubjecto non poteſt exiſtere,quia non eſt, videlicet: Chriſtus eſt DEUS, Chriſtus eſt Homo, DEUS eſt Homo, Homo eſt DEUS, DEUS eſt Chriſtus, Homo eſt Chriſtus; ideo ſi Incarnatio eſt, talis ſingularis prædicatio eſt vera;ſed ſi non eſt, non eſt vera: & ſi Humanitas Chriſti eſt in ſumma humana Singularitate, jam ſumma Divina Singularitas in ea eſt præſentata & ſignificata; & talis præſentatio & ſignificatio eſt bona, magna &c.; & quia per Divinum Intellectum eſt intelligibilis, poſtquam eſt bona & magna &c., & ſic per Divinam Voluntatem eſt amabilis, ergo oſtenſum eſt, quòd Divina Incarnatio ſit, poſtquam ipſa per Divinum Intellectum eſt intelligibilis, & per Divinam Voluntatem amabilis.

a. Et quando dicis, quòd nullum Ens ſingulare infinitè & æternaliter poſſit conjungi cum homine, qui non eſt ſingularis, infinitus & æternus, ſicut de ratione calidi eſt, quòd non conjungatur cum frigido,nec bonum cum malo, reſpondeo & dico, quòd DEUS non poſſit incarnari in humana natura, quæ non ſit ſingularis in ſummitate finîs, videlicet, quòd omnes creaturæ ſint ordinatæ ad ipſam, ut DEUS ſit Homo; & ſic reſpiciunt ſe invicem ſumma Singularitas increata & ſumma Singularitas creata,ratione cujus humana Natura eſt diſpoſita per ſummam Singularitatem, quòd DEUS ſit in ea incarnatus; & ſic tua ratio non procedit, ſicut mea.

b. Quamvìs bene declaratum ſit, tamen deduco iſtud exemplum: quando dicis, quòd de ratione calidi ſit, quòd non conjungatur cum frigido, verum dicis quoad contrarietatem, ſed non quoad experientiam; nam in elementatis omnia elementa ſunt mixta, conjuncta & compoſita, ut elementatum ſit continuè plenum, ipſo habente continuam quantitatem; unde patet, quòd, ſi contraria finita appetunt ſe conjungere ratione finîs elementatorum, multò magìs Divina Natura ſe potuerit conjungere Humanæ Naturæ, quæ non eſt ei contraria ratione exaltationis finîs Univerſi creati; & ſic malè dicis, quando negas altiſſimam Poteſtatem DEI, quam ipſe habet in ſuo effectu;quia infinitum Ens poteſt agere in ſuo effectu ad placitum, & finitum ens huic non poteſt reſiſtere; & ſic aperias tuos oculos, & intelligas, ut venias ad ſanctam Legem. Et nónne tu intelligis, de quo dicitur, quòd ſis Philoſophus, quòd ignis, qui eſt ſub olla, & non eſt conjunctus cum olla, nec cum aqua, tamen moveat aquam frigidam in calidam, & det ei actum, qui non eſt ſuus proprius actus, videlicet calefacere carnes?multò magìs ſinè comparatione Divina Natura poteſt dare humanæ Naturæ id, quod non eſt ſuum, videlicet, quòd homo ſit in Divina Natura DEUS,ſicut patet per prædictum exemplum: & hoc etiam poteſt exemplificari per ſeptem Sacramenta; de quibus intendimus loqui in *ſecunda Parte de Signis*, cum quibus oſtenditur vera Lex.

c. Et quando dicis, quòd DEUS non poſſit incarnari, quia non ſufficit unus homo, nec duo,nec mille, nec infinitus numerus ad Incarnationem. Reſpondeo & dico, quòd malè dicas, quia ipſe poteſt incarnari in uno homine, ût probatum eſt, ſed in pluribus non,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non, ut non deſtruatur ſimilitudo ſupremæ Singularitatis, quæ per Divinam Voluntatem eſt amabilis, ſicut per Divinum Intellectum eſt intelligibilis,& per Divinam Bonitatem bonificabilis, & per Divinam Magnitudinem magnificabilis &c.; quare tua objectio non procedit.

CAPUT IV.
De Infinitate.

1. DIxit Chriſtianus: DEUS eſt infinitus abſolutè, ût per me & te conceſſum eſt, & ideo arguo ſic ad probandum Trinitatem.

2. Omne Ens habens infinitam Exiſtentiam & Agentiam eſt Ens infinitum & abſolutum, quia, quidquid eſt infinitum, aut eſt per exiſtentiam, aut per agentiam, aut per utramque; ſi jam Ens eſſet infinitum abſolutè per exiſtentiam tantùm, indigeret infinitâ agentiâ, & è converſo; & ſic ſimpliciter non eſſet infinitum abſolutè, ſed ſecundùm quid; & ideo convenit, quòd ſecundùm utramque ſit infinitum abſolutè; ſed DEUS eſt hujusmodi, ût probabo; DEUS enim non poteſt eſſe infinitus abſolutè per Exiſtentiam nec per Agentiam tantùm, ſed per utramque, ût patet in majori propoſitione; nam aliter DEUS eſſet infinitus abſolutè ſecundùm quid, & non ſimpliciter; quod eſt impoſſibile: ergo patet, quòd DEUS ſit Ens infinitum abſolutè per infinitam Exiſtentiam & Agentiam.

Iterum, nullum Ens eſt infinitum ſinè infinito actu, videlicet infinire, quia ſinè illo eſſet finitum & ligatum, ſicut oculus cæci eſt habituatus cæcitate, quia non habet actum videndi; ſed DEUS eſt infinitus, ergo habet infinitum actum.

Ulteriùs, ſimplex Infinitas requirit,quòd unum infinitum ſit plura infinita & è converſo, ut non ſit impedita & ligata, per infinitam converſionem, videlicet,quòd unum ſit plura,& plura ſint unum; aliter enim plura infinita non attingerent unum infinitum, nec unum infinitum attingeret plura infinita; & ſic ſimplex infinitas eſſet impedita, & per conſequens finita; quod eſt impoſſibile. Et quia Divina Simplicitas eſt ſimpliciter infinita, ergo probatum eſt, quòd DEUS ſit unus & plura; ratione cujus ſequitur, quòd in DEO ſit Trinitas, quam declaro ſic:

In DEO convertuntur ſuum *eſſe* & ſua Eſſentia, ut infiniatur per Eſſentiam & eſſe; & cùm de ratione infinitatis ſit, quòd ipſa habeat infinitum actum, videlicet infinire, ergo inde ſequitur de neceſſitate, quòd in illa Eſſentia ſit Infiniens Deificans, qui de ſe ipſo & de Eſſentia DEI producat Deificatum Infinitum, & hoc cum Deificare, ſcilicet Infinire; & iſtos tres dico eſſe Beatiſſimam Trinitatem, qui ſunt infinita *Plura perſonaliter*, & *Unus* DEUS infinitus *communiter*, & ipſa Infinitas eſt abſoluta per exiſtentiam &agentiam;& talem DEUM colunt,laudant & benedicunt Chriſtiani;Saraceni verò non colunt talem DEUM, negando Beatiſſimam Trinitatem, cùm dicant, quòd DEUS ſit infinitus per exiſtentiam, & ſit finitus per agere, & negant illi infinitum actum, attribuendo ipſi, quòd infinitus non poſſit agere de infinito, ſed de finito, nec ſua Bonitas, Magnitudo &c. convertantur, & ſic careant infinitâ converſione in Divina Eſſentia, & habeant finitos actus in ſubjecto finito & novo, & non infinitos intrinſecè; ratione cujus Bonitas, Magnitudo &c. ſunt indigentes, ſicut ignis,qui ſinè caliditate non poteſt agere; & talis DEUS non eſt verus, ſed fictus ab animabus Saracenorum, quia extra eorum animas non eſt talis DEUS.

a. Et quando tu Saracene dicis, quòd nullum infinitum Ens ſit multa, dicis falſum, ût ſuprà probatum eſt tibi.

b. Et quando dicis, quòd Pater poſſit generare infinitos filios, & Filius infinitos filios, & ſimiliter Sanctus Spiritus,dicis falſum, ût in ſupradicto Capite de Singularitate probatum eſt.

c. Et quando dicis, quòd Pater evacuaret ſe de ſua Eſſentia, ſi produceret infinitum Filium ab æterno & in æternum, dicis falſum, quia evacuatio non eſt,niſi in ſubjecto finito & novo; & etiam quia implicas contradictionem; nam ſi eſt productio infinita & æterna, eſt impoſſibile, quòd detur evacuatio: unde patet per omnia ſupradicta, quòd tua Fides ſit falſa & erronea.

3. Quòd DEUS ſit incarnatus, probo ſic: omne infinitum Ens, quod ſe potiùs habet intelligibiliter & amabiliter ad ſuum effectum ſibi magìs ſimilem,quàm ad effectum ſibi non ita ſimilem, eſt incarnatum; ratio hujus eſt, quia ſimile appetit id, quod eſt illi magìs ſimile; nam aliter ſuus intellectus magìs intelligeret majus ſimile, & voluntas non diligeret ſuum majus ſimile; quod eſt impoſſibile: ſed DEUS eſt Ens infinitum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

&c., quia ſi ſe non haberet potiùs ad majus ſibi ſimile intelligibiliter & amabiliter, ſuus intellectus eſſet priùs, & ſua voluntas poſteriùs in objectando ſupremum creatum; quod eſt impoſſibile: & ideo patet, quòd DEUS ſit incarnatus.

a. Et quando dicis, quòd nullum Ens infinitum & æternum ſit diſpoſitum nec proportionatum, quòd uniatur cum ente finito & novo, quia inter infinitum & finitum eſt nulla proportio, concedo tibi, conſiderando infinitum ſimpliciter remotum ab omni finito, & æternum ab omni novo; ſed conſiderando contractionem ſupremam increatam ad exaltationem creatam ſupremam, & conſiderando exaltationem creatam ſupremam ad contractionem ſupremam increatam, non dicis verum, ût patet per iſtud exemplum: homo peccator eſt inferiùs, & Miſericordia DEI eſt ſuperiùs, & quia Miſericordia DEI eſt infinita, cùm ipſa ſit DEUS, ût tibi probabo in ultimo Capite, peccatum autem, quod peccator facit, eſt finitum, & ſic peccator peccat cum finito contra infinitum, tamen aliquis peccator cum habitu ſpei, ſperando in Divina Miſericordia, & cum habitu juſtitiæ, faciendo pœnitentiam de commiſſis, attingit veniam, Juſtitiâ & Miſericordiâ DEI deſcendentibus, & juſtitiâ & ſpe animæ hominis aſcendentibus; ſic à ſimili & multò meliùs DEUS potuit diſponere Humanam Naturam Chriſti ad ſummum gradum creationis, DEO deſcendente cum ſua Humilitate aſſumendo Carnem ratione exaltationis finîs totius Univerſi, ſicut cauſa, quæ exaltat ſuum effectum tantum, quantum poteſt; ſed tu Saracene exiſtens in falſa Lege non potes hæc alta intelligere nec credere; ſed venias ad Catholicam Legem, & ſic manifeſtè intelliges ea, quæ tibi dico.

licet æternans & æternatus, ſinè quibus non poteſt eſſe æternare; & iſtos tres dico eſſe Beatiſſimam Trinitatem, ſinè quibus Æternitas eſſet vacua, otioſa & imperfecta; quod eſt impoſſibile: ergo eſt probatum, quòd in DEO ſit Trinitas, cùm ipſe ſit Æternitas.

Item per iſtud exemplum poteſt magìs declarari: poſito, quòd Angelus, qui eſt finitus, eſſet ab æterno & in æternum, haberet actum infinitum & intrinſecum cum correlativis ſui intellectûs, multiplicando ſpecies infinitas in numero; & hoc idem poteſt dici de homine, qui eſt magìs finitus, quàm Angelus, qui homo haberet actum infinitum in producendo multos filios infinitos numero, ſi haberet *cum quo*; & ſimiliter poteſt dici de planta, quæ eſt magìs finita, quàm homo, quæ multiplicaret in infinitum folia, flores & fructum, ſi ipſa haberet *cum quo*; & ſimiliter poteſt dici de flamma candelæ, ſi haberet ſufficientiam lignorum; ſic & multò magìs DEUS, qui eſt infinitus per Eſſentiam & Æternitatem, habet actum infinitum & æternum ratione ſuorum ſupradictorum correlativorum: & in iſto paſſu, Saracene, potes cognoſcere ſigna Beatiſſimæ Trinitatis.

a. Et quando dicis, quòd in illa Æternitate, in qua non eſt generare & ſpirare, non ſit Trinitas; nam generare & ſpirare ſunt actus in ſe includentes agentem & patientem, cùm relativè ſe habeant, & etiam includunt in ſe tempus, motum & hujusmodi: concedo tibi de generatione creata, non autem de increata; quia DEUS Pater eſt Æternitas & infinita Eſſentia, qui de ſe ipſo generat Filium æternum & infinitum, & ipſi invicem ſpirant Sanctum Spiritum æternum & infinitum per Amorem, in quibus tempus, motus, quantitas & ſucceſſio non habent locum.

b. Item quando dicis, quòd conveniat, quòd omne ens æternum habens actum, habeat illum in fieri vel in facto eſſe &c.: reſpondeo & dico, quòd dicas verum in ſubjecto finito & novo, non autem in infinito & æterno.

c. Ampliùs, quando dicis, quòd in nullo ente, in quo non ſunt principium, medium & finis, ſit Trinitas &c.: reſpondeo & dico, quòd dicas verum quoad correlativa exiſtentia in quantitate & novitate & tempore, non autem quoad correlativa infinita & æterna; nam dico, quòd Pater infinitus & æternus ſit Naturale Principium, quia de toto

CAPUT V.

De Æternitate.

1. & 2. DIxit Chriſtianus: Omnis infinita Æternitas eſt infinita cum actu, quia ſinè actu eſſet finita & otioſa & vacua, nam ipſa plùs dicit cum æternare, quàm ſinè æternare; ſed DEUS eſt infinita Æternitas, ût per me & te eſt conceſſum, ergo DEUS eſt cum actu; DEUS autem non eſt cum actu extrinſeco, videlicet cum actu creandi, quia eſſet ſua cauſa, ſed eſt cum actu intrinſeco ei coëſſentiali, ſcilicet cum æternare: unde ſequitur, quòd in Æternitate ſint correlativa, vide-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſe ipſo generat & producit Filium infinitum & æternum, & Sanctus Spiritus eſt medium infinitum & æternum ſpiratum ab utroque per Amorem; & ſic patet, Saracene, quòd tuæ rationes non valeant, ſed meæ permaneant in veritate ita efficaciter, quòd intellectus non poſſit intelligere, quòd oppoſitum ſit poſſibile.

3. Sinè Incarnatione DEUS non poſſet ſe diſponere ad creandum mundum, qui eſt finitus & novus, ſicut finis lucrandi unum florenum, qui non ſufficeret ad faciendum unam navem, quæ conſtaret mille marcas; quia inter infinitum & finitum & inter æternum & novum nulla eſt proportio vel diſpoſitio: ratio hujus eſt, quia Ultimus Finis non poteſt eſſe medium inter ipſa, niſi mediante conjunctione Divinæ & Humanæ Naturæ factâ per Incarnationem: & ſicut diximus de creatione, ita poteſt dici de gubernatione mundi in æternum, cujus finis non ſufficeret ad perpetuam durationem ſinè Incarnatione: ergo patet, quòd DEUS ſit incarnatus; & per conſequens, quòd tuæ objectiones parùm valeant.

CAPUT VI.

De Simplicitate.

1. AIt Chriſtianus: Omnis infinita Simplicitas magìs diſtat à compoſitione cum ſuo actu, quàm ſinè actu; nam ſicut finita compoſitio diſtat à ſimplicitate cum ſuo actu, ſcilicet componere, ſic infinita Simplicitas & multò meliùs, diſtat à compoſitione cum ſuo infinito actu, ſcilicet ſimplificare; DEUS autem eſt infinita Simplicitas, ût per me & te conceſſum eſt, ergo DEUS diſtat à compoſitione cum ſuo actu, ſcilicet ſimplificare.

2. Probatum eſt, quòd DEUS habeat infinitum actum, videlicet ſimplificare; unde ſequitur de neceſſitate, quòd in Simplicitate DEI ſint correlativa, videlicet ſimplificans & ſimplificatus infiniti, ſinè quibus non poteſt eſſe infinitum ſimplificare; & iſtos tres dico eſſe Beatiſſimam Trinitatem ſimplicem & infinitam. Et quòd iſta correlativa ſint tria, ſic declaro: ſimplificans eſt unus ſimplex infinitus diſtinctus à ſimplificato infinito, aliàs eſſet compoſitus eum ipſo; & ſic eſſet deſtructa ſua infinita Simplicitas; quod eſt impoſſibile: & hoc idem poteſt dici de ſimplificato & de ſimplificare ſuo modo; ergo probatum eſt, quòd ſint tria correlativa diſtincta infinita in Simplicitate DEI; & hoc probatur per Capita de Unitate, Singularitate, Infinitate, Æternitate & Neceſſitate.

a. Et quando dicis, quòd nullum Ens ſimplex infinitè & æternaliter habeat Trinitatem &c.: reſpondeo & dico, quòd dicas falſum, ût patet per ſupradicta, in quibus Trinitas eſt probata; ſed quia tuus intellectus eſt habituatus de iſtis inferioribus, & non de ſupremis, ideo judicas ſuprema tanquam inferiora; quod apparet in hoc: humana voluntas habet ſua correlativa, videlicet volens, volitum & velle, & iſta correlativa ſunt tria, nam unum non eſt alterum; veruntamen dependent à compoſitione, eò quia humana voluntas eſt compoſita ex materia & forma ſpiritualibus; hoc idem poteſt dici de ſenſibilibus, quæ ſunt magìs compoſita, ſicut in potentia viſiva, in qua ſunt correlativa aliquo modo ſimplicia, ſcilicet viſivum, viſibile & videre, ſed deſcendunt à compoſitione, quia deſcendunt à materia & forma ſenſûs communîs: & ſimiliter poteſt dici de vegetativa, quæ habet ſua ſimplicia correlativa, ſcilicet vegetativum, vegetabile & vegetare, ſed deſcendunt à compoſitione, videlicet à vegetativa compoſita ex forma & materia: adhuc, hoc idem poteſt dici de elementatis, ſicut elementatum, quod habet ſua correlativa, videlicet elementativum, elementabile & elementare, quæ ſunt ſimplicia correlativa, ſed deſcendunt à compoſitione, eò quia elementatum eſt compoſitum ex forma & materia: ſimiliter poteſt dici de ſyllogiſmo, veruntamen ipſe eſt compoſitus ex duabus propoſitionibus & una concluſione: ergo patet per ſupradata exempla, quæ ſunt ſigna Summæ Simplicitatis, de qua nullam notitiam nec credulitatem habes, neque propter hoc ſequitur, quòd Divina Trinitas non ſit.

b. Item, quando dicis, quòd in Ente ſimplici infinitè & æternaliter, in quo non ſunt prius & poſterius, non ſit Trinitas &c.: reſpondeo & dico, quòd prius & poſterius non ſint de ratione Simplicitatis infinitæ & æternæ, ſed de eſſentia compoſita finita & novæ.

Et quando dicis, quòd Pater ſit communis Filio & Sancto Spiritui, dico, quòd non ſit communis Filio, quia de toto ſe ipſo producit Filium, nec quòd ſit communis Sancto Spiritui, quia de toto ſe ipſo ſpirat Sanctum Spiritum, nec quòd Pater & Filius ſint

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuperiùs Sancto Spiritu, quia de toto hoc, quod habent, ſpirant eum: & ideo tua objectio non valet neque procedit.

c. Item, quando dicis, quòd ego dicam, quòd Pater ſit Subſtantia, & Filius ſit Subſtantia, & Sanctus Spiritus ſit Subſtantia &c., reſpondeo & dico, quòd DEUS ſit Subſtantia, ſed non compoſita; nam in Subſtantia, quæ eſt infinita & æterna, non eſt compoſitio, ſed in ſubſtantia finita & nova, de qua tu intelligis, eſt illa compoſitio; nam illa eſt compoſita & conſtituta ex diverſis eſſentiis, videlicet ex forma & materia; & ut tuus intellectus poſſit elevari ad intelligendum Supremam Subſtantiam, volo tibi dare iſtud exemplum: ignis eſt ſubſtantia, & ipſe eſt compoſitus ex materia & forma, & ipſe quoad ſuam formam habet in potentia comburendi infinita ligna, ſi ille haberet ipſa; ſed quia illi deficiunt ligna, non poteſt ipſa comburere: igitur ſi forma ignîs, qui eſt creatura, habet in potentia actum infinitum ſinè materia, multò magìs Suprema Subſtantia, quæ eſt Purus Actus, habet actum ſimplicem & infinitum; & ſic eſt ſimplex ſinè materia.

d. Item quando dicis, quòd ego ponam, quòd Pater habeat duas actiones &c., verum dicis, ſed non accidentales actiones, ſed conſubſtantiales; nam accidens non tranſit ad ſubſtantiam ſimplicem & æternam, ſed ad ſubſtantiam compoſitam finitam & novam.

Iterum, per actiones & paſſiones eſt manifeſtum, quòd DEUS ſit perfectum Principium, & hoc ſic: convenit, quòd in Principio perfecto, infinito & æterno ſit unum Principium principians non principiatum, & iſtud eſt DEUS Pater; & ſit aliud Principium principians & principiatum, & iſtud eſt DEUS Filius; & ſit aliud Principium principiatum non principians, & iſtud eſt DEUS Sanctus Spiritus; & in iſtis tribus numerus ternarius eſt principium perfectum; nam prima Unitas non habet aliquid ſibi præjacens, ſecunda autem Unitas eſt genita à prima ſimpliciter, & tertia eſt ſpirata à prima & ſecunda, quia ſinè ipſis non poſſet eſſe tertia Unitas; & ſic numerus ternarius eſt perfectus *per par & impar*, cum quibus omnis numerus conſiſtit, videlicet per par vel impar; & talis numerus numeratus eſt imago Beatiſſimæ Trinitatis & perfecti Principii: & quia tu negas Beatiſſimam Trinitatem, ideo negas, quòd DEUS ſit perfectum Principium; nam ſecundùm te DEUS nihil principiabat ab æterno, & quando principiavit mundum, ipſe fuit principium mendicans in creando principium novum, cum quo fecit ſe principium novum, & ſic fecit ſe principium, antequam fuiſſet principium; quod eſt manifeſta contradictio.

3. DEUS eſt ſumma Simplicitas, ût ſuprà probatum eſt, & ſuus Intellectus cognoſcit illud creatum, per quod ſua Simplicitas eſt magìs cognita, & ſua Voluntas hoc idem diligit, & hoc intelligere & amare eſt magnum bonum; ſed hoc eſt per Incarnationem, ût probabo: ergo DEUS eſt incarnatus: & ſi DEUS eſt incarnatus, Divina Natura, quæ eſt ſumma Simplicitas, eſt conjuncta cum humana Natura, quæ eſt compoſita ex Anima & Corpore, & Perſona Chriſti eſt una non compoſita ex Divina & humana Natura, quia Divina Natura non eſt in compoſitione ratione ſuæ Infinitatis; & ſic Incarnatio eſt ſignum ſummæ Simplicitatis, & ita altum ſignum, quòd altius non poteſt eſſe; & tale ſignum non cognoſcunt Saraceni dicentes: quòd, ſi DEUS eſt incarnatus, ſua Divina Natura ſit una pars compoſitionis; & ſic attribuunt defectum ſummæ Simplicitati, dicendo: quòd DEUS non eſſet ſimplex, ſi eſſet incarnatus; ſicut ſunt aliqui dicentes, quòd lux Solis deturpetur, quando tranſit per turpia loca.

a. Et quando dicis, quòd nullum Ens ſimplex, infinitum & æternum poſſit conjungi cum ente finito & novo & compoſito &c., dicis falſum, poſito, quòd DEUS habeat infinitam Poteſtatem, cui finita poteſtas non poteſt reſiſtere.

CAPUT VII.
De Vita.

1. DIxit Chriſtianus: Nulla Vita eſt infinita ſinè vivere; ratio hujus eſt, quia ſinè vivere eſſet finita, eò quòd eſſet otioſa & vacua, & non eſſet tam remota à morte ſinè vivere, quàm cum vivere; ſed DEUS eſt infinita Vita, ût per me & te conceſſum eſt, ergo DEUS non eſt ſinè vivere.

2. Probatum eſt, quòd Vita DEI ſit cum vivere, ſed vivere non poteſt eſſe absque correlativis vitæ, ſcilicet vivificante, vivificabili vel vivificato; & iſtos duos correlativos cum vivificare dico eſſe Beatiſſimam Trinitatem, Patre exiſtente vivificante & producente Filium productum, vivificatum & infinitum, & ipſi ad invicem ſpirant & vivificant Sanctum Spiritum ſpiratum & vivificatum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tum per Amorem, quem habent, & omnes tres ſunt diſtincti relativè, ſed ſunt communiter Unus DEUS vivus infinitus, qui eſt Una infinita Vita.

a. Et quando dicis, quòd in Vita infinita & æterna, in qua non eſt vivere, non ſit Trinitas &c.: reſpondeo & dico, quòd dicas verum de agente & patiente, qui ſunt accidentia, non autem de agente & patiente, qui ſunt Proprietates ſubſtantiales, agente exiſtente Subſtantiâ vivâ, infinitâ & æternâ & remotâ ab omni materia ratione ſuæ Infinitatis, qui producit Filium paſſum ſeparatum ab omni materia, quia ipſe eſt productus de infinita Subſtantia.

3. Omne illud, per quod Infinitas Vitæ DEI per Intellectum poteſt magìs cognoſci, convenit, quòd illud idem per Divinam Voluntatem ametur; ſed hoc eſt per Incarnationem, nam quando Chriſtus fuit mortuus in Cruce, ipſe quidem fuit mortuus ratione ſeparationis Animæ à Corpore, & tunc non fuit Homo, nec vivus quoad humanam Naturam, ſed ipſe fuit Homo vivus ſupra humanam Naturam, ipſo exiſtente DEO Homine vivo ratione Divinæ Naturæ conjunctæ cum Anima ſeparata & cum Corpore mortuo in Cruce; & hoc fuit altiſſimum ſignum cognoſcendi Infinitatem Divinæ Vitæ, ut ipſum ſignum fuiſſet datum: & in iſto paſſu, Saracene, potes cognoſcere, quòd Lex Chriſtianorum ſit ſublimis, quæ cum tali ſigno & multis aliis oſtendit altitudinem Vitæ Supremæ Cauſæ, & hoc non facit tua infima & erronea Lex, quæ non dat talia ſigna, niſi de terrenis.

a. Et quando dicis, quòd Ens habens Vitam infinitam & æternam, non poſſit conjungi cum ente mortali, finito & novo &c.: reſpondeo & dico, quòd tua objectio non valeat, quia tu limitas infinitam Poteſtatem, quam habet infinita Vita: adhuc, negas converſionem infinitæ Poteſtatis & infinitæ Voluntatis, cum qua converſione fuit facta Incarnatio; quia Divina Voluntas voluit Incarnationem, & Divina Poteſtas potuit ipſam perficere; quare patet, quòd dicas falſum. Et nunquid intelligis, quòd rationalis anima, quæ non eſt punctualis nec linealis, ſit naturaliter conjuncta cum humano corpore, quod eſt punctuale & lineale? quantò magìs ergo Divina Natura potuit ſe conjungere cum humana Natura ſupra curſum naturæ, DEO remanente immortali quoad ſuam Naturam, & mortali quoad humanam Naturam: ſicut aqua, quæ eſt incalefactibilis quoad ſuam naturam, calefactibilis autem quoad naturam ignîs.

b. Et quando dicis, quòd, quando homo eſt mortuus, non poſſit eſſe vivus &c., reſpondeo & dico, quòd tua objectio jam ſit ſoluta per ſupradatum exemplum.

Probavi Beatiſſimam Trinitatem & Incarnationem cum ſeptem Rationibus, quas tu Saracene poſuiſti, & ſolvi tuas falſas & erroneas rationes; nunc autem intendo probare, quòd undecim Rationes ſint coëſſentiales DEO, quas dicis eſſe qualitates DEI; & etiam quòd duæ, quas tu negas, ſint in DEO conſubſtantiales, videlicet Natura & Subſtantia; & cum iſtis tredecim Rationibus probabo, quòd in DEO ſit Trinitas & Incarnatio, & deinde ſolvam tuas Rationes: & primò dicemus de Natura.

CAPUT VIII.
De Natura.

1. DIxit Chriſtianus: Omne Ens infinitum habens Naturam eſt magìs remotum à finito cum natura, quàm ſinè natura; ratio hujus eſt, quia ſinè natura eſſet vacuum & otioſum, quæ ſunt de ratione finiti; & etiam patet per intellectum, qui cum natura habet intelligere, non autem cum ignorantia; ſed DEUS eſt Ens infinitum habens Naturam, ût patet per actus naturales probatos in ſeptem Capitibus ſuprà poſitis, per quos probavimus Beatiſſimam Trinitatem, quæ non poteſt eſſe ſinè Natura; nam Pater non poteſt habere Filium ſinè Natura, nec Filius poteſt habere Patrem ſinè ea: & ideo patet, quòd DEUS habeat Naturam. Modò autem intendo probare, quòd DEUS convertatur cum ſua Natura; & hoc ſic: Divina Natura aut eſt ab æterno, aut non? ſi non, Pater non habet Filium ab æterno, quod eſt falſum; nam ſuperiùs probatum eſt, quòd Pater habeat Filium ab æterno; & hoc idem poteſt dici de Infinitate &c.: ergo Natura DEI eſt ab æterno, ratione cujus ſequitur ejus converſio; & hoc ſic: ſi Divina Natura non convertitur cum Divina Æternitate, ſequeretur, quòd eſſent duæ Æternitates differentes per Eſſentias: & ſic eſſet deſtructum Caput de Unitate, & Singularitate, Æternitate, Infinitate & Simplicitate; quod eſt impoſſibile: ergo concluditur, quòd DEUS & ſua Natura convertantur.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. Probatum est, quòd DEUS sit sua Natura, & convertatur cum ea; unde sequitur, quòd ipsa convertatur cum Divina Entitate necessaria, & cum Divina Unitate & Singularitate &c., quæ convertuntur cum DEO; sed Natura non posset converti cum ipsis, nisi haberet actum, videlicet naturare, quâlibet habente suum actum, videlicet unitate habente unire &c., ipsis habentibus actus naturales per actum ipsius naturæ: unde sequitur de necessitate, quòd Divina Natura habeat intrinsecum actum, scilicet naturare; sed non posset ipsum habere sinè correlativis illi connaturalibus, videlicet naturante & naturabili vel naturato; & istos duos correlativos cum naturare dico esse Beatissimam Trinitatem, quia Pater generat de sua Natura Filium naturatum, & ipsi de Natura sui amoris spirant & naturant Sanctum Spiritum.

Et quando dicis *in Capite XI. de Intellectu*, quòd DEUS non habeat Naturam, quia sic haberet terminum à quo, & terminum ad quem &c., dico tibi, quòd verum esset de natura inferiori & creata, de qua tu intelligis ea, quæ dicis, quæ sic definitur: Natura est principium motûs & quietis in subjecto, in quo est; sed in Divina Natura non est motus nec materia, quia est infinita & æterna; sed Divina Natura potest sic definiri: *Divina Natura est substantia infinita & æterna, cui propriè competit naturare substantiale infinitum & æternum;* & sic in tali Natura concludo Trinitatem, non autem in illa, quam tu intelligis.

3. Omnis agens infinitus & naturalis habet se magìs ad creandum majorem finem creatæ naturæ, qui potest esse, quàm ad creandum minorem; ratio hujus est, quia per suum Intellectum est magìs intelligibilis, & per suam Voluntatem magìs amabilis; DEUS autem est agens infinitus & naturalis &c., quia sicut suus Intellectus intelligit majorem finem creatæ naturæ, qui potest esse, sic sua Voluntas diligit, quòd ipse sit, ut invicem sint æquicreantes & æquiagentes postquam ipsi æqualiter habent naturales actus.

Et quando dicis in Capite suprà allegato, quòd DEUS se non posset facere Hominem sinè Natura: verum dicis; sed quia DEUS habet Naturam, ût suprà probatum est, idcirco cum sua Natura & humana Natura potuit se facere Hominem, uti cum natura rationalis Animæ & natura corporis facit hominem sive homines extra se: quare manifestè patet, quòd tuæ rationes non procedant.

CAPUT IX.

De Substantia.

1. DIxit Christianus: Omne infinitum Ens est Substantia, quia per se existit; sed DEUS est infinitum Ens, ût per me & te concessum est, ergo DEUS est Substantia.

Et quando dicis in tua Positione in principio Libri, quòd Bonitas, Magnitudo &c. non sint substantiales DEO, quia substantia non consistit nisi per formam & materiam, respondeo & dico, quòd dicas verum de substantia creata & finita, non autem de Substantia increata & infinita; nam sicut substantia creata consistit per formam & materiam, sic & multò magìs Substantia increata & infinita consistit per suam necessariam Entitatem, Unitatem, Singularitatem, Æternitatem, ipsâ existente formâ infinitâ, denudatâ ab omni materia.

2. Probatum est, quòd DEUS sit Substantia, ratione cujus probabo Sanctissimam Trinitatem sic: Omnis infinita Substantia est magìs remota ab accidente cum substantiare, quàm sinè substantiare; ratio hujus est, quia per infinitum substantiare se prolongat ab omni accidente; sed DEUS est infinita Substantia, ût jam superiùs probatum est, ergo DEUS est magìs remotus ab accidente cum substantiare, quàm sinè substantiare: unde sequitur, quòd in Substantia DEI sint correlativi consubstantiales, videlicet substantiativus & substantiabilis vel substantiatus, sinè quibus substantiare non potest esse; & istos tres dico esse Beatissimam Trinitatem, ipsis existentibus unâ Substantiâ, unâ Deitate, uno DEO.

3. Probatum est, quòd DEUS sit Substantia, & quia ipse est unus infinitus, ideo est una Substantia infinita; & sic quando DEUS creavit mundum, ideo magìs se habuit ad creandum unam Substantiam supremam super omnes alias substantias creatas, quàm ad creandum omnes alias substantias non supremas; & hoc rationabiliter intellexit suus Intellectus, & hoc idem amanter voluit sua Voluntas ratione Unitatis Divinæ Substantiæ & Unitatis Substantiæ creatæ exaltatæ, ut se unitè respicerent in sublimitate; quia multò magìs placet Divinæ Voluntati creare unam Substantiam sive naturam, cum qua sit conjuncta Divina Natura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tura vel ipſa Voluntas, quàm creare mille mundos, in quibus non ſit aliqua ſubſtantia, cum qua Divina Natura ſit conjuncta; & quia hoc placuit Divinæ Voluntati, ideo fuit facta Incarnatio, quia Divina Voluntas, quæ eſt infinita, non poteſt impediri: ergo probata eſt Divina Incarnatio.

Et quando dicis *in decimo Capite de Bonitate*, quòd eſſet injuriata Divina Bonitas &c., ſi DEUS eſſet incarnatus, ex eo, quia eſſet conjunctus cum ſubſtantia conſtituta ex forma & materia, malè dicis, poſito, quòd illa ſubſtantia ſit finis omnium creaturarum mediante Divinâ Subſtantiâ: & tu jam vides, quòd rationalis Anima, quæ eſt ſpiritualis ſubſtantia, non ſit injuriata, licèt ſit conjuncta cum corporali ſubſtantia corruptibili & mortali, quia inde ſequitur bonus & magnus finis, videlicet homo.

CAPUT X.
De Bonitate.

1. DIxit Chriſtianus Saraceno: Tu ponis
a. *in octavo Capite de Bonitate*, quòd Bonitas non ſit coëſſentialis DEO, nec convertatur cum ipſo; ſed ego probabo, quòd dicas falſum, & hoc ſic: pono iſtos tres terminos ad meliùs declarandum: A. B. C., pono, quòd A. dicat Bonitatem ab æterno, & B. Bonitatem non ab æterno, & C. Bonitatem in æterno; Bonitas DEI aut eſt ab æterno, aut non? ſi non, ergo eſt nova; & ponatur, quòd ſit nova in C., oportuit, quando DEUS creavit ipſam in C., quòd habuerit poteſtatem in B., quia ſinè præcedente poteſtate non potuit ipſam creare; nam creare non poteſt eſſe ſinè præjacente poteſtate: ergo citiùs fuit poteſtas in B., quàm in C.; & illa poteſtas, quæ fuit in B., erat bona, quia erat effectus DEI: modò ponatur, quòd bonitas creata fuiſſet creata in B., oportuit, quòd fuiſſet creata cum Poteſtate exiſtente in A., ſinè qua DEUS non potuit ipſam creare in B.; quia DEUS non poteſt aliquid ſinè Poteſtate, ſicut non intelligit aliquid ſinè Intellectu, & non diligit aliquid ſinè Voluntate: ergo Poteſtas, cum qua DEUS creavit B., fuit in A.; & illa Poteſtas fuit bona; quia convenit, quòd Poteſtas exiſtens ab æterno ſit bona; & illa fuit bona per Bonitatem; quia ſinè ipſa non poteſt eſſe bona: ergo ita citò fuit Bonitas ab æterno, ſicut Poteſtas, cum qua fuit creata: & ſic ſequitur, quòd ſint duæ bonitates diſtinctæ per eſſentiam ab æterno, una eſt Divina Bonitas, alia eſt creata bonitas ſuſtentata in illa; & ſic deſtruitur Singularitas Divinæ Æternitatis, & etiam ſua Unitas & Infinitas; quod eſt falſum & impoſſibile, ût patet per hoc, quod ego & tu diximus *in Capite de Singularitate:* ergo concluditur, quòd Divina Bonitas non diſtinguatur à DEO per Eſſentiam, nec aliquo modo à ſua Entitate neceſſaria & ſua Unitate &c.: & ſicut diximus de Divina Bonitate per A. B. C., ita poteſt dici de Divina Magnitudine, Poteſtate &c., usque ad Divinam Miſericordiam; & in iſto paſſu potes cognoſcere, per quem modum intellectus Chriſtianorum excedat intellectum Saracenorum in conſiderando ſublimitatem Divinarum Rationum, ad quam intellectus non poteſt aſcendere cum falſa Lege; quia falſitas non eſt de ratione ſublimitatis, ſed infimitatis.

b. Et quando dicis *in octavo Capite de Bonitate*, quòd ipſa non ſit DEUS, ſed ſit ei proprietas &c.: non valet, quia DEUS cum ſua Bonitate ordinavit mundum ad bonum, & mundus naturaliter eſt bonus, ſed homines peccatores ſunt mali moraliter, & DEUS permittit, quòd ipſi ſint mali, ut ſua Juſtitia in ipſis habeat ſuum actum, qui eſt bonus, poſtquam eſt effectus ejus, quæ Juſtitia eſt DEUS, ût probabo *in decimo nono Capite de Juſtitia;* & etiam permittit, quòd ipſi ſint mali, ut Miſericordia in ipſis habeat ſuum actum, qui eſt bonus, ût probabo *in vigeſimo Capite:* ergo patet, quòd tuæ rationes non concludant.

2. Dixit Chriſtianus: Omnis infinita Bonitas habet infinitum actum, DEUS eſt infinita Bonitas, ergo habet infinitum actum. Majorem ſic probo: ſi infinita Bonitas non haberet infinitum actum, videlicet bonificare, non poſſet habere ſua correlativa; & ſic ſua Eſſentia eſſet deſtructa & otioſa, ſicut eſſet deſtructa & otioſa eſſentia ignîs ſinè ignitivo, ignibili & ignire; deſtructio autem infinitæ Bonitatis &c. eſt impoſſibilis; minorem ſic probo: probatum eſt *in tuo quarto Capite de Infinitate*, quòd DEUS ſit infinitus, & *in meo*, quòd ipſe habeat infinitum actum, & *in iſto decimo Capite de Bonitate* probatum eſt, quòd Divina Bonitas ſit DEUS; ergo declarata eſt minor, & per conſequens, quòd DEUS habeat infinitum actum & infinitè bonum, qui actus non poteſt eſſe ſinè correlativis Divinæ Bonitatis, videlicet infinitis bonificante, bonificabili; & iſtos duos

(c) 2006 Ministerio de Cultura

duos correlativos cum bonifacere dico esse Beatissimam Trinitatem.

b. Et quando dicis *in Capite de Bonitate*, quòd in DEO non sit Trinitas, postquam bonitas non est DEUS, dicis falsum, ût patet suprà, ubi probatur, quòd Divina Bonitas sit DEUS: ergo manifestè apparet, quòd tua objectio non procedat.

3. Omnis infinita Bonitas diligit altitudinem creatæ bonitatis, quia est sua causa; & quantò magìs alta est creatura, tantò magìs per Divinam Voluntatem est amabilis: unde sequitur, quòd Divinus Intellectus possit intelligere illam supremam Bonitatem creatam, & hoc in tantum, in quantum per Divinam Voluntatem potest esse amabilis: unde sequitur Divina Incarnatio, in qua sunt duæ Bonitates conjunctæ ita altæ, quòd non possint esse magìs altæ, & omnes aliæ inferiores bonitates sunt ordinatæ ad illas duas, sicut effectus ad suas causas: si autem Incarnatio non est, Divinus Intellectus habituat se de ignorantiâ, ut ipsam non possit intelligere, nec voluntas ipsam diligere, & sic Intellectus intelligit & non intelligit; quod est contradictio: ulteriùs, quia Divinus Intellectus esset inferiùs per Bonitatem, & Voluntas superiùs; quod est impossibile.

a. Et quando dicis, quòd valde magnum inconveniens sequeretur contra Divinam Bonitatem, si DEUS esset incarnatus &c.: respondeo & dico, quòd dicas falsum, quia non dico, quòd Divina Bonitas & humana Bonitas Christi convertantur, sed conjungantur; nec Divina Bonitas deterioratur per illam conjunctionem, nec etiam Divina Bonitas deturpatur; & hoc manifestatur per istud exemplum: quando rationalis anima est conjuncta cum corpore viginti annis, ipsum corpus est pulchrius, quàm quando ipsa steterit cum illo octuaginta annis; nam illud venit ad senectutem & decrepitudinem, nec propter hoc rationalis anima est deturpata nec deteriorata, posito, quòd ille homo sit habituatus de virtutibus: ergo patet, quòd tua ratio non procedat.

CAPUT XI.
De Magnitudine.

1. Ait Christianus Saraceno: Tu dicis *in*
a. *nono Capite de Magnitudine*, quòd DEUS habeat Magnitudinem, sed ipse non sit Magnitudo: & sic implicas contradictionem, ût probabo; & quia contradictio non potest stare in DEO, ût probabo, ideo dicis falsum: Magnitudo radicata in DEO est major, quàm omnis alia magnitudo, & hoc apparet per Altitudinem subjecti, videlicet DEI; & illam Magnitudinem, quam dicis, DEUS habet aut à se, aut ab alio? à se non, quia esset indigens extra suam Essentiam; quod est contra Caput de Entitate necessaria & Unitate &c.; ergo non à se, sed ab alio, videlicet ab ente creato, & sic illud est sua causa finalis, sicut coloratum, quod est causa coloris finaliter; & sic sequitur, quòd eadem magnitudo sit prius & posterius; quod est impossibile: ergo patet, quòd DEUS sit sua Magnitudo.

b. Et quando dicis, quòd, si DEUS esset magnitudo, sequeretur inconveniens &c.: respondeo & dico, quòd DEUS non habeat mensuram extensivam, & quoad hoc verum dicis; sed quoad mensuram spiritualem habet mensuram immensam & infinitam; sicut Æternitas, quæ est una mensura immensa; & sic potest dici de Divina Unitate, Infinitate &c., & etiam de Divina Trinitate probata in supradictis Capitibus: & ideo patet, quòd tua objectio non procedat.

2. Omnis Magnitudo est magìs magna
a. per suum actum, videlicet magnificare, quàm sinè ipso; ratio hujus est, quia sua Potestas est magna per existere & agere, & sinè actu esset ligata, & esset de conditione parvitatis, & Magnitudo & sua Potestas essent vacuæ & otiosæ, & terminus ad quem esset remotus ab eis; sed Magnitudo DEI est Magnitudo magìs magna, ergo est Magnitudo magìs magna per suum actum, quàm sinè eo: ergo concluditur, quòd in Divina Magnitudine sit coëssentiale magnificare: ipsum autem non potest esse sinè correlativis, videlicet magnificante & magnificato; & omnes isti tres distinguuntur, ût patet *in tertio Capite secundæ Partis*; & istos tres voco Divinam Trinitatem, cùm ipsi tres sint una Magnitudo infinita & æterna, & quilibet sit unus ratione Unitatis, & quilibet singularis ratione Singularitatis, &c. hujusmodi.

b. Et quando dicis, quòd in DEO non possit esse Trinitas, nisi Divina Magnitudo esset infinita & æterna: concedo tibi; sed quia est probatum, quòd Divina Magnitudo sit DEUS, ergo patet, quòd tua ratio nihil valeat.

3. Omne Ens magnum & infinitum non contra-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

contradicens magnitudini ſui effectûs eſt incarnatum; ratio hujus eſt, quia ſua Infinitas requirit ita magnum effectum, quòd non poſſit eſſe major, quàm ille; & hoc intelligit Divinus Intellectus, & hoc idem vult Divina Voluntas, poſtquam per Divinum Intellectum talis effectus eſt objectatus, & etiam ad hoc conſentit Magnitudo Divinæ Bonitatis: ſed DEUS eſt Ens magnum, infinitum &c., ût ſuperiùs probatum eſt: Adhuc, DEUS non contradicit magnitudini ſui effectûs, ut Divina Voluntas diligat illud ſummum Objectum creatum ſic ratione ſuæ Bonitatis & Magnitudinis, ſicut Intellectus ipſum intelligit; & illud objectum eſt Humana Natura Chriſti, in qua & cum qua DEUS eſt factus Homo: ergo probatum eſt, quòd DEUS ſit incarnatus.

a. Et quando arguis, quòd, ſi DEUS eſt incarnatus, Chriſtus ſit ita magnus, ſicut cœlum & plus: reſpondeo & dico, quòd „DEUS Filius totus ſit incarnatus, quia Ens „infinitum eſt ubique totum ratione ſuæ in-
b. „diviſibilitatis; & Chriſtus, in quantum „Homo, non eſt ubique, quia eſt finitus & „limitatus; ſed DEUS Filius ubique eſt Ho„mo, quia totus eſt incarnatus, & ſic eſt Ho„mo in cœlo, & extra cœlum, & in terra; „nam eſt infinitus: & propter hoc dicitur, „quòd Euchariſtia ſit poſſibilis, quia Filius „DEI exiſtens Homo eſt ubique Homo; ra„tione cujus idem Homo, videlicet Chri„ſtus, poteſt eſſe eodem tempore in multis „locis ſacramentaliter, quia DEUS eſt ubi„que Homo.„ Sed hanc altitudinem tuus intellectus non intelligit, quia ipſe non utitur hâc altitudine; nec datum eſt ei auxilium per veram Fidem, Spem, Charitatem, quæ ſunt virtutes vel inſtrumenta, per quas intellectus eſt valde ſublimis & elevatus ad intelligendum Summum Objectum & ſuas altas intrinſecas & extrinſecas Operationes; & de iſta materia loquar técum *in Parte de quadraginta Signis:* ergo patet, quòd DEUS ſit incarnatus.

CAPUT XII.
De Poteſtate.

1. DIxit Chriſtianus: Omne infinitum Ens eſt ſua infinita Poteſtas; ratio hujus eſt, quia nullum ens eſt infinitum ſinè ſua infinita Poteſtate, nec è converſo; DEUS autem eſt infinitum Ens, ût per me & te conceſſum eſt, ergo DEUS eſt ſua infinita Poteſtas. Et quando dicis, quòd DEUS non ſit Divina Poteſtas &c., dicis falſum, ût ſuprà probatum eſt.

2. Omne ens habens infinitum poſſe eſt *a* trinum, vel habet Trinitatem; ratio hujus eſt, quia infinitum poſſe eſt infinitus actus; ſed talis actus non poſſet eſſe ſinè ſuis correlativis ſibi coëſſentialibus, videlicet poſſificante & poſſificato & poſſificare; ſed DEUS eſt Ens habens infinitum poſſe, aliàs non eſſet infinitus, vel haberet cauſam ſuprà ſe; quod eſt impoſſibile: & ideo manifeſtè patet, quòd DEUS habeat poſſificantem, poſſificatum & poſſificare vel poſſe, quos appellamus Divinam Trinitatem. Et quando dicis, quòd DEUS non habeat Poteſtatem, dicis falſum, ût ſuperiùs jam probatum eſt.

b. Item quando dicis, quòd poteſtas alicujus candelæ non ſufficeret ad illuminandum aërem totius mundi, dicis verum; ſed ſi haberet ſufficientiam lignorum, multiplicaret ſe in infinitum, ût ſuprà dictum eſt; & ſic non habes tuum propoſitum; & ideo tua ratio non valet.

3. Quando dicis, quòd Filius DEI non *a.* poſſit incarnari, quia eſt idem per Eſſentiam cum Patre, aliàs Pater incarnaretur, vel Eſſentia eſſet diviſa, dicis falſum, & do tibi iſtud exemplum: in humano intellectu ſunt correlativi, videlicet intellectivus, intelligibilis & intelligere, qui ſunt idem per Eſſentiam ipſius intellectûs, & intelligibile ipſius intellectûs conjungitur cum ſpecie objectivè, quam facit intelligibilem; & in tali conjunctione non ſunt duo intelligentes, ſed duo intelligibilia, ſcilicet unum intrinſecum, & aliud extrinſecum; & propter hoc non ſequitur, quòd eſſentia intellectûs dividatur; & hoc idem poteſt exemplificari in correlativis voluntatis, imaginationis & ſenſitivæ: & ideo patet, quòd tua ratio non procedat.

Omne illud, per quod DEUS poteſt habere majorem Poteſtatem in creatura, eſt, quòd faciat ſe Hominem; ratio hujus eſt, quia creatura non poteſt magìs exaltari: & etiam quòd ſe faciat unum Hominem, & non plures, ut ille Homo per unitatem & ſingularitatem poſſit habere majorem convenientiam cum Divina Unitate & Singularitate; & ſic ſequitur, quòd DEUS ſit factus Homo, ut Divinus Intellectus intelligens talem majorem Poteſtatem & Voluntas diligens ipſam non ſint rebelles contrà

(c) 2006 Ministerio de Cultura

majorem Potestatem, quam DEUS potest habere in creatura.

b. Et quando dicis, quòd DEUS non possit incarnari &c.: respondeo & dico, quòd dicas verum, si non esset causa distincta ab effectu per essentiam; sed posità distinctione essentiali non dicis verum: sicut ponatur, quòd visus vellet esse auditus essentialiter cum tali conditione, quòd ipse vellet habere coloratum pro proprio objecto & similiter sonum mediante auditu, & è converso.

CAPUT XIII.
De Intellectu.

1. *a.* DIxit Christianus: Omne id, quod est magìs definibile, est infinitus Intellectus; sed DEUS est id, quod est magìs definibile, ergo DEUS est infinitus Intellectus. Majorem sic probo: ratio hujus est, quia id tale includit in se Infinitatem, & ideo est magìs definibile; & sic est magìs definibile ratione suæ Infinitatis: ergo est infinitus Intellectus, quia definitio & definitum sunt idem; nam aliter darentur duæ infinitates; quod est impossibile: DEUS autem est id, quod est magìs definibile, per hoc, quòd dicitur, quòd DEUS sit infinitus & æternus &c.: ergo DEUS est infinitus Intellectus.

b. Et quando dicis, quòd DEUS non sit naturalis Intellectus, malè dicis, nam probatum est statim, quòd DEUS sit Intellectus. Adhuc dicis falsum, quando negas, quòd DEUS habeat Naturam; nam jam probatum est *in octavo Capite*, quòd habeat illam; veruntamen non dico, quòd habeat Naturam materialiter, quia ipse est infinitum Ens remotum ab omni materia.

2. Probatum est, quòd DEUS sit infinitus Intellectus; sed ipse non potest esse infinitus Intellectus sinè infinito actu, videlicet infinito intelligere; quia infinito Enti non sufficit tantùm infinita Existentia, imò ipsum ita requirit infinitam Agentiam, sicut & Existentiam; sed in infinito Ente, in quo est infinitum Intelligere, sunt Intelligens & Intellectus, à quibus egreditur tale Intelligere, & sinè ipsis non potest esse, nec è converso; & istos tres dico esse Beatissimam Trinitatem: quare manifestum est, quòd in DEO sit Trinitas.

Et quando dicis, quòd DEUS non habeat Trinitatem, quia conveniret, quòd haberet naturalem Intellectum: dicis falsum; quia tibi jam probatum est per antè dicta, quòd DEUS sit intellectus.

3. *a.* Omne Ens infinitum & intelligens majorem finem mundi, & amans magìs amabilem finem illius est incarnatum; ratio hujus est, quia infinitum Ens magìs diligit id, quod magìs intelligit, ratione suæ Infinitatis & Æqualitatis sui Intellectûs & Voluntatis; sed DEUS est infinitum Ens &c., ût per se patet: ergo DEUS est incarnatus.

b. Et quando dicis, quòd DEUS non sit incarnatus, quia si esset incarnatus, intelligeret, quòd esset homo, & hoc naturaliter &c. Respondeo & dico, quòd DEUS intelligat, quòd ipsémet sit DEUS, & intelligat, quòd sit factus Homo, sed non intelligit, quòd sit factus DEUS; & sic est manifesta differentia existens inter DEUM & hominem; nam DEUS, in quantum est DEUS, est naturaliter DEUS; sed non est factus Homo naturaliter, sed voluntariè: sicut si ponatur, quòd Petrus sit factus Martinus, Petro remanente in suo numero, ipse Petrus est Petrus naturaliter, sed non est Martinus naturaliter; & sic tua ratio non concludit: ergo patet, quòd DEUS sit incarnatus.

CAPUT XIV.
De Voluntate.

1. DIxit Christianus: Omne infinitum Ens est infinita Voluntas; sed DEUS est infinitum Ens, ergo DEUS est infinita Voluntas. Majorem probo sic: quia si infinitum Ens non esset infinita Voluntas, voluntas non haberet infinitos correlativos; & sic tale Ens esset ligatum & impotens, in quantum ipsum non posset habere correlativos ipsius infinitæ Voluntatis; quod est impossibile: quòd jam DEUS sit infinitum Ens, per se patet; ergo DEUS est infinita Voluntas.

a. Et quando dicis, quòd, si DEUS esset infinita Voluntas, ipse haberet infinitum velle & nolle: respondeo & dico, quòd non valeat, posito, quòd Voluntas haberet correlativos uniformiter, singulariter & infinitè, videlicet unum volentem, & non odientem, & unum amatum, & non oditum, & unum velle, & non odire; aliàs esset destructa Unitas & Singularitas, Infinitas & Æternitas DEI; quod est impossibile.

b. Item quando dicis, quòd, si DEUS esset Voluntas, ipse odiret & diligeret creaturas ab æterno, & in æternum &c.: verum esset, si es-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſi eſſet, ſicut tu dicis; ſed quia non eſt ſic, ût patet per prædicta, ergo tua ratio non valet.

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit infinita
a. Voluntas; ſed DEUS non poteſt eſſe illa ſinè infinitis correlativis Voluntatis, ſinè quibus ipſa non eſſet infinita; & ſic ſequitur, quòd in infinita Voluntate ſint volens, volitus & velle infiniti, quos vocamus Divinam Trinitatem.

b. Et quando dicis, quòd Pater non poſſet velle, quòd eſſet Pater &c.: dicis verum, ſi DEUS non eſſet infinita Voluntas; ſed quia ſuprà probatum eſt, quòd ſit infinita Voluntas, ergo tua ratio non valet.

3. Omnis infinita Voluntas diligens effectum, qui eſt magìs circa Infinitatem, eſt incarnata; ſed DEUS eſt infinita Voluntas diligens effectum, qui eſt magìs circa Infinitatem; ergo DEUS eſt incarnatus. Majorem ſic declaro: quia ſi eſt aliqua creatura exiſtens in altiori gradu nobilitatis & bonitatis, quæ poſſit eſſe creata vel creanda, ipſa quoad ſe & ſubjectivè eſt infinita ratione infinitæ Amabilitatis, quæ exiſtit ſupra ipſam: unde ſequitur, quòd ipſa ſit conjuncta cum tali infinita Voluntate; quam conjunctionem vocamus Incarnationem: minorem ſic probo, videlicet, quòd ſit infinita Voluntas, jam patet ſuperiùs.

Iterum, ſi finita Voluntas habet finitum amare, multò magìs DEUS habet infinitum amare, poſtquam ipſe eſt infinita Voluntas; & ſic eſt de ſua ratione, quòd velit conjungi cum finita voluntate ſubjectivè, quam conjunctionem vocamus Incarnationem.

a. Et quando dicis, quòd, ſi DEUS eſſet incarnatus, jam cum ſua voluntate vult, quòd in Chriſto DEUS ſit Homo, & Homo ſit DEUS, ita, quòd Chriſtus ſit DEUS & Homo &c.: non valet, quia tibi jam probatum eſt, quòd DEUS ſit infinita Voluntas, cum qua poteſt velle ad placitum.

b. Et quando dicis, quòd meliùs fuiſſet, quòd DEUS fuiſſet angelicatus &c.: reſpondeo & dico, quòd, licèt Angelus ſit altior in natura, quàm homo, tamen homo habeat magìs extenſam naturam, quàm Angelus, quia participat cum omnibus creaturis, in quantum eſt compoſitus ex corpore & anima, Angelus verò non; quia ille non eſt conjunctus: & ſic DEUS prudenter dilexit volendo ſeipſum incarnari, & non angelicari, ut cum omnibus creaturis, quæ ſunt ſui effectus, poſſet participare in natura.

CAPUT XV.

De Virtute.

1. DIxit Chriſtianus: omne illud infinitum
a. Ens, quod eſt magìs remotum à vitio, eſt Virtus; DEUS autem eſt illud infinitum Ens, quod eſt magìs remotum à vitio, ergo DEUS eſt Virtus. Majorem ſic declaro: quia ſi infinitum Ens non eſſet Virtus, ipſum non haberet, cum quo eſſet magìs remotum à vitio; & ſic eſſet finitum: ſicut aqua non eſſet magìs remota ab igne, qui eſt calidus, ſi ipſa non eſſet frigida: minor per ſe manifeſta eſt, videlicet, quòd DEUS ſit illud infinitum Ens, quod eſt magìs remotum à vitio: ergo DEUS eſt Virtus. Et quando dicis, quòd DEUS non ſit Virtus, dicis falſum, quia ſuperiùs probatum eſt, quòd DEUS ſit Virtus.

b. Item quando dicis, quòd DEUS non habeat contrarium, ſed virtus habeat contrarium, dicis falſum, quantùm ad infinitam Virtutem, coram qua nullum vitium poteſt ſtare; ſed dicis verum, quantùm ad virtutem creatam vel moralem; ſicut injuſtitia, quæ eſt contra juſtitiam; & Infidelitas contra Fidelitatem à DEO datam.

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit Virtus, ideo ipſe eſt infinita Virtus; ſed non poteſt eſſe infinita Virtus ſinè infinitis Correlativis, ſicut, & multò magìs, finita virtus, quæ non poteſt eſſe ſinè finitis correlativis, ût manifeſtatur per juſtitiam hominis, quæ non poteſt eſſe ſinè juſtificante, juſtificato & juſtificare: ergo Virtus DEI habet coëſſentiales infinitos Correlativos, videlicet Virtuificantem, Virtuificatum & Virtuificare, quos vocamus Divinam Trinitatem; ſicut patet in DEO Patre, qui cognoſcit ſe infinitè bonum, magnum &c., & ſic juſtificat ſe infinitè cum ſuis Rationibus in producendo Filium bonum, magnum, æternum &c., & ipſi invicem, videlicet Pater & Filius juſtificant ſe in ſpirando Sanctum Spiritum, ratione cujus infinitè ſunt remoti ab injuria.

a. Et quando dicis, quòd DEUS non ſit Virtus, cùm ſit Pater &c., dicis falſum, ût jam ſuperiùs probatum eſt.

b. Item, quando dicis, quòd Pater injuriaret Filium &c., dicis falſum, ût *in Capite de Singularitate & Unitate* dictum eſt; imò dico tibi, quòd Pater injuriaret Filium, ſi Pater injuriaret ſe ipſum, deſtruendo ſuam Paternitatem unam, infinitam & ſingularem.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

3. Probatum est, quòd DEUS sit infinita Virtus, ideo per ipsam probabo, quòd ipse sit incarnatus; & hoc sic: Omnis infinita Virtus, quæ non potest quiescere, nisi producat majorem effectum creatum, quo major non possit creari, est incarnata; sed DEUS est infinita Virtus, quæ non potest quiescere, nisi producat majorem effectum creatum, ergo DEUS est incarnatus. Majorem declaro sic: infinita Virtus ratione suæ Infinitatis potest creare ens vel effectum in altiori gradu summitatis creatæ virtutis, & hoc ratione suæ infinitæ Potestatis; & sicut hoc potest, sic illud idem Intellectus intelligit, & hoc idem sua Voluntas diligit; & sic æqualiter quiescunt per Incarnationem, quæ est in altiori gradu summitatis creatæ virtutis. Minorem declaro sic: probatum est, quòd DEUS sit infinita Virtus; & si ipse non esset incarnatus, ipse non posset quiescere cum finito subjecto, usque quò exaltaret ipsum cum suis Rationibus, quòd magìs non posset exaltari, videlicet, quòd DEUS faceret se Hominem, & Hominem DEUM; sicut Rex non posset magìs exaltare suum servum induendo, quàm si ipse eum faceret indui pretioso panno, quo Rex est indutus: ergo patet, quòd DEUS sit incarnatus.

a. Et quando dicis, quòd, si DEUS est incarnatus, faciat injuriam suæ Essentiæ &c., verum esset, si ipse dimitteret suam Deitatem, & assumeret Humanitatem; sed quia assumit Humanitatem cum suis Rationibus, ut sua Bonitas, Magnitudo, Potestas &c. magìs diligantur, ideo non injuriat se ipsum nec suas Rationes; sicut causa, quæ est bona, magna &c., non injuriat suam bonitatem, magnitudinem &c., si ipsa causat effectum bonum & magnum &c.: ergo patet, quòd DEUS non injuriet se ipsum per Incarnationem, imò tu Saracene injurias DEUM & suam Bonitatem, Magnitudinem &c. in quantum dicis, quòd, si DEUS esset incarnatus, non sufficeret ei Potestas ad remunerandum in altiori gradu Virtutis, in quo antè erat; & sic attribuis ei infinitam Potestatem, & etiam negas ei infinitam Potestatem, Bonitatem, Magnitudinem, Intellectum, Voluntatem & Virtutem.

b. Et quando dicis, quòd Pater & Sanctus Spiritus fecerint sibi ipsis injuriam &c.: respondeo & dico, quòd, si Pater esset incarnatus, & sic de Sancto Spiritu, Pater esset Pater, & esset Filius; & sic destrueretur Unitas & Singularitas Paternitatis & Filiationis, quod est contra Caput de Unitate & Singularitate; quod est impossibile. Ampliùs, tanta fuit exaltatio Universi per Incarnationem Filii DEI, quòd Universum non fuerit capax ad recipiendum altiorem exaltationem; nam aliter Filius DEI non fuisset sufficiens ad exaltationem Universi in altiori gradu, per quam potuit exaltare; quod est impossibile, cùm ipse sit infinitus.

CAPUT XVI.

De Veritate.

1. DIxit Christianus: Probavi, quòd DEUS
a. sit suus infinitus Intellectus & infinita Voluntas, modò autem probabo, quòd DEUS sit sua infinita Veritas; & hoc sic: DEUS intelligit se ipsum intelligentem infinitè, & diligit se amantem infinitè, & sic attingit infinitam Veritatem, sinè qua non posset se intelligere infinitum intelligentem nec infinitum amantem: unde sequitur, quòd DEUS sit ipsámet Veritas; nam aliter Veritas esset ei prima causa, & sic esset finitus; quod est impossibile: & ideo patet, quòd DEUS sit sua infinita Veritas.

b. Et quando dicis, quòd, si DEUS esset Veritas, haberet habitum &c., verum dicis, posito, quòd illa veritas esset accidens; sed quia ipsa est infinita, ût probatum est, ideo est per se existens, & sic est Substantia; nam omne ens per se existens est Substantia; & sic patet, quòd tua ratio non concludat.

2. Probatum est, quòd DEUS sit infinita Veritas, & per hoc intendo probare Divinam Trinitatem arguendo sic: Nulla Veritas est infinita sinè infinitis correlativis, DEUS est infinita Veritas, ergo DEUS non est infinita Veritas sinè infinitis correlativis. Major probatur sic: nullum infinitum Ens potest habere sufficientiam infinitæ Veritatis, nisi habeat ipsam per infinitam Existentiam & Agentiam; sed per infinitam Agentiam non potest habere illam sinè infinitis correlativis infinitè existentibus, videlicet verificante, verificato & verificare infinitis: minor autem superiùs est probata: unde sequitur, quòd in Divina Veritate sint infiniti correlativi, quos appellamus Divinam Trinitatem.

a. Et quando dicis, quòd, si DEUS non est Veritas, in ipso non sit Trinitas &c.: sed quia probatum est, quòd DEUS sit Veritas, ideo manifestum est, quòd dicas falsum.

Et

(c) 2006 Ministerio de Cultura

b. Et quando dicis, quòd DEUS non credat, nec habeat fidem, dicis verum.

c. Et quando dicis, quòd DEUS non possit intelligere Filium sinè matre, dicis falsum, quia ipse intellexit Adam filium ratione creationis sinè matre,& Evam filiam creatam sinè naturalibus parentibus: unde, si DEUS hoc potuit intelligere *creativè*, multò magìs DEUS Pater potest intelligere DEUM Filium *æternativè* sinè matre; & hoc fuit significatum per Evam filiam Adæ *materialiter* tantùm, in quantum fuit de costa Adæ,sic Filius DEI est Filius sinè matre,quia est de Essentia Patris *formaliter*, non autem materialiter, quia Pater est forma infinita remota ab omnia materia, quæ per nullam essentiam creatam potest impediri.

3. Omnis infinita Veritas gaudet habere infinitum effectum subjectivè,per quem cognoscatur & diligatur;Divina Veritas est infinita, ergo ipsa gaudet habere infinitum effectum. Majorem declaro sic: nam sicut ignis est subjectum infinitæ potentiæ ad comburendum infinita ligna, sic infinita Veritas habet potestatem ad creandum subjectum verum & infinitum, ut per ipsum cognoscatur&diligatur infinita Veritas;minor autem jam probata est, videlicet, quòd DEUS sit infinita Veritas, & sic ipse gaudet habere effectum novum, verum & infinitum, cum quo cognoscatur & diligatur Divina infinita Veritas; & dico, quòd talis effectus novus & verus sit infinitus, quia DEUS non potuit creare nec exaltare altiorem, quàm illum; talis effectus est Humana Natura nostri Domini JESU Christi, cum qua Divina Natura est conjuncta, ratione cujus conjunctionis est causatus effectus verus, altus & infinitus; & sic verè ostenditur, quòd DEUS sit incarnatus.

a. Et quando dicis, quòd Divinus Intellectus non possit intelligere, quòd DEUS sit concluśus: respondeo & dico, quòd dicas verum, posito, quòd ipse esset concluśus & divisus; sed quia est infinitus, ideo non potest concludi in faciendo se hominem, nam ipse vult, quòd sit infinitus, sicut est & voluit, quòd sit Homo finitus & concluśus in Utero Beatæ Virginis.

b. Et quando dicis, quòd immobile non descendat de cœlo in terram: dicis verum quoad sensum literalem, non autem quoad sensum allegoricum, quia DEUS potest esse ubique,ipso remanente immobili, sicut anima hominis, quæ verè potest velle esse in capite, & in pede, ipsâ remanente immobili & indivisâ.

c. Et quando dicis, quòd minor causa non causet majorem: dicis verum, sed major causa causat minorem; dico majorem causam, videlicet, ut cognoscatur & diligatur Divina Veritas, sed dico minorem causam Humanam Naturam Christi habendo respectum ad supradictam: iterum dico majorem causam Humanam NaturamChristi, habendo respectum ad utilitatem totius Universi; & ut clariùs intelligas, do tibi istud exemplum:posito,quòd non fuit,nec est,nec erit nisi unus homo,Anima ipsius esset priùs, quàm corpus; quia Anima posset objectare DEUM intelligendo, diligendo & recolendo,sed corpus non; quia DEUS non est imaginabilis,nec sensibilis:iterum corpus ipsius hominis esset priùs, cœlum autem & omnia elementa&elementata essent posteriùs,quia non possunt objectare DEUM; & prioritas illius corporis esset propter conjunctionem, quam haberet cum Anima objectante DEUM, ipsâ non conjunctâ cum aliis corporibus.

Et quando dicis, quòd DEUS innovaret se in assumendo Carnem: dicis verum,in quantum se fecit Hominem, qui non erat, remanente Æternitate ininnovatâ, sicut Infinitas indivisa: sicut homo habens novam cappam, qui innovatus est per novam cappam, non autem per essentiam, quia jam erat homo, & remansit idem homo, quando habuit novam cappam: & sic per supradicta potest concludi de aliis, quæ tu ponis: unde evidenter apparet, quòd tuæ positiones non procedant.

CAPUT XVII.

De Gloria.

1. *a.* AIt Christianus: Omne infinitum Ens intelligit & diligit, quòd ipsum sit infinita Gloria; sed DEUS est infinitum Ens: ergo intelligit & diligit, quòd ipsum sit infinita Gloria. Majorem declaro sic: nisi DEUS intelligeret & diligeret, quòd ipse sit infinita Gloria, intelligeret & diligeret, quòd sua Infinitas esset imperfecta, in quantum Infinitas non esset capax ad essendum Gloria, vel esset impedita per aliam essentiam; & sic sequeretur contradictio, videlicet, quòd hoc, quod est infinitum, esset finitum, & è converso; quod est impossibile: & sic declarata est major: sed minor per se patet, eò

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia ego & tu concedimus, quòd DEUS ſit infinitus: ergo concluditur, quòd ipſe intelligat & diligat, quòd ipſe ſit infinita Gloria.

b. Et quando dicis, quòd DEUS non ſit gloria, dicis falſum, ût ſuprà probatum eſt; ſed ipſe non eſt talis gloria, qualem habent creaturæ, quia earum gloria eſt finita & nova & poſterior, ſed Gloria DEI eſt prior, quia eſt infinita & æterna, & quia ipſa Gloria eſt ſuúsmet finis: & ſic patet, quòd tuæ rationes non procedant.

2. Nullum Ens infinitum eſt infinita Glo-*a.* ria ſinè glorioſis & infinitis correlativis; DEUS eſt infinitum Ens: ergo DEUS non eſt infinita Gloria ſinè glorioſis & infinitis correlativis. Major per ſe manifeſta eſt, quia infinita Gloria requirit infinitam Exiſtentiam & infinitam Agentiam, ſinè quibus non eſſet infinita: minor autem de ſe manifeſta eſt, ût ſuprà probatum eſt: ergo DEUS habet infinitos correlativos ratione ſuæ Gloriæ, videlicet gloriantem, gloriatum & gloriari infinitos; & iſtos „ tres infinitè nu-„meratos, & per Divinum Intellectum tres „intellectos, & per Divinam Voluntatem „tres amatos, & per Divinam Unitatem tres „unitos vocamus Divinam Trinitatem, „quolibet exiſtente uno per Divinam Uni-„tatem, & quolibet exiſtente ſingulari per „Divinam Singularitatem„: & ut tuus intellectus poſſit elevari, mediante Gloriâ DEI volo tibi oſtendere modum Beatiſſimæ Trinitatis dicendo ſic: DEUS intelligit Differentiam vel Diſtinctionem inter gloriantem, gloriatum & gloriari; quia ſinè Differentia vel Diſtinctione non eſſent tres, nec Infinitas poſſet eſſe infinitè in ipſis, & ſic de Divina Unitate & Singularitate &c.; & ideo ſicut menſurans menſurat menſurabile cum menſura, ſic DEUS numerat & nominat ipſos tres, & etiam cum Diſtinctione eorum numerat in ſe ipſo multas Rationes, videlicet neceſſariam Entitatem & Unitatem & Singularitatem, & ſic de cæteris, quas ponis, & de illis, quas ego pono, videlicet Bonitatem, Magnitudinem &c.; non dico, quòd ipſæ Rationes ſint diſtinctæ inter ſe; nam aliter eſſet deſtructa Infinitas & Eſſentia, ſcilicet Deitas vel Divina Subſtantia; quod eſt impoſſibile: ſed ratione diſtinctionis Perſonarum ſunt multæ Rationes, ut Infinitas ambiat, quòd DEUS Pater ratione Bonitatis cognoſcat producere bonum Filium, & ratione Magnitudinis magnum Filium, & ſic de aliis; ſinè qua cognitione Divinus Intellectus non poſſet eſſe infinitus nec objectivè nec ſubjectivè; & iſte eſt unus gradus altiſſimorum graduum Beatiſſimæ Trinitatis, quem tibi poſſum notificare de ea, ût dictum eſt ſimili modo *in tertio Capite de Unitate ſecundæ Partis*; & ideo rogo DEUM, ut ipſe tibi det gratiam ad intelligendum ipſum.

b. Et quando dicis, quòd in DEO non poſſit eſſe Trinitas, quia ipſe non eſt gloria, verum eſſet, ſi DEUS non eſſet gloria; ſed quia probatum eſt, quòd DEUS ſit Gloria, ideo dicis falſum, ratione cujus tuæ poſitiones non procedunt.

3. Omne infinitum Ens habens infinitos & glorioſos correlativos habet ſe magìs ad illam creaturam, quæ habet correlativos glorioſos circa Infinitatem exiſtentes, quàm ad aliam, quæ non habet illos; ſicut ſimilans ad ſuum magìs ſimile: & hoc Divinus Intellectus non poteſt ignorare vel negare, nec Divina Veritas falſificare: ergo patet, quòd in DEO ſit Incarnatio, cùm correlativi glorioſi ſint infiniti in Humana Natura Chriſti, & ſunt infiniti ratione conjunctionis Filii DEI & Humanæ Naturæ.

a. Et quando dicis, quòd Filius DEI non ſit incarnatus, quia intelligeret dedecus & vituperationem DEI &c.: dico, quòd verum eſſet, ſi talia tranſirent in Divinam Eſſentiam; ſed non tranſeunt, quia eſt infini-*b.* ta & æterna, ſicut corruptio corporis, quæ non tranſit ad animam conjunctam cum eo, quia ipſa eſt incorruptibilis; & ſic evidenter patet, quòd tuæ rationes non procedant; & ſimilis ſolutio ſignificata eſt ſuprà *in Capite de Veritate.*

CAPUT XVIII.

De Perfectione.

1. DIxit Chriſtianus: Omne infinitum Ens *a.* eſt Perfectio, DEUS eſt infinitum Ens, ergo DEUS eſt Perfectio. Majorem declaro ſic: quia nullum ens eſt infinita Perfectio, niſi habeat perfectam Exiſtentiam & Agentiam infinitas, & non poteſt habere ipſas, niſi ipſúmmet ſit Perfectio: minor de ſe manifeſta eſt: & ideo patet, quòd DEUS ſit perfectio. Et quando dicis, quòd DEUS non ſit Perfectio, dicis falſum, quia tibi probatum eſt, quòd ipſe ſit Perfectio.

b. Et cùm dicis, quòd perfectio habeat cauſas, dicis verum de perfectione poſteriori, non autem de Perfectione infinita, quia illa eſt priùs. Proba-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit Perfectio,
a. & quia ipſe eſt infinitus, ideo ipſe eſt infinita Perfectio; illa autem non poteſt eſſe infinita, niſi ſit cum infinita Exiſtentia & Agentia, ût ſuprà ſignificatum eſt, ergo DEUS habet infinitam & perfectam Agentiam, ſicut infinitam & perfectam Exiſtentiam; ſed DEUS eſt DEUS per infinitam & perfectam Exiſtentiam, ergo DEUS eſt DEUS per infinitam & perfectam Agentiam, ut Infinitas & Perfectio Agentiæ & Exiſtentiæ ſibi æqualiter correſpondeant; ſed DEUS, in quantum eſt DEUS, non agit ſeipſum, quia nullum ens agit ſe ipſum ſubſtantialiter; ſicut homo, qui non facit ſeipſum hominem: ergo DEUS agit vel producit DEUM, ut habeat infinitam & perfectam Agentiam: DEUS autem, qui producit DEUM, eſt Pater, quia de tota ſua infinita & perfecta Exiſtentia producit DEUM Filium infinitum & perfectum; & ſic reſpiciunt ſe æqualiter infinita & perfecta Exiſtentia, & infinita & perfecta Agentia, & hoc per infinitam & perfectam Bonitatem, Magnitudinem & Æternitatem &c.; & quia ſe æqualiter reſpiciunt Exiſtentia & Agentia in Divina Eſſentia & in ejus connaturalibus Rationibus, ideo æqualiter ſe habent ad producendum Sanctum Spiritum, ut Reſpectus, quem habent Pater & Filius ad invicem, ſit ita infinitus & perfectus, ſicut ſunt Exiſtentia & Agentia eorum; & iſtos tres dicimus Divinam Trinitatem, quæ oſtenditur tam rationabiliter, quòd humanus intellectus ipſam rationabiliter non poteſt negare.

b. Et quando dicis, quòd perficere non tranſeat in Eſſentiam DEI, quia perficere ſemper eſt in fieri vel in facto eſſe, dicis falſum, poſito, quòd tranſeat in infinitam & æternam Eſſentiam DEI, in qua non eſt locus, tempus, motus nec ſucceſſio; ſed in quantum perficere conſiſtit in finita & nova eſſentia, dicis verum; & ſic tuæ rationes non procedunt.

3. Probatum eſt, quòd DEUS ſit Perfectio, & quia illa Perfectio eſt infinita, ideo habet ſe magìs ad creandum majus perfectum, quàm minus perfectum, & ſimiliter ſe habet ad creandum majus bonum, quàm minus bonum, & majus magnum, quàm minus magnum &c., ut habeat æqualem modum in creando cum infinita Bonitate & Magnitudine &c., ſicut habet cum infinita Perfectione; & hoc ſimiliter poteſt intelligi de infinito Intellectu, qui hoc intelligit, & de Divina Voluntate, quæ hoc diligit: & ſic oſtenſa eſt Divina Incarnatio, ut infinitas ſit communis omnibus ſupradictis Rationibus in creando ita altam creaturam, quòd altior illâ non poſſit creari quoad Rationem infinitæ Bonitatis, Magnitudinis &c.: tamen non dico, quòd illa creatura ſit capax illius altitudinis quoad ſuam naturam, ſicut humana voluntas, quæ non poteſt aſcendere ad amandum DEUM per ſuam naturam ſinè charitate: ſed quia Divina Natura eſt conjuncta cum humana Natura Chriſti, ideo penetrat & tranſcendit omnes creaturas, & ſuper omnes exiſtit finis & perfectio; & de iſta materia jam ſumus locuti *in decimo ſexto Capite de Veritate.*

a. Et quando dicis, quòd perfectus, qui unitur cum imperfecto, non poſſit eſſe perfectus, dicis verum, ſi intelligatur de perfecto conjuncto cum imperfecto ratione peccati; ſed ſi unus perfectus eſt conjunctus cum imperfecto ſinè peccato tranſeundo ad ſummam perfectionem creatam, ût ſuprà dictum eſt, dicis falſum; & do tibi iſtud exemplum: anima hominis in via eſt imperfecta, quia eſt conjuncta cum corruptibili corpore, & ipſa eſt incorruptibilis; ſed quando corpus erit glorificatum in Paradiſo, tunc anima non erit imperfecta ratione corporis, quod tunc non erit corruptibile.

b. Et quia das comparationem de igne & de aqua, facis falſam comparationem, quia ignis & aqua ſunt contrarii per calidum & frigidum, ſed Natura Divina & humana non ſunt contrariæ per bonum & malum: & ideo eſt manifeſtum, quòd tuæ rationes non concludant.

CAPUT XIX.

De Juſtitia.

1. *a.* DIxit Chriſtianus: In nullo infinito Ente Juſtitia eſt habitus; quia ſi eſt, ipſum ens eſſet finitum, in quantum ipſum ens ſinè inſtrumento, videlicet Juſtitia, non poſſet agere; ergo Juſtitia non eſt habitus in infinito Ente, videlicet in DEO; & quia tu ponis, quòd Juſtitia ſit habitus in DEO, quia non convertitur cum eo, dicis falſum; nam Divina Juſtitia convertitur cum DEO, & hoc ſic: omne infinitum Ens juſtè ſe intelligens & amans &c. eſt Juſtitia; DEUS eſt infinitum Ens juſtè ſe intelligens & amans, ergo DEUS eſt Juſtitia. Majorem declaro ſic: ſi infinitum Ens non eſſet Juſtitia, Juſtitia

juſtè

(c) 2006 Ministerio de Cultura

justè non sufficeret infinito justo *intelligere* & *amare*, quia esset finita, vel infinitum Ens haberet supra se causas; quod est impossibile: minor per se est manifesta; ergo DEUS est Justitia.

b. Et quando dicis, quòd, si DEUS esset Justitia, judicaret se infinitè & æternaliter, dicis verum, secundùm quòd ageret in se ipso infinitè & æternaliter; nam „Justitia est „reddere unicuique, quod suum est„: non autem dico, quòd ipse agat in se ipso de commissis judicando, quia nec in se ipso nec extra se ipsum potuit agere injuriosè, postquam ipse est infinita Justitia; sicut non potest agere malum in se ipso nec extra se ipsum, postquam ipse est infinita Bonitas; & sic consideratis omnibus supradictis manifestum est, quòd tua consideratio sit falsa & erronea.

2. Dictum est superiùs, quòd Justitia sit
a. reddere unicuique, quod suum est, & probatum est, quòd DEUS sit Justitia, ideo per hoc intendo probare Beatissimam Trinitatem & Incarnationem; & primò Trinitatem dicendo sic:

DEUS est Ens necessarium, & est unus, & sic per rectam lineam usque ad hoc Caput, quod est de Justitia secundæ Partis; & ideo est necessarium, quòd DEUS reddat sibímet, quod suum est ratione Necessitatis Justitiæ, & quòd reddat Unitati id, quod suum est, & Singularitati similiter id, quod suum est; & sic de aliis.

Divina Unitas est infinita, ût jam probatum est, & sic DEUS de ratione Infinitatis suæ Unitatis tractat justè suam infinitam Unitatem, Unitate habente unum actum infinitum, & per consequens unum agentem infinitum, & unum agibilem infinitum, & per istos tres Justitia reddit Unitati, quod suum est, videlicet suam Infinitatem, cum qua Unitas est infinita existendo & agendo: & si esset, sicut tu Saracene dicis, Justitia non redderet Unitati, quod suum est, & alteraretur in injuriam, & Unitas remaneret finita, vacua & otiosa; & quia hæc omnia sunt impossibilia, sequitur justè & necessariò, quòd in Unitate sint sui supradicti correlativi, & per consequens Trinitas; nam illos vocamus Trinitatem.

DEUS est singularis, ût per me & te concessum est *in Capite de Singularitate*, cui Justitia reddit, quod suum est, per hoc, quòd DEUS est unus singularis infinitus & æternus &c., ipso habente infinitam & singularem Existentiam & Agentiam, in qua Agentia & Existentia sit unus infinitus, justus & singularis Pater, & unus infinitus, justus & singularis Filius, & sic unus infinitus, justus & singularis Sanctus Spiritus; & sic per Trinitatem habet hoc, quod suum est, sinè qua Singularitas esset finita, vacua, otiosa, injuriata & habituata de habitu privationis; quod est impossibile: quod impossibile converteretur in possibile, si esset, sicut tu Saracene dicis: ergo probata est Divina Trinitas; & sicut illam probavi per Unitatem & Singularitatem, ita potest probari per omnia Capita secundæ Partis; sed nolo probare per omnia, quia volo evitare prolixitatem.

b. Et quando dicis, quòd DEUS Pater non possit producere Filium infinitum & æternum, quia sua Justitia est finita & nova: & quia Justitia DEI est infinita & æterna, ût superiùs probatum est, ideo es conclusus.

c. Item, quando dicis, quòd Pater aut indigeat Filio, aut non indigeat eo? respondeo & dico, quòd indigeat illo naturaliter, & hoc infinitè & æternaliter, ut Divina Justitia reddat Divinæ Naturæ, quod suum est, videlicet suos naturales correlativos, sinè quibus esset finita, nova, vacua & otiosa, & per Justitiam injuriata, sicut dictum est *in Capite de Unitate & Singularitate;* & sic de aliis Rationibus; quod est impossibile: unde patet, quòd iterum sis conclusus.

3. Dictum est, quòd Justitia sit reddere unicuique, quod suum est, & dictum est de *intrinseca redditione*, modò autem intendo dicere de *extrinseca redditione*, cum qua intendo probare Incarnationem, & hoc sic: Justum est, quòd Divinus Intellectus intellexerit altiorem finem mundi in creatione illius, quòd majorem illo non potuerit intelligere; nam aliter esset habituatus de habitu ignorantiæ, & per ipsum injuriatus; quod est impossibile: & sicut dico de Divino Intellectu, ita dico de Divina Voluntate, & etiam de Bonitate, Magnitudine &c.; & omnia ista fiunt justè, & humanus intellectus non potest rationabiliter negare, posito, quòd Divina Justitia reddat unicuique Rationi DEI in creando, quod suum est; sed Incarnatio fuit altior finis mundi, quo major non potest creari, ût per se patet: ergo manifestè ostensum est, quòd DEUS sit incarnatus.

a. Et quando dicis, quòd, si DEUS esset incarnatus, faceret injuriam Angelis &c., respondeo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſpondeo & dico, quòd jam ſolutum ſit ſuperiùs *in duodecimo Capite de Voluntate.*

b. Et quando dicis, quòd fecerit injuriam pluribus hominibus, quia non aſſumpſit carnem eorum, reſpondeo & dico, quòd tua objectio ſit ſoluta *in Capite de Singularitate ſecundæ Partis;* & ideo tuæ objectiones non procedunt.

CAPUT XX.

De Miſericordia.

1. DIxit Chriſtianus: quòd DEUS ſit Miſericordia, probo ſic: Omne infinitum Ens, quod poteſt parcere infinitis peccatis, eſt Miſericordia; DEUS eſt infinitum Ens, quòd poteſt parcere infinitis peccatis, ergo DEUS eſt Miſericordia. Majorem declaro ſic: quia parcere infinitis peccatis non poteſt fieri ſinè actu parcendi, nec actus parcendi poteſt eſſe, niſi ipſe ſit actus Miſericordiæ; ſicut actus amandi non poteſt eſſe, niſi ipſe ſit actus Amoris; & cùm infinitum Ens non indigeat inſtrumento, quia eſſet finitum, ideo ipſum eſt Miſericordia: minor per ſe eſt manifeſta: ergo manifeſtum eſt, quòd DEUS ſit Miſericordia.

a. Et quando dicis, quòd, ſi DEUS eſſet Miſericordia, parceret ſibi ipſi æternaliter & infinitè &c.: reſpondeo & dico, quòd DEUS ſit Miſericordia, ût probatum eſt; ſed non dico, quòd ipſe parcat ſibi ipſi, quia ipſe non poteſt peccare, nec alicui alteri infinitè, quod apparet per iſtud exemplum: ignis habet in potentia comburendi infinita ligna, & poſito, quòd haberet illa, & combureret ea, jam non combureret ſe ipſum, ſed ligna, ſicut agens, qui non agit ſe ipſum, ſed paſſum; ſic DEUS non parcit ſibi ipſi, ſed peccatoribus; & licèt ipſe ſit infinita Miſericordia, propter hoc non ſequitur, quòd ipſe habeat actum parcendi infinitè, quia non habet ſubjectum, cui parcat infinitè; ſicut ignis, qui non habet ſubjectum, in quo comburat infinitè: & in iſto paſſu gaudeant peccatores ſperantes veniam, & prolongantes ſe à deſperatione, poſtquam DEUS quoad ſe eſt paratus ad parcendum infinita peccata, poſito, quòd illa eſſent.

b. Item, quando dicis, quòd, ſi DEUS eſſet Miſericordia, Miſericordia eſſet infinita, & ſic parceret omnia peccata ſinè contritione, confeſſione & ſatisfactione, ſicut ignis combureret totam aquam &c., non valet tua ratio, quia in DEO Miſericordia & Juſtitia convertuntur, ignis autem & aqua contrariantur; & Miſericordia non eſt contra actum Juſtitiæ; & ideo tuæ rationes nihil valent.

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit Miſericordia, & probatum eſt ſimiliter, quòd, ſi eſſet infinitum ſubjectum, parceret illi infinitè; & ideo per infinitum actum, ſcilicet parcere, quod haberet in ſubjecto extraneo; eſt ſignificatum, quòd Infinitas DEI habeat intrinſecum actum, videlicet infinire; nam bene ſequitur, quòd, ſi ipſe haberet infinitum actum extrinſecè, multò magis intrinſecè: unde patet, quòd Infinitas DEI habeat actum, videlicet infinire; ſed non poteſt ipſum habere ſinè correlativis, ſcilicet infiniente & infinibili, ſicut voluntas non poteſt habere velle ſinè volente & volibili, nec ſenſus ſentire ſinè ſentiente & ſenſibili: ergo patet, quòd Infinitas DEI habeat tres ſupradictos infinitos correlativos, quos appello Divinam Trinitatem.

a. Et quando dicis, quòd, ſi in DEO eſſet Trinitas, quælibet Perſona haberet Miſericordiam diverſimodè, una per prius, & altera per poſterius, dicis falſum, ût *in Capite de Simplicitate* dictum eſt; quia Perſonæ ſunt æquales per actiones & paſſiones, & per conſequens per Miſericordiam, in qua non differunt per Eſſentiam: ergo eſt manifeſtum, quòd non concludas.

3. Omne id, per quod DEUS eſt magis rogatus ad parcendum multa & magna peccata, & per quod rogatio eſt magis bona magna &c., eſt per Divinam Bonitatem bonificabile, & per Divinam Magnitudinem magnificabile, & per Divinam Poteſtatem poſſificabile, & per Divinum Intellectum intelligibile, & per Divinam Voluntatem amabile &c., ſed hoc eſt Incarnatio, ût probabo: ergo DEUS eſt incarnatus. Poſito, quòd DEUS ſit incarnatus, iſta prædicatio eſt vera: Chriſtus eſt DEUS, Chriſtus eſt Homo, Chriſtus eſt Miſericordia; Chriſtus eſt Homo, DEUS eſt Homo, Homo eſt DEUS, Homo Chriſtus participat in natura cum omnibus hominibus; & ſic patet, quòd, ſi homines peccatores rogant Chriſtum Hominem, ut ipſe habeat pietatem de ipſis, quia ſunt idem cum ipſo per ſpeciem, & Chriſtus Homo rogando repræſentat DEO facto Homini iſtas rogationes, iſtæ rogationes ſint in altiori gradu, quòd in majori non poſſint eſſe, quia Divinus Intellectus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non poteſt altiores rogationes intelligere, nec Divina Voluntas diligere, quia convertuntur cum Divina Miſericordia, & parcere eſt de ratione Miſericordiæ; ergo oſtenditur, quòd Incarnatio per Divinum Intellectum ſit intelligibilis, & per Divinam Voluntatem amabilis, & per Divinam Bonitatem bonificabilis, & per Divinam Poteſtatem poſſibilis &c.: & cùm hoc ita ſit, ſequitur, quòd Incarnatio ſit; & hoc humanus intellectus rationabiliter non poteſt negare.

a. Et quando dicis, quòd ego attribuam defectum Miſericordiæ DEI, ſi DEUS fuit paſſus mortem, & aſſumpſit Carnem, ut redimeret humanum genus &c.: „reſpondeo „& dico tibi, quòd DEUS ratione ſuæ *infi-* „*nitæ* Miſericordiæ poſſit parcere ſinè me„dio, ſicut ratione ſuæ *abſolutæ* Poteſtatis „poteſt creare unum corpus infinitum; ſed „quia corpus non eſt capax ad recipiendum „infinitatem, ideo Divina Poteſtas non po„teſt creare ipſum infinitum„: à ſimili, DEUS potuiſſet remittere originale peccatum ſinè Incarnatione, ſed ſinè Incarnatione ſubjectum non fuiſſet capax; quia ſicut tota humana maſſa fuit corrupta in uno homine, videlicet in Adam, ſic oportuit, quòd Redemptio fuerit per unum Hominem paſſum propter Redemptionem, DEO exiſtente illo Homine, ut ille Homo eſſet priùs in reſtaurando, ſicut Adam in corrumpendo: ergo patet, quòd tuæ rationes non concludant.

4. Ait Chriſtianus: Saracene, tibi probavi Trinitatem & Incarnationem, & deſtruxi tuas rationes ſolvendo, & probavi Trinitatem per Divinas Rationes, ipſis numeratis & multis diverſimodè ratione diſtinctionis Correlativorum, ipſis Rationibus exiſtentibus multis realiter, eò quòd Correlativi exiſtunt multi realiter & diſtinctè: & ſicut Correlativi, videlicet Perſonæ, non diſtinguuntur eſſentialiter, ſed perſonaliter, ſic Rationes non diſtinguuntur eſſentialiter; *& ſic probavi Trinitatem per Æquiparantiam earum Rationum, non autem per prius, neque per poſterius; nam in ipſis non ſunt prius, nec poſterius; & talis probatio eſt fortior, quàm per prius & poſterius, quia prius & poſterius differunt per eſſentiam, Rationes DEI autem non.*

5. Ulteriùs, probavi tibi Incarnationem per prius, ſi bene recolis, quod fortius eſt, quàm poſterius; tamen quandoque deduxi aliquas tuas probationes per poſterius, & ſic in mea probatione conſiſtunt tres gradus probationis, comparationis videlicet per *Quia, propter Quid*, & per *Æquiparantiam*, quæ eſt potiſſima, plures gradus probationis non ſunt, nec poſſunt eſſe: & quia cum iſtis tribus gradibus es concluſus & confuſus, conſulo tibi, quòd ſtatim te facias Chriſtianum, ut venias ad gloriam ſempiternam, & fugias pœnas infernales & perpetuas.

SECUNDÆ PARTIS
PARS II.
DE
Quadraginta Signis
veræ Legis.

AIt Chriſtianus: Manifeſtum eſt, quòd dicantur eſſe tres Leges, & non plures; videlicet Lex Judæorum, & Chriſtianorum, & Saracenorum; Lex Judæorum eſt bona, in quantum eſt fundamentum Legis Chriſtianorum; ſed Lex Chriſtianorum eſt melior, in quantum eſt completa; ſed dico, quòd Lex Saracenorum ſit falſa & erronea; & hoc ſuprà abſolutè probatum eſt, & adhuc probabo per *quadraginta Signa*, cum quibus ſignificatur vera Lex.

Diviſio hujus Partis.

ISta Pars dividitur in quinque Capita. Primum eſt de *decem Præceptis*. Secundum eſt de *ſeptem Sacramentis*. Tertium eſt de *ſeptem Virtutibus*. Quartum eſt de *ſeptem Peccatis mortalibus*. Quintum eſt de *novem Ordinamentis* vel *Principiis;* & cum omnibus iſtis intendo probare, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa, & primò de primo.

CAPUT I.
De decem Præceptis.
SIGNUM I.
Unum DEUM habeas.

1. PRæceptum eſt à DEO, quòd habeamus unum DEUM; habere unum DEUM conſiſtit *duobus modis; unus modus* eſt habere unum DEUM credendo, amando & timendo; *alius modus* eſt, quòd intelligamus, amemus & timeamus unum DEUM: & quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& quia iſtud præceptum eſt à DEO datum, ideo convenit, quòd illa Lex, quæ ponit altius præceptum, ſit vera, non autem illa, quæ ponit ipſum inferius; nam aliter Divinus Intellectus intelligeret præceptum altiùs fundatum in falſa Lege, & Divina Voluntas diligeret ipſum inferiùs in vera Lege; quod eſt impoſſibile: & quòd Præceptum ſit altius per Legem Chriſtianorum, probo ſic.

Saraceni credunt, quòd ſit unus DEUS, ſed non credunt, quòd Divina Unitas habeat in ſe ipſa actum infinitum & æternum; Chriſtiani verò credunt, quòd habeat actum infinitum & æternum; & hoc eſt probatum *in Capite de Unitate & Æternitate:* & quia credere eſt altius per Chriſtianum, quàm per Saracenum, ideo ſequitur, quòd amare unum DEUM & timere illum ſit altius per Chriſtianum, quàm per Saracenum: ergo ſignificatum eſt per hoc, quod dictum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum, quæ eſt contraria Legi Chriſtianorum, ſit falſa.

2. Præterea, Lex Saracenorum ponit, quòd ſit unus DEUS, ſed non probat; & ſic ſecundùm hoc, quod ponit, eſt poſſibile, quòd ſint plures Dii: ût cùm dicitur, unus Rex eſt, videlicet Rex Franciæ, & unus Rex eſt, ſcilicet Rex Aragoniæ, & unus Rex eſt, videlicet Rex Caſtellæ, & hujusmodi; à ſimili, quia Saraceni negant Divinam Trinitatem, poſito, quòd ipſa non ſit, eſt poſſibile, quòd ſit unus DEUS in hoc mundo, & quòd ſit alius DEUS in alio mundo, ſicut unus Rex in uno regno, & alius Rex in alio regno; ſed ſi Trinitas eſt, eſt impoſſibile, quòd ſit niſi unus DEUS; & hoc oſtendo ſic: probatum eſt ſuperiùs in *ſecunda Parte*, quòd DEUS ſit Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c.; & quia de ratione Bonitatis eſt, quòd bonus producat bonum, & quia de ratione Magnitudinis eſt, quòd illud producere bonum ſit magnum, & quia de ratione Æternitatis eſt, quòd producere bonum & magnum ſit ab æterno & in æternum, ideo ſequitur, quòd illud producere ſit infinitum & immenſum; & ſic DEUS cum ſuis correlativis non eſt concluſus in uno mundo, nec poteſt eſſe in pluribus: & ſic ſequitur, quòd Chriſtiani, intelligendo Trinitatem & diligendo & timendo eam, ponant unum DEUM tantùm neceſſarium, & negent plures Deos; & ſic patet, quòd Præceptum ſit altiùs ſignificatum per Legem Chriſtianorum, quàm per Legem Saracenorum: quapropter oſtenditur, quòd Lex Saracenorum ſit falſa, Chriſtianorum autem vera.

SIGNUM II.

Sabbatha cole.

1. PRæceptum eſt à DEO, quòd homo colat & faciat feſtum DEO, idcirco ſi poſſum probare, quòd per Legem Chriſtianorum DEUS magìs poſſit coli, quàm per Legem Saracenorum, erit ſignificatum, quòd Lex Chriſtianorum erit vera, & Lex Saracenorum falſa; & hoc oſtendo ſic: colere habet *duos ſenſus*, *unus* eſt literalis, *alter* verò allegoricus vel moralis; *literalis* eſt, quòd mechanici non agant de mechanicis in die feſtivo; *allegoricus*, quòd homo contempletur & oret DEUM, Saraceni colunt ipſum per unam horam die Veneris tamdiu, quamdiu durat eorum oratio, & deinde utuntur mechanicis per totam diem; ſed Chriſtiani colunt ipſum per totam Diem Dominicam.

2. Ulteriùs, Saraceni non habent aliud feſtum, niſi diem Veneris, Chriſtiani autem habent multa Feſta Sanctorum, & colunt etiam illa per jejunia, ſed Saraceni non colunt diem Veneris per jejunium.

Iterum, Chriſtiani faciunt quinquies vel plùs majorem orationem in die feſtivo, celebrando Miſſam, & dicendo Horas, quàm Saraceni.

Adhuc, Chriſtiani colunt DEUM, meditando ſuam Eſſentiam, Beatiſſimam Trinitatem & Incarnationem & hujusmodi, & etiam operationem, quam habet in creaturis; Saraceni verò non ſe extendunt ad tantum, ſed tantummodò ad operationem exteriorem, quam habet in effectu: & ſic conſideratis omnibus modis Chriſtiani colunt plura Feſta & diutiùs, quàm Saraceni; ratione cujus ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa; aliàs Divinus Intellectus intelligeret altius colere per Legem Chriſtianorum exiſtentem falſam, & Divina Voluntas diligeret inferius colere per veram Legem, odiendo altius colere; quod eſt impoſſibile.

SIGNUM III.

Honora Patrem & Matrem.

1. PAter intelligitur *duobus modis* per Legem Saracenorum, videlicet *Pater*, qui eſt Creator, & *homo pater*, qui generat ſuum filium; ſed per Legem Chriſtianorum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

intelligitur *tribus modis*, videlicet *DEUS Pater*; qui generat DEUM Filium, & *Pater Creator*, & *pater homo* generans ſuum filium.

Saracenus dicit, quòd Eccleſia ſit Mater, & fœmina ſit mater, & hoc idem dicit Chriſtianus; ſed Chriſtianus eſt altior in Præcepto, quàm Saracenus, ût patet; nam Chriſtianus honorat DEUM Patrem credendo vel intelligendo, Saracenus autem odit ipſum, & ponit, quòd ipſe ſit impoſſibilis.

2. Chriſtianus magìs honorat Eccleſiam, quàm Saracenus; nam in Eccleſia Chriſtianorum eſt Papa, & ſunt Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi & hujusmodi, ſunt etiam Divites, Potentes & Reges & populi, qui oſculantur pedes Domini Papæ & manus aliorum Clericorum, & timent excommunicationem; Saraceni autem de iſtis non curant, & Epiſcopi eorum ſunt pauperes, & ſimiliter eorum Sacerdotes, & habent uxores & filios, & quaſi major pars utitur mechanicis: ergo concluditur, quòd Chriſtiani ſint altiores in Præcepto, quàm Saraceni; quæ altitudo eſt ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa; aliter enim Divinus intellectus intelligeret, & Divina Voluntas diligeret, quòd altius Præceptum eſſet fundatum in falſa Lege, & inferius Præceptum in vera Lege; & hoc Divina Bonitas, Magnitudo, Virtus, Veritas & Juſtitia non poſſent pati.

SIGNUM IV.

Non facias falſum Teſtimonium.

1. FAcere falſum Teſtimonium eſt, quando aliquis ſupponit id, quod non eſt verum, vel negat alicui id, quod eſt verum, ſicut facit Saracenus, qui ponit, quòd DEUS non ſit Bonitas, Magnitudo &c., nec ſit trinus & incarnatus; & quia hæc omnia jam ſunt probata, facit de DEO falſum Teſtimonium.

2. Ulteriùs, dicunt Saraceni, quòd DEUS faciat peccatum & omnia peccata, quia eſt omnipotens. Item dicunt, quòd nomen Mahometi ſcribatur in multis locis Veteris & Novi Teſtamenti, & niſi fuiſſet Mahometus, mundus non fuiſſet creatus, & quia iſto tempore ſuum nomen non invenitur ſcriptum in aliquo Teſtamento, ideo imponunt nobis & Judæis, quòd alteraverimus Teſtamenta delendo nomen Mahometi.

3. Et hoc idem faciunt Judæi negantes Beatiſſimam Trinitatem & Incarnationem, & dicunt, quòd Chriſtus fuerit peſſimus homo, qui unquam fuit, eſt & erit; & quolibet die ſecretè blasphemant & maledicunt ipſum; & quia probatum eſt, quòd Trinitas & Incarnatio ſint, ergo patet, quòd Judæi & Saraceni de DEO faciant falſum Teſtimonium, ſed Chriſtiani verum; & per conſequens ſequitur ſignum, videlicet, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, ſed Lex Saracenorum ſit falſa, & illa, quæ ponunt Judæi contra Trinitatem & Incarnationem ſint falſa.

SIGNUM V.

Non occidas.

1. OCcidere intelligitur *duobus modis*, videlicet *corpus* & *animam*; *occidere animam* eſt removere eam à Summo Objecto, ſcilicet à Beatiſſima Trinitate & Incarnatione, quas probavimus.

2. Item *occidere animam* eſt illam ſeparare à ſeptem Virtutibus, quæ ſunt viæ Paradiſi, de quibus intendimus loqui & probare, quòd ipſæ ſint altiores per Legem Chriſtianorum, quàm Saracenorum; & ſic ſequitur ſignum, quàm Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa; aliàs Divinus Intellectus intelligeret altius Præceptum, & Divina Voluntas odiret ipſum; & ad hoc Divina Bonitas, Magnitudo &c. non poſſunt conſentire.

SIGNUM VI.

Non mœchaberis.

1. FOrnicatio fit *duobus modis*, videlicet *corporaliter* & *mentaliter*; *corporaliter* Saraceni peccant plùs, quia ipſi habent quatuor uxores, & licitum eſt eis, quòd ipſi poſſint luxuriari cum tot ancillis, quot poſſunt dare ad comedendum, & Mahometus habuit novem uxores, & tamen non dedit licentiam populo, niſi de quatuor uxoribus.

Ulteriùs, Mahometus conſtituit in ſua Lege, quòd quilibet Saracenus poſſit athalatare (quod idem eſt, quod dimittere in latino) ſuam uxorem, & hoc bis; ſed ſi dimittit eam tertiâ vice, non poſſit ipſam recuperare, niſi cum altero Saraceno habente rem cum ea, ipſo ſciente & exiſtente in porta cameræ, & fortè illa mulier non vult luxuriari, ſed coacta luxuriatur, & ſic vir eſt contra præceptum.

2. Ulteriùs fœminæ Saracenorum magìs peccant mentaliter, quàm mulieres Chriſtiano-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſtianorum; nam unus Saracenus habet multas mulieres, & ſic non poteſt ſufficere eis, & ſic mulieres appetunt multos viros; ſed in Lege Chriſtianorum non eſt ſic, quia unus Chriſtianus cum una Chriſtiana conſiſtit in Matrimonio; & ſic injuriatæ ſunt fœminæ Saracenorum, non autem Chriſtianorum.

Adhuc, Saraceni valde peccant mentaliter per luxuriam, quia exſpectant habere in Paradiſo multas mulieres, & multa alia ſpectant habere cum ipſis, quæ non ſunt dicenda: ergo patet, quòd Præceptum ſit altius per Legem Chriſtianorum, quàm Saracenorum; & ſic oſtenditur ſignum, quòd Lex Saracenorum ſit falſa, & Lex Chriſtianorum vera.

SIGNUM VII.

Non accipias Nomen DEI in vanum.

1. ACcipere Nomen DEI in vanum eſt jurare per DEUM falſo modo, Saracenus non conſiderat nomen DEI ita altum, ſicut Chriſtianus; quia Saracenus negat in DEO Deificantem, Deificatum & Deificare, ſed Chriſtianus in eo affirmat illos cum infinita & æterna Neceſſitate, Unitate, Singularitate &c., ût ſuprà probatum eſt.

2. Ampliùs, quando Mahometus fuit factus Rex, præcepit, quòd omnes homines, qui nollent eſſe Saraceni, decapitarentur, ita quòd ſuus avunculus, qui erat Idololatra, rogavit eum, ut non faceret eum decapitari, ſed eum permitteret ſtare in ſua ſecta idololatrica; & Mahometus dixit ei ſecretè, dicas coram hominibus, quòd tu ſis Saracenus, & in tua mente teneas tuam ſectam idololatricam; & ſic Mahometus accepit Nomen DEI in vanum; Dominus autem noſter JESUS Chriſtus non; & ideo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

SIGNUM VIII.

Non facias furtum.

1. FUrari conſiſtit *duobus modis*, videlicet furari *bona terrena*, & *bonam famam*; *bona terrena*, ſicut pecuniam, caſtrum & hujusmodi; *bonam famam*, ſicut quando aliquis dicit, quòd ipſe fecerit aliquod bonum factum, quod alter fecit. Saraceni furantur pecuniam, & non habent conſcientiam reddendi, ſed Chriſtiani habent conſcientiam reddendi: Mahometus furatus fuit quandam civitatem, quæ dicitur Medinacptrip, & fecit ſe dominum auferendo illam ab illo, cujus erat civitas; ſed noſter Dominus JESUS Chriſtus noſter Præceptor nihil furatus eſt.

Mahometus dixit, quòd totus mundus eſſet creatus propter ipſum, & ſic fuit furatus id, quod dicitur de noſtro Domino JESU Chriſto, qui eſt cauſa totius Univerſi, propter quem ipſum creatum eſt, ût ſuprà probatum eſt.

2. Ulteriùs, Saraceni narrant, quòd in die Judicii omnes homines erunt in magno calore & ſudore, & ſic mittent nuntios ad Adam, quòd ipſe roget DEUM, quòd ſtatim judicet bonos homines ad gloriam, & malos ad pœnam; ſed Adam excuſabit ſe, quia peccavit in comedendo pomum, & dicet, quòd vadant ad Noë; ſed Noë excuſabit ſe, quia peccavit inebriando ſe, ſed dicet, quòd vadant ad Abraham; ſed Abraham excuſabit ſe, quia perjurus erat, & ſic non eſt dignus tali rogatione; ſed dicet, quòd vadant ad Moyſen; ſed Moyſes excuſabit ſe, quia homicida erat, ſed dicet, quòd eant ad Chriſtum; ſed ipſe excuſabit ſe, quia gentes dicunt, quòd ipſe ſit DEUS, & ſic dicet nuntiis, quòd vadant ad Mahometum, & tunc venient ad ipſum, & dicent, tu, qui es magnus amicus DEI, roga DEUM, quòd liberet ſuum populum ab iſto ſudore; & tunc Mahometus rogabit & orabit DEUM, quòd liberet ſuum populum, & Dominus exaudiet eum; & ſic patet, quòd Mahometus, quando fecit Legem, furatus fuerit bonam famam ſupradictorum Sanctorum, & ſibímet ipſam attribuerit; & ſic ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Saracenorum falſa.

SIGNUM IX.

Non invideas Uxorem tui Proximi.

1. MAhometus invidit uxorem cujusdam ſui famuli, qui, poſtquam ſcivit, quòd Mahometus viderit, quòd illa ſit pulchra, dixit Mahometo: Domine ego habeo pulchram uxorem, habeatis eam ad veſtram voluntatem; & hoc dixit cautelosè, ut Mahometus non acciperet eam: cui Mahometus reſpondit, quia curialiter dicis, dimitto tibi eam, & famulus fuit gaviſus; ſed Mahometus in manè miſit pro ea, & dixit, quòd DEUS transmiſerit ei Gabrielem, reprehendendo ipſum, quare non acciperet ipſam, poſtquam deſiderabat eam, ratione ſanctitatis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tatis Mahometi, propter quam erat licitum ei habere omnes mulieres per eum deſideratas: & hoc dixit Mahometus in manè coram populo, & habuit illam mulierem ad ſuum placitum; & ſic fuit mendax & invidioſus; ſed noſter Dominus JESUS Chriſtus non; nam fuit Virgo, & fuit mortuus Virgo: ergo patet, quòd per hoc ſit ortum ſignum, cum quo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

SIGNUM X.

Non invideas Domum tui Proximi &c.

MAhometus fuit invidioſus, nam ipſe erat mercator pauper, & fingendo ſe Prophetam, fecit ſe Dominum illius civitatis, ût ſuprà dictum eſt: & poſtmodum fecit guerram cum Rege Meccæ invidendo illud regnum, in bello fuit & percuſſus fuit in ore, & amiſit duos dentes, & finaliter fuit Rex Meccæ; & poſt ſuam mortem Abubreth ſuus ſucceſſor invidit regnum Ægypti & Syriæ, & cum bello abſtulit à Chriſtianis, qui jure ipſum poſſidebant; & ſic ſucceſſivè de uno ſucceſſore in alium totam Perſiam & Turquiam, Barbariam & Hiſpaniam & hujusmodi acquiſiverunt: de Domino autem noſtro JESU Chriſto non fuit ſic, quia pauper vixit, & pauper mortuus fuit, & ſic de Apoſtolis: ergo patet, quòd ſignificatum ſit, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

CAPUT II.

De ſeptem Sacramentis

SIGNUM XI.

De Baptiſmo.

1. DIxit Chriſtianus: quòd Saraceni faciant Circumciſionem, Chriſtiani verò baptizent. Iterum, per Baptiſmum Chriſtiani comprehendunt virum & mulierem, Saraceni autem virum tantummodo: unde patet, quòd Chriſtiani magìs ſe prolongent ab originali peccato per Baptiſmum, quàm Saraceni per Circumciſionem.

2. Ampliùs, Chriſtiani aſſerunt, quòd nullus ſinè Baptiſmo Aquæ aut Flaminis aut Sanguinis poſſit ſalvari, Saraceni verò dicunt, quòd poſſint ſalvari ſinè Circumciſione; & quia Baptiſmus eſt per ſuperius, & Circumciſio per inferius, ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit ſuperior, Saracenorum autem inferior.

SIGNUM XII.

De Matrimonio.

1. MAtrimonium quoad Chriſtianum eſt formatum, ſed quoad Saracenum difformatum; nam in Matrimonio Chriſtianorum una voluntas viri & alia voluntas mulieris ſe conjungunt ad unum finem, & hoc idem poteſt dici de duobus intellectibus eorum, & de duabus imaginationibus & ſenſitivis eorum; & ſic Matrimonium eſt formatum, videlicet forma cum forma, & materia cum materia, & forma cum materia, & materia cum forma; & per hoc factum eſt ligamen inſeparabile in tantum, quòd vir non poteſt dimittere uxorem, nec è converſo.

2. Sed Matrimonium Saracenorum eſt in contrarium; nam una voluntas viri, & ſic de ſuo intellectu & imaginatione & ſenſitiva, ſe habent ad multos intellectus, voluntates, imaginationes & ſenſitivas mulierum, ſed mulieres non ligant ſe ad unum virum; nam quælibet vellet habere illum pro ſe ipſa. Iterum, quia Saracenus poteſt dimittere ſuam uxorem, & non è converſo; & ſic tale matrimonium eſt difformatum: & ſic ortum eſt ſignum, videlicet, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Saracenorum falſa.

SIGNUM. XIII.

De Confirmatione.

COnfirmatio eſt neceſſarium Sacramentum, ut parvuli, quando ſunt magni, confiteantur, quòd ſint Chriſtiani, & confiteantur Articulos Catholicæ Fidei, quos ignorabant, dum erant parvi & fuerunt baptizati; Saraceni verò non habent iſtud Sacramentum; & ſic ortum eſt ſignum, quòd Saraceni ſint in errore, Chriſtiani autem in veritate.

SIGNUM XIV.

De Euchariſtia.

SAraceni faciunt Feſtum Paſchatis ſemel in anno, & interficiunt unum mutonem ad ſignificandum Sacrificium, quod fecit Abraham; ſed Chriſtiani faciunt Sacrificium per Euchariſtiam, quæ eſt altius Sacramentum, quàm interficere mutonem; & iſtud Sacramentum faciunt quâlibet die in anno, & in multis locis, & faciunt ipſum ad ſignificandam illam conjunctionem factam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ctam inter Divinam & humanam Naturam, quando DEUS fuit factus Homo; & in ipso Sacramento est major participatio & majus signum Divinæ Potestatis, Charitatis & Humilitatis inter DEUM & Hominem, quæ potest esse in via; nam DEUS communicat suam infinitam Potestatem finitæ potestati Presbyteri, quòd ipse possit de Pane facere Carnem, & de Vino Sanguinem sinè generatione & digestione & compositione Panîs cum Carne, & Vini cum Sanguine, & substantiæ cum accidente, & quòd idem Homo, videlicet Christus, sit in eodem tempore in cœlo, & in multis locis in terra, & hoc sacramentaliter; & hoc est majus miraculum, quod DEUS potest facere, exceptâ Incarnatione: & tale Sacramentum ita nobile & altum cognoscit Divinus Intellectus esse altius, & Divina Voluntas vult, quòd sit altius, quàm sacrificium mutonis factum à Saracenis; & sic ortum est signum, quòd Lex Christianorum sit superior, Saracenorum autem inferior.

SIGNUM XV.

De Clavibus.

SAraceni non habent Sacramentum Clavium, & est Sacramentum quoad bene esse, & valde necessarium, quia Divina Potestas se ligat cum potestate Presbyteri, ut Presbyter cum Divina Potestate liget & solvat in cœlo & in terra; & hoc est ligamen & signum conjunctionis Divinæ & humanæ Naturæ; quando DEUS fuit factus Homo; & quia Saraceni non habent tale signum vel Sacramentum, jam ortum est signum, quòd Christiani sint in veritate, & Saraceni in errore.

SIGNUM XVI.

De Pœnitentia.

POenitentia est Sacramentum, quod significat Redemptionem Humani Generis, quam noster Dominus JESUS Christus fecit in Cruce, ut habeamus contritionem, confessionem & satisfactionem; & hoc per personam sacerdotalem, Sacerdote existente Judice per confessionem, ut injungat nobis pœnitentiam de commissis, & per contritionem nobis det indulgentias; & tale Sacramentum est valde utile, & concludit in se valde magnam ordinationem, ut veniamus ad gloriam, & evitemus sempiternam pœnam; & quia Saraceni non habent ipsum, jam ortum est signum, quòd sint in errore, & Christiani in veritate.

SIGNUM XVII.

De Extrema Unctione.

SAraceni non habent extremam Unctionem, & sic est signum, quòd parum curent de pœnitentia; nam Extrema Unctio est signum, cum quo Christiani confitentur, quòd ipsi peccaverint cum sensibus contra primam Unctionem, quando fuerunt facti Christiani; & tunc per Extremam Unctionem confitentur, quòd moriantur veri Christiani, cùm ipsi pœniteant de commissis, & sperent misericordiam à DEO; & tale Sacramentum est valde utile: & quia Christiani habent talem Unctionem, & Saraceni non, ideo jam ortum est signum, quòd Christiani sint in vera Lege, Saraceni verò non:

CAPUT III.

De septem Virtutibus.

1. VIrtutes principales sunt septem, videlicet Justitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Fides, Spes & Charitas; quarum quatuor sunt Cardinales, & tres Theologicæ; Justitia, Prudentia, Fortitudo & Temperantia sunt Cardinales; Fides, Spes & Charitas sunt Theologicæ; Cardinales sunt dispositivæ & præparativæ; sicut in arbore, in qua branchæ, rami, folia & flores disponunt & præparant fructum; Theologicæ sunt completivæ & perfectivæ, & per consequens priores in perfectione, sed Cardinales posteriores.

2. Prædictæ septem Virtutes sunt viæ & ornamenta Legis, & in ipsis & cum ipsis Lex perficitur, & Lex in Theologicalibus est priùs, & in Cardinalibus posteriùs, sicut planta, quæ est priùs in fructificatione, in præparatione autem posteriùs. Virtutes Cardinales non sufficiunt veræ Legi, sicut branchæ, rami, folia & flores non sufficiunt appetitui arboris, cùm sint posteriores, sed sufficit fructus, quia est priùs in perfectione, & in ipso fructu conservatur species arboris, & in eo ponitur alia arbor in potentia; ergo Virtutes Theologicales sufficiunt veræ Legi.

3. Virtutes Cardinales possunt haberi à quolibet homine per se, sive sit Fidelis, sive Infidelis, quia sunt posteriores, Theologicales verò non, quia sunt priores, & datæ à Prima Causa, & à Primo Motore; & sic dantur supra vires potentiarum animæ, quia non dantur naturaliter, sed ratione gratiæ.

Et

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Et ideo veniamus ad propoſitum, oſtendendo, per quem modum ſeptem Virtutes ſint ſigna veræ Legis ſecundùm ſupradictam ordinationem, quam propono tenere in probando, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem ſit falſa.

SIGNUM XVIII.

De Juſtitia.

1. AIt Chriſtianus: ſecundùm Legem Chriſtianorum Juſtitia inter alia importat *tria; primum* eſt quoad Patriam; *ſecundum* eſt quoad Confeſſionem; *tertium* eſt quoad Satisfactionem; & primò de *primo* dicendum eſt.

Chriſtianus dicit, quòd homo ſit compoſitus ex anima & corpore, & in agendo juſtè agat cum anima & corpore; & ſic Juſtitia DEI, quæ eſt per prius, ſatisfacit juſtitiæ hominis, quæ eſt per poſterius; ſicut ſimile ſatisfacit ſuo ſimili, & cauſa ſuo effectui; & ideo DEUS in Patria remunerabit homines Fideles poſt Reſurrectionem animarum & corporum ſecundùm merita eorum: & quia DEUS eſt inviſibilis & inſenſibilis, ideo fecit ſe Hominem, ut cum ſuo ſenſibili Corpore glorificaret corpora Beatorum, Beatis objectantibus ipſum Corpus Chriſti videndo, audiendo, intelligendo, amando & recolendo, quòd illud Corpus ſit conjunctum cum Divina Natura; & ſic corpora, quæ in Via ſerviverunt DEO, gloriabuntur per Juſtitiam in DEO; Saraceni autem non dicunt hoc, quia negant Incarnationem, & dicunt, quòd DEUS in Patria remunerabit corpora Sanctorum cum coitu, vino, lacte & hujusmodi, non autem cum DEO objectivè; & ſic attribuunt DEO injuriam, & Sancti in Patria non quieſcunt, ſicut appetitus arboris non quieſcit in poſterioribus: ergo ortum eſt ſignum mediante Juſtitiâ, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

2. Ad *ſecundum* dicendum eſt ſic: Chriſtiani eligunt Judicem, ſcilicet Presbyterum, qui det judicium de commiſſis, quæ fecerunt, & ille Presbyter eſt Vicarius DEI ratione ſupradicti ſacerdotalis Sacramenti; Saraceni verò non faciunt hoc, ſed confitentur DEO, qui eis nihil reſpondet, nec ipſi ſciunt judicare ſe ipſos, quia nullus homo eſt diſpoſitus ad judicandum ſémet ipſum ratione magni appetitûs, quem habet erga ſe ipſum: ergo Lex Chriſtianorum eſt vera, Saracenorum autem falſa.

3. Item ad *tertium* eſt dicendum: Chriſtiani reddunt id, quod auferunt, & illa, quæ injuſtè poſſident, ita, quòd in hora mortis non ſe reputant venire ad gloriam, niſi reſtituant ablata; Saraceni autem non curant de hoc, imò credunt venire ad ſalvationem ſinè reſtitutione: ergo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Saracenorum falſa.

SIGNUM XIX.

De Prudentia.

PRudentia eſt virtus, quæ docet hominem, ut prudenter agat, videlicet, quòd eligat bonum, & fugiat malum; & citiùs eligat majus bonum, quàm minus; & citiùs evitet majus malum, quàm minus; & hoc ſecundùm ſupradictam ordinationem arboris, non, quòd agat id, quod eſt priùs, propter poſterius, ſed è converſo; & ideo ortum eſt ſignum per Prudentiam, ſcilicet quòd Chriſtiani prudenter agant per Prudentiam in Lege, cùm ipſi exſpectent gloriam contemplando DEUM & videndo Dominum JESUM Chriſtum; Saraceni verò imprudenter agant in Lege, quia exſpectant ſummam felicitatem in coitu, cibo & potu, non autem in Chriſto, quia negant Incarnationem, nec in DEO, quia negant Trinitatem, & credunt quieſcere in ipſo per poſterius, videlicet per operationes, quas habet in creaturis, quæ ſunt impoſſibilia; nam ſumma quies non conſiſtit in poſterioribus, ſed in prioribus, ergo per hoc ſignificatur, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

SIGNUM XX.

De Fortitudine.

FOrtitudo eſt habitus voluntatis, ſicut Prudentia eſt habitus intellectûs; & eſt actus contra tentationes & peccata ratione virilitatis cordis; & ideo deduco iſtud exemplum: ſi aliquis homo vult acquirere caſtrum vel mille florenos, fortior erit in acquirendo illos in ſuſtinendo paſſiones, quàm in acquirendo unum florenum; ratio eſt, quia mille floreni ſunt priùs in valore, unus autem poſteriùs; & quia Saraceni ſtant ad corporalem felicitatem in paradiſo, videlicet ad coitum &c., non autem ad ſpiritualia, quia negant in DEO actus intrinſecos, infinitos & æternos, & Incarnationem, ût ſuperiùs probatum eſt, & quia Chriſtiani exſpectant in contrarium, patet, quòd inde oria-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

oriatur ſignum, quòd Lex Saracenorum ſit per poſterius, Chriſtianorum autem per prius.

SIGNUM XXI.
De Temperantia.

TEmperantia eſt habitus æqualiter compoſitus ex actibus intellectûs & voluntatis; & ideo ſecundùm quòd intellectus & voluntas ſunt priores per Legem priorem, eſt Temperantia priùs; ſi autem fuerint poſteriores per Legem poſteriorem, tunc Temperantia & ejus effectus ſunt poſteriores; quoad Legem Chriſtianorum intellectus & voluntas ſunt priores, quia exſpectant fruitionem per Trinitatem & Incarnationem, & per conſequens temperantia eſt priùs: ſed quia Saraceni exſpectant beatitudinem per operationes extrinſecas, quas DEUS habet, & etiam per coitum, cibum & potum, ideo Lex eorum eſt poſterior, & per conſequens intellectus & voluntas; & ſic poteſt dici de Temperantia: ergo ortum eſt ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Saracenorum ſit falſa.

SIGNUM XXII.
De Fide.

FIdes eſt habitus intellectûs, cum quo intellectus credit veritates de DEO ſuper ſuas vires, videlicet ſuper ſuum intelligere, ſicut voluntas, quæ diligit DEUM cum charitate ſuper ſuum naturale velle: Chriſtiani altiori modo objectant DEUM per Fidem, quàm Saraceni, ût ſuprà ſignificatum eſt, videlicet per Correlativa & Incarnationem per rectam lineam *à primo Capite* usque *ad vigeſimum*: unde manifeſtè patet, quòd inde oriatur ſignum, quòd Fides Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

SIGNUM XXIII.
De Spe.

1. SPes eſt habitus memoriæ, & eſt effectus Divinæ Miſericordiæ & Juſtitiæ, quia DEO eſt poſſibile, quod homini eſt impoſſibile; & quia probatum eſt, quòd DEUS ſit Juſtitia & Miſericordia, & tu Saracene dicis, quòd non, ideo inde ortum eſt ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit per priùs, tua autem per poſteriùs.

2. Ampliùs, Chriſtiani dicunt, quòd DEUS ſit incarnatus & natus ex humana Natura, & crucifixus & mortuus, ut redimeret humanum Genus; Saraceni autem hoc totum negant; & inde iterum oritur ſignum, quòd Spes ſit altior per Legem Chriſtianorum, quàm per Legem Saracenorum, nam poſtquam DEUS tantum ſe humiliavit, bene ſequitur, quòd exaudiat peccatores, & quòd remuneret juſtos: ergo ortum eſt ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, Saracenorum autem falſa.

SIGNUM XXIV.
De Charitate.

1. CHaritas eſt habitus voluntatis, cum quo ipſa aſcendit ad diligendum DEUM & ſuum proximum ſuper ſuas vires; & quia DEUS eſt Voluntas, ût ſuprà probatum eſt, Saraceni autem dicunt, quòd non, jam ſignificatum eſt, quòd Charitas ſit altior per Legem Chriſtianorum, quàm per Legem Saracenorum.

2. Ulteriùs, Chriſtiani credunt, quòd DEUS ſit incarnatus & natus in humana Natura, crucifixus, mortuus ex amore humani Generis: & ſic patet, quòd Charitas creata, quæ eſt effectus Divinæ Voluntatis, ſit priùs per Legem Chriſtianorum, ſed poſteriùs per Legem Saracenorum: unde concluditur, quòd Lex Chriſtianorum ſit ſuperior, & Lex Saracenorum inferior.

CAPUT IV.
De ſeptem Peccatis mortalibus.

SUnt ſeptem Peccata mortalia, & ſunt priora, quia ab illis deſcendunt alia peccata mortalia vel venialia; quorum quinque ſunt priùs, videlicet Avaritia, Superbia, Acedia, Invidia & Ira, & duo ſunt poſteriùs, videlicet Luxuria & Gula; & quinque ſupradicta dicuntur priora reſpectu animæ, ſed alia duo dicuntur poſteriora reſpectu corporis; idcirco peccatum eſt altius per priùs, quàm per poſteriùs, quia anima eſt per prius, & corpus per poſterius: & primò dicemus de Avaritia.

SIGNUM XXV.
De Avaritia.

1. AVaritia eſt habitus voluntatis, cum quo voluntas agit extra ſuas vires ſic elongando ſe à DEO, ſicut cum Charitate appropinquat ad DEUM; Largitas eſt oppoſitum Avaritiæ, & eſt effectus Charitatis, & Charitas eſt habitus voluntatis; & quia probatum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

batum eſt, quòd DEUS ſit Voluntas, ideo ſignificatum eſt, quòd Chriſtianus peccator per Avaritiam ſit magis contra ſuam Legem, quàm Saracenus; ſicut Chriſtianus juſtus eſt altior per Largitatem, quàm Saracenus non avarus; exinde patet, quòd ortum ſit ſignum, videlicet, quòd Lex Chriſtianorum ſit per priùs, Saracenorum autem per poſteriùs.

2. Ampliùs, Saracenus non habet conſcientiam in hora mortis, ût *in Signo de Juſtitia* dictum eſt, reddendo, quod abſtulit vel fuit furatus, ſed Chriſtianus habet conſcientiam; quapropter eſt ortum ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa.

3. Adhuc, per experientiam videmus, quòd Chriſtiani ſint largiores in eleemoſyna, quàm Saraceni, & in comedendo & induendo, & habendo majorem familiam & hujusmodi: unde oritur ſignum per Largitatem & Avaritiam, quòd Lex Chriſtianorum ſit prior, Lex Saracenorum autem ſit poſterior.

SIGNUM XXVI.

De Gula.

1. GUla eſt oppoſitum Temperantiæ, & è converſo; & quia Temperantia eſt conſtituta per intellectum & voluntatem, ût *in ſuo Signo* dictum eſt, ideo ſignificatum eſt, quòd Gula ſit conſtituta per intellectum & voluntatem; & quia Chriſtiani dicunt, quòd DEUS ſit Intellectus & Voluntas, & Saraceni hoc negant, & quia Temperantia eſt per priùs per Legem Chriſtianorum, per poſteriùs autem per Legem Saracenorum, ût *in ſuo Signo* probatum eſt, ideo oritur ſignum, videlicet, quòd Chriſtianus magis peccet contra ſuam Legem per Gulam, quàm Saracenus; ſicut major eſt in ſua Lege per Temperantiam, quàm Saracenus in ſua; quapropter jam ortum eſt aliud ſignum, videlicet, quòd Lex Chriſtianorum ſit priùs, & Saracenorum poſteriùs.

2. Item Saraceni ratione magnæ guloſitatis lingunt ſuas manus, & cum digitis abſtrahunt pinguedinem ab ollis & à paropſidibus, & deinde lambunt ſuos digitos: ergo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit ſuperior, & Saracenorum inferior.

3. Ampliùs ratione magnæ Guloſitatis Saraceni ſperant comedere & bibere in Paradiſo, & credunt, quòd in illo ſint rivuli vini, olei, mellis & butyri, & quòd ſedebunt in umbris arborum fructificantium omnes fructus comeſtibiles, & qualescunque carnes appetent comedere, confeſtim ipſas habebunt paratas; & dicunt, quòd quilibet Saracenus habebit poteſtatem comedendi & bibendi ſicut quadraginta homines; Chriſtiani autem hoc non exſpectant, ſed exſpectant vitam Angelicam: unde per Gulam oritur ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa.

SIGNUM XXVII.

De Luxuria.

1. LUxuria eſt habitus, cum quo inſtinctus & appetitus naturales concupiſcunt mulieres contra nonum & decimum præceptum, quod eſt altius per Legem Chriſtianorum, quàm per Legem Saracenorum, ût probatum eſt: ergo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa.

2. Ulteriùs, probatur, quòd DEUS ſit ſuus Intellectus & ſua Voluntas, & in homine intellectus & voluntas cauſant luxuriam mediantibus naturalibus appetitu & inſtinctu corporis, & hoc contra Matrimonium; & quia DEUS eſt Intellectus & Voluntas, & Matrimonium eſt priùs per Legem Chriſtianorum, poſteriùs autem per Legem Saracenorum, ût *in duodecimo Signo* dictum eſt, ergo oritur ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa.

3. Ampliùs, Saraceni in Paradiſo exſpectant habere mulieres, & quando habebunt rem cum eis, quâlibet vice habebunt eas puellas, & quilibet vir habebit poteſtatem quadraginta virorum ad coitum; & hoc exſpectant per magnam Luxuriam, quam habent ſignificatam per Mahometum, qui fuit valde luxurioſus; Chriſtus noſter Dominus vixit Virgo & fuit mortuus Virgo; & quia Chriſtiani non exſpectant habere coitum in paradiſo, ergo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa.

SIGNUM XXVIII.

De Superbia.

1. SUperbia eſt habitus, cum quo intellectus & voluntas ſunt contra Humilitatem, quæ eſt effectus Prudentiæ & Charitatis, quæ ſunt effectus Divini Intellectûs & Voluntatis; & quia Chriſtiani dicunt, quòd DEUS ſit ſuus Intellectus & Voluntas, ideo oritur ſignum per Humilitatem & Superbiam,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

biam, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

2. Item noster Dominus JESUS Christus Dator Legis non fuit superbus, imò fuit adeò humilis, quòd ipse, qui erat Dominus Angelorum, permiserit se vendi, ligari, alapas & flagella pati, & in Cruce suum Corpus perforari; Mahometus autem dator legis fuit superbus in occupando Regnum, quod non erat suum, & sic de suis sequentibus, qui cum superbia & ense acquisiverunt Regna Christianorum sinè continentia; & sic oritur signum per Superbiam & Humilitatem, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

SIGNUM XXIX.

De Acedia.

ACedia est habitus voluntatis, cum quo ipsa est contra Charitatem, & cum quo homines sunt pigri, otiosi, malevolentes & maledicentes; & quia probatum est, quòd DEUS sit Bonitas & Voluntas; sed Saraceni hoc negant, & Charitas creata est effectus Divinæ Bonitatis & Voluntatis, ideo oritur signum, per quod significatum est, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa; aliàs Divina Voluntas diligeret suum oppositum, & odiret suum effectum; quod est impossibile.

SIGNUM XXX.

De Invidia.

1. INvidia est habitus, cum quo homo est contra Justitiam & Charitatem; & quia DEUS est Justitia & Voluntas, ût probatum est, & Justitia & Charitas creatæ sunt effectus DEI, & Saraceni negant, quòd DEUS sit Justitia & Voluntas, idcirco significatum est, quòd Christiani cum sua Lege sint magìs contra Invidiam, quàm Saraceni cum sua; propter quod significatum est, quòd Lex Christianorum sit prior, Saracenorum autem posterior.

2. Item dictum est *in nono & in decimo Signo*, non invideas; & sic significatum est, quòd per Legem Christianorum homo sit magìs contra Invidiam, quàm per Legem Saracenorum; ratione cujus significatur, quòd Lex Christianorum sit prior, & Lex Saracenorum sit posterior.

SIGNUM XXXI.

De Ira.

1. IRa est habitus voluntatis, cum quo ipsa est contra Prudentiam, Fortitudinem & Charitatem, & etiam contra Patientiam ab ipsis causatam; & quia DEUS est Voluntas creans Charitatem, & est Intellectus creans Prudentiam, & Saraceni dicunt, quòd DEUS non sit Voluntas nec Intellectus, ideo significatum est, quòd Lex Christianorum sit prior, & Lex Saracenorum sit posterior.

2. Ampliùs, noster Dominus JESUS Christus cum Patientia fuit contra Iram, quando permisit se vendi, cùm ipse sit Dominus omnium thesaurorum, & permisit se alapari, & suas manus ligari, cùm ipse sit Dominus omnium manuum, & permisit se flagellari, qui est Dominus omnium potestatum, & permisit se interfici, qui est Dominus vitæ, & permisit se coronari spinis, qui est Dominus honoris & Regum.

3. Mahometus, qui dedit Legem Saracenis, fuit pauper & vilis, & non habuit Patientiam, & similiter est de suis sequentibus, & acquirentibus regna Christianorum cum ense, Superbia & Impatientia, quæ fuerunt acquisita à Christianis cum Humilitate & Patientia: ergo ex istis oritur signum, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

CAPUT V.

De Novem Ordinamentis vel Principiis.

1. CUm novem Ordinamentis sive ordinatis Principiis probabo, quòd Lex Christianorum sit prior, & Lex Saracenorum sit posterior; & hoc probato sequitur, quòd Lex, quæ est prior, sit à Divina Voluntate diligibilis, illa autem, quæ est posterior, sit à Divina Voluntate odibilis, cùm istæ Leges sint contrariæ per Beatissimam Trinitatem & Incarnationē, & Christiani affirment & diligant Beatissimam Trinitatem & Incarnationem, & Saraceni negent & odiant illas; & sic patet, quòd Lex, quæ est prior, sit vera; illa autem, quæ est posterior, sit falsa; aliàs Divina Voluntas esset contra Divinam Justitiam & Veritatem, quam contrarietatem Divina Justitia & Veritas non possent sustinere.

SIGNUM XXXII.

De Præceptore.

NOster Dominus JESUS Christus fuit Præceptor & Dator Legis, ipse est DEUS & Homo, ût probatum est, & voluit esse pauper ad dandum exemplum, quòd Pau-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pertas sit bona; nam divitiæ impediunt orationem; & duxit sanctam vitam, ut sua sancta vita esset exemplum vitæ Sanctorum; fuit humilis, quia ipse erat Rex, & sub Dominio Herodis vel Cæsaris permisit se judicari, flagellari & mori, & talem vitam dedit Apostolis: Mahometus dedit Alcoranum, quem Saraceni vocant Legem Mahometi, ipse fuit homo pauper, & sui primi parentes fuerunt Idololatræ, & ipse fecit se Regem, ût dictum est, & mortuo suo avunculo accepit pro uxore uxorem sui avunculi, & habuit sua bona, & ipse est mortuus, & jacet mortuus in terra; sed Christus est mortuus, & est vivus in cœlo, & hoc asserunt Saraceni; & etiam dicunt, quòd Christus sit Spiritus DEI, & Verbum DEI, & natus ex Virgine, & multa alia, quæ possunt dici: ergo patet, quòd Christus noster Præceptor sit prior, Mahometus autem posterior, & inde manifestatur, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

SIGNUM XXXIII.

De Ecclesia.

1. DIximus *in tertio Signo* de Ecclesia, sed adhuc propono hic dicere de ipsa: Ecclesia per Fidem, Spem & Charitatem est prior, & per Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam est posterior; & talis Ecclesia est Christianorum, non autem Saracenorum, quia non habent Fidem, Spem & Charitatem, quæ non dantur à DEO, nisi cum Veritate; & sic Ecclesia Saracenorum habet Virtutes Cardinales sinè fructu, sicut est cæcus habens oculos sinè objecto.

2. Ulteriùs, si in Ecclesia Saracenorum est unus Clericus, in Ecclesia Christianorum sunt decem & plures; & si in Ecclesia Saracenorum habent unum honorem &c., in Ecclesia Christianorum habent centum; & si in Ecclesia Saracenorum est unus Religiosus, in Ecclesia Christianorum sunt centum; in Ecclesia Saracenorum non sunt religiosæ fœminæ, sed in Ecclesia Christianorum sunt multæ, quarum plures sunt Virgines; & sic patet per antedicta, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa; aliàs Divina Voluntas diligeret, quod est posterius, & odiret, quod est prius; & hoc non possunt sustinere sua Bonitas, Veritas & Justitia.

SIGNUM XXXIV.

De Oratione.

1. AIt Christianus Saraceno: pro una Oratione facta ad DEUM à Clericis Saracenorum fiunt decem Orationes & plures à Clericis Christianorum: adhuc, quia Clerici Christianorum orant cum Sacrificio, videlicet cum Eucharistia, Saraceni verò non orant cum Sacrificio, propter hoc oritur signum, videlicet, quòd Lex Christianorum sit prior, & Lex Saracenorum sit posterior.

2. Ampliùs, tu Saracene dicis, quòd DEUS non sit bonus, magnus &c. quoad se, sed quoad entia creata, ego autem dico, quòd etiam sit bonus quoad se, ût jam tibi probatum est; unde sequeretur secundùm te, quòd summa beatitudo consisteret in nobis, & non in DEO; sed secundùm me est totum in contrario: & ideo significatum est, quòd Oratio Christianorum sit prior, & oratio Saracenorum sit posterior.

3. Item Christiani habent multos Sanctos & Sanctas, quos rogant, & ex honore erga illos jejunant & celebrant, ut orent DEUM pro eis; Saraceni verò non habent nisi Mahometum; & per hoc ortum est signum, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

4. Adhuc, dictum est *in Capite vigesimo de Misericordia*, quòd Christus Homo DEUS, in quantum est Homo, oret pro nobis DEUM &c.; & ideo ortum est signum, quòd nostra oratio plus valeat, quàm vestra; & ideo si nostra oratio est prior, & vestra oratio posterior, sequitur, quòd nostra Lex sit prior, & vestra posterior; & quòd nostra Lex sit vera, & vestra sit falsa.

SIGNUM XXXV.

De Eleemosyna.

1. CHristiani habent multos Religiosos & multas Religiosas eligentes Virginitatem & Paupertatem ex Amore DEI, & populus dat eis sua necessaria, & pulchra Monasteria & Ecclesias, in quibus morantur; sed Saraceni non curant de hoc.

2. Iterum Christiani faciunt hospitalia, in quibus recipiuntur pauperes & infirmi & peregrini, & in qualibet civitate faciunt unum hospitale, vel duo, vel tria; sed de Saracenis nunquam audivi, quòd ipsi habeant nisi duo hospitalia, unum Tunicii, & aliud in Alexandria; & sic per hoc oritur signum, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

3. Item dicitur, & ego credo, quòd plus est hoc, quod dant Christiani in Festis Sanctorum ex amore DEI, quàm quidquid dant Saraceni per totum annum; & Christiani plus dant pauperibus euntibus ostiatim decies, quàm quidquid dant Saraceni suis pauperibus.

4. Adhuc, Christiani dant Clericis decimas ex amore DEI, Saraceni verò non: ergo ostenditur per Eleemosynam, quòd Lex Christianorum sit superior, & Lex Saracenorum sit inferior & falsa.

SIGNUM XXXVI.

De Jejunio.

1. CHristiani jejunant in Quadragesima quadraginta diebus, & Saraceni triginta diebus; & Christiani non comedunt nisi semel inter diem & noctem, nec comedunt carnes; Saraceni autem comedunt bis in nocte, & plùs, si volunt, & comedunt carnes; & sic oritur signum per jejunium, quòd Lex Christianorum sit superior, & Lex Saracenorum sit inferior.

2. Christiani jejunant Adventum & Vigilias Sanctorum, & quatuor Tempora, & multi sunt jejunantes cum pane & aqua, Saraceni verò non.

SIGNUM XXXVII.

De Contritione.

1. PRobatum est, quòd DEUS sit sua Bonitas, Magnitudo &c.; & sic quando Christiani peccant contra Bonitatem, Magnitudinem &c., sunt magìs dispositi ad habendum contritionem de commissis, quàm Saraceni dicentes, quòd DEUS non sit sua Bonitas, Magnitudo &c.; & quia illa contritio, quæ est magìs dispositа, est per prius, & illa, quæ est minùs dispositа, est per posterius, ideo oritur signum per contritionem, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

2. Ampliùs, Christiani credunt Beatissimam Trinitatem & Incarnationem, & ideo quando peccant, debent habere majorem contritionem de commissis, quàm Saraceni negantes Divinam Trinitatem & Incarnationem; & sic ostenditur signum, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

3. Ampliùs, in Lege Christianorum est istud præceptum à DEO datum: Dilige Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis; sed nec tale mandatum nec æquivalens est in Lege Saracenorum; & sic quando Christiani peccant contra prædictum præceptum, debent habere majorem contritionem, quàm Saraceni; & ideo significatum est, quòd Lex Christianorum sit prior, & Lex Saracenorum sit posterior.

SIGNUM XXXVIII.

De Confessione.

CHristiani confitentur Presbyteris & Vicariis DEI, & hoc cum magno dolore, verecundia & tristitia de commissis; sed Saraceni non curant de tali Confessione, sed confitentur DEO, ût dictum est: & quia Confessio per Legem Christianorum est per priùs, & per Legem Saracenorum est per posteriùs, ideo sequitur, quòd Lex Christianorum sit superior, & Lex Saracenorum sit inferior; & sic ostenditur signum per Confessionem, quòd Lex Christianorum sit vera, & Lex Saracenorum sit falsa.

SIGNUM XXXIX.

De Satisfactione.

PEr Legem Christianorum Satisfactio est dispositа de commissis mediante Confessione, Presbytero existente judice, ût superiùs dictum est; sed per Legem Saracenorum non est dispositа, quia carent Confessione & Judice spirituali; & quia dispositio Christianorum dicit habitum positivum, & indispositio Saracenorum habitum privativum, ideo oritur signum, quòd Lex Christianorum sit prior, & sit vera, & Lex Saracenorum sit posterior & falsa.

SIGNUM XL.

De Paradiso.

1. CHristiani credunt videre in Paradiso per intellectum Essentiam DEI & suam Operationem, quam habet per Trinitatem, quæ habet actus infinitos & æternos probatos per supradicta Capita; & per talem visionem & delectationem & amationem oritur signum, quòd Lex Christianorum sit prior, & Lex Saracenorum sit posterior.

2. Item Christiani dicunt, quòd DEUS est factus Homo, & quòd cum Corpore illius Hominis glorificabit & remunerabit omnia corpora Sanctorum per visum & auditum, & credo per tactum, osculando suos pedes, satisfaciendo gustui & tactui & olfactui;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ctui ; Saraceni autem negant hæc omnia, negando Incarnationem, ergo ortum eſt ſignum, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa.

3. Ulteriùs, Chriſtiani non exſpectant in Paradiſo habere coitum, ſed vitam angelicam, ût dictum eſt; ſed Saraceni exſpectant habere coitum, cibum & potum; ideo per Legem Chriſtianorum eſt ſignificatum, quòd Paradiſus ſit locus valde mundus, & remotus ab omni immunditia; ſed per Legem Saracenorum eſt ſignificatum, quòd paradiſus ſit locus immundus, & remotus à munditia; & ideo ſignificatum eſt, quòd Lex Chriſtianorum ſit vera, & Lex Saracenorum ſit falſa. Probatum eſt per quadraginta Signa, & hoc verè & aſſertivè, quòd Lex Saracenorum ſit falſa, & Lex Chriſtianorum ſit vera.

Poſtquam Saracenus audiverat prædictas Rationes, diu conſideravit, & poſtea ſuſpiravit, & receſſit à Chriſtiano, & dimiſit ei Diſputationem.

INCIPIT PARS III. DE Ordinatione vel de Fine Libri.

1. ISte Liber *factus fuit hâc intentione, videlicet, ut Chriſtianus & Saracenus per Rationes, non per Authoritates, ad invicem diſputarent; nam Authoritates calumniantur ratione diverſarum expoſitionum.* Poſtquam Hamar Saracenus receſſerat, Raymundus Chriſtianus poſuit in Arabico prædictas Rationes, & facto Libro miſit ipſum ad Epiſcopum Bugiæ, rogando, ut ipſe & ſui Sapientes viderent hunc Librum, & ei reſponderent; ſed poſt paucos dies Epiſcopus præcepit, quòd prædictus Chriſtianus ejiceretur à terra Bugiæ, & in continenti Saraceni ipſum miſerunt in quandam navem tendentem Genuam, quæ navis cum magna fortuna venit ante portum Piſanum, & propè ipſum per decem milliaria fuit fracta, & Chriſtianus vix quaſi nudus evaſit; & amiſit omnes ſuos Libros & ſua bona; & ille exiſtens Piſis recordatus fuit prædictarum Rationum, quas habuit cum ſupradicto Saraceno, & ex illis compoſuit hunc Librum in Latino, & miſit ipſum Domino Papæ & Reverendis Cardinalibus, ut ipſi viderent & antedictas Rationes Chriſtiani & Saraceni oſtenderent Sapientibus Chriſtianis, ut ipſi videant, per quas Rationes Saraceni intendunt deſtruere Legem Chriſtianorum, & de ipſis rationibus faciunt Libros, quorum unum vidit Chriſtianus, dum erat in carcere, cum quibus rationibus decipiunt multos Chriſtianos, qui ſe faciunt Saracenos, cùm iſti Chriſtiani non habeant intellectum elevatum nec fundatum in ſcientia, cum quo ipſi ſciant ſolvere prædictas rationes; & ideo, quia Saraceni cum iſtis rationibus, & cum promiſſione divitiarum & mulierum pervertunt multos Chriſtianos ad eorum Legem, & quia Chriſtiani non curant, nec volunt auxilium dare Saracenis, qui ſe faciunt Chriſtianos, inde eſt, quòd, ſi unus Saracenus fit Chriſtianus, decem Chriſtiani & plures fiant Saraceni; & de hoc habemus experientiam in Regno Ægypti, de quo dicitur, quòd tertia pars militiæ Soldani fuerit Chriſtiana; & quia Saraceni tenent occupatas noſtras terras, & habent talem modum multiplicandi ſuam Legem, quem jam dixi, idcirco conſiderent Majores, quid erit in fine; DEUS non poteſt cogi nec decipi.

2. Iterum, ſunt tres Imperatores Tartarorum, è quibus major Imperator nuncupatur magnus Canis (ſeu Cham) & poſſidet terram Presbyteri Joannis; & ultra iſtum Imperatorem versùs partes orientales neſcitur alter Dominus, niſi ipſe. Et alter Imperator eſt versùs partes ſeptentrionales, cujus nomen eſt Cotay; Saraceni autem ſunt ſui ſcriptores & diſpenſatores, ut ratione participationis poſſint ipſos convertere. Tertius Imperator eſt Dominus Perſiæ usque in Indiam, & vocatur Carbenda, & ipſe & omnes ſui milites ſunt facti Saraceni; & hoc fuit factum tempore Caſani ſui fratris: & ſic non convenit, quod Rex Franciæ, nec etiam aliquis alius

car

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eat in Syriam, cui Perſia eſt vicina, aliàs Carbenda & Soldanus ſtatim venirent contra Chriſtianos.

Ampliùs, dicitur, quòd non ſint niſi ſeptuaginta anni aut parum plùs, quòd Tartari exiverint à montibus, & tamen iſti tres Imperatores poſſident majores terras in duplo & plus, quàm omnes Reges Chriſtianorum & Saracenorum.

3. Adhuc dicitur, quòd Neſtorini & Jacobini odientes Latinos incipiant jam prædicare & convertere Tartaros; & ideo conſiderent Majores, quid erit in fine; nam DEUS eſt multùm amabilis & timibilis, ideo dedit poteſtatem Latinis, quòd ipſi poſſent acquirere totum mundum, ſi vellent, ût figuratum eſt in *Libro de Fine.*

4. Conſiderando, per quem modum tota Chriſtianitas eſt in magno periculo, ût patet per prædicta, eſſet bonum, quòd Dominus Papa & Reverendi Cardinales intenderent ad tria, quæ ſunt theſauri Eccleſiæ, ſinè quibus non video, quòd mundus poſſit eſſe in bono ſtatu; & cùm hæc tria conſiſtant in potentia & in otioſitate, & non reducantur ad actum per Majores, propterea conſiderent Majores, quid erit in fine; nam per Vicariam Beati Petri totus mundus eſt eis recommendatus.

5. *Tria* ſupradicta ſunt, videlicet *primum*, quòd Dominus Papa & Reverendi Cardinales facerent in perpetuum quatuor vel quinque Monaſteria, in quibus Religioſi & Sæculares literati & devoti & ferventes mori propter DEUM addiſcerent Idiomata Infidelium, & deinde irent ad prædicandum Evangelia per univerſum mundum, ût præceptum eſt.

6. *Secundum* eſt, quòd de omnibus Militibus Religioſis, ſcilicet de Ordine Templi, Hoſpitalis, & Hoſpitalis Allemannorum, Vellenſium & Calatravæ ac Sepulchri fieret alius ordo alio nomine nuncupatus, & quòd continuè & ſemper ſtarent in fronteria (ſeu confiniis) contra Saracenos; & quòd primò irent in Granatam, in qua eſt fundamentum lapideum, quia propè eſt, & magnus theſaurus Saracenorum acquireretur: & deinde irent in Barbariam; nam ipſa ſimiliter propè eſt, & deinceps ſucceſſivè acquireretur Terra Sancta; ſed non vadant primò in Syriam, in qua fundamentum eſt arenoſum & labile & circa ruinam à longè per Infideles circuitum.

7. *Tertium* eſt, quòd Dominus Papa & Reverendi Cardinales darent decimam totius Eccleſiæ ad Paſſagium, quousque Terra ſancta fuiſſet acquiſita, quam dant Regibus Chriſtianis; quæ quidem decima orta & data eſt à laborantibus, ut per ipſam Eccleſia honoretur & ſuſtentetur, & ad honorem DEI Fides multiplicetur; ſed Reges eam deducunt ad terrena, quod eſt malum.

8. Dictum eſt de Ordinatione, per quam mundus poteſt venire in bonum ſtatum; & de hac materia largiùs ſum locutus in *Libro de Fine, quem Dominus Papa habet, quem Dominus Rex Aragoniæ miſit ad eum, qui in Monte Peſſulano obtulit ſuam Perſonam, ſuam terram, ſuam militiam, ſuum theſaurum, ad pugnandum contra Saracenos omni tempore*, quo placeret Domino Papæ & Dominis Cardinalibus; & de hoc ſum certus, quia ego ibi eram.

9. Ait Raymundus: ſi ego aliquid ſum locutus contra Sanctam Catholicam Fidem, hoc ſciatur, quòd dixerim ignoranter, & ſubmitto ipſum Correctioni majorum Dominorum tanquam fidelis Chriſtianus.

Ad Laudem & Honorem DEI finivit Raymundus hunc Librum Piſis in Monaſterio Sancti Dominici in menſe Aprili, anno MCCCVIII. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

DEO gratias & Virgini & Sanctis Paradiſi, Amen.



(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI DISPUTATIO FIDEI ET INTELLECTUS.

DEUS cum tua Benedictione incipit Iſte *Liber*, qui eſt de *Diſputatione Fidei & Intellectûs.*

DE PROLOGO.

1. STudia Theologorum cupientium ſibi aperiri januam Scientiæ debent aſſiduâ meditatione verſari circa inquiſitionem Veritatis, cùm illa ſit Eruditio rudium & Doctrina bonorum Scholarium, Illuminatio & Perfectio provectorum. Ideo, cùm ſint opiniones aliquorum, qui dicunt, quòd Articuli Fidei per Rationem nullatenus poſſint probari, ſed per ſolam Fidem credi, aliorum opiniones verò è converſo, quòd per evidentem Rationem poſſint demonſtrari, facimus hunc Tractatum *per modum Dialogi*, in quo Intellectus alloquitur Fidem, quòd poſſint probari per Rationes, & Fides negando reſiſtit eidem; ſed Cauſam hujus diſputationis non decidimus, ſed reſervamus illam altiori Intellectui.

2. Iſtum modum ergo tenebimus in proceſſu; Articuli verò multi ſunt, ſed quoad præſens in iſto Libro volumus demonſtrare de *Beatiſſima Trinitate DEI:* & de ejus *ſancta Incarnatione:* etiam de *Creatione Mundi:* atque de *generali Reſurrectione Hominum*, & *ſecundùm inveſtigationem Artis Generalis* proponimus indagare; ſed priusquam incipiamus, volumus loqui de *Intellectu* & *Fide* iſto modo:

3. Intellectus eſt Potentia, cum qua Homo naturaliter intelligit intelligibilia Entia, quæ Potentia non poteſt intelligere contra ſuam naturam intelligendi, ſicut viſiva potentia, quæ non poteſt videre contra ſuam naturam videndi.

Fides verò eſt Lumen à DEO datum, cum quo Intellectus attingit extra ſuam naturam intelligendi, credendo de DEO, quòd hoc ſit verum, quod non attingit intelligendo.

Secundùm iſtas duas prædictas Definitiones intendimus tractare de Intellectu & Fide tali modo, quòd Intellectus ſecundùm ſuam naturam intelligendi proponat ſuas Rationes, & Fides ſecundùm ſuam naturam credendi reſiſtat illi.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

INCIPIT

DIALOGUS
Fidei & Intellectûs.

PARS I.

Utrùm Articuli Catholicæ Fidei possint probari, vel non?

1. ACcidit, quòd Intellectus & Fides sua Soror olim peregrinando ibant simul, & Intellectus dixit: est magna derogatio toti Christianæ Fidei, quia Infideles dicunt, quòd Veritas Christianæ Fidei sit impossibilis, cùm non possit ullo modo demonstrari per Rationem; & hoc dicunt ex eo, quòd aliqui Christiani supponant, asserant vel affirment hoc, videlicet, quòd nullo modo possit probari; & ex hoc habent Infideles occasionẽ, quòd non dimittant hoc, quod credunt, propter hoc, quod Intellectui non est certum. Sicut narratur, quòd quidam Saracenus Rex peritus in Philosophia disputavit cum quodam Christiano, & Christianus probavit ei, quòd Lex Saracenorum esset falsa. Tunc Rex dixit Christiano, quòd ipsi probaret Christianam Fidem per necessarias Rationes, & sic faceret se Christianum cum omnibus Saracenis sui regni. Dixit autem Christianus, quòd sua Fides non posset probari per necessarias Rationes. Tunc ait Rex Christiano: tu valde malè fecisti, quia eram Saracenus, sed nunc sum nec Saracenus nec Christianus; & ipsum Christianum inhonorabiliter vituperando expulit è suo Regno. Et sic videas, Fides, quàm magnum damnum fuerit, quia Christianus te Fidem non probavit.

2. Tunc Fides dixit Intellectui: non est bonum, quòd Fides & Articuli Fidei possint probari, quia, ût scriptum est, perderetur meritum Fidei; nam *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.*

Tunc ait Intellectus: narratur, quòd ex hoc, quia Saraceni non comedunt porcos, in eorum terra sint multi sylvestres porci, & quia ibi sunt plures leones, qui comedunt porcos, minores porci extrahunt cum toto posse radices herbarum à terra, ut magni porci vel apri comedant, ut dentes eorum non destruantur in fodiendo, & ut faciant bellum contra leones, quando veniunt: à simili, si aliqui Christiani valde intelligentes in Theologia & Philosophia per me & per Voluntatem meam sororem devotè bellarent contra Infideles, qui conantur deprimere Catholicam Ecclesiam cum falsis opinibus & similitudinibus, tales hoc modo conservarent in tua Veritate Populum Christianum, solvendo Objectiones Infidelium, & ponendo tales Veritates de DEO, quòd Infideles non possent solvere dictas Rationes, & hoc in tantum, quòd omnes Infideles pervenirent *ad te per me, & ad me per te,* tamen *mediante Divinâ Gratiâ,* ad cujus honorem sic laboro. Imò, dico tibi, quòd narratur, quòd ante adventum Mahometi tota Africa, & ampliùs etiam Asia & Europa erat gubernata moderamine Christianorum, & hoc propter Prædicationem Apostolorum; sed post adventum Mahometi Saraceni destruxerunt Christianos quasi per omnes illas terras, quia tu es multùm alta & difficilis ad credendum; Credulitas verò, quam Saraceni habent de DEO, non est alta; etiam, quia tunc non erant Christiani, qui cum mea altitudine intelligendi te juvarent sic contra Infideles, sicut apri contra leones; & sic potes videre, quòd hoc damnum multò plùs dicat, quàm tuum Meritum.

Adhuc dico tibi, quòd tu principaliter non es creata propter Meritum hominum, sed, ut DEUS recolatur, intelligatur & diligatur à suo populo, cùm recolere, intelligere & amare DEUM plus dicat de bonitate & nobilitate, quàm remunerare homines.

Rursum dico: suppositio, quòd Articuli Christianæ Fidei possint probari, homines non amitterent Meritum intelligendi & amandi, quia scriptum est: *Nullum bonum dilectum, nisi cognitum.* Etiam Isaias dicit:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cit: *Nisi credideritis, non intelligetis;* & sic patet, quòd tu Fides sis dispositio & præparatio, per quam ego de DEO sum dispositus ad altas res; nam in hoc, quòd ego per te suppono credendo, per quod possum ascendere, habituo me de te, & sic tu es in me, & ego in te; & quando ascendo ad gradum, in quo tu es, intelligendo, tu ascendis credendo in altiorem gradum super me; nam, sicut oleum natat super aquam, ita tu semper moraris super me; & ratio hujus est, quia habes majorem vigorem in omnibus ascendendi supponendo, quia non laboras, quàm ego, qui, quando ascendo intelligendo, tunc laboro.

Iterum: major participatio est inter me & Voluntatem meam sororem per intelligere Veritatem de DEO, quàm per credere; & de hoc posses habere experientiam, si velles, nam mea natura credendo est infirma, quia est ligata; sed est sana & libera, quando intelligo altiora.

Adhuc, quia, suppositio, quòd aliquid sit mihi difficile, recurrerem ad te per credere; quia, sicut frigiditas aquæ remanet in ipsa in habitu, quando est calida, sic tu remanes in habitu, quando intelligo. Unde patet per omnes istas & multas alias Rationes, quæ possunt dici, quòd tu malè facias in hoc, quòd sis rebellis contra me, cùm sim causa tuæ exaltationis nunc & semper.

3. Ait Fides, alloquens Intellectum: mi frater, non irascaris contra me, cùm sim causa, quòd tu possis exaltari in hoc, quòd dispono te ad intelligendum, sicut tu ipse superiùs concessisti; & sic in intelligendo permanes in tua natura, sicut de te data est suprà definitio. Et intellige hæc verba: tu bene scis, quòd Divina Trinitas sit incomprehensibilis, quia est infinita; & quia tu es finitus, & inter infinitum & finitum est nulla proportio, inde sequitur, quòd tu in Via non possis intelligere Divinam Trinitatem per necessarias Rationes; nam, si posses, finitum comprehenderet infinitum, quod est impossibile & inconveniens rationi.

Ait Intellectus: Fides mea soror, non irascor contra te, sed dico tibi veritatem, & doleo, quia gentes non utuntur me intensivè secundùm altos gradus, ad quos de me possunt habere usum. Et ad tuam positionem sic respondeo: & concedo hoc, quod dicis de incomprehensibilitate Divinæ Trinitatis & de mea finitate; sed dico, quòd, si de Divina Trinitate habeo aliquas necessarias Rationes, non sequatur, quòd sim comprehensor, sed tantùm apprehensor; nam, sicut digitus positus in una parte igniti ferri sentit in parte caliditatem ignis, sed non totam caliditatem, quia non tangit totum subjectum ejus, sed partem, sic à simili secundùm modum intelligendi ratione infusionis Gratiæ Divinæ Trinitatis & suæ maximæ intelligibilitatis bene possum particulariter secundùm me aliquid attingere de suo lumine Veritatis, quia non est aliquis, qui possit eam contra hoc ligare, nec etiam me, si ei placet; imò miror de te, quare non consideres, *quòd, sicut Divina Voluntas infundit in Via Charitatem ratione Gratiæ in humanam Voluntatem, ut homo per ipsam sit charitativus ad agendum bonum, quare non sic Divina Sapientia per Gratiam in me possit infundere Scientiam, ut attingam de Divina Trinitate Veritatem, quæ mihi sufficiat ad intelligendum ipsam, & ad destruendum omnes objectiones contra ipsam*, & etiam ad exaltandam meam sororem Voluntatem in suo diligere, cùm ipsa sinè mea alta intelligibilitate non posset habere satìs altum amorem.

4. Dixit Fides Intellectui: tu jam dicis, quòd inter infinitum & finitum sit nulla proportio; unde sequitur per consequens, quòd nec medium, ut tu cum Beatissima Trinitate possis habere participationem per intelligibilitatem, sed per meam credulitatem & suppositionem.

Ait Intellectus ad Fidem: concedo tibi de naturali medio, quod non potest stare inter finitum & infinitum, sed non de *Medio Luminis Gratiæ*, quod evenit per contingentiam, quia DEO placet agere magnificè in creato subjecto, infundendo suam Bonitatem, reducendo illud bonum infusum ad suam bonam intelligibilitatem; & quomodo, ait Intellectus, & tu Fides nescis, quòd tu sis posita inter finitum & infinitum per Lumen Gratiæ? quia credis totam Divinam Trinitatem tamen extensivè tantùm, quia intensivè non posses, quia comprehenderes ipsam; & sic per te & per Lumen habeo, quòd possum aliquid extensivè apprehendere de Divina Trinitate, & hoc est in tantum quoad me, quòd habeam sufficientiam ad confundendum omnes errores contra ipsam. Et audias Fides, suppositio, quòd non possim attingere Divinam Trinitatem in aliquo, si aliquis Infidelis multùm literatus & subtilis vellet destruere te per apparentes

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rationes, cum quo ego poſſem te adjuvare? per te non, quia ipſe nollet credere; ergo ſequitur, quòd per me, cùm Veritas ſit ſuper falſitatem ſic per modum intelligendi, ſicut per modum credendi, aliàs ego eſſem excuſatus in Via à reſiſtendo falſitati, quæ eſt contra te & contra Divinam Trinitatem, & poſſem eſſe otioſus ſinè peccato, quod eſt impoſſibile, ſicut dixi: unde ſequitur, quòd poſſim tantum attingere de Veritate Divinæ Trinitatis, quòd poſſim reſiſtere falſitati, quæ eſt contra ipſam, probando ipſam, & deſtruendo errores, qui contra ipſam ab Infidelibus quotidie enarrantur.

5. Ait iterum Intellectus: narratur, quòd quidam Saracenus tantum ſtuduerit in ſua Lege, quòd intellexerit, quòd ipſa ſit falſa, & venit ad quendam literatum Chriſtianum, & dixit ei, quòd ipſe nollet eſſe Saracenus ſed Chriſtianus, ſuppoſito tamen, quòd ipſe probaret ei Chriſtianam Fidem per neceſſarias Rationes. Chriſtianus dixit ei, quòd non poſſet fieri. Tunc Saracenus dixit illi, quòd daret ipſi Chriſtianam Fidem, ut crederet in ipſam. Chriſtianus ait, quòd non poſſet, quia ſoli DEO convenit dare Fidem. Tunc ait Saracenus, quòd ipſe eſſet ligatus ſinè culpa, quia vellet eſſe Chriſtianus, & non haberet Fidem, quam per ſe non poſſet habere, nec de Trinitate poſſet videre Veritatem, ſi non eſſet demonſtrabilis; & ſic DEUS eſſet cauſa ſuæ damnationis, quod eſt contra Divinam Bonitatem, quæ vult, quòd omnes homines ſalvi fiant; & quia talis injuria in DEO eſt impoſſibilis, ſequitur igitur, quòd Beatiſſima Trinitas ſit demonſtrabilis.

Dixit Fides: in illo tempore, in quo Saracenus vult eſſe Chriſtianus, habet habitum Fidei infuſum.

Ait Intellectus: non eſt verum, quia ipſe cum conditione vult eſſe Chriſtianus, videlicet, quòd intelligat Trinitatem per neceſſarias Rationes, vel quia credit, quòd non poſſet habere Fidem, niſi ipſi datam à DEO; & ſic ſentit in ſua mente, quòd non credat Trinitatem, ſed diſcredat & odiat illam.

6. Dixit Fides: de DEO non poteſt haberi demonſtrativa ſcientia, quia non habet cauſam ſupra ſe, per quam poſſit definiri & cognoſci, ſed de ipſo poteſt haberi Fides ſupponendo, quòd ipſe ſit Trinus & Unus.

Ait Intellectus: verum eſt, quòd DEUS non habeat cauſam ſupra ſe, ſed ſit Cauſa omnium entium, quæ fuerunt, ſunt & erunt; tamen eſt cognoſcibilis per ſuas Sanctiſſimas Rationes ſive Proprietates; nam, ſi quæratur, quid eſt DEUS? reſpondendum eſt, quòd DEUS ſit illud Ens, in quo ſua Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas &c. convertuntur, & ſunt idem numero; hoc non eſt in alio ente, nam, ſi converterentur in ipſo, ipſum eſſet DEUS, & ſic eſſent plures Dii, quod eſt impoſſibile atque falſum, ût *in Libro de Syllogiſmis probatum eſt per Raymundum.*

7. Dixit Fides: in principio ego fui incepta per Prophetas, & in tempore noſtri Domini JESU Chriſti fui confirmata per Miracula; modò tu vis me deſtruere per neceſſarias Rationes probando Trinitatem & alios ſupradictos Articulos Fidei; & hoc non potes facere bono modo, quia ſecundùm mea principia mea permanentia habet eſſe.

Ait Intellectus: ego nolo te deſtruere, imò mihi placet, quòd remaneas in non literatis hominibus & ſimplicibus, vel non habentibus ita altum intellectum; ſed vellem, quòd eſſent homines, qui per me poſſent deſtruere ſchiſmata & errores mundi, ut de DEO eſſet una vera Scientia, una Fides, qui errores non poſſunt totaliter deſtrui per Fidem, ſed per me bene poſſent; quia in tempore Prophetarum gentes credebant, in tempore Apoſtolorum erant Miracula, modò nolunt credere, nec quaſi fiunt Miracula in hoc mundo; & ſic convenit, quòd per neceſſarias & cogentes Rationes Infideles, qui fingunt ſe ſcientes, cogantur ad intelligendum te per me, tamen mediante Divina Gratiâ.

Etiam dico tibi, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus dederit Experientiam de te Fide, quando comedit mel, & beatus Thomas poſuit manum in ejus Latere, & quando apparuit Apoſtolis in hoſpitio, ubi erant.

8. Dixit Fides: narratur, quòd erat quidam magnus Clericus Chriſtianus, & volebat omnino eſſe certus per cogentes Rationes de Divina Trinitate, & venit ad quoddam magnum flumen, & in litore invénit valde parvum puerum, qui conabatur infundere aquam cum ſcypho in unam foveam; Clericus verò petiit ab eo, quid intenderet facere; puer dixit, quòd vellet menſurare, quot ſcyphi aquæ propriè eſſent in illo flumine; ait Clericus, quòd ipſe laboraret ad impoſſibile; dixit puer: quòd eſſet magìs impoſſibile hoc, quod ipſe quæreret de

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de Divina Trinitate. Et ſic dixit Fides Intellectui : mi frater, modò potes cognoſcere, quòd hoc, quod tu dicis, ſit impoſſibile ſcitu.

Ait Intellectus: omne impoſſibile non eſt in omni tempore nec circa quemlibet hominem, nam, quando placet DEO, de impoſſibili facit poſſibile, & è converſo; & ſic tua ratio eſt nulla.

9. Dixit Fides: eſt impoſſibile, quòd Trinitas poſſit demonſtrari, & hoc ſic probo: illud, quod aliquo modo repugnat humanæ cognitioni, non poteſt demonſtrari; ſed Trinitas aliquo modo repugnat humanæ cognitioni, quia in humana cognitione generans præcedit generatum, ſed in Divina Trinitate non datur prioritas: ergo Trinitas non poteſt demonſtrari.

Ait Intellectus: concedo tibi, quòd de humana ratione non ſit demonſtrare Trinitatem, quia humanus intellectus ſecundùm ſe conſiderat, quòd generans præcedat generatum; ſed ego & tu Fides credendo non poſſumus attingere Veritatem de Articulis Fidei ſinè Lumine Gratiæ à Superiori, per quod lumen tranſeo à credere ad intelligere, quòd DEUS Pater non præcedat DEUM Filium, quia de tota ſua infinita & æterna Bonitate &c. generat & producit ſuum Filium.

10. Dixit Fides: quando aliquid habet cognoſci, habet cognoſci aut in ſe, aut per prius, aut per poſterius; ſed Trinitas non poteſt cognoſci aliquo iſtorum trium modorum: ergo Trinitas non poteſt cognoſci; non habet cognoſci in ſe, quia habet infinitam elevationem ſupra te; non per prius, quia in DEO non datur prioritas; nec per poſterius, quia per poſterius non fit potiſſima Demonſtratio, quia effectus non cauſat ſuam cauſam.

Ait Intellectus: concedo, quòd DEUS habeat infinitam elevationem ſupra me, ſed ſicut tu per me, & ego per te credendo recipimus *Lumen Gratiæ* à DEO, attingendo de eo aliquas Veritates, ſic per *idem Lumen* poſſum intelligere aliquas Veritates de DEO; quia ſi non, *Divinus Intellectus eſſet ligatus, quòd non ita poſſet dare Lumen per intelligere, ſicut per credere,* quod eſt impoſſibile.

Iterum, quando dicis, quòd DEUS non habeat prius, concedo; & tamen, licèt non habeat prius, propter hoc non ſequitur, quòd de ipſo non poſſint attingi Veritates intelligendo; nam, ſicut DEUS per Naturam ſui Intellectûs cauſat ſe ad habendum actum intelligendi, & ut ſit intellectus, ſic per infinitam & æternam Naturam ſuæ infinitæ & æternæ Bonitatis &c. cauſat ſe ad producendum bonum infinitum & æternum; & ſic quoad iſtos duos modos tua ratio non valet, ſed quoad tertium de probatione per *quia*, dico, quòd valeat.

11. Dixit Fides: eſt impoſſibile, quòd Intellectus ſinè ſuo inſtrumento ſe extendat ultra ſuos terminos; ſed prima principia ſunt ejus inſtrumenta, & non extendunt ſe, niſi ad ſenſum & imaginationem: ergo Intellectus non poteſt attingere Divinam Trinitatem.

Ait Intellectus: tua ratio valet ſecundùm altitudinem Divinæ Trinitatis & meum modum, dum eſt infimus & humanus, ſed non valet *ſecundùm Divinum Inſtrumentum*, ſcilicet *Lumen Gratiæ;* & hoc jam ſuperiùs dictum eſt. Et miror de te, Fides, quòd non habeas conſcientiam, quia videris peccare contra Sanctum Spiritum; & neſcis, quòd ſit ſcriptum, quòd Sanctus Spiritus, ubi vult, ſpirat? ſi autem velit, quis eſt ille, qui audeat dicere, quòd non poſſit inſpirare humanum Intellectum deſiderantem habere notitiam de Divina Trinitate, ad laudandum ipſam & ſerviendum illi, & ad deſtruendum errores Infidelium, qui ipſam odiunt & ignorant.

12. Dixit Fides Intellectui: en qualis bubulcus es, & quomodo poſſes tu demonſtrare, quòd Sanctus Spiritus non poſſit producere Divinam Perſonam, ſicut Pater, cùm ſit ita potens in Perfectione, ſicut ipſe?

Ait Intellectus: ſicut DEUS per ſuam infinitam & immenſam Unitatem eſt neceſſitatus, ut ſit unus, ſic ſua Paternitas eſt neceſſitata, ut ſit una & ſingularis, & ſic de Perſona Filii & Sancti Spiritûs; nam, ſi in Eſſentia DEI eſſent plures paternitates, una limitaret aliam, & Infinitas Paternitatis eſſet finita, quod eſt impoſſibile; & ſic de Filiatione & Spiratione.

13. Dixit Fides: in uno *Libro de Propoſitionibus,* quem feciſti, ſcriptum eſt, quòd Reſurrectio hominum ſit neceſſaria, quia majus bonum fit à DEO reſuſcitando & æternando unum hominem, & per conſequens illi dando ſempiternam gloriam, quàm creando omnes homines in hac vita, & ſuſtentando omnes; & de hoc credis, quòd ſit Demonſtratio, & non eſt, ſed potiùs perſuaſio.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Ait Intellectus: dicitur, *quòd Scientia non habet Inimicum, nisi Ignorantem;* sed DEUS non est inimicus Scientiæ, qui esset, si impediret, quòd non possem attingere cum sua Gratia Veritates Articulorum Fidei; quæ inimicitia est impossibilis. Et 16. nescis tu, *quòd omnes homines naturaliter desiderent scire*, contra quam naturam, quæ est effectus DEI, DEUS esset, si impediret, quòd Articuli Fidei non possent demonstrari; & ideo dico tibi, quòd tu ignores in hoc, quòd credas, *quòd in Libro à te allegato de Propositionibus non sit Demonstratio sed Persuasio in prædictis;* modò vide, quia, sicut triangulus habet tres angulos, sic DEUS habet bonum, justum & magnum Judicium, scilicet justum per Justitiam, magnum & bonum per Magnitudinem suæ Bonitatis, quod non haberet, si non esset generalis Resurrectio.

14. Dixit Intellectus: in Fide Christianorum sunt multi Schismatici, sicut Græci, Jacobini, Nestorini, Blanqui, Russi & hujusmodi sequestrati, & quilibet istorum credit se melius esse in Veritate, quàm Latini, & ad hoc non potest per te dari remedium convertendi, sed per me, qui intelligo Veritatem; quia sinè me una Fides non posset agere super aliam per Rationem: unde sequitur, quòd vera Catholica Fides per me bene posset agere contra tales falsidicos Christianos existentes in errore, quia de me non habent usum propter defectum rationis.

Dixit Fides: Schismatici non sunt in errore propter tuam carentiam vel defectum, sed quia de me nesciunt agere, ût convenit.

Ait Intellectus: & quomodo scirent Infideles agere de te sinè me? quia tu in tuis dictis contradicis tibi ipsi, cùm scire pertineat ad me, & non ad te, ût dixisti.

15. Dixit Intellectus: sunt multi Christiani, qui dubitant de te, Fides, utrùm possis esse vera, quia vident, quòd plures tui cultores non ita honorificè te colant, ût deberent; unde propter hoc videtur pluribus hominibus, quòd tu sis figmentum, quod non est verum in re; & propter hoc sunt multi peccatores & increduli, qui non essent, si ego possem pervenire ad meum statum, quem multùm desidero & affecto, videlicet, quòd essent multi homines intelligentes, demonstrantes, quòd tu sis necessaria; tunc hoc, quod hominibus videtur esse figmentum de te, non esset, sed certa res.

Ait Fides: quantò magìs derogatur mihi per illos, qui me deberent exaltare & honorare, tantò majus meritum habent apud DEUM illi, qui me colunt & honorant, sicut debent.

Ait Intellectus: tu scis, quòd in DEO Voluntas & Intellectus æqualiter sint honorabiles ab hominibus; & ideo, unde veniret, quòd Divina Voluntas sit multùm amabilis intensivè per homines, & Divinus Intellectus non sit multùm intelligibilis intensivè, & quòd ego attingam in inferioribus veritates intensivè & assertivè, & non in Divina Trinitate? ha prô dolor & tristitia! quia tu credis de me, quòd de illo Fine, ad quem principaliter sum creatus, non possim agere, & tu possis.

Dixit Fides: mi frater, non mireris, quia ego possum plus attingere diligendo, quàm tu intelligendo.

Ait Intellectus: non curo, an tu plus, sed doleo, quia tu dicis, quòd ego nihil; &. quis error est iste, ait Intellectus, quòd de asino & de bove sciam multas veritates, & de DEO meo Creatore habeam nullam, ût tu dicis?

17. Dixit Intellectus: secundùm quòd tu dicis, in Via non acquirerem Meritum per modum intelligendi, sed per modum credendi; & sic, quantò magìs appropinquarem ad intelligendum Divinam Trinitatem, tantò magis amitterem Meritum, & multiplicarem ipsum per Credulitatem; & sic malè faciunt Doctores in Theologia in multiplicando habitum scientiæ, & in desiderando scire Divinam Trinitatem; & bene faciunt illi, qui nolunt ipsam intelligere. Ha luctus & mœror! qui erunt illi, qui sanabunt mea vulnera, & meam tristitiam convertent in gaudium?

Ait Fides: quare plangis & ploras? transeas, sicut transivisti diu in præterito tempore.

Ait Intellectus: quomodo possum quiescere & transire? cùm meus Dominus DEUS à paucis hominibus cognoscatur & diligatur, & à multis ignoretur, & illi à pluribus derogetur.

18. Dixit Fides: mi frater, tu malè facis, quia vis exire extra tuos terminos; sed vade per tuos, & permitte me ire per meos, videlicet, quòd de DEO habeas certitudinem negando, & ego habeam certitudinem affirmando, credendo, quòd DEUS sit bonus, magnus, æternus, potens &c., & etiam

Unus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Unus & Trinus, & tu intelligendo dicas, quòd DEUS non ſit lapis, elementum & hujusmodi negativè.

Ait Intellectus: O enorme dedecus mihi dictum! & quid eſt hoc, quòd ego non attingam verum DEUM, niſi negando, & Fides affirmando? quoniam DEUM eſſe non poſſum intelligere, prout dicis, niſi ex eo, quòd non ſit lapis vel elementum &c., & ſic de ſua Bonitate, Magnitudine &c., cùm hæc negatio non ſit cauſa: ſed ratio, quare eſt, ſequitur ex hoc, quòd ſit infinitus & æternus, & infinitè & æternè bonus, magnus &cætera ſupradicta, quia tale ens eſt neceſſarium, & eſt impoſſibile ipſum non eſſe, ût probabo.

19. Dixit Intellectus, ſuppoſito, quòd Articuli Fidei poſſint probari, Ego & Memoria & Voluntas meæ ſorores poſſumus magìs reſiſtere peccatis, & acquirere Virtutes, quàm ſi non poſſent probari; & ratio hujus eſt, quia, quantò magìs DEUS eſt intelligibilis à me, tantò magìs eſt recolibilis & amabilis, & per conſequens Anima habituata de virtutibus, & elongata à vitiis.

Ait Fides: DEUS poſſet tantum intelligi, recoli & amari in Via, quòd ego annihilarer, ſicut in Gloria, in qua non habebo ſubjectum, in quo ſim ſuſtentata.

20. Dixit Intellectus Fidei: per Fidem ſinè me eſt magìs apparens, quòd Fides Chriſtianorum ſit impoſſibilis, quàm Infidelium, quia credere, quòd DEUS ſit Trinus & Unus, & ea, quæ pertinent ad Divinam Trinitatem, ſunt magìs difficilia, quàm credere Unum DEUM tantùm, & non Trinum; & quia Gentes evitant difficultates, & gaudent facilitatibus, & quia, ſi eſt unus Chriſtianus, ſunt centum Infideles & Gentiles: inde ſequitur, quòd eſſet malum, quòd Articuli eſſent improbabiles, ſed eſt bonum, quòd ſint probabiles per Rationes, *intelligendo tamen ſano modo, ſcilicet mediante Divino Auxilio*, ut tu Fides, quæ es valde difficilis, habeas me coadjutorem & bellatorem contra peſſimos errores hujus Mundi.

Ait Fides: licèt ſim valde difficilis, ſum magìs remunerabilis.

Dixit Intellectus: & quid ad DEUM de tuo Merito, & quòd propter tuum Meritum DEUS amittat tot Gentes, quæ ruunt in Infernum?

Dum Intellectus & Fides ſtabant in prædicta controverſia, & unus iratè reſpiciebat alium, ait Intellectus: ſemper poſſemus eſſe in iſta controverſia, cùm tu dicas, quòd Articuli Fidei non poſſint probari, & ego, quòd poſſint probari; ſed *veniamus ad experientiam*, & ſi ego poſſum probare Divinam Trinitatem, ipsâ probatâ tu non poteris illam negare, *cùm de experta re ſit nullum dubium ſapienti.*

PARS II.
De Probatione Divinæ Trinitatis.

1. DIxit Intellectus: ubicunque eſt infinita Poteſtas, eſt infinitus actus; in DEO eſt infinita Poteſtas: ergo in DEO eſt infinitus Actus; ſed non poſſet in DEO eſſe infinitus Actus ſinè infinita Productione, ſcilicet, quòd infinitus DEUS producat infinitum DEUM infiniendo per infinitam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem, Sapientiam, Voluntatem, Virtutem, Veritatem & Gloriam, & hoc bonificando, magnificando, infiniendo, æternando &c. & etiam deificando; dicimus autem, quòd Producens ſit Pater, & Productus ſit Filius; & ratio hujus eſt, quia infinitus Producens non poteſt producere de nihilo nec de creato ente infinitum & æternum Productum, ſed de ſe ipſo tantùm, qui infinitus & æternus eſt: ergo oſtenditur, quòd in Eſſentia DEI ſit Pater & Filius, cùm conveniat, quòd Producens & Productus ſint diſtincti, ſicut agens & agibilis; nam, ſi non eſſent diſtincti perſonaliter, productus eſſet productivus, & Pater & producens eſſet producibilis, quod eſt impoſſibile, & non intelligibile: ergo habemus Patrem & Filium in Divinis, & per conſequens Sanctum Spiritum, & hoc per viam Amoris; quia Pater diligit Filium, & Filius Patrem, & hoc infinitè, quia in DEO eſt infinitus Actus; & illa Dilectio eſt ſubſtantialis, quia in DEO non eſt accidentalis actus, nam accidens non poteſt eſſe infinitum per infinitam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem &c.: ergo prædictus Amor eſt tertia Perſona producta à Perſona Patris & Filii; & omnes iſtæ tres Perſonæ ſunt Unus infinitus DEUS habens infinitum Actum, ût ſuprà probatum eſt.

Ait Fides: poſito, quòd in DEO ſit infinitus Actus, propter hoc non ſequitur, quòd tu probes Diſtinctionem in Divinis; quia DEUS intelligit, & ſe ipſum infinitum

&

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& infinitè intelligendo habet infinitum Actum, & Intelligens, Intellectus & Intelligere ſunt idem per Eſſentiam, & ſinè multiplicatione Perſonarum, & hoc eſt intelligibile; ſed prædicta Diſtinctio, quam tu dicis, eſt credibilis quoad me.

Ait Intellectus: concedo, quòd in DEO Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint idem per Eſſentiam, & ratio hujus eſt, quia Filius eſt de tota Eſſentia Patris, & Sanctus Spiritus eſt de tota Eſſentia amborum; ſed infinitus Actus dicit infinire *duobus modis*, videlicet *exiſtendo* & *agendo*: *exiſtendo*, quòd Producens ſit exiſtens infiniens de ſe ipſo cauſans (producens) infinitum Actum, intelligens ſe ipſum, ut ſit intellectus infinitè; & per talem modum DEUS eſt exiſtens intelligens, intellectus & intelligere; ſecundus modus (*agendo*) eſt diſtinctivè & productivè infinitus, ut infinitus Actus non ſit ligatus, finitus & terminatus, ſed verè abſolutè infiniens perſonaliter & productivè, aliàs in Intrinſeca Operatione non eſſet Infinitus de Infinito, nec Infinire ab utroque, nec infinitus Bonus de infinita Bonitate, nec infinitus Magnus de infinita Magnitudine, nec infinitus Æternus de infinita Æternitate & ſic de aliis Attributis: ſicut infinita Poteſtas, quæ non poſſet aliquid producere diſtinguendo de infinita Eſſentia, & ſic non haberet Actum naturaliter infinitum, quia eſſet ligata, & tale ligamen ſciret Divina Sapientia, quod eſſet malum & otioſum contra bonum, & otioſitas contra agentiam Bonitatis, & odium contra Voluntatem, cujus Ratio & natura eſt habere Libertatem infinitam in volendo, ſcilicet, quòd ipſa naturaliter in ſe habeat infinitè & diſtinctè Amatum de Amante, & Amare de Amante & Amato, ut in ipſa habeant ſolatium, & DEUS habeat DEUM, & Amans Amatum, & ambo habeant Amare, & inſimul habeant infinitam Concordantiam, diſtantes cum ipſa à Contrarietate: & ſic de Divina Virtute, in qua eſſet vitium ſinè diſtincta Actione: & ſic de Divina Veritate, quæ in Divina Eſſentia ponit in vero, quòd Verificans ſit unus, Verificatus alius, & alius etiam amare Verificatum, & hoc per infinitum Actum & per Eſſentiam Veritatis, ut Divinus Intellectus aſſertivè & verè & propriè poſſit numerare cum propriis numeris unum eſſe Verificantem Generantem, & alium Verificatum Generatum de ſua Veritate, & alium Verificatum Productum per Amare, ut verè & aſſertivè poſſit numerare plura, quæ non poſſet ſinè Diſtinctione Actûs in Divinis, ſinè qua Diſtinctione & multiplicatione Veritas non poſſet cauſare, quòd verè ſit infinitivus, quia eſt infinibilis, & è converſo; & ſic Divinus Intellectus eſſet confuſus in Veritate, & non clarus, & natura Veritatis eſſet variabilis & deſtructa & extra modum intelligendi, verificandi & numerandi, quod eſt impoſſibile & incertum: iterum, ait Intellectus, ſinè Diſtinctione infinitus & perſonalis Actus eſſet in Gloria DEI confuſus, quod eſt impoſſibile, quia Glorioſus non haberet Glorioſum, atque Gloriari careret, quòd DEUS haberet DEUM, nec DEUS eſſet de DEO, nec DEUS eſſet in DEO, & DEUS non eſſet cum DEO, nec DEUS haberet ſe ad DEUM ratione Finîs: & hoc ſciret Divinus Intellectus cum pœna contra Gloriam, & Voluntas odiret hoc cum triſtitia, & ſic deficeret in DEO perfecta & infinita Gloria & Veritas ratione ſupradictorum defectuum ſeu carentiarum; & quia omnia iſta ſunt impoſſibilia, relinquitur ergo, quòd infinitus Divinus Actus ſic ſit æqualiter per Diſtinctionem Perſonarum, ſicut per Exiſtentiam ratione Unitatis Eſſentiæ Infinientis, Infinibilîs & Infinire quorumlibet permanentium in ſuo proprio numero æternaliter.

2. Dixit Intellectus: Fides, adhuc volo tibi probare Divinam Trinitatem Syllogizando & declarando ſic: ubicunque eſt naturalis omnimoda Æqualitas exiſtendi & agendi, eſt naturalis & omnimodè æqualis quies; ſed in DEO eſt naturalis omnimoda Æqualitas exiſtendi & agendi: ergo in DEO eſt naturalis & omnimodè æqualis Quies. Minor declaratur ſic: DEUS quieſcit per exiſtere, quia eſt DEUS, ergo quieſcit per agere, quia agendo producit DEUM, & ſic eſt in DEO æqualis Quies exiſtendo & agendo; aliàs, niſi DEUS produceret DEUM, in DEO non eſſet naturaliter & omnimodè æqualis quies exiſtendi & agendi, quod eſt impoſſibile: ergo ſequitur in DEO Beatiſſima Trinitas, quæ eſt perſonalis & omnimodè æqualis Quies exiſtendo & agendo: quieſcit ergo DEUS Pater in exiſtendo Pater, & in agendo DEUM Filium, & DEUS Filius quieſcit in exiſtendo Filius, & non Pater, & Sanctus Spiritus quieſcit in exiſtendo Sanctus Spiritus in amare Patris & Filii, qui quieſcunt in ſpirando Sanctum Spiritum per Amorem, & Sanctus Spiritus

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ritus etiam quieſcit in non exiſtendo Producens, ſicut Pater, qui quieſcit in non exiſtendo Productus.

Ait Fides ad Intellectum: hoc, quod tu dicis, non pertinet ad te dicere, ſed pertinet ad me credere; & quia te intromittis in officium, quod non eſt tibi datum, poſſes cadere in errorem, conſiderando, quòd, ſi Pater eſt DEUS, & Filius eſt DEUS, & ſic de Sancto Spiritu, & unus non eſt alius, videretur tibi, quòd eſſent tres Dii. Et ſi dicis, quòd omnes tres Perſonæ ſint unus DEUS, videretur tibi, quòd DEUS eſſet compoſitus ex iſtis. Et ſi dicis, quòd DEUS ſit Pater, poſſes conſiderare, quòd Pater ſit ante Filium, & quòd Filius non ſit æternus. Et ſi dicis, quòd Filius ſit genitus, poſſes conſiderare, quòd in Eſſentia DEI ſit corruptio ſive materia; etiam poſſes conſiderare, quòd Eſſentia Patris eſſet diviſibilis, & ſic de multis aliis inconvenientibus, in quæ poſſes cadere per errorem: unde propter hoc conſulo tibi, mi frater, quòd dimittas prædictas conſiderationes, & permittas me credere in Divinam Trinitatem, quia per meum credere potes evitare errores & te elongare ab erroribus.

Dixit Intellectus: nec propter hoc, Fides, potes me deducere in timorem, quia habeo Spem in adjutorio Divini Intellectûs, quia pro ipſo laboro, & ab ipſo habeo hoc verum bonum, quod habeo; & ad tuum timorem ſic reſpondeo: quia dicis, quòd poſſem conſiderare tres DEOS, malè dicis, quia intelligo, quòd DEUS, qui eſt de tota Eſſentia DEI, non poſſit eſſe alius DEUS, cùm Eſſentia ſit indiviſibilis & indiviſa, & DEUS non poteſt eſſe ſinè indiviſibili Eſſentia. Et quia dicis, quòd videretur mihi, quòd DEUS eſſet compoſitus, non eſt verum, quia compoſitio non poteſt fieri, niſi de pluribus finitis eſſentiis; etiam Simplex productus de Simplicitate non poteſt eſſe de genere compoſitionis. Et quia dicis, quòd poſſem conſiderare, quòd Pater eſſet ante Filium, non eſt verum, quia intelligendo, quòd æternus Productus ſit de Eſſentia æterni Producentis, non poſſum intelligere, quòd ipſe ſit de genere temporis vel poſterioritatis. Et quia dicis, quòd poſſem conſiderare, quòd in Eſſentia DEI ſit corruptio ſive materia, quia Filius eſt genitus, malè dicis, quia Filius formaliter & ſimpliciter eſt genitus de Forma Patris, & corruptio non poteſt fieri ſinè transmutatione materiæ de una forma in aliam. Et quia dicis, quòd poſſem conſiderare, quòd Eſſentia Patris eſſet diviſibilis, non eſt verum, quia conſidero intelligendo, quòd ſit impoſſibile, quòd Eſſentia infinita per Immenſitatem ſit diviſibilis, ſicut Eſſentia infinita per Æternitatem non eſt temporificabilis. Et ſic de aliis poſſem te reprehendere, ſicut de iſtis. Et tu malè facis, quia es contra me, & contra meam ultimam Beatitudinem & meum ultimum Finem; &, putásne, quòd timeam laborem & periculum ad honorandum DEUM, & ſerviendum Divino Intellectui meo Domino, qui me creavit ad ſe intelligendum? Ha Fides mea ſoror! ait Intellectus, quare es contra illam columnam, in qua es ſuſtentata? & ſi contingeret, quòd tu caderes in dubitationem vel in errorem, quæ creatura eſſet illa, quæ ſinè me poſſet te adjuvare?

3. Dixit Intellectus: illa naturalis Bonitas, quæ eſt infinita & æterna, eſt naturalis Ratio infinito & æterno Bono, quòd producat infinitum & æternum Bonum; ſed Divina Bonitas eſt hujusmodi: ergo eſt Ratio DEO, quòd producat naturaliter infinitum & æternum Bonum. Vocamus autem Producentem Patrem, & Productum Filium & Sanctum Spiritum ab utroque Spiratum; & ſic ſequitur de neceſſitate Beatiſſima Trinitas.

Dixit Fides: tua ratio non valet, quia DEUS producit bonum infinitum & æternum intelligere, & eſt producens intelligens, & productus intelligibilis ſinè aliqua diſtinctione & multiplicatione Perſonarum.

Ait Intellectus: dictum eſt, quòd Bonitas ſit naturalis Ratio infinita & æterna &c., quod non eſſet, niſi Diſtinctio Perſonarum eſſet in Productione; ratio hujus eſt, quia infinitus Actus dicit plus in Productione exiſtendi & diſtinguendi, quàm exiſtendi tantùm, quia majus eſt exiſtere bonum & agere ſeù producere bonum diſtinguendo cum multiplicatione Perſonarum, quàm ſinè diſtinctione & multiplicatione; & ſic mea ratio ſtat, & tua non poteſt ſtare.

Iterum, ſi eſſet, ſicut tu dicis, Natura Divinæ Bonitatis, Magnitudinis &c. non eſſet permanens ab æterno nec in æternum, ſed variabilis & mutabilis, quia Naturans transmutaret ſe in Naturatum, & è converſo, & ſic de Naturare: & Æternitas non poſſet ſufficere ad permanentiam propriorum numerorum eorum, quod eſſet malum con-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tra bonum, parvum contra magnum, mutabile & mobile contra immutabile & immobile, possibile contra impossibile, innaturale contra naturale &c.; & omnia ista sequerentur, si Naturans esset mutabilis in Naturatum, & è converso, quia bonificans &c. non esset naturaliter agens, nec bonificatus &c. naturaliter patiens, nec bonificare &c. naturaliter actus; & sic Divina Natura non haberet radicem & fundamentum, in quo posset se sustentare hoc, quod est; & quia omnia ista sunt impossibilia, ergo ostenditur, quòd Naturans sit permanens in suo proprio numero, & hoc personaliter distinguendo, & sic de Naturato & Naturare, licèt sint idem per Essentiam Divinæ Naturæ, quæ est infinita & æterna.

4. Dixit Intellectus: omne ens magìs distat à non ente in existendo *esse* & producendo *esse*, quàm in existendo *esse* & non producendo *esse*; sed DEUS distat magìs à non ente, quàm aliud ens: ergo est *Esse*, & producit *Esse*, scilicet Personale; ergo est Trinitas.

Ait Fides: secundùm tuam positionem distaret DEUS plùs à *non esse*, si mille infinitas personas deduceret in *esse*.

Dixit Intellectus: tua ratio non valet, quia Divina Unitas, quæ est infinita, requirit solam Unam Paternalem infinitam Proprietatem, & sic de Una Filiali infinita Proprietate, etiam de passiva infinita Spiratione; & si essent plures paternitates &c., non essent de genere infinitæ Unitatis, & Una Paternitas non sufficeret in tota infinita Essentia, quod est impossibile; & sic de Filiatione & Spiratione.

5. Dixit Intellectus: omne ens magìs distat à Contrarietate cum Concordantia, quàm sinè Concordantia, & sic de Æqualitate, cum qua magìs distat ab inæqualitate, quàm sinè Æqualitate; & quia DEUS magìs distat ab inæqualitate, quàm aliud ens: ergo relinquitur, quòd in DEO sit Concordantia & Æqualitas, & per consequens Pluralitas Personarum, cùm Concordantia & Æqualitas non possint esse sinè pluralitate.

Dixit Fides: secundùm te distaret DEUS magìs à Contrarietate, si in se ipso haberet mille concordantes Personas, quàm tres tantùm.

Ait Intellectus: tua ratio non valet, ût significatum est in præcedente paragrapho.

6. Iterum dixit Intellectus: omne illud, per quod ens est magìs definibile, est necessarium; *sed omne ens est magìs definibile per suum coëssentialem & naturalem actum, quàm sinè ipso;* & DEUS est Ens: ergo DEUS eit definibilis per suum coëssentialem & naturalem Actum, dicendo sic: DEUS est Ens Deificans; unde sequitur, quòd in Deitate sit Deificans, Deificatus & Deificare.

Dixit Fides: per hoc, quod tu dicis, sequeretur, quòd in DEO esset materia, ex qua produceretur DEUS.

Ait Intellectus: non valet, quia DEUS est infinita Forma, & sic distat infinitè à materia; & sua Potestas, quæ est infinita, correspondet, quòd Infinitus possit de Infinito per infinitam Formam sinè materia.

7. Dixit Intellectus: omnis Natura, quæ est in naturali subjecto, est ei Ratio, quòd producat naturatum, sinè qua Ratione Natura non esset in suo genere; & quia in DEO est Natura, ergo habet se DEUS per suam Naturam ad naturandum Naturatum; ergo in DEO est Naturans, Naturatus & Naturare.

Dixit Fides: secundùm hoc, quod tu dicis, sequeretur, quòd Sanctus Spiritus, qui est DEUS, & productus à Patre, esset naturatus Filius.

Ait Intellectus: non valet, quia Sanctus Spiritus est Natura per Essentiam Amoris, & est spiratus à Patre & Filio per Amorem.

8. Ait Intellectus: nullum infinitum Ens est ligatum & impeditum; DEUS est infinitum Ens: ergo DEUS non est ligatus nec impeditus; quod esset, si non posset producere Infinitum de Infinito, & Æternum de Æterno: ergo producit Infinitum de Infinito.

Dixit Fides: non valet, nam, licèt DEUS possit producere Infinitum de Infinito, possem credere, quòd non velit producere Infinitum de Infinito, cùm sua Voluntas sit libera, & non habeat supra se causam.

Ait Intellectus: non valet, quia in DEO sua Voluntas & Potestas (& sic de aliis Attributis) convertuntur; & ideo, quidquid DEUS potest in se, sua Voluntas vult, & ipsémet causat se (est sibi Ratio) ad volendum, ut habeat ita magnum Actum volendi, sicut Divina Potestas possendi.

9. Ait Intellectus: omni infinito Enti magìs convenit infinire, quàm finire; sed DEO convenit finire seu determinare creaturas: ergo multò magìs illi convenit infinire in se Divinas Personas.

Dixit Fides: secundùm hoc, quod tu dicis,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cis, ſi DEO convenit infinire, quia eſt infinitus, ergo convenit illi, quòd infiniat infinitas creaturas.

Ait Intellectus: non valet, nam, licèt DEO conveniat infinire infinitas creaturas quoad ſe, creaturæ tamen non ſunt capaces infinitatis, ſic videlicet, quòd poſſint reci- 14.
pere infinitum eſſe; cùm Infinitas non ſit de genere creaturarum.

10. Dixit Intellectus: nullum ens poteſt eſſe ſinè modo exiſtendi & agendi; DEUS eſt Ens: ergo habet modum exiſtendi & agendi; ergo eſt Trinitas.

Ait Fides: non valet, quia Sanctus Spiritus eſt Ens, & non habet modum producendi perſonas.

Dixit Intellectus: non valet, nam, licèt Sanctus Spiritus non producat DEUM, eſt *per modum* producendi DEUM, quia eſt productus.

11. Ait Intellectus: omne ens habens aliquid infinitè & æternè, differt à re, quam habet; ſed DEUS eſt Ens habens aliquid infinitè & æternè: ergo DEUS differt ab hoc, quod habet infinitè & æternè; ergo in DEO eſt Pluralitas, ſinè qua non poteſt habere in ſe hoc, quod habet, cùm habere ſit dictio ſignificans habentem & habitum.

Dixit Fides: non valet, quia DEUS habet intelligere, & non eſt differens ab ipſo.

Ait Intellectus: non valet quoad Perſonas; etiam, ſi tu dicis, quòd valeat quoad Eſſentiam, malè dicis, quia DEUS & ſuum intelligere non differunt per Eſſentiam.

12. Dixit Intellectus: omne naturale ens habet naturale formale & finale *quare*, per quod eſt hoc, quod eſt, & per quod ſe habet ad hoc, quare eſt finaliter; ſed DEUS eſt naturale Ens: ergo habet naturale formale & finale quare, & per conſequens Trinitatem.

Ait Fides: per hoc, quod tu dicis, videretur, quòd DEUS haberet compoſitum *quare*, ſicut homo, qui eſt propter hoc, quia ſuum *quare* eſt compoſitum de Anima & de corpore, & ſua quies eſt in fine, in quo ipſe non eſt, videlicet in multiplicare ſuam ſpeciem.

Ait Intellectus: non valet, quia exemplum non eſt æquale, quia exemplificans & exemplificatum non ſunt ejusdem generis.

13. Ait Intellectus: nulla Magnitudo eſt infinita, niſi ambiat infinitum exiſtere & infinitum producere; Divina Magnitudo eſt infinita: ergo ambit infinitum exiſtere & infinitum producere.

Dixit Fides: Divina Magnitudo ambit infinitum intelligere vel amare.

Ait Intellectus: verum eſt, & per conſequens habet infinitum magnificare, quod eſt ſic de genere Magnitudinis, ſicut infinitum amare de genere infiniti Amoris.

Dixit Intellectus: DEUS eſt Ens non indigens extra ſe aliquo; ſed, ſi in DEO non eſt Trinitas, ipſe eſt indigens aliquo extra ſe, ut poſſit agere bonum ratione ſuæ Bonitatis, ut non ſit otioſus: & quia talis indigentia eſt impoſſibilis, ergo in DEO eſt Trinitas.

Ait Fides: non valet, quia DEUS agit de ſua Bonitate intra ſe, bonificando ſuum intelligere & amare.

Dixit Intellectus: verum dicis, & per conſequens agit in intelligendo & diligendo ſuum bonificare, infinire & æternare &c., quod eſſet impoſſibile ſinè Productione in Divinis.

15. Ait Intellectus: omne Principium naturaliter infinitum & æternum producit principiatum naturaliter infinitum & æternum; ſed DEUS eſt Principium naturaliter infinitum & æternum; ergo producit Principiatum naturaliter infinitum & æternum. Major ſic eſt evidens, quia de natura Principii eſt principiare, & maximè de Principio naturaliter infinito & æterno. Minorem declaro ſic: quia, ſi DEUS non eſſet naturaliter infinitum & æternum Principium, eſſet tantùm Principium effectivè finitum & in tempore, quod eſt contra ſuam infinitam Naturam Principii ſuæ magnæ Bonitatis, Infinitatis &c.. Vocamus autem Principiantem unam Perſonam, & Principiatum aliam; & ratio hujus eſt, quia de natura Principii eſt, quòd principians non ſit ſuum principiatum, nec è converſo.

Dixit Fides: non valet, quia in Eſſentia DEI DEUS eſt intelligens, & eſt intellectus ſinè aliqua Diſtinctione intelligentis & intellecti.

Ait Intellectus: concedo tibi quoad Eſſentiam, non quoad Naturam Principii, quæ Natura non poſſet eſſe hoc, quod eſt, ſi Principians eſſet ſuum Principiatum, & è converſo.

16. Dixit Intellectus: legitur in Evangelio Sancti Joannis: *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM* &c.; & ideo, quia dicit: *in Principio*, dicit, quòd Principiatum ſit in Principiante Principiatum, & Principians ſit in Principiato Principians; & quia dicit, *apud DEUM*, dicit,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd Principiatum ſit in Principiante in æternum & ab æterno, quia in Æternitate non datur tempus.

Ait Fides: non valet, quia DEUS in æternum & ab æterno intelligit ſe ipſum ſinè Diſtinctione Perſonarum.

Dixit Intellectus: tua objectio jam ſuprà eſt ſoluta, quia intelligere importat & Eſſentiam & Perſonas, ſed de ratione Principii non importat, niſi Perſonas.

17. Ait Intellectus: omne illud, per quod Veritas ſacræ Paginæ eſt magìs expoſita & declarata, eſt neceſſarium; ſed per Trinitatem Perſonarum eſt magìs expoſita & declarata, ût dicitur in Geneſi: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* ergo in DEO eſt Trinitas Perſonarum. Major ſic probatur: quia Divina Veritas cum majori ſignificatione ſe oſtendit, non cum minori. Minorem ſic declaro: quia dicit, *faciamus*, & dicit, *noſtram*, & homo eſt trinus & unus: trinus, quia habet Animam & corpus & conjunctionem eorum, & eſt unus per eſſentiam.

Dixit Fides: non valet, quia eſt modus loquendi Communis Perſonæ, quòd loquatur in plurali.

Ait Intellectus: tua objectio jam eſt ſoluta per majorem propoſitionem iſtius argumenti.

18. Dixit Intellectus: potentia cognoſcitur per actum, & actus per objectum; ſed in Divino Intellectu eſt Pater intelligens, & Filius intellectus, & intelligere eſt Actus; & tu Fides credis hoc; & ideo arguo ſic: omne illud, per quod in DEO Potentia, Actus & Objectum ſunt magìs oſtenſiva & clara, eſt neceſſarium; ſed per Divinam Trinitatem ſunt magìs oſtenſiva & clara: ergo eſt Divina Trinitas. Major per ſe ipſam patet. Minorem declaro ſic: DEUS Pater objectando ſe per modum intelligendi intelligit, quòd poſſit tantum de ſe, quantus ipſe eſt, & ſic producit Filium intellectum, ut habeat tantum Actum, quantus ipſe eſt, & quòd ambo habeant ita magnum actum, ſicut eſt Exiſtentia ipſorum, ſpirando Sanctum Spiritum.

Ait Fides: non valet, quia in DEO Potentia, Objectum & Actus ſunt idem per Eſſentiam ſinè Diſtinctione.

Dixit Intellectus: concedo tibi ſinè Diſtinctione Eſſentiæ, ſed non Perſonarum, ſinè qua Major hujus argumenti non eſſet neceſſaria, & eſſet neceſſaria, quod eſt contradictio, quæ non poteſt ſtare.

19. Ait Intellectus: nulla Æternitas eſt infinita in Bonitate, Magnitudine, Poteſtate ſinè proprio & cöeſſentiali neceſſario & naturali æternante & æternato & æternare; ſed Æternitas DEI eſt infinita in Bonitate, Magnitudine, Poteſtate: ergo in Divina Æternitate primariè ſunt proprii coëſſentiales neceſſarii & naturales Æternans, Æternatus & Æternare, quos vocamus Trinitatem.

Dixit fides: non valet, quia Æternans, Æternatus & Æternare ſunt idem per Eſſentiam ſinè Diſtinctione; ſed tu reſpectu modi intelligendi ponis in DEO Diſtinctionem inter Æternantem, Æternatum & Æternare, per quam poſitionem in DEO non multiplicas nec addis aliquid.

Ait Intellectus: concedo tibi, quòd ſint idem per Eſſentiam; ſed æternare intelligimus dupliciter, ſcilicet eſſentialiter & perſonaliter: eſſentialiter, ſicut tu dicis; perſonaliter verò, ut per Majorem iſtius ſyllogiſmi ſignificatum eſt, quia ſinè Productione & Diſtinctione Major eſſet falſa.

20. Dixit Intellectus: nulla Poteſtas eſt infinita Ratio alicui Bonitati, niſi ſit ei Ratio, quòd ipſa Bonitas poſſit exiſtere infinita per exiſtentiam & per agentiam; ſed Divina Poteſtas eſt infinita Ratio ſuæ Bonitati, quòd poſſit eſſe infinita per Exiſtentiam & per Agentiam: ergo in Divina Eſſentia eſt infinita Agentia, & illam vocamus Trinitatem.

Ait Fides: non valet, quia illa infinita Agentia eſt per intelligere & amare tantùm, quæ ſunt bona per Bonitatem &c. ſinè Diſtinctione in Divinis.

Dixit Intellectus: mea ratio valet, & tua non, quia Divina Bonitas ſic eſt infinita per Poteſtatem quoad exiſtere & agere, ſicut Divinus Intellectus & Divina Voluntas; & ſic Bonitas ita habet proprium bonificare quoad ſe, ſicut Intellectus intelligere, & Voluntas amare quoad ſe; aliàs Finis Bonitatis eſſet quoad bonum intelligere & amare, & non quoad ſuum bonificare, quod eſt impoſſibile.

21. Ait Intellectus: nulla Voluntas eſt infinita in diligendo, niſi diligat in ſua eſſentia infinitos actus ſuæ bonitatis, infinitatis, æternitatis, poteſtatis &c.; ſed Divina Voluntas eſt infinita in diligendo: ergo diligit in ſua Eſſentia infinitos Actus ſuæ Bonitatis, Magnitudinis &c.; & illos infinitos Actus vocamus Trinitatem.

Dixit Fides: non valet, quia Divina Voluntas diligit infinitè, quòd ſuum amare ſit infi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

infinitè bonum, magnum &c. per actum Bonitatis, Magnitudinis &c.

Mirabile eſt, ait Intellectus, quia tu Fides ita frequenter varias medium, & éſtne iſta materia de ſophismatibus? abſit; & neſcis tu, quòd Divina Voluntas ſit ita infinita in diligendo Actus aliarum Dignitatum, ſicut ſuum? quia, ſi non diligeret illos, jam eſſet finita in diligendo, quia diligeret Bonitatem propter amare, & non Bonitatem propter bonificare, & ſic de aliis, quod eſt impoſſibile. Et de cætero, ſi habes veras & neceſſarias rationes, dicas, quia Veritas non quærit angulos, nec ego vado per ambages, ſicut tu.

Intellectus voluit incipere aliam rationem, ſed Fides fuit mota ad iram, dicens: vade tuas vias, ſemper vis me tenere in Diſputatione de Trinitate, non facias, ſed transeamus ad Incarnationem.

PARS III.
De Incarnatione.

1. DIxit Intellectus: probatum eſt, quòd DEUS ſit Trinus & Unus, & quia eſt Unus & Trinus, ad probandum ſuam Incarnationem arguo ſic: omne illud, quod eſt magìs ſimile DEO in Unitate & Trinitate, eſt neceſſarium; ſed Chriſtus eſt magìs ſimilis DEO in Unitate & Trinitate: ergo Chriſtus eſt neceſſarius. Majorem declaro ſic: quia omne illud, quod eſt magìs ſimile Divinæ Unitati & Trinitati, eſt magìs ſcibile à Divina Sapientia, & amabile à Divina Voluntate, & etiam bonificabile à Divina Bonitate, & magnificabile à Divina Magnitudine &c.: quare tale ſimile eſt neceſſarium; aliàs Divina Sapientia, Voluntas, Bonitas, Magnitudo & cætera Attributa eſſent contra hoc, quod eſt magìs ſimile Divinæ Unitati & Trinitati, quod eſt impoſſibile. Probatio minoris: quia in Chriſto ſunt tres Naturæ, ſcilicet Divina & Humana, quæ eſt duplex, videlicet corporalis & ſpiritualis; & iſtæ tres conſtituunt unum Chriſtum DEUM & Hominem.

Ait Fides: non valet, quia hoc, quod Divina Voluntas potuiſſet nolle, non eſt neceſſarium; ſed Divina Voluntas potuiſſet nolle Incarnationem: ergo Incarnatio non eſt neceſſaria, ſed eſt contingens, quia Divina Voluntas voluit ipſam eſſe, & talis contingentia pertinet ad me per Credulitatem, & non ad te per Demonſtrationem.

Ait Intellectus: mea ratio ſtat, & tua non, quia ſcibilitas, magnificabilitas & bonificabilitas &c. & majoritas ſimilitudinis Divinæ Unitatis & Trinitatis cauſant Incarnationem, & Divina Voluntas cauſat ſe ipſam ad volendum, quòd ſit hoc, quod eſt magìs ſimile Divinæ Unitati & Trinitati, & etiam ad hoc, per quod ipſa & aliæ Dignitates poſſunt habere majores & nobiliores actus in creaturis, quæ ſunt effectus earum.

2. Ait Intellectus: omnes Divinæ Dignitates veniunt ad creaturas cum infinitis Actibus, quia Actus earum tantùm eſt infinire; ſed quia creaturæ ſunt finitæ, non ſunt capaces ad recipiendum infinitas Rationes: unde ſequitur, quòd DEUS agat in aliquo creato in tantum, quòd non poſſit magìs agere cum ſuis Dignitatibus, ut ſuæ Dignitates quieſcant extrà in illo majori agere, & ut quies, quæ eſt extrà, reſpondeat quieti, quæ eſt intrà, quæ eſt per Divinam Trinitatem; ſed hoc eſt per Incarnationem, quia DEUS non poteſt magìs exaltare creaturam in bonitate & magnitudine &c., quàm facere ipſam DEUM, & conjungere Divinam Naturam cum humana, Divinam Bonitatem cum humana, Divinam Magnitudinem cum humana &c.: ergo oſtenditur, quòd Incarnatio ſit neceſſaria.

Dixit Fides: tua ratio non valet, nam, ſi eſſet, ſicut tu dicis, DEUS aſſumeret tot humanitates, quot ſunt homines, ut cum ſuis Dignitatibus tantum ageret in creaturis, quantum poſſet agere; ſed hoc non facit: quare tua ratio non concludit quoad te, ſed quoad me.

Ait Intellectus: mea ratio concludit, nam, ſi DEUS aſſumeret plures humanitates, non eſſet Unus Chriſtus, ſed plures, & uni derogaretur ab omnibus aliis, quia Unus Chriſtus non ſufficeret, ut eſſet Finis totius Univerſi & Filius DEI, & eſſent plures perſonæ, quod eſt impoſſibile & contra ordinationem & proportionem totius Univerſi; & etiam eſſent plures populi, & quilibet ſub ſuo DEO, ſuo Creatore & Redemptore, quod eſt impoſſibile.

3. Dixit Intellectus: omne illud, quod poteſt eſſe magìs generale, eſt neceſſarium; & ratio hujus eſt, quia cognitio fit à generaliori ad particulare; ſed Incarnatio eſt hujusmodi: ergo Incarnatio eſt neceſſaria. Minorem declaro ſic, quia in hoc, quòd DEUS eſt Homo, & Homo eſt DEUS, fit magìs com-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

commune, quod possit esse, quia hoc commune est per generalem Bonitatem DEI & Humanitatem conjunctas, & sic de cæteris existentibus in summo gradu generalitatis.

Ait Fides: non valet, quia secundùm hoc, quod tu dicis, Persona Patris, & sic de Persona Sancti Spiritûs, essent incarnatæ, ut Christus esset magìs generalis.

Dixit Intellectus: non valet, quia sequerentur multa inconvenientia, si Pater & Sanctus Spiritus essent incarnati; quia eadem persona esset hoc modo multæ personæ, & Pater esset Filius, & Pater & Sanctus Spiritus essent Filius: ergo sufficit, quòd Unus Homo sit & Una Persona per Incarnationem; sicut in Cœlo (& multò magìs) in quo sufficit unus Sol, & in inferioribus unus ignis, una caliditas &c.

4. Ait Intellectus: quia inter Creatorem & creaturam non datur medium, necessariò sequitur, quòd hoc, per quod Creator potest esse magìs intimè in creatura, & creatura in ipso, sit necessarium; sed hoc est per Incarnationem: igitur Incarnatio est necessaria. Majorem declaro sic, quia, si hoc, per quod Creator potest esse magìs intimè in creatura, & è converso, non esset necessarium, daretur aliquod medium, quod repugnaret illi majori intimitati bonæ, magnæ &c., quod est impossibile; ergo hoc, per quod Creator potest esse magìs intimè in creatura & creatura in ipso, est necessarium. Minorem declaro sic: si DEUS est incarnatus, ita intimè est in sua creatura, & è converso, quòd sit ipsa Creatura, quæ est Homo, & Homo sit DEUS; & sic dupliciter est in intimitate in altiori gradu, quo possit esse: primò quidem est effectivè, sicut agens, qui est in suo effectu, & hoc simpliciter; secundariò naturaliter, quia per illam Humanitatẽ, quam assumpsit, naturaliter participat cum suo effectu cum toto Universo; & ratio hujus est, quia homo naturaliter participat cum omnibus creatis entibus.

Dixit Fides: tua ratio non concludit, nam, si concluderet, sequeretur, quòd DEUS esset omnes creaturæ, & omnes creaturæ essent ipse; quod est contra ordinem totius Universi, etiam derogaretur DEO & privaretur suo honore.

Ait Intellectus: tua Objectio jam est suprà soluta; etiam DEUS non posset esse in creatura, nec creatura in ipso, nisi cum majori exaltatione unius creaturæ existentis Finis omnium creatorum entium, propter quam majorem exaltationem sit proportionata & disposita ad Deificationem & Incarnationem.

5. Dixit Intellectus: omne illud instrumentum, cum quo DEUS potest magìs de se ipso in creatura, & de creatura in se ipso, est necessarium; sed tale instrumentum est per Incarnationem: ergo Incarnatio est necessaria. Majorem declaro sic: nisi esset necessarium illud instrumentum, cum quo DEUS posset magìs de se ipso in creatura, & de creatura in se ipso, privatio hujus instrumenti esset causa, quòd Divina Potestas, quæ est infinita, posset esse ligata, quia non posset hoc bonum, magnum &c. perficere de DEO in creatura, & de creatura in DEO; & quia Divina Potestas non potest ligari: ergo omne illud instrumentum, cum quo DEUS potest magìs de se ipso in creatura, & de creatura in se ipso, est necessarium. Minorem declaro sic: quia DEUS non potest plus de se ipso in creatura, & è converso, quàm facere se Creaturam, & Creaturam facere DEUM.

Ait Fides: non valet, quia secundùm te Divina Voluntas esset causata & necessitata ad volendum Incarnationem, & non posset ipsam nolle; unde sequeretur, quòd amitteret suam Libertatem, & esset subdita, & Christianus Populus non haberet ei grates de Incarnatione; & quia omnia ista sunt impossibilia, tua ratio non concludit.

Dixit Intellectus: ad similitudinem hujus objectionis est soluta alia superiùs; & quia dicis, quòd Divina Voluntas esset ligata, quia necessitata, dico, quòd ipsa necessitet se ipsam cum sua Bonitate, Magnitudine &c., diligendo Incarnationem, ut Divina Potestas non sit ligata, & Divina Bonitas, Magnitudo &c. sint magìs diffusivæ in effectum, & ab effectu magìs recolibiles, intelligibiles, amabiles & laudabiles.

6. Ait Intellectus: omne illud, per quod Divina Sapientia & Divina Voluntas magìs se possunt coæquare in esse causæ creati subjecti, est necessarium; sed hoc est per Incarnationem: ergo Incarnatio est necessaria. Majorem declaro sic: in principio, quando DEUS voluit creare Mundum, Divina Voluntas voluit ipsum creare propter majorem Finem, & Divina Sapientia, quæ est immensa in sciendo, intellexit illum majorem Finem, & sic ipse major Finis fuit volitus & intellectus æqualiter, ut Sapientia & Voluntas æqualiter participarent in eodem Fine; & hoc fuit necessarium ratione majoris Concordan-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

cordantiæ earum, ſimiliter Bonitatis, Magnitudinis &c. Minorem declaro ſic: nam, quia DEUS eſt incarnatus, eſt creatio Mundi exaltata ad majorem Finem, qui poſſit eſſe, videlicet, quòd Mundus ſit creatus, ut DEUS faceret ſe Hominem, & Homo eſſet DEUS; major Finis à DEO non eſt intelligibilis nec poſſibilis, nec à nobis recolibilis, intelligibilis & amabilis.

Dixit Fides: tua ratio non procedit; nam, ſi hoc eſſet neceſſarium, per quod Divinus Intellectus & Divina Voluntas magìs coæquarent ſe in creatis, quidquid DEUS intelligeret in creaturis, diligeret Divina Voluntas; DEUS autem intelligit in creaturis peccata, ſed Divina Voluntas non diligit peccata, ſed odit ea.

Ait Intellectus: hoc, quod tu dicis, non ſequitur, quia Divina Voluntas diligit, quòd Divina Sapientia intelligat omnia bona & mala, ut ſuum intelligere non ſit terminatum; & ſic coæquatur Actus Voluntatis cum Actu Intellectûs & cum Actu Bonitatis, Magnitudinis &c.

7. Dixit Intellectus: omne illud, per quod Divinum Judicium magìs poteſt remunerare Juſtos in Paradiſo, eſt neceſſarium; ſed hoc eſt per Incarnationem: ergo eſt neceſſarium, quòd DEUS ſit Incarnatus. Majorem declaro ſic: DEUS eſt juſtus cum majori Magnitudine Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c., non cum minori, cùm ſua Juſtitia ſit infinita, & ſic de ſua Magnitudine, Bonitate &c.: unde ſequitur, quòd majus Judicium inter DEUM & hominem ſit neceſſarium, quia DEUS neceſſitat ipſum cum ſuis Dignitatibus. Minorem declaro ſic: quia DEUS eſt incarnatus, cum ſuo Corpore glorificabit Corpora Sanctorum in Patria per viſum, auditum & tactum, & ſic illud Corpus erit Divinum Inſtrumentum remunerationis ſenſualium Sanctorum, ſinè quo inſtrumento DEUS non poſſet remunerare Corpora Sanctorum per ſenſum, quæ ſuſtinuerunt in hoc ſæculo famem, ſitim & multas miſerias propter DEUM; & ratio hujus eſt, quia DEUS eſt inviſibilis, inaudibilis & intangibilis.

Ait Fides: tua ratio non valet, nam, ſi valeret, Miſericordia DEI non prævaleret in hac vita, ut Judicium DEI eſſet in majori gradu puniendi omnes peccatores, & non parceret eis aliquid.

Dixit Intellectus: mea ratio adhuc ſtat; & non propter hoc, quod tu dicis, ſequitur privatio Miſericordiæ DEI, ut Juſtitia & Miſericordia ſint idem in DEO, & DEUS, qui eſt liber, agit ad placitum de ſua Juſtitia & ſua Miſericordia puniendo & parcendo.

8. Ait Intellectus: omne illud, per quod DEUS eſt magìs definibilis, ût Cauſa, eſt neceſſarium; ſed hoc eſt per Incarnationem: ergo neceſſarium eſt, quòd DEUS ſit incarnatus. Major eſt evidens ſic: quia DEUS eſt Cauſa cum majori Magnitudine Bonitatis, Magnitudinis &c., non cum minori, ut Prima Cauſa non ſit defectiva, quia Minoritas ſemper implicat imperfectionem. Minorem probo ſic: nam propter hoc, quia DEUS eſt incarnatus, eſt totum Univerſum exaltatum, cùm illa Beatiſſima Humana Natura, quam DEUS aſſumpſit, ſit realis, naturalis & coëſſentialis Pars totius Univerſi; & ſic, quantò magìs Univerſum eſt exaltatum & creatum in majori nobilitate, bonitate, magnitudine &c., in tantò altiori gradu eſt DEUS Cauſa.

Dixit Fides: tua ratio non procedit, quia habet inſtantiam in hoc, quòd DEUS ab æterno non creaverit Mundum, quia eſt novus, & creaviſſet ipſum ab æterno, ſi eſſet verum hoc, quod tu dicis, ut DEUS eſſet Cauſa ab æterno, & Mundus cauſatus.

Dixit Intellectus: quòd ſua ratio ſtaret ſinè eo, quòd poſſit calumniari, ut Divina Poteſtas, quæ eſt infinita, poſſit perficere, quòd DEUS ſit Cauſa in ſummo gradu ſinè derogatione ſuæ Æternitatis & ordinationis totius Univerſi, quæ derogatio eſſet, ſi eſſent plures Æternitates, & Alia Vita eſſet impoſſibilis. Et de tali materia loquemur in *quarta & quinta Parte hujus Libri*, Domino concedente.

9. Dixit Intellectus: omne illud, per quod homo magìs poteſt intelligere DEUM, & magìs credere in ipſum, eſt à DEO ordinabile; ſed hoc eſt per Incarnationem: ergo eſt neceſſarium, quòd DEUS ſit incarnatus. Majorem declaro ſic: quia DEUS eſt intelligibilis cum magìs bona & magna &c. intelligibilitate, non cum minori, & eſt ordinabile ab eo, quòd faciat ſe intelligere cum majori magnitudine intelligibilitatis; & per conſequens cum majori credibilitate; & major credibilitas es tu Fides, quia es magìs difficilis, quàm alia, ût per te patet. Minorem ſic oſtendo; major intelligibilitas, quam homo poſſit habere, vel major Fides eſt intelligere vel credere, quòd DEUS ſit Unus & Trinus, & ût Homo paſſus &c.

Ait

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Ait Fides: tua poſitio ligat me, quia, ſi dico contra te, dico contra me, ſed dico contra intelligibilitatem, quam dicis; quia DEUS non ordinat ipſam in Via in majori gradu, ſed in minori, quia intelligis DEUM per ſpeciem, ſed ſi ſinè ænigmate in Via ipſum intelligeres, diceres verum; ſed hoc non facis, & ſic tua ratio non procedit.

Dixit Intellectus: non eſt intelligendum, quòd dicam, quòd ſit poſſibile intelligereDEUM in hocMundo ſinè ænigmate, ſed dico de illa intelligibilitate, quæ eſt magìs poſſibilis in Via; & ſic patet per hoc, quod tu dicis, quòd tuæ rationes ſint debiles, & quòd vadas per ambages.

10. Ait Intellectus: omne illud, per quod homo eſt magìs diſpoſitus ad habendum magnam Spem in DEO, etiam ad habendum alias Virtutes, & ad vitandum vitia, eſt à DEO diſponibile & ordinabile, & à ſua Voluntate amabile; ſed hoc eſt per Incarnationem: ergo concluditur, quòd Incarnatio ſit neceſſaria. Major patet ex eo, quia DEUS eſt Virtus, & diligit Virtutes, & odit vitia hominum. Minor declaratur ſic: quia DEUS eſt incarnatus, & propter Redemptionem hominum paſſus, eſt Spes exaltata, & deſperatio elongata ab homine, & ſic de Juſtitia & Injuria, de Prudentia & Imprudentia &c.

Fides dubitavit reprehendere Intellectum, ut non diceret contra Spem ſuam germanam, & etiam contra alias Virtutes; dum Fides ſic ſtabat, Intellectus voluit incipere aliam Rationem: ait Fides, & quid eſt hoc? totâ die velles me tenere in tuis prolixis verbis; transeamus ad Creationem Mundi, quia ſatìs patet, quis magìs dicat verum inter me & te de Incarnatione.

PARS IV.
De Creatione Mundi.

1. DIxit Intellectus: omne illud, per quod DEUS poteſt eſſe ſinè Mundo, eſt neceſſarium; ſed inceptio Mundi vel novitas eſt hujusmodi: ergo inceptio Mundi vel novitas eſt neceſſaria. Major eſt evidens, nam, ſi DEUS non poſſet eſſe ſinè Mundo, Mundus videretur cauſa DEI, quod non eſt verum, ſed potiùs è converſo. Minorem declaro ſic: quia, ſi Mundus non potuiſſet eſſe novus, DEUS non potuiſſet eſſe ſinè ipſo, ſed hoc eſt falſum & impoſſibile; ergo Mundus fuit novus & inceptus.

Ait Fides: concedo Majorem; ſed ad Minorem dico per interemptionem; & tu probas, quòd, ſi Mundus non potuiſſet eſſe novus, DEUS non potuiſſet eſſe ſinè Mundo, dico, quòd eſt falſum, nam, ſi voluiſſet, potuiſſet, cùm habeat infinitam Poteſtatem, ſed noluit, ut non caderet in DEUM novitas vel permutatio, quia incepiſſet facere, quod non fecerat, deducendo Mundum à non eſſe in eſſe.

Tunc dixit Intellectus: Fides, tu contradicis tibi in tuis dictis, dicendo, quòd potuiſſet, ſi voluiſſet; ſed dicis, quòd noluerit, ut non caderet in ipſum mutatio, & ſic mutatio ligaret ſuam infinitam Poteſtatem, & ſic potuit & non potuit, quod eſt impoſſibile & contradictio.

2. Dixit Intellectus: omne illud, per quod DEUS magìs poteſt agere in ſuo effectu, eſt neceſſarium; ſed DEUS poteſt magìs agere in ſuo effectu, ſi deducat ipſum à non eſſe in eſſe: quare eſt neceſſarium, quòd Mundus ſit novus. Major eſt evidens. Minor probatur ſic: quia omne patiens plus patitur per duplicem paſſionem, quàm ſi pateretur per alteram illarum tantùm; ſed ſi Mundus eſt novus, patitur per duplicem paſſionem, videlicet, quia eſt deductus à non eſſe in eſſe, & quia in ipſo aliquæ ſuarum partium generantur ex aliis ſuis partibus ſucceſſivè.

Dixit Fides: tu dicis contra te ipſum, nam, ſi Mundus eſt æternus, DEUS agit magìs in ipſo, quàm, ſi ſit novus, quia æterna actio eſt major, quàm nova; etiam, ſi Mundus eſt novus, fuit ab æterno de ipſo otioſus, quia non deducebat ipſum de potentia in actum.

Dixit Intellectus: intenſiva operatio eſt major, quàm extenſiva, ratione majoris bonitatis, magnitudinis &c.; ſed, ſi Mundus eſt æternus, operatio DEI in ipſo eſt extenſa per motum Cœli & generationis & corruptionis, & non ſequitur finis nec utilitas, quia non poſſet eſſe Alia Vita hominum, nam tota materia Mundi non ſufficeret corporibus hominum generatis ab æterno & in æternum; etiam quilibet homo poſt ſuam mortem non duraret; ſed, ſi Mundus eſt novus, homo poteſt durare in æternum, & hoc materiâ ſufficiente corporibus hominum poſt Reſurrectionem, quam probabimus; & ſic tua ratio non valet. Et quando dicis, quòd DEUS fuerit otioſus &c., non dicis verum; nam Mundus, antequam fuiſſet, non erat in DEO in potentia, quia nulla forma

poteſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

poteſt exiſtere in potentia ſinè materiali ſubjecto, quod ſubjectum non eſt in DEO.

3. Dixit Intellectus: omne illud, per quod Eſſentia Divinæ Æternitatis magìs diſtat ab eſſentia temporis, eſt neceſſarium; ſed Creatio in tempore eſt hujusmodi: ergo Creatio in tempore eſt neceſſaria. Major ſic oſtenditur: nam, ſicut Eſſentia Divinæ Bonitatis cum ſua Infinitate diſtat ab eſſentia bonitatis Mundi, quæ eſt finita, & Eſſentia Divinæ Magnitudinis cum ſua Infinitate diſtat ab eſſentia magnitudinis Mundi, quæ eſt finita, & ſic de aliis, ſic Eſſentia Æternitatis DEI, quæ eſt infinita, diſtat ab eſſentia Mundi, quæ eſt finita. Minorem ſic probo: Eſſentia Æternitatis DEI eſt immutabilis & immobilis & indiviſibilis; ſed eſſentia temporis eſt mutabilis, mobilis & diviſibilis: ergo Creatio in tempore eſt neceſſaria.

Ait Fides: non valet, quia DEUS habet infinitam Poteſtatem, cum qua poteſt diſtare à tempore, licèt tempus ſit ab æterno, & tali Poteſtati tempus non poteſt reſiſtere.

Dixit Intellectus: non valet, nam, ſicut bonitas Mundi reſiſtit, quòd non poſſit eſſe infinita, etiam magnitudo, quòd non poſſit eſſe infinita, ſic duratio Mundi reſiſtit, quòd non poſſit eſſe æterna.

4. Dixit Intellectus: omne illud, per quod eſt impoſſibile, quòd propter Creationem Mundi ſequatur aliquod inconveniens in DEO, eſt oſtenſibile; ſed hoc eſt per *factum eſſe*: ergo Creatio Mundi eſt neceſſaria. Major per ſe patet. Minor probatur ſic: quia, ſi non eſſet per *factum eſſe*, ſequeretur nobis nulla experientia nec certitudo.

Ait Fides: non valet; quia, ſi Mundus non eſſet ab æterno, DEUS eſſet Principium ſinè principiabili, & ſua Bonitas non eſſet ei Ratio, quòd ageret bonum in effectu ab æterno, & ſic de Magnitudine &c., quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd non ſit neceſſarium, quòd Mundus ſit principiatus de novo.

Dixit Intellectus: quòd ſit *duplex Principium*, ſcilicet *naturale* & *contingens*: *naturale*, ſicut DEUS Pater Principians DEUM Filium, & tale Principium eſt ab æterno; *contingens*, ſicut Mundus, qui eſt principiatus per contingentiam; nam, ſi DEUS voluiſſet, non principiaviſſet ipſum; & ſic de Bonitate & Magnitudine, quæ ſunt duplices, ſcilicet naturalis & per contingentiam: naturalis, ſicut Divina Bonitas, ex qua DEUS Pater producit Bonum Filium ab æterno, quia eſt ei Ratio, ut naturaliter agat bonum, & de tali Bonitate DEUS non poſſet eſſe otioſus; & quia bonitas, quæ eſt per contingentiam, non eſt DEO naturalis, non eſt propter hoc DEUS otioſus, ſi non agit ab æterno de ipſa; & ſic tua ratio non valet.

5. Dixit Intellectus: omne illud, per quod DEUS magìs præcedit Mundum, eſt neceſſarium; ſed hoc eſt per Creationem: ergo Creatio Mundi eſt neceſſaria. Majorem probo ſic: quia DEUS neceſſariò præcedit Mundum per ſuam infinitam Bonitatem, cùm bonitas mundi per quantitatem ſit finita, & ſic de Magnitudine, Æternitate &c. Minor declaratur ſic: quia, ſi Mundus eſſet ab æterno, DEUS non præcederet æternitatem Mundi cum ſua Æternitate, ſicut cum ſua Bonitate, Magnitudine, ut ſuprà dictum eſt; & ſic non præcederet ipſum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quod eſt impoſſibile: ergo Mundus eſt novus.

Dixit Fides: non valet, quia Divina Æternitas præcedit durationem Mundi quoad Nobilitatem & Bonitatem, ſicut cauſa præcedit ſuum effectum.

Ait Intellectus: etiam in Duratione Divina Æternitas præcedit durationem Mundi, ut præceſſio ſit circularis, & ſecundùm quid ſit conſumãta; & ſic tua ratio non procedit.

6. Dixit Intellectus: omne illud, per quod DEUS magìs diſtat, ut non ſit cauſa peccandi, eſt neceſſarium; ſed hoc eſt per Creationem: ergo Creatio Mundi eſt neceſſaria. Major patet ſic: quia DEUS eſt infinitè bonus, magnus, potens, virtuoſus &c., & peccatum eſt malum & vitioſum, defectuoſum & indignum, quòd habeat eſſe per ſe & in ſubjecto. Minorem oſtendo ſic: quia, ſi Mundus eſt æternus, homo non eſſet creatus ex nihilo, & ſic non haberet naturam peccandi, cùm peccatum nihil ſit; ſed conſtat, quòd peccet: ergo eſt per libertatem ſibi à DEO attributam; & ſic DEUS eſſet cauſa peccati.

Ait Fides: non valet, quia DEUS dat libertatem homini, ut poſſit facere bonum vel peccatum liberè; & quia homo liberè peccat, DEUS non eſt cauſa peccandi.

Dixit Intellectus: quòd adhuc ratio ſtet in hoc, quòd DEUS daret inſtrumentum peccandi, ſcilicet liberam voluntatem, ſi Mundus eſſet ab æterno; ſed, ſi Mundus eſt novus,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

novus, non; quia DEUS dat libertatem homini, ut agat bonum, & non, ut agat malum; ſed, quia homo eſt de nihilo, propter illud nihil habet libertatem ad faciendum peccatum, quod eſt nihil.

7. Ait Intellectus: omne illud, per quod DEUS poteſt magìs annihilare Mundum, eſt neceſſarium; ſed hoc eſt per Creationem: ergo Creatio Mundi eſt neceſſaria. Majorem demonſtro ſic: DEUS habet infinitam Poteſtatem ſingulariter, & per conſequens ſingularem Æternitatem, ut ſua Poteſtas & Æternitas in Infinitate habeant Singularitatem; ſed, ſi Mundus eſſet ab æterno, Æternitas DEI non haberet Singularitatem, quia eſſet æternitas Mundi; nec Divina Poteſtas poſſet annihilare Mundum: nam, ſicut Mundus non haberet naturam principiandi, ſic nec naturam annihilandi. Minor patet ſic: nam, ſi Mundus eſt novus, habet naturam principiandi paſſivè, ſicut naturam annihilandi.

Dixit Fides: non valet, quia in DEO Poteſtas & Voluntas ſunt idem numero; unde ſequitur, quòd, ſi Divina Voluntas vellet, quòd Mundus annihilaretur, Divina Poteſtas, cùm ſit idem cum Voluntate, poſſet ipſum annihilare, quia effectus non poſſet repugnare ſuæ Cauſæ.

Ait Intellectus: tua ratio non procedit, 10.
quia non attenditur de repugnatione quoad Divinam Poteſtatem, ſed de repugnatione quoad æternitatem Mundi, quia haberet, cum quo repugnaret in hoc, quòd non haberet naturale principium nec finem.

8. Dixit Intellectus: ſi Mundus eſſet æternus, per ſuam poteſtatem poſſet eſſe æternus; ſed per ſuam poteſtatem non poteſt eſſe æternus, ût probabo: quare Mundus non eſt æternus. Major eſt evidens. Minor probatur ſic: nam poteſtas Mundi per ſe ipſam eſt finita, quia habet finitam quantitatem & finitum ſubjectum, & ſic Mundus non poteſt eſſe æternus; nam, ſi poſſet eſſe æternus, poſſet eſſe infinitus à finita poteſtate, quod eſt impoſſibile: ergo Mundus per ſuam poteſtatem non poteſt eſſe æternus; igitur eſt novus.

Ait Fides: non valet, quia Divina Poteſtas eſt infinita, & cum ſua Infinitate & finita poteſtate Mundi poteſt cauſare Mundum ab æterno.

Dixit Intellectus: falſum eſt, quia tu implicas, quòd DEUS poſſet de finito & infinito componere Mundum, quod eſt impoſſibile.

9. Ait Intellectus: ſi Mundus eſſet æternus, DEUS causâſſet ipſum æternum in Divina Æternitate & cum Divina Æternitate; ſed DEUS non poteſt hoc facere, ût probabo: ergo Mundus non eſt æternus. Probatio minoris, quia, ſi DEUS potuiſſet cauſare æternitatem Mundi cum Divina Æternitate & in Divina Æternitate, potuiſſet cauſare bonitatem, magnitudinem Mundi, & ſic de aliis, infinitè cum ſua & in ſua infinita Bonitate, Magnitudine, Poteſtate &c.; ſed hoc eſt falſum & impoſſibile, quia partes Mundi non ſunt capaces ad hoc: quare Mundus non poteſt eſſe æternus.

Dixit Fides: non valet, quia in DEO Poteſtas & Voluntas ſunt idem numero; & quia DEUS cum ſua Voluntate potuiſſet velle, quòd Mundus eſſet ab æterno, cum ſua Poteſtate potuiſſet Mundum feciſſe ab æterno.

Ait Intellectus: tua ratio non procedit, quia Divina Voluntas non poſſet velle, quòd Mundus eſſet ab æterno, cùm Divina Sapientia ſciat, quòd non poſſit eſſe ab æterno ſic cum Divina Æternitate, ſicut ſua bonitas &c. non potuit eſſe infinita cum infinita Bonitate &c. DEI, cùm Sapientia DEI ſciat, quòd partes Mundi non ſint capaces, quòd ſint infinitæ.

Dixit Intellectus: probatum eſt, quòd DEUS ſit incarnatus; & quòd Mundus non poſſit eſſe æternus, probo per Divinam Incarnationem, & arguo ſic: omne illud, per quod Mundus eſt magìs proportionatus & diſpoſitus, quòd DEUS ſit incarnatus, eſt neceſſariũ; ſed iſta neceſſitas non eſſet, ſi Mundus eſſet æternus, ût probabo: quare Mundus non eſt æternus. Majorem declaro ſic: ſi Mundus fuit æternus, nunquam fuit Primus Homo, nec erit ultimus, quia ſemper fuit & erit generatio & corruptio hominum; quod eſt impoſſibile, ût probatum eſt *in Capitulo de Incarnatione;* etiam non eſſet Generalis Reſurrectio hominum, quam oportet eſſet, ût probabimus; nec Chriſtus eſſet Reparator & Glorificator, etiam nec natus in Medio temporis Mundi, quod Medium eſt illi magìs proportionatum, quàm extremitates, ratione ſuæ Nobilitatis & Virtutis Medii: & ſic Divina Sapientia, Bonitas &c. eſſent defectivæ & fallibiles, quia non ordinaviſſent nec diſpoſuiſſent Mundum ad Divinam Incarnationem; & quia omnia iſta ſunt impoſſibilia, concluditur, quòd Mundus non ſit æternus. Minor ſic probatur:

quia,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia, ſi Mundus eſſet æternus, Incarnatio DEI non fuiſſet neceſſaria ad reparandum Mundum, quia non fuiſſet peccatum in Primis Parentibus; & ſic hujusmodi diſpoſitio Mundi ad Incarnationem non eſſet neceſſaria: ergo Mundus non eſt æternus.

Fides voluit redarguere Intellectum, & quia erat faſtidioſa ratione nimiæ prolixitatis diſputationis, dixit iſta verba: miror de te, Intellectus, quia conaris probare hoc, quod eſt impoſſibile; nam, quia Divina Voluntas non habet aliquid ſupra ſe, quod poſſit ipſam cauſare & neceſſitare ad volendum, quòd Mundus ſit novus, non potes demonſtrare, quòd Mundus ſit novus; & ſic de hoc, quod eſt impoſſibile, vis implicare poſſibile; unde propter hoc de iſta materia non curo ampliùs técum diſputare.

Ait Intellectus: quia dicis, quòd Divina Voluntas non habeat cauſam ſupra ſe, verum dicis quoad aliam eſſentiam diſtinctam à ſua, ſed quoad ſuas ſorores, videlicet Divinas Dignitates, dicis falſum; nam, ſicut bonus & juſtus & verus homo cum ſua bonitate, juſtitia & veritate cauſat ſuam voluntatem ad volendum bonum & juſtum & verum judicium, ſic & multò magìs DEUS cum ſuis Dignitatibus cauſat ſuam Voluntatem ad volendum, quòd Mundus ſit novus. Quare multò magìs miror, quàm tu, quia dicis, quòd volo implicare, quòd hoc, quod eſt impoſſibile, ſit poſſibile, & quid eſt hoc de te? loquórne ergo cum animali bruto, quando técum loquor, quod non habet memoriam? imò ésne omnino obſtinata? & *non recolis neceſſarias Probationes, quas tibi feceram?* quibus tu non potes reſiſtere.

PARS V.
De Reſurrectione Hominum.

INtellectus voluit procedere ad probandum Reſurrectionem Hominum, & dixit Fidei: Fides ſoror, vis, quòd in iſta Diſputatione procedamus *per ſyllogiſmos Raymundi*, ita, quòd applicemus ipſos ad iſtam Disputationem de Reſurrectione, quæ erit inter me & te? Ait Fides: placet mihi, quia probabo tibi, quòd illi ſyllogiſmi non ſint neceſſarii. Et ego, dixit Intellectus, probabo, quòd ipſi ſint neceſſarii. Sed, antequam procedamus, videamus, quænam ſit neceſſitas probationis. Ait Fides: placet.

Dixit Intellectus: neceſſitas probationis eſt *duplex*, ût in prædictis ſyllogiſmis ſignificatum eſt: *prima* eſt *per Ligamen & Naturam*, quæ eſt inter ſubjectum & prædicatum, ſicut, ſi diceretur: ſi homo eſt, animal eſt; *ſecunda* eſt *duobus modis*, videlicet *per Cauſam & Effectum*, & *per Cauſam ſe ipſam cauſantem*: per Cauſam & Effectum, ſicut: ſi Sol eſt, dies eſt, & ſi dies eſt, Sol eſt; per Cauſam ſe ipſam cauſantem, ſicut bonus homo, qui cauſat ſe ipſum ad agendum bonum cum ſua bonitate, & magnus ad agendum magnum cum ſua magnitudine &c.; per iſtos *tres modos* oportet nos diſputare. Placet mihi, ait Fides.

1. Incipit Intellectus primum ſyllogiſmum, dicendo ſic: Divina Bonitas cum ſua Magnitudine eſt Divinæ Voluntati Ratio, quòd diligat bonum & magnum Judicium DEI; ſed, ſi Divina Voluntas diligit bonum & magnum Judicium DEI, Judicium eſt neceſſarium: ergo erit bonum & magnum Judicium omnium, quæ homines fecerunt in hac vita cum Anima & cum corpore, ſive bonum ſive malum ſit; & ſic erit Reſurrectio hominum.

Ait Fides: non valet, quia inter Divinam Voluntatem & dictum Judicium hominum non eſt Ligamen nec Natura, cùm ſint plures eſſentiæ, & hoc, quod eſt inferiùs, non poteſt cauſare hoc, quod eſt ſuperiùs.

Dixit Intellectus: mea ratio valet, quia Divina Voluntas cauſat ſe ipſam cum Magnitudine ſuæ Bonitatis, quæ eſt ei Ratio, ut diligat bonum & magnum Judicium hominum, quod eſt bonum & magnum, ût per ſe patet.

2. Ait Intellectus: omne Judicium eſt magìs magnum in homine, quàm in aliqua parte hominis; ſed Judicium DEI erit maximum: ergo erit in toto homine, & non ſolùm in parte hominis.

Dixit Fides: non valet, quia Effectus non cauſat Cauſam; ſed, ſi Judicium eſſet neceſſarium, ut eſſet magnum, ût tu dicis, Judicium eſſet cauſa Judicantis, quod eſt impoſſibile.

Ait Intellectus: mea ratio valet, quia cauſat ſe ipſam cum ſua Magnitudine, ut cum ipſa habeat magnum actum judicandi, & non, ſicut tu dicis.

3. Dixit Intellectus: omne Judicium, quod eſt magnum per infinitam Magnitudinem, eſt durabile per infinitam Durationem; ſed Judicium DEI eſt magnum per infinitam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Magnitudinem: ergo eſt durabile per infinitam Durationem; & ſic erit Generalis Reſurrectio.

Ait Fides: non valet, quia Judicium hominum non debet eſſe infinitum, nec per conſequens ſempiternum; nam uſus, quem habuerunt homines in agendo bonum & malum, non fuit cum infinita Magnitudine, ſed cum finita & in tempore.

Dixit Intellectus: verum dicis quoad uſum, ſed bonus uſus fuit ad ſerviendum infinitæ Magnitudini, & malus uſus contra ipſam; & ideo DEUS ratione ſuæ infinitæ Magnitudinis cauſat ſe ad judicandum homines in perpetuum, cùm ſua Juſtitia non ſit otioſa.

4. Ait Intellectus: illud ſubjectum, in quo DEUS poteſt plus judicare, eſt neceſſarium; ſed in toto homine poteſt DEUS plus judicare, quàm in parte ejus: ergo homo reſuſcitabitur, ut ſit ſubjectum illius magni Judicii.

Dixit Fides: propter hoc Reſurrectio non eſt neceſſaria, quia homo peccator peccat cum corpore extenſivè, & cum Anima intenſivè, & ſic poteſt dici de juſto homine, qui agit bonum cum corpore extenſivè, & cum Anima intenſivè; unde, cùm DEO conveniat Judicium intenſivè & non extenſivè ratione ſuæ Simplicitatis, ſignificatum eſt, quòd Reſurrectio Hominum non ſit neceſſaria.

Ait Intellectus: omnis cauſa magìs ambit ſuum effectum, ſi cauſat ipſum intenſivè & extenſivè, quàm intenſivè tantùm; & ſic tua ratio non procedit.

5. Dixit Intellectus: omnis homo eſt à Scientia DEI ſcibilis juſtus vel injuſtus; ſed omnis homo ſcibilis à Scientia DEI juſtus vel injuſtus eſt judicabilis: ergo homo judicabitur; & ſic fiet Reſurrectio.

Ait Fides: quòd ſit verum, quòd homo ſit ſcibilis à Scientia DEI; ſed eſt juſtus vel injuſtus per Animam, & non per corpus; quare eſt judicabilis in Anima, & non in corpore.

Dixit Intellectus: homo eſt totum, & Anima & corpus ſunt ejus partes, & homo cauſat ſe ipſum ad agendum cum ſua Anima & cum ſuo corpore, & non cum Anima ſinè corpore; quare eſt totus judicabilis.

6. Ait Intellectus: omne illud, cum quo DEUS poteſt facere majus Judicium reſpectu Juſtitiæ, eſt neceſſarium; ſed DEUS poteſt facere majus Judicium cum homine, quàm ſinè homine: ergo Divina Voluntas diligit Reſurrectionem hominum.

Dixit Fides: DEUS habet infinitam Poteſtatem; & infinitum non indiget finito: quare non indiget homine ad faciendum magnum Judicium; & ſic tua ratio non valet.

Ait Intellectus: nulla cauſa poteſt eſſe cauſa ſinè effectu; & licèt DEUS habeat infinitam Poteſtatem, non poteſt ſe facere cauſam judicandi ſinè judicato, quia cauſa & effectus relativè ſe habent; & ſic tua ratio eſt nulla.

7. Dixit Intellectus: omnis virtus & omne vitium, quantò majus ſubjectum habent, tantò magìs poſſunt judicari; ſed virtutes & vitia habent majus ſubjectum per hominem, quàm ſinè homine: ergo homo eſt à DEO judicabilis in æterno Judicio, ut Divina Juſtitia æternè poſſit judicare.

Ait Fides: non valet, quia homo & Judicium non ſic ſe habent, ſicut homo & animal, & Judicium convenit illi per contingentiam; & quia Divina Voluntas habet Libertatem ad faciendum Judicium quoad partem, ſicut quoad totum, Reſurrectio non eſt neceſſaria.

Dixit Intellectus: in DEO Voluntas, Magnitudo & Juſtitia ſunt idem numero; & ideo Voluntas cauſat ſe liberè ad magnum Judicium cum Magnitudine, non ad parvum cum parvitate; cùm parvitas non ſit de Ratione Divinæ Voluntatis & Juſtitiæ; & ſic tua ratio non procedit.

8. Ait Intellectus: omne illud, quod in Via facit bonum vel malum, eſt judicabile; ſed homo in Via facit verè bonum vel malum: ergo homo per veram Juſtitiam DEI verè eſt judicabilis.

Dixit Fides: tu dicis verum, & ideo DEUS judicat Animam ad aliud ſæculum, & corpus ad iſtud; & ſic non ſequitur, quòd Reſurrectio ſit neceſſaria.

Ait Intellectus: Fides, ego & tu non ſumus in tali diſputatione, quòd vadamus per fallacias vel deviationes, quia Veritas non quærit angulos, ſicut aliàs tibi dixi; ſed tu facis Fallaciam Diviſionis, quia mortuo homine corpus non eſt capax ad recipiendum Judicium per meritum vel ſinè merito, quia eſt inſenſibile.

9. Dixit Intellectus: omne illud, per quod homo ratione boni eſt magìs diſpoſitus ad Gloriam, & ratione mali ad pœnam, eſt neceſſarium; ſed per Reſurrectionem eſt homo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mo magìs diſpoſitus ad gloriam vel pœnam: ergo Reſurrectio erit de neceſſitate.

Ait Fides: eſt falſum, quia ſuppoſito, quòd homo reſurgeret, beatus eſſet impeditus per corpus à viſione DEI, & corpus injuſti non eſſet permanens in igne Inferni.

Dixit Intellectus: non valet, quia corpus juſti remunerabitur in Viſione Humanitatis Chriſti, per quam remunerationem corporis corpus non poterit impedire animam; nec in Inferno corpus injuſti poterit deſinere, ut Juſtitia DEI habeat perpetuum ſubjectum, in quo poſſit habere magnum Judicium.

10. Ait Intellectus: homo eſt ille, qui peccat differenter per Animam & corpus, & etiam homo eſt ille, qui facit bonum per Animam & corpus: unde, cùm Juſtitia DEI ambiat omnia ratione ſuæ Magnitudinis: ergo ambit hominem ad remunerandum propter bona, & ad puniendum propter mala.

Dixit Fides: verum eſt, quòd homo peccet cum anima & cum corpore, ſed cum anima activè, & cum corpore paſſivè; & quia cum anima movet corpus ad peccatum, ideo corpus non eſt capax ad recipiendum Judicium.

Ait Intellectus: homo cauſat ſe ad peccatum cum delectatione vel appetitu corporis, & ad bonum cum afflictionibus corporis; & quia corpus eſt occaſio ejus, eſt remunerandum vel puniendum, ut Juſtitia DEI non ſit otioſa.

11. Dixit Intellectus: omnis homo, quando agit bonum vel malum, agit per concordantiam animæ & corporis; ſed Juſtitia DEI ambit omnia, quæ habent concordantiam ad agendum bonum vel malum: ergo ambit, quòd homo ſit judicandus per prædictam concordantiam.

Ait Fides: non valet, quia corpus habet concordantiam cum anima, ut vivat per animam, & per ipſam habeat uſum ſuæ naturæ & appetitûs, quam naturam habet datam à DEO; & ideo corpus non eſt judicandum.

12. Dixit Intellectus: tua ratio non valet, quia corpus eſt pars hominis, & homo ratione delectationis corporis appetit vivere, & agit inhoneſtè & injuſtè.

Dixit Intellectus: ille, qui contradicit virtuti vel vitio, eſt judicandus; ſed homo contradicit virtuti vel vitio: ergo homo eſt judicandus.

Dixit Fides: homo eſt judicandus per animam, non per corpus, quia cum anima habet libertatem reſiſtendi virtutibus vel vitiis, non cum corpore; & ideo mortuo homine totum Judicium reſtringitur ſimpliciter ad animam, & nihil ad corpus; & ſic tua ratio non procedit.

Ait Intellectus: agens, quando agit, movet cum forma materiam, & cum ipſa movet ſe ad finem; & ideo materia eſt cauſa actûs: à ſimili, quando homo facit bonum vel malum, movet ſe ipſum cum Anima, movendo cum Anima corpus, & tranſit ad finem boni vel mali, & ſic corpus eſt judicandum, veruntamen non tantum, quantum anima.

13. Dixit Intellectus: in eſſentia hominis ille, qui priùs incipit facere bonum vel malum, eſt homo, & ſucceſſivè Anima & corpus; ſed primum principians bonum vel malum eſt ſcitum à DEO: ergo ipſum eſt judicabile à DEO.

Ait Fides: ſubſtantia priùs movet ſua principia, quàm ſe ipſam, quia cum motu ſuorum principiorum movet ſe ipſam: à ſimili homo cum principiis bene vel malè agendi, ſcilicet cum memoria, intellectu & voluntate movet ſe ipſum & ſuum corpus, & ſic Judicium remanet in primis principiis, non in ſecundariis; unde ſequitur, quòd corpus non ſit judicandum.

Dixit Intellectus: in principio deducuntur vitia vel virtutes in potentiam per Animam, & ſecundariò in actum per hominem, qui illas formas ſive bonas ſive malas deducit de potentia in actum cum Anima & corpore; & ſic tua ratio non valet.

14. Ait Intellectus: Anima hominis & corpus ſunt partes, ut ex ipſis ſit homo; unde, cùm homo ſit finis, quare ſuæ partes ſunt, ipſe agit bonum vel malum; ergo homo eſt judicandus à DEO propter bonum vel malum.

Dixit Fides: homo eſt, ut cum Anima recolat, intelligat & diligat DEUM, non, ut cum corpore ſentiat eum, quia DEUS eſt inſenſibilis; & ideo Anima eſt judicabilis, non corpus.

Ait Intellectus: in quantum dicis, quòd homo ſit, ut cum Anima recolat, intelligat & diligat DEUM, verum dicis; etiam debes dicere, quòd homo ſit, ut cum corpore diſponat juſtum recolere, intelligere & amare in ſerviendo DEO, agendo de corporalibus rebus; & ſic corpus eſt judicandum.

15. Dixit Intellectus: omne judicium poteſt eſſe majus in toto, quàm in parte; ſed homo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

est totum, Anima autem & corpus sunt partes : ergo homo resuscitabitur, ut judicetur.

Ait Fides: non convenit, quòd homo resuscitetur, nam in homine Anima est per primam intentionem, & corpus per secundam;& quia DEUS est primum Principium, intendit vel habet inhærentiam ad primas intentiones, & non ad secundas.

Dixit Intellectus: non valet,quia DEUS est Causa omnium spiritualium & corporalium entium, ut ab omnibus sit recolitus & honoratus; & ideo ambit totum hominem ad Judicium

16. Ait Intellectus: omne illud, per quod Divina Justitia, Sapientia & Veritas magìs se coæquant in agendo de creatis, est necessarium; sed Divina Sapientia scit verè, quòd homo agat bonum vel malum in Via: ergo Divina Justitia verè judicat justum vel injustum hominem.

Dixit Fides: non valet,quia Justitia DEI non potest judicare æqualiter corpus & animam, cùm anima sit in superiori gradu, corpus verò in infimo; sed judicat animam quoad aliam Vitam, & corpus quoad istam.

Ha Fides! dixit Intellectus: & quomodo vadis claudicando, in tua disputatione variando media? & nescis tu, quòd Justitia quandoque sit quoad pondus, quandoque sit quoad proportionem? ego non dico, quòd corpus sit tantum judicabile, quantum anima; sed dico, quòd homo verè sit judicabilis per animam & per corpus; & sic tua ratio non valet.

17. Dixit Intellectus: omne illud, per quod Justitia DEI magìs distat à minoritate veritatis Judicii, est necessarium; sed si homo, qui verè agit bonum vel malum in Via, judicatur, Justitia DEI magìs distabit à minoritate Judicii DEI, quàm si non judicaretur: ergo homo resuscitabitur judicandus.

Ait Fides: non valet, quia effectus non addit aliquid in sua causa; & ideo, licèt homo non resuscitetur, propter hoc Justitia DEI non minùs distat à minoritate.

Dixit Intellectus: verum dicis quoad Divinam Essentiam, sed non quoad usum, quem DEUS habet in creaturis, ût patet in prædicto syllogismo; quia Justitia DEI magìs ambit judicando animam & corpus, quàm animam tantùm: ergo judicabit animam & corpus.

18. Ait Intellectus: omne illud, per quod Judicium DEI est magìs recolibile; intelligibile & amabile, est necessarium; sed, si homo resuscitatur, & in æterno Judicio judicatur, Judicium DEI erit magìs recolibile, intelligibile & amabile: ergo homo resuscitabitur & judicabitur.

Dixit Fides: non valet, quia recolibilitas, intelligibilitas & amabilitas dicunt effectum & inferioritatem, & Divina Voluntas dicit Causam & Superioritatem, & effectus non causat causam.

Ait Intellectus: verum dicis, sed causa causat ea, quæ sunt ad suum honorem, non ea, quæ sunt ad suum dedecus.

19. Dixit Intellectus: omne illud, per quod Judicium DEI erit magìs definibile, est necessarium; sed, si homo resuscitatur & judicatur, Judicium DEI erit magìs definibile: ergo homo resuscitabitur, & in æterno Judicio judicabitur.

Ait Fides: non valet, quia omne illud, per quod Misericordia DEI est magìs recolibilis, intelligibilis & amabilis, est necessarium, quod non esset verum, si hoc, quod tu dicis, esset verum.

Dixit Intellectus: ha Fides! & quomodo frequenter varias medium? bene videtur, quòd non habeas bonum jus, & quòd non intelligas, quòd ego intendam dicere ea, quæ sunt respectu Divini Juris, ut DEUS non sit injuriosus contra se ipsum & ea, quæ sunt judicabilia, non, quòd sit contra suam Misericordiam.

20. Ait Intellectus: quicunque agit bonum vel malum cum illis partibus, ex quibus est, est judicandus cum illis partibus, ex quibus est; sed homo agit bonum vel malum cum illis partibus, ex quibus est: ergo homo cum suis partibus, ex quibus est, est judicandus, & per consequens resuscitandus.

Dixit Fides: verum esset hoc, quod tu dicis, si partes essent culpabiles; sed corpus hominis non est culpabile,quia est necessitatum & ligatum ad agendum hoc, quod agit.

Ait Intellectus: non valet, quia homo inculpat se ipsum in agendo malum cum suis partibus, ex quibus est, & inculpando se ipsum inculpat suas partes, cum quibus malè agit.

21. Dixit Intellectus: omne illud, quod est creatum propter infinitum & æternum, & agit contra infinitum & æternum, est judicabile ad æternam pœnam; sed malus homo, qui est creatus, ut serviat DEO, qui est infinitus & æternus, agit contra infinitum & æternum: ergo talis homo est resuscitandus, & judicandus ad æternam pœnam.

Ait

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Ait Fides: non valet,nam, ſicut finitum non poteſt infinitum, ſic non poteſt contra infinitum; ſed malus homo eſt finitus, & DEUS infinitus: ergo non poteſt contra DEUM; & ſic non eſt judicandus ad infinitam pœnam, nec reſuſcitandus.

Dixit Intellectus: veritas eſt, quòd finitum non poſſit agere contra infinitum reſiſtendo ei, ſed poteſt contra ipſum agendo contra finem, quare eſt creatum.

22. Ait Intellectus: omnis quantitas peccati eſt menſurabilis à Juſtitia DEI; ſed homo facit peccatum, quantum ad Animam & corpus: ergo totus homo eſt judicandus & reſuſcitandus.

Dixit Fides: omnis menſura in finito ſubjecto eſt finita; homo eſt finitum ſubjectum: ergo ſua menſura peccandi eſt finita: unde ſequitur, quòd non ſit judicandus ad perpetuam pœnam.

Ait Intellectus: non valet, quia homo cum ſua finita menſura eſt contra infinitam Juſtitiam DEI, ût ſuprà dictum eſt.

23. Dixit Intellectus: omnis, qui propriè peccat, magìs peccat, quàm ille, qui appropriatè peccat; ſed homo propriè peccat, quando facit peccatum, ſuæ partes verò appropriatè, quia per ipſum hominem, qui movet eas ad peccandum: ergo homo propriè eſt judicandus & reſuſcitandus.

Ait Fides: homo propriè peccat cum anima, appropriatè cum corpore, & ſic ſufficit Juſtitiæ DEI, quòd puniat corpus in hac Vita, & animam in alia.

DixitIntellectus: licèt homo peccet cum corpore appropriatè, tamen cum corpore cauſat ſe culpabilem, & per conſequens punibilem & judicabilem; & ſic tua ratio eſt nulla.

24. Ait Intellectus: quicunque peccat in tempore contra Æternitatem, quæ eſt cauſa temporis, eſt judicandus in æterno Judicio; ſed homo peccat in tempore contra Æternitatem: ergo homo eſt judicandus in æterno Judicio, & per conſequens reſuſcitandus.

Dixit Fides: nullum ens exiſtens in tempore transit ad exiſtendum in Æternitate, quia tempus eſt finitum, Æternitas autem infinita; & ſic peccator peccans in tempore non eſt punibilis in Æternitate.

Ait Intellectus: quidquid eſt contra effectum, eſt contra cauſam ipſius; peccatum eſt contra tempus: ergo eſt contra Æternitatem, quæ eſt cauſa temporis; & ſic tua ratio non valet.

25. Dixit Intellectus: illa ſubſtantia, in qua DEUS poteſt plus de bono per remunerationem vel miſericordiam, eſt locus neceſſarius; ſed talis locus eſt ſubſtantia hominis: ergo homo eſt reſuſcitandus.

Ait Fides: ſubſtantia hominis & Poteſtas DEI non ſunt connexæ nec ejusdem generis, & ideo non eſt neceſſarium, quòd corpus ſit reſuſcitandum, ut DEUS habeat majorem actum miſerendi vel remunerandi.

Ha Fides! Dixit Intellectus: quare non habes conſcientiam de hoc, quod dicis? bene ſcis, quòd DEUS & homo non ſint in linea, ſicut homo & animal, ſed ſicut Cauſa & effectus; & ſic tua ratio non procedit.

26. Ait Intellectus: per illum modum, per quem homo agit bonum vel malum, eſt homo judicandus; ſed homo habet modum agendi bonum vel malum per animam & corpus, & ſinè ipſis non: ergo homo eſt judicandus per eundem modum, & ſic reſuſcitandus.

Dixit Fides: homo habet liberum modum agendi bonum vel malum cum anima, ſed cum corpore non; & ſic anima eſt judicanda, non autem homo.

Ait Intellectus: non valet, quia homo cum anima cauſat ſe ad habendum bonum vel malum habitum; & quia homo non poteſt eſſe ſinè corpore, eſt anima judicanda cum corpore.

27. Dixit Intellectus: omnes partes, quæ peccant, ſunt judicandæ cum hoc, cum quo peccant; ſed anima & corpus hominis peccant cum homine, qui movet ipſas ad peccandum: ergo ſunt judicandæ ſimul cum homine; & ſic homo eſt judicandus, & per conſequens reſuſcitandus.

Ait Fides: non valet, quia homo quandoque peccat cum anima ſinè mediante corpore, & ſic anima eſt judicanda ſinè corpore; & ideo ad ſuum Judicium non indiget Reſurrectione hominis.

Dixit Intellectus: verum dicis,quòd homo quandoque peccet cum anima ſinè corpore, tamen homo eſt ille, qui peccat; & ideo homo eſt judicandus,& per conſequens reſuſcitandus.

28. Ait Intellectus: totus homo eſt magìs remunerabilis, quàm ſua pars: ergo homo reſuſcitabitur.

Dixit Fides: non valet, quia homo dicit quoddam ens confuſum ex anima & corpore, & peccatum intenſivè incipit in anima,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ma, & ſic corpus non eſt reſuſcitabile, nec per conſequens judicabile.

Ait Intellectus: homo eſt diſponens ſuum corpus, ut ſit ſubjectum peccati; & ſic corpus eſt culpabile.

29. Dixit Intellectus: illud ens, quod magìs ſervit vel diſſervit DEO cum ſuis partibus, eſt judicabile; ſed tale ens eſt homo: ergo homo eſt reſuſcitabilis.

Ait Fides: DEUS eſt, cui tantùm debet ſerviri & qui debet honorari cum recolere, intelligere & amare, non cum ſentire, cùm ſit inſenſibilis; & ſic DEUS non curat de actione corporis, nec de ejus reſurrectione. Illud tamen dico gratiâ diſputationis, ſicut dixi in multis ſuperiùs, cùm firmiter credam omnes Articulos Sanctæ Catholicæ Fidei.

Dixit Intellectus: imò DEUS curat de 33. honore corporis & reſurrectione ejus, quia corpus hominis participat in natura cum corporeïtate cœlorum, elementorum, brutorum animalium, plantarum & metallorum, & omnia iſta ſerviunt DEO mediante corpore juſti hominis, cum quo corpore juſtus homo diſponit, ut omnia prædicta ſerviant DEO, ſerviente homine cum omnibus iſtis DEO per bonum & magnum &c. recolere, intelligere & amare; & quando malus homo cum ſuo corpore agit contra DEUM, deviat à DEO cum omnibus prædictis finem, ad quem ſunt creata; & ſic clamant juſtitiam per naturalem inſtinctum & appetitum, & requirunt Judicium contra 34. peccatorem. Ergopotes videre, Fides, quomodo peccatum multiplicetur per culpam & pœna procreetur; quare tua ratio non valet.

30. Ait Intellectus: ille, qui magìs extenſivè poteſt recipere Judicium à DEO, eſt homo; ergo homo eſt reſuſcitandus, ut à DEO judicetur.

Dixit Fides: ſuprà dictum eſt, quòd DEUS non curet de extenſo peccato, ſed de intenſo; & ſic tua ratio non procedit.

Ait Intellectus: imò procedit, nam, licèt homo peccet extensè cum corpore, & intensè cum Anima, Juſtitia DEI, quæ ambit omnia, agit in peccatore extensè & intensè.

31. Dixit Intellectus: omne illud, per quod 35. Juſtitia DEI magìs diſtat ab otioſitate, eſt neceſſarium: ergo eſt neceſſarium, quòd homo judicetur in perpetuum.

Ait Fides: non valet, nam, ſi valeret, Mundus eſſet ab æterno, ut Juſtitia DEI non eſſet otioſa ab æterno.

Dixit Intellectus: probatum eſt, quòd Mundus non poſſit eſſe æternus, & ideo tua ratio non valet; imò dico tibi, quòd, ſi Mundus eſſet æternus, Juſtitia DEI eſſet otioſa ab æterno, & hoc, quia non eſſet alia Vita, ût *in Parte de Trinitate* dictum eſt.

Ait Intellectus: cùm homo ſit magìs verè juſtus vel injuſtus, quàm ſua pars: ergo homo verè erit judicandus, & per conſequens reſuſcitandus.

Dixit fides: ſicut natura dicitur à forma, & non à materia, quia forma eſt magìs intenſa, quàm materia, ſic Juſtitia hominis magìs ſe habet ad animam, quàm ad corpus; & ideo tua ratio non valet.

Ait Intellectus: imò valet, ſed tua non, quia extenſum ponit aliquid, & Juſtitia DEI ambit & attingit omnia.

Dixit Intellectus: cùm Divina Bonitas ſit Ratio bono Divino Judicio, & Magnitudo DEI magno Judicio, & ſic de aliis, ergo homo eſt judicandus, ut Judicium DEI ſit bonum & magnum.

Ait Fides: nullum ens poteſt ignoranter peccare; corpus hominis ignorat peccatum: ergo non poteſt peccare; unde ſequitur, quòd bonum & magnum Judicium ipſum non poſſit attingere.

Ait Intellectus: licèt corpus hominis ignoret peccatum, homo, qui intelligit peccatum, agit cum corpore peccatum; & ſic mediante homine corpus eſt culpabile & judicabile.

Ait Intellectus: cùm Divina Æternitas ſit Ratio æterno Judicio, & Divina Veritas vero Judicio &c., ergo homo eſt reſuſcitandus, ut Judicium ſit verum & æternum.

Dixit Fides: Judicium non poteſt eſſe bonum, niſi ſit verum; corpus verò non peccat, quia aſſertivè non facit peccatum, ſed per contingentiam; & ſic non eſt culpabile nec reſuſcitandum.

Eſt mirabile, ait Intellectus: & quis dicit tibi, quòd corpus peccet verè & aſſertivè? cùm non habeat intellectum, ſed peccat verè mediante homine, qui habet intellectum, & aſſertivè & verè peccat cum corpore; unde ſequitur, quòd tua ratio non valeat.

Dixit Intellectus: cùm homo faciat malum vel bonum cum omnibus ſuis ſenſibus, imaginatione, voluntate & ſic de cæteris, ergo homo cum omnibus his eſt judicandus.

Ait Fides: non valet, quia peccatum non transit ad ſenſum, ſed anima attingit ſuam ſimilitudinem in imaginatione, & ducit ipſam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ipſam in ſe ipſam, & ſic agit de peccato imaginando, recolendo, intelligendo & amando ipſum, ſed non corpus ſentiendo, quia non attingit peccatum ſentiendo ipſum.

Ha Fides! dixit Intellectus: & quomodo vadis mendicando pauperes rationes? & neſcis tu, quòd Imaginatio ſit de natura corporis, cum qua peccatum corporis tranſit in animam, & de anima refluit ad corpus?

36. Ait Intellectus: anima peccat cum corpore, & corpus cum anima, & ſic de omnibus partibus animæ & corporis: ergo homo cum omnibus partibus eſt judicandus, & ſic reſuſcitandus.

Dixit Fides: corpus non peccat cum anima, cùm corpus non habeat actionem ſuper animam, ſed paſſionem; & ſic tua ratio non valet.

Ait Intellectus: corpus peccat cum anima mediante homine, quia homo movet animam, ut poſſit peccare cum corpore; & quamvìs tu ſis intricata in tuis rationibus, tamen ſcias, quòd Juſtitia DEI non ſit intricata in ſuis Judiciis.

37. Dixit Intellectus: cùm Juſtitia DEI ſit magìs magna in Judicio per ſuam Bonitatem, Magnitudinem &c., ſi judicat hominem in alia Vita, quàm, ſi judicat illum in hac Vita tantùm, ergo homo reſuſcitabitur, ut judicetur in alia Vita.

Ait Fides: non valet, quia DEUS non curat habere magnum Judicium in homine, ſed parvum, cùm homo non ſit capax ad recipiendum magnum Judicium, ſed parvum ratione ſuæ eſſentiæ & operationum.

Dixit Intellectus: eſt falſum, quia homo peccator deviat omnia creata corporalia entia à fine, ad quem ſunt creata, ût jam ſuprà dictum eſt.

38. Ait Intellectus: ſicut Divina Sapientia ſcit, quòd homo verè ſit ille, qui facit bonum vel malum, ſic Divina Voluntas vult, quòd homo remuneretur de bono, & puniatur de malo.

Dixit Fides: non valet, quia Sapientia DEI ſcit multa, ſcilicet peccata, quæ Voluntas DEI non diligit.

Ait Intellectus: imò mea ratio valet, ſed tua non, cum qua varias medium; quia Divina Voluntas diligit totum Divinum Judicium; & hoc eſt de intentione prædicti exempli.

39. Dixit Intellectus: ſicut Divina Miſericordia habet inclinationem ad parcendum animæ hominis, ſic ad parcendum corpori hominis, ut per ſuam Magnitudinem ambiat omnes modos parcendi; & ſic homo reſuſcitabitur.

Ait Fides: non valet, quia corpus hominis non exſpectat remunerationem, quia non habet culpam.

Dixit Intellectus: malè dicis, nam, ſecundùm quòd ordinatum eſt de ſyllogiſmis in principio iſtius Partis, ſic ſe habent homo & corpus per lineam, ſicut homo & animal; & ſic homo cum ſuo corpore peccat, & ſinè ſuo corpore homo non poteſt judicari, cùm ſinè corpore non poſſit eſſe homo.

40. Ait Intellectus: ſicut Juſtitia DEI habet inclinationem ad remunerandum animam juſti hominis, ſic ad remunerandum corpus ejus; & ſic homo eſt reſuſcitandus.

Dixit Fides: reſpondeo tibi, ſicut ſuprà dixi; & ſcias, quòd de tuis prolixis verbis ſim feſſa & faſtidioſa.

Ait Intellectus: ſi tu es feſſa, ego non; & in hoc patet, quòd Veritas vivificet & delectet me, ſed non te; & adhuc audias duo exempla, quæ remanent.

Ait Fides: nolo audire, nec de iſta materia técum ampliùs diſputare.

Et tunc Fides dimiſit rectum iter, & intravit quoddam magnum nemus, & Intellectus retrò ipſam, volens ſe pacificare cum ipſa, ſed Fides nolebat, neque ei dare reſponſum; & tamdiu iverunt, quousque veneruńt ad quandam eccleſiam cujusdam Eremitæ, in qua Eremita faciebat pœnitentiam de commiſſis.

Eremita recepit ipſos, & cognovit, quòd Fides eſſet conturbata cum triſtitia cordis; tunc ait illi dicens: quid haberet?

Ait Fides: mea triſtitia eſt propter Intellectum meum fratrem, quem diligo, ſed ipſe eſt mihi multùm ingratus, quia dicit, quòd Articuli Fidei poſſint probari, quod eſt contra dicta Sapientum.

Dixit Intellectus: Domine, ſi Fides mea ſoror eſt conturbata propter me, multò magìs deberet eſſe conturbata, quia Terra Sancta, ubi Chriſtus fuit natus & paſſus, poſſidetur ab Infidelibus, & in hoc Sacroſancta Romana Eccleſia amittit ſua jura, amittendo terras, quæ poſſidebantur à Fidelibus Chriſtianis, & etiam, quia à malis Chriſtianis Eccleſia negligitur.

„Adhuc, quare Fides mea ſoror non pro-
„curat? quòd fiant Monaſteria Sanctorum
„Hominum, qui addiſcant barbaricas Lin-
„guas & aliorum Infidelium, ut vadant ad

(c) 2006 Ministerio de Cultura

„prædicandum Catholicam Fidem inter ip-
„ſos, ſicut præceptum eſt in Evangelio: *Ite,*
„*prædicate Evangelium omnibus Creatu-*
„*ris.* Ha Fides mea ſoror! non tantùm tu
„debes flere, ſed ego, qui video tot ſchis-
„mata & errores, & tot Infideles, propter
„quos Eccleſia eſt in magno periculo, ne ab
„eis opprimatur.

Adhuc, dixit Intellectus: doleo, quia dicis, quòd Articuli Fidei non poſſint probari, & ego tibi probavi. Non eſt verum, ait Fides. Imò eſt verum, dixit Intellectus, & ecce meas rationes. Et ecce meas, ait Fides, quæ ſunt multò veriores, quàm tuæ.

Eremita timens, ne inde eveniret ſcandalum, ait illis: pro DEO habeatis pacem in vobis, quia DEUS ordinavit, quòd per Fidem illi, qui non poſſunt intelligere, attingant Veritatem, & per Intellectum ſint ſcientiæ, & deſtruantur errores & ignorantiæ; & ideo per veſtram inimicitiam Mundus poſſet cadere in errorem; ſed agat quilibet de vobis de ſuo officio toto poſſe ad ſervitium DEI bono modo. Et Librum, in quo ſunt veſtræ Rationes, ſuper quas habuiſtis diſputationem, tradatis mihi; nam ipſum volo præſentare Domino Papæ & Cardinalibus, & etiam Doctoribus & Lectoribus Theologiæ, & cum ipſo ire per generalia Studia exhibendo eum, videlicet ad Montem peſſulanum, Tholoſam, Pariſios, Neapolim, & ad alia univerſa Studia, ut determinent, quis veſtrûm obtineat Veritatem. Volo etiam rogare Reges, ut tractent, quòd Religioſi & alii literati in ſacra Scriptura debeant laborare ad providendum hoc, *& ſupradicta Studia diverſorum Idiomatum Infidelium Terrarum procurare, ut per ipſa Studia Infideles poſſint pervenire ad ſanctam Viam.*

Placuit Fidei & etiam Intellectui Monitio & Conſilium Eremitæ, & unanimiter tradiderunt illi Librum. Eremita verò gaviſus acceptavit Librum cum Benedictione DEI.

Intellectus verò dixit, quòd, ſi in aliquo erraverit, non ſcienter fecerit, & ſubmittat Correctioni Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ hoc, quod dixit.

Et etiam Fides dicit idem, & Fides etiam confitetur, quòd dixerit aliqua contra hoc, quod credit; ſed tamen gratiâ diſputationis dixit illa.

Finivit Raymundus cum Gratia & Benedictione DEI iſtum Librum apud Montem peſſulanum in menſe Octobri, Anno MCCCIII. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.



(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE ARTICULIS FIDEI SACROSANCTÆ ET SALUTIFERÆ LEGIS CHRISTIANÆ SIVE LIBER APOSTROPHE.

Hunc Tractatum B. Auctor primitùs scripsit in Lingua Lemovicensi, ex qua de litera ad literam noviter est translatus.

DEUS in Virtute tui magni Adjutorii & Benedictionis incipimus hunc Tractatum, in quo probamus *per necessarias Rationes Articulos Catholicæ Fidei.*

DE PROLOGO.

1. ANtequam probemus Articulos, volumus probare, quòd DEUS sit, quem consideramus esse Supremam Bonitatem & Supremum Bonum, Supremam Magnitudinem & Supremum Magnum, & sic de Æternitate & Æterno, de Potestate & Potente, de Sapientia & Sapiente, de Voluntate & Amoroso, de Virtute & Virtuoso, de Veritate & Veroso, de Gloria & Glorioso; & sic de suis aliis Dignitatibus & Rationibus; & intelligimus DEUM per istas, & illum esse ipsas; & cum illis intendimus probare, ipsum esse, & probare Articulos; cùm dictæ Dignitates & Rationes significent, DEUM esse completum de illis, & esse illas, cùm ipse sit illæ in summitate Nobilitatis & Perfectionis super omnes alias Dignitates & Rationes.

2. Ad Probandum, DEUM esse, adferemus *quinque Rationes*, cùm per multas alias Rationes hoc possemus probare, de quibus quinque Rationibus hæc est prima.

RATIO I.

Quòd Supremum Bonum sit.

SI Supremum Bonum est, supremum malum non est; & si supremum malum est, Supremum Bonum non est, cùm duæ supremæ contrarietates non possint esse, quia una destrueret aliam; & si hoc non facerent, non essent supremæ: & hoc idem sequitur de duabus supremis Bonitatibus differentibus per essentiam & naturam, quia non essent supre-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſupremæ, niſi una eſſet ſupra aliam in nobilitate, poteſtate & virtute; & quia bonitas & *eſſe* habent concordantiam, & malitia & *non eſſe*, ſequitur, quòd ſit Supremum Bonum, & quòd non ſit ſupremum malum; nam, quia Supremum Bonum eſt, ſupremum malum non poteſt eſſe; & ſi ſupremum Bonum non eſt, ſua privatio eſt ſupremum malum, & malum & eſſe, & bonum & privatio concordant, nec eſſe habet concordantiam cum bono; quod eſt impoſſibile: igitur Supremum Bonum eſt, quod Supremum Bonum appellamus DEUM; quem DEUM probavimus eſſe in hoc, quia probavimus, quòd Supremum Bonum ſit.

RATIO II.

Quòd ſit infinitum Eſſe *in Magnitudine.*

SI DEUS eſt, eſt infinita Magnitudo; & ſi DEUS non eſt, omnis magnitudo eſt finita, & ſequitur, quòd, quantò nobilior & major eſt omnis res, tantò remotior ſit ab Infinitate, & propinquior finitati, cùm finitas ſit nobilior & melior, quia eſt, quàm Infinitas, quæ non eſt, & quòd pars ſit nobilior & major, quàm ſuum totum, ita quòd pars non eſt pars, ſed eſt totum, & totum non eſt totum, ſed eſt pars; quod eſt contradictio, quæ contradictio non poteſt eſſe: igitur eſt infinita Magnitudo, & ſequitur, quòd omnis res, quantò plus habet de nobilitate & de eſſe, ſit tantò magis remota à finitate, & magis propinqua Infinitati, & quòd pars ſit pars, & totum ſit totum: igitur eſt infinita Magnitudo, quæ eſt major & nobilior, quàm finita; & dicimus, quòd hæc infinita Magnitudo ſit DEUS, quem DEUM probavimus eſſe in hoc, quia probavimus infinitam Magnitudinem.

RATIO III.

Quòd ſit Æternitas.

QUòd ſit Æternitas, volumus probare hoc modo: nullum ens, hoc eſt, nulla res, poteſt principiare ſe ipſam, nam ſi poſſet principiare ſe ipſam, eſſet, antequam eſſet ſua poteſtas, in hoc, quòd poſſet principiare ſe ipſam; quod eſt impoſſibile, quòd aliquid poſſit principiare ſe ipſum, & eſt contradictio: & quia ſunt res principiatæ, ſicut homo, equus, grus, piſcis, arbor, & alia his ſimilia, convenit, quòd ſit una res, quæ non habeat principium, & quæ ſit æterna, & quæ principiaverit omnes illas res, quæ ſunt principiatæ, & quòd illa non principiaverit ſe ipſam, & illa eſt Æternitas, ſinè qua aliqua res vel aliquæ eſſent, quæ principiâſſent ſe ipſas; & illa Æternitas eſt DEUS, qui eſt æternus, & principiavit omnes creaturas. Et ſi aliquis dicit, quòd mundus ſit æternus, & non ſit principiatus, probabimus inferiùs, quòd mundus non ſit æternus, nec poſſit eſſe æternus.

RATIO IV.

Quòd ſit infinita Poteſtas.

INfinita Poteſtas eſt, quia probavimus, quòd ſit Æternitas & Suprema Bonitas & infinita Magnitudo, quæ non poſſent eſſe in Infinitate ſinè infinita Poteſtate; & ſi eſſent, poſſent eſſe ſinè poteſtate, & non poſſent eſſe ſinè poteſtate; & hoc eſt contradictio; quæ non poteſt ſtare, ſcilicet, quòd ſit infinita Poteſtas, & quòd non ſit; & etiam, quia ſi infinita Poteſtas non eſt, Æternitas nihil eſt, & hoc, quod eſt principiatum, eſt principiatum per ſe ipſum vel per aliud, quod principiavit ſe ipſum; quod eſt impoſſibile, ſicut jam probavimus: igitur eſt infinita Poteſtas, cum qua poteſt eſſe infinita Bonitas, Magnitudo & Æternitas; quam infinitam Poteſtatem dicimus eſſe DEUM.

RATIO V.

Quòd ſit infinita Virtus.

INfinita Virtus eſt, cùm virtus & *eſſe* habeant concordantiam, & vitium & *non eſſe;* & ideo, quantò major & nobilior virtus eſt, tantò majorem concordantiam habet cum *eſſe*, & quantò majus & pejus eſt vitium, quod eſt contrarium virtuti, tantò majorem concordantiam habet cum *non eſſe* & privatione; & ſi infinita Virtus non eſt, inde ſequitur contrarium, ſcilicet, quòd major & nobilior virtus habeat minorem concordantiam cum *eſſe*, quàm minor & minùs nobilis, & majus & pejus vitium habeat minorem concordantiam & convenientiam cum privatione & *non eſſe*, quàm minus; & hoc in tantum, quòd virtus & *non eſſe* habent convenientiam & proportionem, & vitium & eſſe; quod eſt impoſſibile: igitur eſt ſuprema infinita Virtus, quam appellamus DEUM.

Probatis his quinque Dignitatibus & Formis eſt probatum, quòd DEUS ſit, cùm DEUS ſit illæ & illæ ſint in illo, ita quòd nulli alteri *eſſe* conveniant, niſi ipſi; & ipſum *eſſe* completum de illis, & ille idem debet eſſe ſupremaSapientia, Voluntas, Gloria, Veritas & Com-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& Complementum omnium bonorum ſinè ullo defectu, habens in ſe omnem perfectionem, quin indigeat ullâ re, quæ non ſit de ſua Eſſentia & Natura.

ARTICULUS I.

Quòd ſit Unus DEUS tantùm.

Cùm probaverimus de neceſſitate, quòd ſit unum Ens Supremum in Bonitate & in aliis infinitis Formis, & dicamus, quòd illud ſit DEUS, volumus de neceſſitate probare, quòd ille ſit Unus tantùm, & non multi Dii.

1. Illud Ens eſt Supremum Bonum, quod eſt ſupra omne aliud bonum; nam ſi eſſent multa ſuprema bona, quodlibet eſſet ſuperius altero in bonitate, nobilitate & virtute, & non eſſet ſuperius, quia non poſſet eſſe ſupremum, poſtquam aliud bonum eſſet ſupra ipſum per nobilitatem & virtutem; & ſic ſi eſſent multa ſuprema bona, quælibet eſſent ſuprema & non ſuprema; & hoc eſt impoſſibile & contradictio: & quia nos probavimus, quòd Supremum Bonum ſit, illud Supremum Bonum, quod nos probavimus, eſt Unus DEUS Supremus omnibus aliis bonis: & per hoc ita de neceſſitate ſequitur, quòd ſit Unus DEUS, & non multi, ſicut eſt unum Supremum Bonum, & non multa, una Suprema Unitas, & non multæ.

2. Et ſi eſſent multi Dii, eſſent multæ infinitates, cùm ad DEUM pertineat Infinitas, ut ſit infinitus; & ſic infinitas cujuslibet eſſet extra infinitatem alterius, cùm Infinitas menſuret & comprehendat omnia, & non menſuretur nec comprehendatur per aliud, quod non eſt de ſua eſſentia & natura; & hoc eſt impoſſibile, quòd una infinitas ſit ultra & extra aliam; nam ſi eſſet, quælibet infinitas eſſet infinita & finita, menſurans & menſurata, comprehendens & comprehenſa; & hoc eſt contradictio: igitur eſt Una Infinitas, & non multæ, quæ comprehendit & menſurat & terminat omnia, & illa eſt Unus DEUS, qui eſt ita infinitus per Infinitatem, ſicut bonus per Bonitatem, & eſt ita Unus in ſingulari per Infinitatem, ſicut eſt Unus per ſuam Unitatem, & ſimplex per ſuam Simplicitatem.

3. Convenit, quòd in DEO ſua Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria ſint unum & idem in numero; quia ſi non eſſent unum & idem in numero, in DEUM caderet accidens, ſcilicet, quòd bonitas eſſet magna per magnitudinem, & æterna per æternitatem, & non per ſe ipſam, & è converſo; & quia in DEUM non cadit, nec in eo eſt accidens, de neceſſitate convenit, quòd una ſuarum Rationum & Formarum ſit alia; & quia una eſt alia, nulla ſuſtinet, quòd ſit aliqua Dignitas, quæ non ſit de ſua Eſſentia & Natura infinita & æterna & in Summitate; nam Bonitas Unius DEI non eſſet magna, ſi bonitas alterius DEI eſſet tam magna, ſicut illa: igitur non poſſunt eſſe multi Dii, ſed Unus DEUS, quia hoc non ſuſtinet Bonitas illius DEI, qui eſt infinitus & ſupremus in Magnitudine, Virtute, Poteſtate &c.

4. Si ſunt multi Dii, ſunt multi omnipotentes, ita quòd quilibet habeat omnipotentiam; & inde ſequitur, quòd quilibet ſit ſuámet poteſtas & poteſtas alterius; & ſi hoc eſt, quilibet poteſt in totum & non poteſt in totum; & hoc eſt contradictio, quæ non poteſt ſtare: igitur non poteſt eſſe, niſi una perfecta & infinita Poteſtas; & ſicut non poteſt eſſe, niſi una perfecta & infinita Poteſtas, ita non poteſt eſſe, niſi Unus DEUS, qui ſit illa perfecta & infinita Poteſtas.

5. Si ſunt multi Dii, ſunt multa *eſſe* completa differentia per eſſentiam & naturam, & ſic unus DEUS eſt perfectio alterius in tantum, quòd eſt completus & perfectus per illum, & non completus nec perfectus per illum, ſed completus & perfectus per ſe ipſum, & complens & dans perfectionem alteri, quin recipiat perfectionem & complementum ab illo; nam alio modo non poſſet eſſe completus: igitur eſt contradictio, ſi ſunt multi Dii, & ſi quilibet per ſe ipſum eſt completus, & eſt complementum & perfectio alterius; & quia contradictio non poteſt ſtare, eſt Unus DEUS tantùm, qui eſt completus per ſe ipſum, & eſt complementum omnium creaturarum.

Antequam poſſimus probare, quòd in DEO ſit Trinitas, convenit, quòd in DEO probemus Pluralitatem Divinarum Perſonarum.

Quòd in DEO ſit Pluralitas Perſonarum.

1. BOnitas DEI eſt infinita, & bonitas creata eſt finita; & ideo Bonitas DEI eſt major Ratio ad producendum magnum bonum, quàm finita bonitas; & quia creata & finita

(c) 2006 Ministerio de Cultura

finita bonitas eſt ratio creato & finito bono, [illegible], quòd faciat bonum, quantò magìs igitur Bonitas DEI eſt Ratio ipsímet DEO, qui eſt bonus, quòd producat magnum bonum; nam ſicut meliùs convenit creato bono, quia eſt finitum, quòd producat parvum bonum, quàm magnum, ita meliùs convenit DEO, quòd producat magnum bonum, quàm parvum; & ideo eques faciliùs poteſt donare unum equum, quàm unum caſtellũ, & Rex ſecundùm ſuam naturam & proprietatem potiùs debet dare unum caſtellum, quàm unum equum: igitur Bonitas DEI ſecundùm ſuam Naturam & Proprietatem eſt Ratio DEO, quòd producat bonum magnum infinitè, ſicut ipſa eſt infinita, ut ipſa ita ſit Ratio infinita ad producendum infinitum Bonum, ſicut illa eſt infinita in ſe ipſa: igitur DEUS producit Bonum magnum infinitum, ſed non poteſt illud producere de alio, niſi de ſe ipſo, cùm nullus ſit infinitus, niſi ipſe tantùm: igitur in DEO eſt Pluralitas Perſonarum, ſcilicet, quòd Producens & Agens ſit una Perſona, & Productus & Agibilis ſit alia Perſona, ita quòd ambæ Perſonæ ſint diſtinctæ, & una non alia; nam ſi non eſſent diſtinctæ, ibi non poſſet eſſe Productio nec agens nec agibile, nec Bonitas eſſet Ratio ad producendum magnum infinitum Bonum.

2. Convenit, quòd illud Ens, quod eſt [illegible] Actus æternus & infinitus, habeat Opus æternum & infinitum; nam niſi illud haberet, non eſſet purus Actus æternus & infinitus, in quantum ſuum opus haberet principium in tempore; & ſicut haberet principium in tempore extra Æternitatem, ita haberet principium in quantitate extra Infinitatem, & ſuum operari non eſſet purus actus, & ſuum exiſtere eſſet infinitum in Æternitate & in Magnitudine, & ſuum operari non, propter quod ſuum exiſtere & ſuum operari non poſſent eſſe unum & idem in numero in Infinitate nec in Æternitate: igitur convenit, cùm DEUS ſit purus Actus infinitus & æternus, quòd habeat Opus æternum & infinitum in ſe ipſo & de ſe ipſo, ut Operans & Operatus remaneant unus purus Actus per Eſſentiam & Naturam in Æternitate & in Infinitate, & quòd ſint diſtincti, & non unus alter per modum operantis & operati; ſinè qua diſtinctione non poſſet eſſe purus Actus operandi in infinita Magnitudine & Æternitate: igitur neceſſariò eſt in DEO pluralitas, quæ eſt de infinito & æterno Operante, & infinito & æterno Operato & Operabili.

3. In DEO ſua Exiſtentia & Agentia ſunt unum & idem, ſcilicet ſuum exiſtere & ſuum operari; DEUS eſt in ſua Eſſentia per ſuam Eſſentiam & per ſuam Naturam, ſicut homo, qui per rationalem animam & per corpus eſt homo; & non eſt homo per ſuam agentiam, ſicut Martinus, qui non eſt homo per ſcribere, quia ſunt multi homines, qui non ſciunt ſcribere; ſed de DEO non eſt ita, ſicut de Martino, poſtquam ſua naturalis Agentia & Exiſtentia ſunt unum & idem in numero cum ſua Eſſentia: igitur convenit, quòd DEUS tam perfectè ſit DEUS per ſuum proprium & naturale operari, ſicut per ſuum exiſtere; per quod de neceſſitate ſequitur, quòd, ſicut DEUS eſt DEUS, quia eſt, ita ſit DEUS, quia producit DEUM, & propter hoc DEUS producit DEUM: igitur in DEO eſt Pluralitas, ſcilicet, quòd una eſt Perſona, quæ eſt per hoc, quia eſt in exiſtere, & alia eſt Perſona, quæ eſt per hoc, quia eſt producta per modum operandi.

4. Eſt impoſſibile, quòd unum & idem ens, hoc eſt, una & eadem res ſit infinitè remota & non infinitè remota à nihilo, quia ex hoc ſequeretur contradictio, quæ non poteſt eſſe; & quia DEUS eſt infinitè remotus à nihilo, convenit, quòd in illo ſit Pluralitas Perſonarum, ratione cujus infinitè poſſit eſſe remotus à nihilo; non poſſet infinitè eſſe remotus à nihilo, ſi non poſſet producere aliquid de ſua Eſſentia & Natura, Bonitate, Magnitudine, Æternitate & aliis ſuis Dignitatibus, quæ eſſent terminatæ in nihilo, & participarent cum nihilo; ſicut ſua Bonitas, quæ eſſet propinqua nihilo, niſi de illa & in illa & per illam poſſet fieri aliquid, & hoc idem eſt de ſua Magnitudine &c.; ſed quia DEUS de ſua Bonitate eſt producens Bonum infinitè, & de ſua Magnitudine Magnum infinitè, & de ſua Æternitate Æternum infinitè, & ſic de aliis, eſt infinitè remotus à nihilo, poſtquam æternaliter & infinitè producit aliquid de aliquo, quod eſt contrarium nihilo.

5. Illud Ens eſt multò nobilius & perfectius, quod eſt nobile, & nobilitat, & eſt perfectum, & perficit, & eſt bonum, & facit bonum, & eſt magnum, & facit magnum, & eſt æternum, & facit æternum, & eſt potens, & facit potentem, & eſt ſapiens, & facit ſapientem, & ſic de aliis dignitatibus, quàm illud, quod eſt nobile, & non nobilitat, & eſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eſt perfectum, & non perficit, & eſt bonum, & non facit bonum, & ſic de aliis; & quia convenit, quòd DEO tribuatur omnis Nobilitas, omnis Perfectio & omnis Bonitas, de neceſſitate convenit, quòd in illo ſit Pluralitas, ut in illo ſit Nobilitas & nobilitare, Perfectio & perficere, Bonitas & bonificare, Æternitas & æternare, & ſic de aliis, quæ non poſſent eſſe in illo ſinè Pluralitate Perſonarum, ita quòd unus ſit Nobilitans, & alius Nobilitatus, unus Perficiens, & alius Perfectus, unus Bonificans, & alius Bonificatus, unus Magnificans, & alius Magnificatus, unus Æternans, & alius Æternatus, & quòd Nobilitans, Perficiens, Bonificans, Magnificans, Æternans &c. ſint una Perſona, & quòd Nobilitatus, Perfectus, Bonificatus, Magnificatus, Æternatus &c. ſit alia Perſona.

Probavimus, quòd in DEO neceſſariò ſit Pluralitas Perſonarum, nunc volumus probare, quòd illa Pluralitas ſit de Perſona Paternali, & de Perſona Filiali, exiſtente in DEO unâ Perſonâ, quæ ſit Pater, & aliâ, quæ ſit Filius, quam probationem facimus hoc modo.

ARTICULUS II. & III.

Quòd in DEO ſit Pater & Filius, qui Pater eſt ſecundus Articulus, & Filius tertius.

PRobavimus in DEO Producentem & Productum, & convenit, quòd ille Productus ſit de Eſſentia & Natura Producentis, & de Bonitate & Magnitudine, Æternitate &c. illius, ut poſſit eſſe æqualis illi in Infinitate & Æternitate, Eſſentia & Natura & Bonitate &c.: igitur convenit, quòd Producens de ſe ipſo producat Productum, ut Producere ſit Æternum & Infinitum; & hoc non poſſet eſſe ſinè Generatione, ſcilicet, quòd de ſe ipſo generet Generatum, & quòd illi det totam ſuámmet Eſſentiam & Naturam, & omnes ſuas Dignitates & Rationes, & quòd ille remaneat ipſémet & tota ſua Eſſentia & Natura & omnes ſuæ Rationes: igitur generat illum de ſe ipſo, & non de alio; quare meliùs debet eſſe Pater, quàm vir, qui de ſe ipſo & de alio, ſcilicet de fœmina, generat filium; veruntamen eſt Pater & dicitur Pater, quia eſt prior, quàm ille, quem generavit, in quantum generavit illum de ſe ipſo: igitur eſt DEUS Pater & DEUS Filius, cùm Pater & Filius relativè ſe habeant; & Pater eſt, quia de ſe ipſo producit Filium; & DEUS Filius eſt, qui non eſt Pater, quia eſt generatus & productus de DEO Patre, & Pater dicitur Producens, & Filius Productus, quia ſunt in majori propinquitate æqualitatis, concordantiæ & prioritatis, quàm producens, qui de ſe ipſo non producit productum; ſicut ferrarius, qui producit clavum de ferro, & non de ſe ipſo, & producit illum cum martello, qui non eſt de ſua eſſentia, & producit illum in figura, quæ non eſt de ſua figura; & ideo non debet dici, quòd ferrarius ſit pater clavi, ſed cauſa illius: igitur in DEO ſunt duæ Proprietates, ſcilicet Paternitas & Filiatio, & quælibet eſt perſonalis Proprietas, quia Perſona eſt Ens completum, exiſtens per ſe ipſum; ſicut Angelus & homo, qui ſunt completi per modum rationis & ſpeciei.

Quòd in Eſſentia DEI ſit tertia Perſona.

AD inquirendum tertiam Perſonam in DEO damus *quinque Rationes*, quarum hæc eſt prima:

1. Ita naturale & proprium eſt Patri amare Filium, ſicut generare illum, ut amare ſit tam nobile & tam magnum, ſicut generare, cùm in DEO unus actus non ſit major, quàm alius; & quia de generare ſequitur Pater & Filius, & convenit, quòd Filius tantum amet Patrem, quantum eſt eſſe ſuæ generabilitatis, convenit, quòd de amare Patris & Filii ſequatur Spiratus & Spirabilis, qui Spirans ſunt Pater & Filius, qui ſpirant Sanctum Spiritum uno amante alium, & Sanctus Spiritus eſt Spirabilis in amare, quia convenit, quòd ſit tertius procedens ab amante & amabili, ſcilicet ab amativitate & amabilitate Patris, & ab amativitate & amabilitate Filii; hoc non poſſet eſſe ſinè tertia Perſona procedente in amare de duabus Perſonis.

2. Eſt impoſſibile, quòd in DEO ſit ullum accidens, cùm omne id, quod eſt in DEO, ſimpliciter ſit Subſtantia; & in DEO eſt Pater per Generationem, & Filius ſimiliter in tantum, quòd tota Paternitas eſt per generare Filium, & tota Filiatio eſt per eſſe generatum Filium: igitur Amor Patris & Filii eſt alius modus, quia Pater non eſt Pater per amare Filium, ſed per generare illum, nec Filius eſt Filius per amare Patrem, quia jam eſt Filius per Generationem: igitur convenit,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd Amor, quem Pater & Filius erga ſe habent, ſit fontalis proceſſio tertiæ Perſonæ, ut ille Amor ſit ſubſtantialis, & non accidentalis; nam ſi tertia Perſona non eſſet, Amor, quem Pater & Filius erga ſe habent, eſſet accidens, & non eſſet DEUS, cùm nullum accidens poſſit eſſe DEUS: igitur eſt probatum, quòd in DEO ſit tertia Perſona.

3. Omnes Rationes & Dignitates DEI ita concurrunt ad entificandum tertiam Perſonam, ſicut ſecundam, ut Amare, quod Pater & Filius erga ſe habent, ſit tam bonum, tam magnum, tam æternum, tam potens, ſicut generare; nam ſi hoc non eſſet, Dignitates eſſent otioſæ Rationes in amando, & non in generando; quæ otioſitas eſt impoſſibilis in DEO, cùm in illo ſint Actus Dignitatum æternarum & infinitarum completarum ſinè ullo defectu: igitur tertia Perſona eſt tam perfecta per Actus Rationum, quos habent in amando, ſicut ſecunda Perſona per Actus, quos Rationes habent in generando.

4. Pater & Filius ſunt diſtincti per Perſonales Proprietates, quia Pater eſt unus per Paternitatem, & Filius eſt alius per Filiationem; igitur Unitas unius eſt ita, quòd non eſt Unitas alterius, & ideo quilibet habet ſuam propriam Unitatem; & quia in DEO non eſt majoritas nec minoritas, quælibet propriarum & perſonalium Unitatum eſt tam magna & tam nobilis, ſicut Unitas, quam habent Communem, ita quòd ambæ perſonales Unitates ſint una communis Unitas per Eſſentiam & Naturam & Deitatem, Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem &c., hoc eſt, quòd Pater & Filius ſint una eadem Eſſentia, Natura, Deitas, unus DEUS, una Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c.: & quia convenit, quòd Opus, quod habent intrinſecum & ſimpliciter, ſit tam magnum & tam nobile in communi Unitate agentiæ, ſicut exiſtentiæ ſingularis Perſonalitatis, Pater & Filius habent Naturam & Proprietatem unius Spirativitatis, ſpirando unam Spirabilitatem, quæ eſt ſingularis Perſona ſpirata de communi Activitate & Spirativitate; & iſta eſt tertia Perſona ita ſpirata de communi Spirativitate in ſingulari perſonalitate, ſicut Filius eſt generatus de una propria Paternitate in una propria Filiatione; hoc non poſſet eſſe ſinè tertia Perſona, quam neceſſariò convenit eſſe, ut in DEO ſit tam nobilis & tam magna communis Activitas, ſicut propria Agibilitas.

5. In DEO eſt Operatio à quo, & ad quem, ſcilicet de Patre in Filium; & eſt ideo, ut ſit Pater, & ut ſit Filius; & convenit, quòd hi duo termini à quo, & ad quem, ſint tam magni amante Patre Filium, & Filio Patrem, ſicut generante Patre Filium de ſe ipſo, ut ſit Pater, & ut ſit Filius: igitur convenit, quòd ſit tertia Perſona per amare, ſcilicet, quòd ſit de amare, quod Pater & Filius erga ſe habent per amare, & quòd ſit amare, ut ſit ſpirare, quod ſit activa Spirativitas, & paſſiva Spirabilitas, quæ eſt tertia Perſona, quam inquiſivimus & invenimus per neceſſitatem.

ARTICULUS IV.

Quòd Perſona producta à Patre & Filio ſit Sanctus Spiritus.

1. IN DEO Pater amat Filium, & Filius amat Patrem, & ſic conjunguntur in amando per tam magnum amorem, quòd illud amare convertitur per ſpirare; ſicut duo homines uno amante alium concipiunt unum amare, quod illos ligat in amore, & procedit de amore, & eſt de amore, & per amorem, & in amore; & hoc idem eſt de ſpiritu vitali, per quem homo vivit: & idem ſimili modo eſt de percuſſione ferri & lapidis, ex quo procedit ſcintillare & ſcintilla ignîs; nam ſicut ſcintilla procedit per obviationem percuſſionis, ita & multò meliùs procedit Sanctus Spiritus ex obviatione Amoris, quem Pater & Filius habent erga ſe invicem uno amante alium; igitur paſſivum Amare amborum eſt Sanctus Spiritus; nam ſicut in generare meliùs convenit paternare & filiare, ita in amare, quod eſt duorum, uno amante alium, meliùs convenit Spirare, quàm ulla alia Proprietas & ullus alius Actus.

2. Quare Divinus Spiritus dicatur Sanctus, apparet in hoc, quia Pater & Filius ſunt innocentes uno amante alium, & Sanctitas eſt de innocentia, & quia Pater eſt innocens erga Filium, in quantum illum amat tantum, quantum poteſt, & tantum, quantum ſe ipſum, & vult, quòd illud amare ſit tam nobile & tam bonum & tam magnum, ſicut ipſe eſt; & hoc idem de Filio amante Patrem; igitur quilibet ſunt innocentes in Spirando Sanctum Spiritum, quæ Innocentia eſt Sanctitas Sancti Spiritûs ſpirati, & in Patre & Filio eſt Sanctitas activa & ſpirativa; & ideo Sanctitas eſt de Sanctitate, & Spirabilitas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bilitas de Spirativitate, per quam tertia Perſona appellatur Sanctus Spiritus, & eſt Sanctus Spiritus.

Probavimus in DEO tres perſonales Proprietates, ſcilicet Paternitatem, Filiationem & paſſivam Spirationem; modò volumus probare, quòd in DEO ſint tres perſonales Proprietates, & non plures nec pauciores.

Quòd in DEO ſint tres Perſonæ, & non plures, nec pauciores.

1. CONvenit, quòd Divinæ Perſonæ ſint in illo numero, in quo Divinæ Rationes meliùs & magìs propriè poſſunt ſignificare illum numerum; ſicut in Divina Bonitate, in qua naturaliter & eſſentialiter non conveniunt, niſi tres numerati, nec convenit, quòd de illis tribus deficiat aliquis; ſcilicet Bonificans, Bonificabilis & Bonificare; & hoc idem de Magnitudine, in qua conveniunt Magnificans, Magnificabilis & Magnificare; & in Sapientia Intelligens, Intelligibilis & Intelligere, & in Voluntate Amans, Amabilis & Amare, & ſic de aliis Divinis Rationibus: quare, ſicut in Divina Bonitate & aliis eſſet ſuperfluitas, ſi in illa eſſet quartus numerus, vel eſſet defectus, ſi in illa eſſent pauciores, quàm tres, ita in DEO eſſet ſuperfluitas, ſi in illo eſſent plures, quàm tres Perſonæ, vel ſi pauciores, eſſet in illo defectus; & illa quarta Perſona, ſi eſſet in DEO, non ſignificaretur per Rationes, nec eſſet de illorum Eſſentia & Natura; & hoc idem ſequeretur, ſi in illo eſſent duæ, & non tres: igitur numerus Divinarum Perſonarum neceſſariò eſt ternarius.

2. Convenit, quòd ille numerus, qui eſt nobilior & generalior in mundo, ſit in Divinis Perſonis, cùm mundus, in quantum eſt magìs generalis & magìs nobilis, fortiùs & veraciùs ſignificet ſuam Cauſam, quæ eſt DEUS, quàm in quantum eſt minùs nobilis & minùs generalis: nobilior & generalior numerus mundi eſt trium & unius; ſicut ſubſtantia, quæ eſt una, & eſt de forma & de materia & de illarum conjunctione & unione; & homo, qui eſt unus, & eſt de anima & de corpore & de illorum conjunctione; & hoc idem de argumento, quod eſt de duabus præmiſſis & de una concluſione, & illud eſt opus & de opere, quod eſt unum, & eſt de potentia, objecto & actu, & ſic de aliis rebus his ſimilibus: & quia iſte eſt generalior numerus & magìs neceſſarius, eſt imago numeri Divinæ Trinitatis, ſicut effectus eſt imago ſuæ cauſæ.

3. Ille numerus, in quo partes ſunt magìs æquales & magìs ordinatæ, eſt numerus ternarius, ſicut tria, in quibus ſecundum comprehendit numerum primi, & tertium comprehendit numerum primi & ſecundi, & hoc æqualiter; & hoc non eſt in numero quaternario nec quinario, quia ſecundus eſt propinquior primo & tertio, quàm quarto & quinto, nec ſecundus numerus eſſet æqualis primo, niſi de illo eſſet tertius numerus, cùm ſecundus comprehendat numerum primi; & quia convenit, quòd in Divinis Perſonis ſit magìs æqualis & magìs nobilis & magìs ordinatus numerus, qui poſſit eſſe, convenit, quòd ſit de tribus, & non de pluribus nec de paucioribus: igitur in DEO ſunt tres Perſonæ tantùm.

4. Convenit, quòd ille numerus ſit in Divinis Perſonis, qui poteſt eſſe in majori nobilitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. in tantum, quòd ſit totus perfectus ſinè ullo defectu; & ideo in DEO non poteſt eſſe, niſi una Paternitas, una Filiatio, una paſſiva Spiratio; nam ſi in illo eſſent duo Patres vel plures, duo Filii vel plures, duo Sancti Spiritus vel plures, in DEO non ſufficerent una Paternitas, una Filiatio, una Spiratio, & quælibet Proprietatum eſſet defectiva, & non perfecta; finita, & non infinita in Magnitudine Singularitatis, Unitatis, Proprietatis, Bonitatis &c.; qui defectus eſt impoſſibilis, ſicut eſt impoſſibile, quòd in Divinis Perſonis ſit ſuperfluitas, quæ in illis eſſet, ſi in illis eſſet alia Paternitas, alia Filiatio & alia paſſiva Spiratio, poſtquam in illis ſufficit una Paternitas, una Filiatio & una paſſiva Spiratio: igitur Divinæ Perſonæ ſunt in Trinitate; & ſi tranſirent in quaternitatem, hoc eſt, quòd de illis eſſet quartus numerus, ipſæ non eſſent ille DEUS; ſicut in homine, in quo anima non eſt homo, nec ſimiliter corpus; & quia convenit, quòd quælibet Divina Perſona ſit DEUS, convenit, quòd DEUS remaneat in numero ternario Perſonarum, & quòd ipſe ſit illæ Perſonæ, & illæ ſint ipſe unus DEUS; & in hoc numero habet DEUS excellentiam ſuper omnem creatum numerum.

5. Nullum principium in aliqua eſſentia, ſubſtantia & natura poteſt eſſe perfectum ſinè tribus, ſcilicet, quòd ſit unum principium

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pium principians & non principiatum, & aliud, quod ſit principiatum & principians, & aliud, quod ſit principiatum & non principians; & ſic principium eſt perfectum ſinè ullo defectu; & ſi in illo eſſent quatuor vel pauciora, quàm tria, eſſet in defectu, quia quartum eſſet ibi in ſuperfluitate; & ſi de illo privaretur tertium & ſecundum, principium eſſet in vacuitate: igitur ſunt tres Divinæ Perſonæ in Divino Principio, & Principium, quod eſt Principians & non Principiatum, eſt Pater, qui in Infinitate & Æternitate principiat Filium & Sanctum Spiritum de ſe ipſo; & Principium, quod eſt Principiatum & eſt Principans, eſt Filius, qui eſt Principiatus à Patre, & principiat Sanctum Spiritum de ſe ipſo; & Principium, quod eſt Principiatum, & non eſt Principians, eſt Sanctus Spiritus, in cujus numero quieſcunt numerus Patris & Filii & aliarum Divinarum Rationum; & ideo dicitur, quòd Sanctus Spiritus ſit complementum numeri, & quies illius; & in Divinis Perſonis non datur numerus ultra numerum Sancti Spiritûs, poſtquam in illo completur & finitur numerus Perſonarum.

Probavimus, quòd neceſſariò in DEO ſit Trinitas, & quòd illa ſit Paternitas, Filiatio & Spiratio, & omnes iſtæ tres Proprietates ſunt unus DEUS, & non multi, quia Generatio & Spiratio fit in Unitate Eſſentiæ & Naturæ, & de Eſſentia Naturæ & Unitatis; & hoc idem de Æternitate & Infinitate, Bonitate, Magnitudine &c. ſecundùm proceſſum ſignificatum in *Arte Inventiva* & in *Tabula Generali.*

ARTICULUS V.
De Creatione.

1. IN DEO Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas & aliæ Dignitates ſunt unum & idem in numero; & ideo Divina Poteſtas poteſt in omni ſua Bonitate, Magnitudine & Æternitate; ſed quia non eſt unum & idem numero cum alia eſſentia differente ab illa, non poteſt in illa extranea eſſentia coæquare ſe ipſam, ſuam Bonitatem & ſuam Magnitudinem, & per conſequens ſuam Æternitatem; & ideo mundus non eſt æternus, nec poteſt eſſe æternus; nam ſi eſſet æternus, vel poſſet eſſe æternus, Divina Poteſtas poſſet tam fortiter communicare in producendo infinitam bonitatem & infinitam magnitudinem & infinitam poteſtatem, ſicut infinitam durationem in alia eſſentia & natura; & poſſet facere alium DEUM æqualem ſibi ipſi in rationibus; quod eſt impoſſibile: igitur ſequitur, quòd, ſicut ipſe non poteſt coæquare aliquam ſuarum Rationum in extranea eſſentia & natura, ita non poſſit coæquare extraneam æternitatem in duratione ſuæ propriæ Æternitati: igitur eſt probatum, quòd mundus non ſit æternus, nec poſſit eſſe æternus; ergo convenit, quòd ſit creatus, non per ſe ipſum, ſed per alium, quia nullum ens poteſt creare ſe ipſum: igitur eſt creatus per DEUM, qui eſt ante mundum per Æternitatem: igitur eſt probatum, quòd DEUS ſit Creator.

2. Probavimus, quòd DEUS ſit omnipotens; non eſſet omnipotens, ſi non poſſet eſſe ante mundum in duratione; igitur ſimpliciter eſt ante mundum in duratione: & ideo mundus non poteſt eſſe æternus, nec poteſt eſſe de æternitate, quia æternitas eſſet diviſibilis, & mundus eſſet de Eſſentia DEI, quæ eſt Æternitas; quod eſt impoſſibile: nec mundus poteſt eſſe æternus, ſi eſt de non æterno, quia convenit, quòd non æternum habeat principium in tempore, quod non poteſt eſſe in æternitate: & etiam mundus non poteſt eſſe æternus, ſi eſt de nihilo; nam id, quod eſt productum de nihilo, eſt, & non erat, antequam eſſet, & eſt creatum: igitur mundus eſt creatus, & non æternus: ergo eſt probatum, quòd DEUS ſit Creator mundi, cùm nullum ens poſſit eſſe ante principium in tempore principiatum, niſi DEUS tantùm.

3. Si mundus eſt æternus, ſequuntur multa inconvenientia, inter quæ eſt hoc, ſcilicet, quòd generatio & *non eſſe* conveniant, & corruptio & *eſſe*; & ſi mundus eſt æternus, generatio & corruptio ſunt æternæ, & corruptio eſt nobilior, quàm generatio, quia generatio eſt æterna per ſpeciem, & non per aliquod proprium individuum productum per illam, nam poſtquam eſt corruptum, non eſt, ſicut Martinus generatus per generationem, & quando eſt corruptus & mortuus, eſt æternaliter à parte poſt in privatione; & corruptio eſt æterna per ſpeciem & per proprios numeros, qui de illa deſcendunt, & æternaliter ſtant in privatione à parte poſt: igitur in corruptione eſt plus nobilitatis & entitatis, ſi mundus eſt æternus, quàm in generatione, & corruptio eſt finis & complementum generationis, ſicut prima intentio eſt finis & quies ſecundæ; & corruptio

& *eſſe*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

& *eſſe* habent majorem concordantiam, quàm generatio & *eſſe;* & omne, quod eſt, eſt in generatione, ut non ſit, & ut ſit in privatione; & iſta inconvenientia ſunt impoſſibilia: per quam impoſſibilitatem neceſſariò ſignificatur, quòd mundus non ſit æternus; igitur eſt creatus: & ſi eſt creatus, eſt Creator, qui eſt noſter Dominus DEUS, benedictus ſit ipſe.

4. Sicut Bonitas non poteſt eſſe major ratio boni in alia ſpecie, quàm in ſe ipſa, ita Poteſtas non poteſt eſſe major ratio poſſiti in alia ſpecie, quàm in ſuámet ſpecie: & ſi mundus eſſet æternus, ſequeretur contrarium hujus, quia Divina Poteſtas poſſet plus in ratione Æternitatis, quàm in ſuámet ratione; nam poteſt infinire durationem mundi ſinè principio & ſinè fine, & non poteſt infinire poteſtatem mundi, quòd ſit infinitus in poſſe omnia; & ideo poteſtas mundi eſt terminata & finita, in quantum non poteſt facere omnia: igitur eſt terminatus & finitus in duratione à parte ante, & per conſequens eſt creatus; & ſi eſt creatus, eſt Creator, cùm nullus effectus poſſit eſſe ſinè ſua cauſa.

5. Probavimus, quòd DEUS ſit, & quòd ſit unus DEUS, & non multi, & fecimus probationem cum Summitatibus Rationum & Perfectionum pertinentium ad illum tantùm; & ideo convenit, quòd DEUS, ſicut ipſe eſt nobilius Ens, quàm aliud, per ſuas tranſcendentes Rationes, quæ tranſcendunt omnes alias rationes, ita *circulariter* transcendat mundum in omnibus ſuis rationibus; nam ſicut Bonitas DEI tranſcendit bonitatem mundi, & Magnitudo DEI magnitudinem mundi, ita de neceſſitate convenit, quòd Æternitas DEI ſimpliciter tranſcendat durationem mundi; nam ſi ipſum non tranſcenderet, circulus tranſcenſionis eſſet fractus, & DEUS in parte eſſet ſuperior mundo, & in parte non; quod eſt impoſſibile: igitur eſt impoſſibile, quòd mundus ſit æternus; & ſi non eſt æternus, eſt creatus de nihilo, cùm non poſſit eſſe creatus de æterno: ergo DEUS eſt Creator mundi, qui menſurat & comprehendit omnes menſuras mundi.

ARTICULUS VI.
De Recreatione.

ANtequam poſſimus probare, quòd DEUS ſit Recreator, convenit probare *quatuor: primum* eſt, quòd primi Parentes peccaverint, & appellamus primos Parentes illos, qui appellantur Adam & Eva, de quibus omnes ſumus derivati: *ſecundum* eſt, quòd Peccatum illorum ſit generale & originale corporaliter omnibus hominibus: *tertium* eſt, quòd Peccatum primorum Parentum ſit generale ſpiritualiter omnibus hominibus: *quartum* eſt, quòd ſit Recreatio.

Quòd primi Parentes peccaverint.

1. PRobavimus, quòd DEUS ſit Creator, & DEUS creaverit mundum cum ſuis Rationibus, ſcilicet, quòd ſua Bonitas fuerit Ratio, quòd crearet mundum bonum; & ſua Magnitudo fuerit Ratio, quòd crearet mundum magnum; & ſua Æternitas fuerit Ratio, quòd mundus duraret in bonitate & in magnitudine; & hoc idem de Poteſtate &c.; & homo eſt una de majoribus partibus mundi ſecundùm nobilitatem & bonitatem, & DEUS creavit humanam naturam bonam & magnam, & ratione durationis creavit illam durabilem in magnitudine & in bonitate & virtute, ne pervertatur in malitiam, in vitium nec in parvitatem, & humana natura eſt mutata & alterata, quia non durat in illis primis terminis, in quantum homines ſunt mali, & plures ſunt mali, quàm boni, & plura ſunt vitia, quàm morales virtutes, & hoc generaliter; hæc mutatio humanæ naturæ non poteſt eſſe facta à DEO, cùm DEUS ſit juſtus & bonus, & amet ſuum effectum; nec poteſt eſſe facta ab aliquo particulari homine, qui non fuit homo generalis omnibus, quia nullus ſpecialis poteſt producere generalem carnem; nec ullus, ſive ſit Angelus ſive aliquis alius, poteſt cogere hominem ad faciendum malum, cùm homo habeat liberam voluntatem, quia DEUS liberè eſt amabilis, & non coactè: igitur convenit, quòd mutatio humanæ naturæ de bono in malum, & de ordinatione in inordinationem, venerit de primis Parentibus: ergo eſt probatum, quòd primi Parentes peccaverint.

2. Si primi Parentes non peccâſſent, theologicæ & cardinales Virtutes eſſent naturales omnibus hominibus, & non haberentur per acquiſitionem; nam ſicut omnes homines derivati à primis *Parentibus* aſſumpſerunt de impreſſionibus & ſimilitudinibus naturalibus, ſcilicet tale caput, tales oculos, tale os, & ſic de aliis membris, ita ab illis aſſumpſiſſent virtutes:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tutes: igitur primi Parentes peccaverunt, propter quod peccatum homines derivati ab illis poſſunt relinquere virtutes, & aſſumere vitia, quæ vitia non poſſent incipere in nobis, ſi morales virtutes nobis eſſent naturales, quia vitia, hoc eſt, peccata, non haberent ſubjectum, in quo poſſent incipere nec exiſtere; nec unus ſpecialis homo vel multi derivati à primis Parentibus poſſent eſſe cauſa ad privandum naturales virtutes, & ad conſtituendum vitia.

3. Homo eſt compoſitus de anima & de corpore, & anima in homine eſt nobilior pars, quàm corpus, & ideo homo naturaliter ſe debet magìs inclinare ad perfectiones animæ, quàm ad perfectiones corporis; & generaliter fit contrarium hujus, quia plures homines ſe inclinant ad perfectiones corporis, quàm ad perfectiones animæ; & hæc inordinatio non poſſet eſſe poſita in majori generalitate nec deſtruere ordinem, ſi primi parentes non peccâſſent, qui primi parentes hoc poſuerunt in generalitate, quia peccârunt: igitur eſt probatum, quòd primi Parentes peccârint.

4. Habemus per experientiam, quòd homines, qui faciunt bonum, faciant illud cum labore & cum magna afflictione, & homines, qui peccant, faciant peccata faciliter & ſinè magno labore; & quia facere bonum convenit cum *eſſe*, & facere malum cum *non eſſe*, homines ſecundùm naturam & rationem deberent faciliùs & ſinè labore facere bonum, & difficiliùs & cum labore facere malum: igitur primi Parentes peccârunt, ſinè quo peccato non poſſet eſſe poſita difficultas in faciendo bonum, & facilitas in faciendo malum.

5. Naturaliter priùs deberet fieri bonum in principio juventutis, quàm in ſtatu ſenectutis, cùm homines in juventute creſcant, & habeant nobiliorem virtutem & naturam, quàm quando ſunt in ſenectute & inclinati ad corruptionem, & de hoc eſt contrarium; & ſic homines in ſua juventute faciunt multum mali, & priùs incipiunt facere malum, quàm bonum, & quando ſunt ſenes, non ſunt ita ferventes in faciendo malum, ſicut erant, dum erant juvenes, & plures homines faciunt bonum, quando ſunt ſenes, quàm quando erant juvenes; talis & tam fortis generalis inordinatio non poſſet eſſe poſita in hominibus, ſi primi Parentes non peccâſſent: igitur eſt probatum, quòd primi Parentes peccaverunt.

Quòd Peccatum primorum Parentum corporaliter ſit generale omnibus Hominibus.

1. NUlla corporalis natura eſt tam nobilis, ſicut homo, nec creata ad tam nobilem finem, cùm ipſe ſit creatus ad recolendum, intelligendum & amandum DEUM, & non ullum animal irrationale; igitur ſequitur ſecundùm nobilitatem & perfectionem & finem rationalis animæ, quòd ſit magìs remota ab imperfectione & defectu, quàm ullum irrationalium animalium, & quòd veniat & incipiat cum majori perfectione; & de hoc eſt contrarium, quia nullum animal irrationale naſcitur & nutritur cum tanta imperfectione, ſicut homo; nam, quamprimùm animalia bruta ſunt nata, habent naturalem inſtinctum & motum ad vivendum; ſicut pullus, qui, quamprimùm exivit ex teſta ovi, ſe movet ad comedendum ſemen, & infans moreretur, niſi illi adminiſtraretur ad vivendum, & hoc longo tempore; & in hoc ſignificatur, quòd peccatum primorum Parentum ſit generale corporaliter omnibus hominibus, cùm per peccatum ſequatur defectus, & humana natura, quæ naturaliter eſt nobilior, incipiat & veniat cum majori defectu.

2. In juſtis hominibus non convenit pœna ſecundùm moralitates, quia non ſunt in actuali peccato; & ſi ſinè actuali peccato haberent pœnam, DEUS non eſſet juſtus in puniendo illos: unde cùm juſti & injuſti homines æqualiter habuerint pœnam in ſua nativitate & in conſervando ſuam vitam, & ipſorum matres ſimiliter habuerint pœnam in ipſorum nativitate, per hoc ſignificatur & monſtratur, quòd peccatum primorum Parentum corporaliter ſit generale omnibus hominibus; nam ſi hoc non eſſet, homines juſti non naſcerentur cum paſſionibus, nec haberent paſſionem in mundo per famem, per ſitim & per alia his ſimilia.

3. DEUS creavit hominem ad vivendum, & non ad moriendum, & vita & mors ſunt contrariæ, & ideo mors hominis non debet eſſe ſinè culpa: & ſi dicitur, quòd animalia bruta moriantur absque eo, quòd habeant culpam, reſpondemus & dicimus, quòd illa ſint creata ad ſerviendum homini ſecundùm conditiones, quas de illis indiget, quod ſervitium non poſſet habere, ſi eſſent immortalia; & quia omnes homines moriuntur, convenit, quòd moriantur propter gene-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

generalem culpam, quæ eſt de primis Parentibus, & ſuſtentatur in corporibus hominum, ratione cujus culpæ ſunt mortales.

4. Illa vita, quæ eſt meliùs ordinata ad vivendum, eſt nobilior, quàm alia; & quantò nobilior eſt, tantò minorem indigentiam habet rerum, quæ non ſunt de ſua ſpecie, ratione perfectionis, quam habet in ſe ipſa; & quia vita hominis eſt perfectior & nobilior, quàm vita irrationalium animalium, ſecundùm rationem non deberet habere majorem neceſſitatem rerum, quæ non ſunt de ſua ſpecie, quàm irrationalia; & quia homo indiget igne, molendino, ollâ, furno, lanâ, acu, camerâ, navi & medico & multis aliis ſimilibus iſtis, & irrationalia non, ſignificatur per majorem indigentiam, quam diximus, quòd peccatum primorum Parentum corporaliter ſit generale omnibus hominibus.

5. Actus humanæ naturæ eſt ad libertatem in faciendo virtutem vel vitium, & humana natura per virtuoſum actum non poteſt deviari à fine, ad quem eſt creata, cùm ille finis ſit bonus & virtuoſus; & quia homines habent libertatem faciendi malum, & deviandi naturam ab illo fine, ad quem eſt creata, convenit, quòd illa libertas, quam habent faciendi malum, generaliter venerit de primis Parentibus, ratione cujus libertatis ſe inclinant ad utendum illâ contra naturam; ſicut ſodomitæ & homicidæ, & ſic de aliis vitiis motis in corpore contra libertatem, quam homines habent in faciendo bonum, & in acquirendo virtutes, quam libertatem DEUS dedit hominibus.

Quòd Peccatum primorum Parentum ſpiritualiter ſit generale omnibus Hominibus.

SI rationalis Anima eſſet à generante, & non à Creante, eſſet in originali peccato, ſicut corpus; ſed quia eſt creata, & non generata, per alium modum volumus probare, quòd ipſa ſit in originali peccato, non ſimpliciter per ſe ipſam, quia ipſa non eſt derivata à primis Parentibus, ſed quia participat cum corpore, quod eſt infectum ratione originalis peccati, ût jam probavimus.

1. Anima rationalis & corpus hominis ſunt, ut conſtituant & faciant hominem, & ſequantur conditiones hominis, & homo ſequatur conditiones ſuarum partium; & quia corpus eſt infectum & corruptum per originale peccatum, & homo ſequitur conditiones corporis, ſequitur conditiones originalis peccati; & quia anima ſequitur conditiones hominis, ſequendo conditiones illius ſequitur conditiones corporis; & ſic originale peccatum cadit ſupra animam indirectè (ſeu obliquè), & non directè, ratione corporis: igitur eſt probatum, quòd originale peccatum attingat rationales animas, ſuppoſito tamen, quòd non ſint recreatæ per Baptiſmum.

2. Probavimus, quòd originale peccatum attingat & comprehendat corpora hominum, in quantum per illud ſunt in culpa & in corruptione; & ideo corpus non eſt dignum, quòd ſumat uſum & ſervitium & vitam à plantis nec ab animalibus brutis, quæ ſunt creaturæ DEI, in quæ nullus habet jus, qui eſt contra DEUM; & quia rationalis anima eſt forma corporis, & movet corpus ad ſumendum vitam de plantis & de animalibus brutis & de aliis rebus illi neceſſariis, injuſtè movet corpus & contra jus, & ratione hujus cadit in originale peccatum homo & ſuæ partes.

3. Anima rationalis, in quantum ſimpliciter per ſe, venit munda & nitida ad corpus ſinè ullo peccato, & corpus venit ad animam cum originali peccato, quod probavimus, & ſic fit conjunctio de peccato & de puritate; & quia unus & idem homo non poteſt habere duos contrarios actus, unum virtuoſum, & alium vitioſum, convenit, quòd fiat mixtio, & quòd ſequatur tertium de illa mixtione, quod tertium retinet naturas partium & mixtionis, ſcilicet homo, qui, quantum ad animam ſimpliciter, non habet culpam per originale peccatum, & ſimpliciter habet culpam per peccatum corporis; & quia in uno tempore non poteſt eſſe virtuoſus & vitioſus, ſicut eſſe temperatus & eſſe ebrius, eſſe caſtus & eſſe luxurioſus, convenit, quòd neceſſariò ſit inclinatus ab uno habituum; non poteſt eſſe inclinatus ab anima ſinè habitu corporis; nam ſi hoc eſſet, vellet virtutes, & non vellet vitia, & corpus nullum vitium faceret cum voluntate animæ, nec anima moveret corpus, nec eſſet forma illius: igitur convenit, quòd anima aſſumat habitum à corpore, quantum ad originale peccatum, movendo illud ad indigna opera, ita quòd homo ſit infectus per originale peccatum, & in privatione virtuoſorum habituum, non tamen ſuppoſito Baptiſmo & operibus moralium virtutum.

4. Omnis pars priùs inclinat ſuum totum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ad ſuam propriam naturam & appetitum, quàm ad extraneam naturam & ad extraneum appetitum; & quia anima priùs & frequentiùs & magis intensè ſe inclinat ad opera corporis, quàm ad ſua, ideo ſua natura eſt mutata & perverſa ipsâ exiſtente conjunctâ cum corpore, & illa mutatio eſt ratione peccati originalis, ſinè quo peccato non eſſet, unde acciperet mutationem & perverſionem de bono in malum: igitur eſt probatum, quòd originale peccatum ſit in anima.

5. Omnis natura ſimpliciter ſecundùm ſuas partes ſequitur id, ad quod eſt creata, niſi per accidens illi veniat aliquod impedimentum, quod illam deviet ab illo fine; & anima eſt creata ad recolendum & intelligendum, & illa obliviſcitur & ignorat, & magis obliviſcitur & ignorat, quàm recolat & intelligat: igitur non ſequitur ſuam naturam nec finem, ad quem ſimpliciter eſt creata; ergo ſua natura in parte eſt mutata; ipſa non poteſt habere illam mutationem ſinè culpa, quam habeat per ſe ſimpliciter vel per aliud, quod in ipſa imprimat illam culpam, ſicut ſigillum imprimit ſuas literas & figuras in cera absque eo, quòd in illa relinquat aliquid de ſua eſſentia: igitur eſt probatum, quòd originale peccatum ſit in anima, quod accipit de corpore, & per quod ignorat & obliviſcitur & odit DEUM & virtutem, & facit multa mala.

De Recreatione.

1. DEUS creavit humanam naturam ad beatitudinem, & creavit illam cum ſua Bonitate, in quantum illam creavit bonam; & creavit illam cum ſua Magnitudine, in quantum illam creavit magnam; & cum ſua Æternitate, in quantum illam creavit durabilem; & cum ſua Sapientia, in quantum illam creavit, ut ab homine intelligatur; & cum ſua Voluntate, ut ab homine ametur: & ſi non eſt Recreatio, quæ mundat homines ab originali peccato, omnes homines vadunt ad pœnam, & non ad gloriam, quia non ſunt digni, quòd vadant ad gloriam, quia ſunt in peccato, & ſunt deviati à fine, ad quem DEUS creavit homines, ſcilicet, quòd ab hominibus æviternaliter recolatur, intelligatur & ametur, cùm ipſe ſit dignus iſtis; & Sapientia DEI deficit in illo fine, ad quem inténdit creare hominem, & Voluntas deficit in hoc, quòd non ſequatur finis, propter quem voluit creare hominem; & Æternitas deficit contra æviternam & debitam recolitionem, intellectionem & amationem; & Magnitudo deficit in Bonitate, quia non eſt magna illa beatitudo & illud bonum, quod homines habent in hac præſenti vita, in qua ſunt plura mala, quàm bona, & majores labores, quàm placita; & quia eſt impoſſibile, quòd Divinæ Rationes deficiant fini, hoc eſt, complemento, ad quod DEUS creavit hominem, eſt probatum, quòd Recreatio ſit, ratione cujus Beati in alia vita æviternaliter recolent, intelligent & amabunt DEUM, & habebunt beatitudinem in illo, & ſequetur finis, ad quem DEUS creavit illos.

2. Si non eſt Recreatio, non eſt Salvatio juſtorum hominum, quia omnes homines juſti & injuſti moriuntur in originali peccato, & Juſtitia DEI non habet ſubjectum, in quo poſſit judicare nec præmiare juſtos homines, nec voluntas poteſt illos amare, nec ſua Bonitas poteſt illos bonificare nec dare beatitudinem, nec Virtus DEI reddit illis præmium reſpectu virtutum, quas habuerunt; & ſic Divinæ Rationes deficiunt in defectu confuſi ſubjecti; qui defectus eſt impoſſibilis, quia Juſtitia DEI non poteſt perdere ſuum jus in creaturas; & hoc idem eſt de Divina Bonitate, Voluntate & Virtute: igitur convenit, quòd ſit ſubjectum, ſcilicet homo juſtus per Recreationem, & diſpoſitus ad ſalvationem.

3. Sunt duo modi peccati, ſcilicet originale peccatum, & actuale peccatum; originale peccatum eſt illud, quod jam probavimus; actuale peccatum eſt illud, quod homines faciunt quilibet per ſe ipſum, ſicut avaritia, gula, luxuria & alia mortalia peccata, quæ ſunt magis intenſa & majora, quàm originale peccatum, quia anima ſinè medio conſentit in actuale peccatum, & non conſentit in originale peccatum, niſi per medium, ſcilicet per corpus; & ideo anima eſt magis contraria contra DEUM & virtutem per actuale peccatum, quàm per originale: & ſi non eſt Recreatio, Juſtitia DEI non punit ullum hominem ad damnationem propter actuale peccatum, quia omnes jam ſunt judicati ad damnationem propter originale peccatum; & inde ſequitur inconveniens contra Juſtitiam DEI, quia ipſa punit hominem ad damnationem, & privat illum beatitudine propter minus peccatum, & non propter majus peccatum; quod eſt impoſſibile: igitur eſt Recreatio, ratione cujus Juſtitia DEI poteſt punire ad damnationem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nem homines, qui moriuntur in actuali peccato.

4. Si non eſt Recreatio, nullus homo per morales virtutes poteſt venire ad ſalvationem, nam omnes homines vadunt ad damnationem propter originale peccatum; & ſi nullus homo poteſt venire ad ſalvationem per virtutes, nullus poteſt venire ad damnationem per vitia, hoc eſt, per actualia peccata; & hoc eſt valde magnum inconveniens, quòd moralis virtus & actuale peccatum, quæ ſunt in majori contrarietate, quàm ſit ulla alia contrarietas, poſſint exiſtere in uno & eodem ſubjecto poſt mortem; nam poſtquam rationes acquirendi virtutes non conſequuntur finem, rationes acquirendi vitia non conſequuntur privationem finîs virtutum; & ſic habitus & privationes ſtant in majoribus contrarietatibus abſque eo, quòd inde ſequatur aliquid; quod eſt impoſſibile, ne ſequantur ſupradicta inconvenientia: & adhuc ſequeretur, quòd DEUS faceret, quòd mundus æviternaliter duraret movendo ſuas Rationes ad finem hominis, & non attingeret illum finem, quia nullus homo attingeret ſuum finem ſinè ſalvatione, nec attingeret ſalvationem ſinè Recreatione; & hoc eſt valde magnum inconveniens, quòd DEUS æviternaliter faceret durare generationem hominum abque eo, quòd de illa generatione ſequeretur perfectio & finis: igitur eſt Recreatio.

5. Eſt impoſſibile, quòd creatura poſſit plus deſtruere, quàm DEUS ædificare & reparare, cùm DEUS habeat majorem Poteſtatem in producendo bonum, & in conſervando finem illius, quàm creatura in faciendo malum, & in deſtruendo finem boni; & ſi non eſt Recreatio, eſt contrarium hujus, quia primi Parentes deſtruxerunt omne bonum, quod DEUS ædificat & conſtruit in humana ſpecie, quia omnes homines vadunt ad perditionem, in qua habent pœnam & privationem boni; & quia Poteſtas DEI eſt major in bono, quàm poteſtas hominis in malo, & in Pietate, Miſericordia & Venia, quàm poteſtas hominis in crudelitate & in deſperatione, ideo poteſt reparare id, quod homo potuit deſtruere; & ideo vult, quòd ſit Recreatio.

Et ſi ſit objectio, quòd Poteſtas DEI non faciat omne bonum, quod poteſt facere, quia permittit homines facere multum mali. Ad hoc reſpondemus & dicimus, quòd Poteſtas DEI infinitè ſit abſoluta, veruntamen eſt ordinata in hoc, quòd non poteſt facere peccatum nec contra Divinas Rationes, cum quibus eſt unum & idem in numero; & quia eſt Magnitudo ſuæ Bonitatis, Sapientiæ, Amoris, Miſericordiæ & Pietatis, quòd ipſe reparet id, quod homo deſtruxit, ſi hoc non repararet, faceret injuriam Juſtitiæ & ſuis aliis Rationibus, & implicaret contradictionem in hoc, quòd Voluntas vellet reparare bonum, quia illud bonum eſt amabile, & non vellet illud reparare, poſtquam non poſſet illud amare.

ARTICULUS VII.

De Glorificatione.

1. DEUS creavit humanam naturam ad perpetuam beatitudinem, ût jam probavimus, & creavit illam ad ipſam, in quantum probavimus Recreationem; & ſicut creavit humanam naturam, & recreavit illam cum Magnitudine Bonitatis, Sapientiæ, Voluntatis & Virtutis, ita creavit illam cum Magnitudine Gloriæ, cùm DEUS ſit glorioſus, ſicut eſt bonus, ſapiens, virtuoſus & amoroſus: igitur convenit, quòd DEUS ſit Glorificator, ut homo habeat gloriam, & magnam & durabilem gloriam, quia Gloria DEI eſt magna & æterna; & ſi DEUS non eſſet Glorificator, faceret injuriam Magnitudini Gloriæ in hominibus, & hanc eandem injuriam faceret aliis Rationibus & Recreationi; quæ injuria eſt impoſſibilis & contra perfectiones ſuarum Rationum, quas habent in hominibus, ponentes in illis ſuas *ſimilitudines*, quas appellamus *perfectiones*.

2. Manifeſtè videmus in hoc mundo homines juſtos & homines peccatores; & homines juſti habent multos labores corporaliter & ſpiritualiter per jejunia & per aſperam vitam & per ploratus & per languores & pœnitentias de peccatis, quæ fecerunt, & per multas alias adverſitates; & de multis hominibus peccatoribus eſt contrarium, quia in hoc mundo habent multas proſperitates corporaliter & ſpiritualiter; & ſi non eſt alia gloria, niſi gloria hujus mundi, Gloria & Juſtitia DEI non habent in hoc mundo concordantiam, & ſunt contrariæ; quæ contrarietas eſt impoſſibilis: igitur DEUS eſt Glorificator in alia vita, & Gloria DEI ſuſtinet, quòd juſti homines propter ſuum amorem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

in hoc mundo habeant labores, ut Juſtitia DEI in alia vita illis poſſit dare majorem gloriam.

3. DEUS creavit hominem ad magnam & ad durabilem gloriam, ut recolatur, intelligatur & ametur ab homine cum magna & durabili recolitione, intellectione & amatione; igitur eſt alia Gloria in alia vita major & durabilior, quàm gloria hujus mundi, quæ devenit in privationem, quando homo moritur: & ſi non eſt gloria in alia vita, DEUS eſt injurioſus fini, propter quem creavit hominem, & fini corporalium creaturarum, quem attingunt, ſi eſt alia gloria, in æviterna beatitudine hominis, quia homo in natura participat cum illis; & DEUS etiam eſt injurioſus ſuæ Bonitati & magnæ Recolibilitati, Intelligibilitati & Amabilitati, in quantum in homine non creavit bonam magnam & æviternam recolitivitatem, intellectivitatem & amativitatem; & quia DEUS non poteſt eſſe injurioſus ſibi ipſi nec alteri, ſequitur, quòd ſit Glorificator, dando æviternam gloriam hominibus, à quibus in hac vita multùm recolitur, intelligitur & amatur.

4. DEUS creavit animam & corpus, ut ſit homo, & quia finis eſt major in toto, quàm ſingulariter in aliqua ſuarum partium, convenit, quòd ſit alia vita, in qua ſint homines; nam ſi non eſſent in alia vita, non remaneret finis hominis nec finis corporis, poſtquam eſt corruptum poſt mortem hominis; nec remaneret finis animæ, poſtquam perderet finem totius; & ſic perderetur finis totius & partium in homine; quæ perditio eſt impoſſibilis ſecundùm conditiones & circumſtantias hominis & Divinarum Rationum: igitur eſt alia vita, in qua ſancti homines habebunt gloriam in DEO & per DEUM & de DEO.

5. Nullus homo attingit in hoc mundo DEUM recolendo, intelligendo & amando, niſi per ſpeciem, quam homo capit in ſuo recolere, intelligere & amare, quæ ſpecies realiter non eſt DEUS, ſed eſt ſimilitudo illius; & ſi homines non habent aliam gloriam, niſi in hoc mundo, realis Gloria DEI non eſt finis nec complementum hominis, ſed tantùm illius ſimilitudo, & ſequitur, quòd DEUS non ſit recolibilis, intelligibilis & amabilis ab homine cum magnitudine bonitatis & veritatis; quod eſt impoſſibile: igitur eſt alia gloria, quam DEUS dat hominibus de facie ad faciem & ſinè medio ſuî ipſius & illorum, quia recoluerunt, intellexerunt & amarunt ſuam ſimilitudinem in hoc mundo; & ſic ſequitur, quòd propter meritum, quod habetur per ſimilitudinem, attingatur finis & complementum in ſimilitudine, quæ eſt DEUS in alia vita manifeſtatus: igitur eſt probatum, quòd DEUS ſit Glorificator.

ARTICULUS VIII.

De Incarnatione.

PRobavimus *ſeptem Articulos*, qui pertinent ad Deitatem, modò volumus probare *ſeptem Articulos*, qui pertinent ad Humanitatem JESU Chriſti; & ſicut probavimus Articulos Deitatis cum Divinis Rationibus, ita cum illis volumus probare Articulos, qui pertinent ad Humanitatem, qui ſunt: quòd DEUS ſit incarnatus & conceptus per Sanctum Spiritum, & iſte eſt *octavus* Articulus: & *nonus* eſt, quòd Chriſtus ſit natus de Muliere Virgine: *decimus*, quòd ſit mortuus: *undecimus*, quòd deſcenderit ad inferos: *duodecimus*, quòd reſurrexerit: *decimus tertius*, quòd aſcenderit ad Cœlos: *decimus quartus*, quòd veniet judicare bonos & malos in fine mundi.

In principio volumus probare, quòd DEUS debuerit incarnari, & ſic de aliis, excepto ultimo Articulo; & poſtea probabimus, quòd jam fuerit incarnatus, natus, & ſic de aliis. In probando, quòd DEUS debuerit incarnari, volumus adferre *quinque neceſſarias Rationes*, quarum prima eſt.

1. Quando DEUS creavit mundum, creavit illum cum ſuis propriis & eſſentialibus Rationibus, ſcilicet ratione Divinæ Bonitatis creavit mundum bonum; & ratione Divinæ Infinitatis & Magnitudinis creavit mundum magnum; & ratione Æternitatis creavit illum durabilem; & ratione ſuæ Poteſtatis creavit illum potentem; & ratione ſuæ Sapientiæ creavit intellectivitates & intelligibilitates & naturales inſtinctus; & ratione ſuæ Voluntatis creavit in mundo amativitates & amabilitates & naturales appetitus, & ſic de aliis rationibus & formis, quia quælibet Ratio ibi poſuit ſuam ſimilitudinem, prout illam ibi poteſt ponere, & prout mundus illam poteſt recipere; & quia in productione mundi Magnitudo DEI poſuit ſuam ſimilitudinem concordando cum aliis Rationibus, convénit, quòd crearet illum magnum & magìs magnum, quem potuit, quia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quia magnitudo habet majorem concordantiam cum majoritate, quàm cum minoritate, quæ habet concordantiam cum parvitate, quæ eſt diſſimilitudo magnitudinis; & meliùs convenit magnitudini, quòd habeat concordantiam cum majori bonitate, quàm cum minori,& ſic de aliis; & quia Bonitas DEI in mundo creavit ſuam ſimilitudinem, creavit mundum bonum, & non malum, & Æternitas creavit mundum, ut duraret, non ut deveniret in privationem, & ſic de aliis; & quælibet harum Rationum habet majorem concordantiam in rationibus mundi cum magnitudine ratione majoritatis, quàm ratione minoritatis: & per hoc de neceſſitate ſignificatur, quòd quælibet Divina Ratio in mundo requirat ſuam ſimilitudinem, quæ ſit tam magna, quòd non poſſit eſſe major; nam ſi poſſet eſſe major,& Dignitates non requirerent illam majoritatem, requirerent minorem ſimilitudinem, & non majorem; & quantò majores ſimilitudines nobiliores creaturæ haberent cum Divinis Rationibus, tantò minorem quietem haberent Divinæ Rationes in illis in creando & ſuſtentando, & tantò majorem in minoribus & minùs nobilibus ſimilitudinibus; ſicut lapis, qui eſt bonus, quem Divina Bonitas magìs amaret, quàm naturalem bonitatem hominis vel Angeli; quod eſt impoſſibile & contra Divinam Bonitatem & alias Rationes: per quam impoſſibilitatem eſt probatum, quòd DEUS ſecundùm ordinem cauſæ & effectûs debeat eſſe incarnatus; nam illa humana Natura,quam aſſumpſit, eſt tam bona, quòd non poteſt eſſe magìs bona; tam magna in nobilitate & virtute, quòd non poteſt eſſe magìs magna; tam durabilis in eſſe unum Suppoſitum de duabus Naturis Divinâ & humanâ, quòd non poteſt eſſe major duratio de DEO & Creatura in una Perſona, in qua non poteſt eſſe major creata poteſtas, quia nulla alia creata poteſtas poteſt tranſire ultra Poteſtatem conjunctam cum Deitate; & hoc idem de Sapientia & de aliis humanis rationibus Chriſti Hominis in illo Homine DEO deificatis & ſuſtentatis; & ideo Divinæ Rationes reſpondent humanis, in quantum ſunt majorificatæ in tam altum gradum Deitatis, quòd non poſſunt eſſe majores: & ſic majores Rationes increatæ & majores creatæ habent concordantiam in Unitate Perſonæ, quam concordantiam non poſſent habere, ſi DEUS non eſſet Incarnatus.

Sicut probavimus Incarnationem cum Divinis Rationibus ſecundùm quietem *Exiſtentiæ*, ita volumus illam probare ſecundùm quietem *Agentiæ*, ſcilicet, quòd Divinæ Rationes habeant majores actus, quos poſſunt habere in creatura; ſicut bonificare, magnificare, durare, poſſificare, intelligere & amare, & ſic de aliis, & è converſo, ſcilicet, quòd conveniat, quòd actus Divinarum Rationum ſint in tam alto & tam nobili gradu objectabilitatis, quòd ille gradus non poſſit eſſe major nec nobilior; & iſte gradus eſt, ſi DEUS eſt incarnatus; nam ille Homo deificatus poteſt plùs recolere, intelligere & amare Actus Divinarum Rationum, & magìs bonificare, magnificare, poſſificare, virtuificare, verificare & glorificare ſuum recolere, intelligere & amare per Incarnationem, quàm ſinè illa: & quia convenit, quòd dentur majores actus ſecundùm Divinam & humanam Naturam & ordinem cauſæ & effectûs per modum agendi, convenit, quòd ſecundùm talem ordinem ſit Incarnatio, ſinè qua non poſſet eſſe majoritas ſupradicti ordinis.

2. Quando DEUS creavit hominem,creavit illum ad majorem finem, ad quem illum potuit creare; & major finis, ad quem illum potuit creare, eſt, quòd Homo ſit DEUS, & quòd DEUS ſit Homo; & ideo ſecundùm hunc ordinem convenit, quòd Incarnatio ſit; nam ſecundùm Incarnationem DEUS habet finem hominis & creaturarum, quæ ſunt creatæ propter hominem, in ſe ipſo, & Homo & creaturæ habent illum in DEO principaliter, & non in ſe ipſis; & ſi non eſſet Incarnatio,ſequeretur contrarium hujus, ſcilicet, quòd DEUS haberet finem creaturarum in illis ipſis, & illæ in ſe ipſis; & hoc eſſet, quia deficeret Perſona de Divina & humana Natura, quæ non eſſet ſubjecta ſupradicto altiori & nobiliori fini, & Divinæ Rationes deficerent ſibi invicem ad producendum majorem finem, quem DEUS poteſt habere in creaturis, & creaturæ in DEO; qui defectus eſt impoſſibilis, cùm Divinæ Rationes habeant libertatem utendi creaturis.

3. Si DEUS eſt incarnatus, participat cum omni creatura, ſicut ſua Bonitas, quæ participat cum omni creata bonitate perſpeciem bonitatis, ſcilicet, quòd Angelus naturaliter ſit bonus, & homo, & animalia bruta, & plantæ, & metalla, & elementa, & cœleſtia corpora,& ſic de aliis creatis ſpeciebus; & ita DEUS

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DEUS tantum amat creaturam, quòd velit eſſe creatura: & in hac participatione DEI & Creaturæ DEUS exaltavit creaturam in majorem finem bonitatis ipſius voluntatis & propinquitatis Cauſæ & effectûs; & ſi non eſt Incarnatio, major finis creaturæ eſt in privatione, & minor in *eſſe;* quod eſt impoſſibile ſecundùm majorem concordantiam, quam Divinæ Rationes habent in majori participatione cauſæ & effectûs, quàm in minori.

4. Probavimus, quòd Recreatio debeat eſſe; & ſi Incarnatio non eſſet, Recreatio non poſſet eſſe, quia non eſſet, cum quo eſſet; nam ſi non eſſet facta ſatisfactio pro originali peccato (quod eſt tam generale, quòd non poteſt eſſe generalius) cum illo ente, quod eſt magìs generale creaturæ, ſcilicet DEO & Homine, peccatum non poſſet deleri ab ullo ente minùs generali, quàm peccatum; ſicut totum, quod non poteſt eſſe minùs generale, quàm ſua pars: igitur Incarnatio eſt, ut poſſit eſſe Recreatio.

5. Adhuc ſignificatur, quòd de neceſſitate conveniat, quòd Incarnatio ſit, non quòd ſit neceſſaria DEO, ſicut homini, qui non eſt ſcriba, non eſt neceſſarius calamus ad ſcribendum; veruntamen quia eſt neceſſarium, quòd DEUS producat mundum in nobiliori ordine, eſt neceſſarium id, per quod illum poteſt producere magìs nobilem; & ſi hoc non faceret, faceret injuriam ſuæ Sapientiæ (& aliis ſuis Dignitatibus) quæ ſcit, quòd nobilior finis mundi ſit, quòd una ſuarùm partium magìs magna & magìs nobilis ſit conjuncta Divinæ Naturæ per Incarnationem; & ſicut Sapientia ſcit altiorem & nobiliorem ordinem & objectum, ita convenit, quòd Voluntas velit illum ordinem & illam altitudinem gradûs; nam niſi hoc vellet, Sapientia attingeret plus in altitudine gradûs per ſcire, quàm Voluntas per velle; quod eſt impoſſibile: igitur Voluntas ita vult gradum creaturæ in altitudine in majoritate bonitatis, ſicut illum ſcit per Sapientiam; & poſtquam Incarnatio eſt amata, convenit, quòd ſit; nam niſi hoc eſſet, Voluntas eſſet defectiva in amando, qui defectus eſſet malus & vitioſus: igitur eſt Incarnatio.

Et ſi aliquis dicit & arguit, quòd Sapientia DEI multa ſciat, quæ ſua Poteſtas poſſet facere, quæ Voluntas non vult facere; ſicut Sapientia DEI, quæ ſcit, quòd DEUS poſſet facere majorem naſum Martino, quàm ſuum caput. Reſpondemus & dicimus, quòd conveniat, quòd DEUS ſecundùm proportionem & concordantiam Unius Divinæ Filiationis & unitæ ex una humana Natura conjuncta cum Divina ſit unum Suppoſitum, in quo Incarnatio eſt ſuſtentata, & quòd non ſint multi homines, in quibus DEUS ſit incarnatus, quia non poſſet eſſe unum Suppoſitum ex Divina & humana Natura, & deficeret ſingularitas unitatis in magnitudine bonitatis, & DEUS non poſſet facere unum finem, qui eſſet finis omnium creaturarum; & ſic deficeret magnitudo finîs in bonitate &c., qui defectus ſimpliciter eſſet ex parte producentis & creantis, & non ex parte producibilîs & creabilîs; qui defectus eſt impoſſibilis & contra Unitatem Patris increati & Filii increati, & Pater eſſet pater multorum filiorum, & unus Filius creatus non ita ſufficeret uni Patri, ſicut ſufficit unus Filius & non multi in Divina Natura: & ſic poteſt homo ſatisfacere aliis objectionibus, ſicut nos ſatisfecimus huic, reducendo ſolutiones ad ordinem Divinarum Rationum.

Quæ Divina Perſona debeat eſſe Incarnata? & quòd ſit concepta à Sancto Spiritu.

1. PRobavimus, quòd DEUS debuerit Incarnari, modò volumus probare, quæ Divina Perſona debuerit aſſumere Carnem. Illa Perſona, quæ eſt magìs conveniens & magìs apta ad aſſumendum Carnem & humanam Naturam, eſt Perſona Filii DEI; & hoc eſt ideo, quia humana Natura eſt filia DEI per creationem, & Filius DEI & Filius noſtræ Dominæ habent concordantiam in una Filiatione, Filio DEI & noſtræ Dominæ & Filio DEI & Filio Hominis exiſtente uno Suppoſito; hæc convenientia non poſſet eſſe tam magna, ſi Perſona Patris vel Sancti Spiritûs eſſet incarnata, quia non concordarent tam bene cum Filiatione noſtræ Dominæ & cum Nativitate, ſicut concordat Filius DEI, qui eſt Filius DEI Patris & naſcitur de illo, & Pater vel Sanctus Spiritus eſſet Filius ſimilis Filio DEI in Filiatione; & ne hoc inconveniens & multa alia inde ſequantur, fuit incarnata Perſona Filii, & non Perſona Patris nec Sancti Spiritûs.

2. Convenit, quòd id, per quod in Incarnatione meliùs ſignificatur diſtinctio Divinarum Perſonarum, ſit in Incarnatione; & ideo non convénit, quòd Pater vel Sanctus Spiritus eſſent incarnati; nam ſi aliquis illo-

, rum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rum fuiſſet incarnatus, fuiſſet factus Filius, & remaneret confuſus in Filiatione contra Diſtinctionem cum Filio DEI, quæ confuſio eſt impoſſibilis, cùm illa Incarnatio ſit ordinata, & Imago Supremæ Diſtinctionis & Ordinationis.

3. JESUS Chriſtus fuit conceptus per Sanctum Spiritum, ut principium Conceptionis inciperet in Supremo Amore, & non in terreno, in quo inciperet, ſi eſſet conceptus à viro in fœmina, & eſſet principiatus in originali peccato, in quo non poteſt eſſe principiata Suprema Nobilitas & Dignitas & ſupremus Homo; & etiam noſtra Domina non amaret Virginitatem, & multa alia inconvenientia ſequerentur ex hoc: igitur fuit conceptus per Sanctum Spiritum, qui eſt Supremus Amor.

4. Convénit, quòd in Incarnatione ſint proprii actus Divinarum Perſonarum, ſcilicet, quòd Pater miſerit Filium ad incarnandum, & illa miſſio eſt generare hominem tali modo, quòd fuerit factus Homo; & hoc convénit ita eſſe, ut Opus, quod Pater voluit habere in Incarnatione, eſſet ſimile Operi intrinſeco, in quo Pater generat Filium, & per Generationem facit illum eſſe DEUM. Opus, quod convénit eſſe in Incarnatione per Sanctum Spiritum, fuit per modum Conceptionis, ſcilicet, quòd noſtra Domina in ſua voluntate conceperit Incarnationem per Gratiam Sancti Spiritûs; & hoc convénit ita eſſe, ut per conceptionem voluntatis noſtræ Dominæ ſequeretur Conceptio humanæ Naturæ in Perſona Filii, ut fieret Homo; & ſicut Sanctus Spiritus eſt Perſona procedens per Conceptionem Patris & Filii, uno amante alium, ſic Filius ſit factus Homo per Conceptionem voluntatis noſtræ Dominæ, quæ hoc voluit, & per Opus Sancti Spiritûs: & in hoc paſſu ſignificatur, quòd non convenerit, quòd in Incarnatione fuerit naturale opus, ſcilicet, quòd fuerit facta à Viro in fœmina, quia Filius DEI haberet duos patres & turpem modum conceptionis, & actus trium Perſonarum non poſſent eſſe in Incarnatione: igitur eſt probatum, quòd Filius fuerit conceptus à Sancto Spiritu, & miſſus à Patre, & ipſe fuerit incarnatus & natus ex Muliere, & non per virum.

5. Si JESUS eſſet Filius viri & fœminæ, eſſet homo ſuſtentatus in ſe ipſo, & per ſe ipſum eſſet Perſona, & ipſe & Perſona Filii DEI non poſſent eſſe una Perſona in numero, ſed quia eſt conceptus à Sancto Spiritu, & productus ex Muliere in Divina Perſona, Humanitas ſuſtentatur in Divina Perſona; & ideo poteſt eſſe unio ambarum Naturarum in uno & eodem numero Perſonæ, quæ eſt JESUS: & etiam convenit, quòd fuerit conceptus à Sancto Spiritu ratione unionis productæ de duobus, & non de pluribus, hoc eſt, de Divina & humana Natura, ſicut Sanctus Spiritus eſt productus de duobus, & non de pluribus, ſcilicet de Patre & Filio.

ARTICULUS IX.

Quòd JESUS Chriſtus debuerit naſci de Muliere, illâ permanente Virgine.

PRobavimus, quòd Filius DEI debuerit incarnari, modò volumus probare, quòd ſit natus de Muliere, & quòd illa Mulier fuerit Virgo; quòd debuerit naſci, probabimus hoc modo.

1. DEUS nihil agit fruſtra, quia convenit, quòd de omni eo, quod agit, ſequatur finis; & ſi eſſet incarnatus, & non natus, de illa Incarnatione non ſequeretur finis; igitur convénit, quòd ſit natus, poſtquam eſt incarnatus, cùm Nativitas ſit conſequentia Incarnationis.

2. Probavimus Recreationem, & convénit, quòd Recreatio ſit facta ab Homine DEO; igitur convénit, quòd DEUS naſceretur, & naſceretur Homo, & quòd DEUS eſſet ille Homo; & convénit, quòd ille Homo naſceretur, ut eſſet verus Homo, & haberet conditiones hominis, ut tractaret Recreationem, quam non potuiſſet tractare, ſi non eſſet natus; & ſic Recreatio deberet eſſe, & non eſſet, cum quo eſſet; quod eſt impoſſibile: nam poſtquam DEUS ordinavit, quòd ſit Recreatio, convénit, quòd illi daret, cum quo poſſet eſſe: igitur JESUS Chriſtus debuit naſci.

3. Quòd debeat eſſe natus de Muliere, probamus hoc modo: non convenit, quòd parere ſit viri, ſed quòd vir naſcatur à muliere, ſicut non convenit ſecundùm naturalem curſum, quòd leo ſit natus de leone, ſed de leæna; & ſi JESUS Chriſtus eſſet natus de viro, & non de Muliere, non poſſet eſſe verus Homo, quia ſua nativitas non ſequeretur conditiones humanæ naturæ; & etiam haberet duos patres, Patrem DEUM & patrem hominem, vel homo pater eſſet mater; &

(c) 2006 Ministerio de Cultura

omnia iſta ſunt impoſſibilia & inconvenientia: igitur JESUS eſt natus ex Muliere.

4. Volumus probare, quòd JESUS ſit natus ex Muliere Virgine, & hoc probamus ſic: probavimus, quòd JESUS fuerit conceptus à Sancto Spiritu, qui procedit ſinè corruptione Patris & Filii, & Filius naſcitur à Patre ſinè corruptione, & Mater concepit illum ſinè ſocietate viri, & ideo corruptio non habuit locum in Nativitate Chriſti; nam ſicut fuit conceptus ſinè corruptione, ita debuit naſci ſinè corruptione, ut antecedens & conſequens eſſent in concordantia, ſcilicet Conceptio & Nativitas, quæ concordantia non eſſet inter illas, ſi eſſet conceptus ſinè corruptione, & natus cum corruptione: igitur eſt natus ex Muliere Virgine.

5. Nulla mulier eſſet digna parere tam nobilem & tam altum filium, ſicut Filium DEUM Hominem, ſi haberet corruptam intentionem, ſcilicet, ſi vellet parere filium habendo ſocietatem viri, & ideo non poſſet eſſe digna parere Filium DEUM & Hominem, pariendo illum cum corruptione, & non cum Virginitate; & etiam convénit, quòd ſuus Filius appelletur JESUS contra corruptionem humani generis, quæ fuit per originale peccatum, & quòd ipſe ſalvaret humanum genus: igitur eſt probatum, quòd JESUS ſit natus ex Muliere Virgine.

ARTICULUS X.

Quòd JESUS Chriſtus debuerit mori.

1. DIvina Natura tantum, quantum potuit, bonificavit, exaltavit, nobilitavit & honoravit humanam Naturam, quam aſſumpſit, quia non potuit illam magìs exaltare, poſtquam ſe cum illa voluit unire & conjungere in Unitate Perſonæ, & quòd humana Natura in illa Perſona ſit DEUS Homo: igitur ſecundùm rationem convénit, quòd humana Natura JESU faceret omne id, quod poſſet, ad honorandum Divinam Naturam in illis, in quibus illam magìs potuit honorare & illi magìs ſervire; non potuit illam magìs honorare & illi ſervire, quàm quòd propter illam eſſet Homo pauper, virtuoſus, habens afflictiones & labores & mortem ex amore illius & ad reſtaurandum generalem populum, qui erat perditus: igitur convénit, quòd JESUS moreretur ad honorandum Divinam Naturam & ſerviendum illi; & ſi non voluiſſet mori ad honorandum illam & ad ſerviendum illi nec fuiſſet mortuus, non eſſet juſtum nec dignum, quòd eſſet unitus & conjunctus cum Divina Natura, quæ illum tantum honoravit: igitur eſt probatum, quòd JESUS ſit mortuus.

2. Probavimus originale peccatum, & illud peccatum fuit cum delectatione in primis Parentibus, quia cum labore non habuerunt appetitum peccandi; & quia peccatum fuit cum delectatione, convénit, quòd Recreatio eſſet cum paſſione; & quia peccatum fuit magìs generale, quod potuit eſſe, convénit, quòd Paſſio JESU, quem conveniebat recreare humanum genus, eſſet magìs generalis, quæ potuit eſſe; magìs generalis paſſio, quæ potuit eſſe in hac vita, eſt ſuſtinere mortem, & maximè in ſano & magìs ſenſibili corpore, quàm ſit aliud corpus: igitur convénit, quòd JESUS ſit mortuus, ut cum contrario fieret ſatisfactio pro originali peccato.

3. Primi Parentes dederunt ſe totos peccato corporaliter & ſpiritualiter; & ideo convénit, quòd JESUS, quem conveniebat recreare humanum genus & delere peccatum, ſe totum daret DEO ſpiritualiter & corporaliter; non potuiſſet ſe totum dare DEO ſpiritualiter & corporaliter, niſi voluiſſet mori ad honorandum DEUM & ad delendum peccatum: igitur voluit mori, & eſt mortuus, poſtquam voluit mori, cùm in ſua voluntate non fuerit aliqua coactio nec defectus.

4. Sicut JESUS Chriſtus fuit nobilior Homo, qui potuit eſſe, ita convénit, quòd tranſcenderet omnes alios homines meritis & virtutibus; non poſſet illos tranſcendere, ſi aliqui homines morerentur ad honorandum noſtrum Dominum & ſerviendum ipſi, & ille non, & ſic ille eſſet magìs nobilis & magìs virtuoſus & minùs virtuoſus; & hoc eſt contradictio: igitur JESUS Chriſtus eſt mortuus; & convenit, quòd ſua Paſſio fuerit major, quàm omnes aliæ paſſiones, ut eſſet excellens in merito, & convénit, quòd per ſuam Paſſionem & Mortem ſequeretur plus boni & utilitatis, quàm per omnes alias paſſiones & mortes; quod bonum & utilitas fuit in recreando humanum genus, quod erat perditum.

5. Secundùm quòd JESUS Chriſtus fuit altus & excellens & nobilis per Naturam, convénit, quòd ſic eſſet pauper, ut natura & opera

(c) 2006 Ministerio de Cultura

opera ſibi correſponderent; altiora & nobiliora opera, quæ poſſint eſſe in hoc mundo, ſunt animare homines, quòd ament DEUM & illi ſerviant; major doctrina & majus exemplum, quod poteſt dari hominibus, eſt illos docere & illos inamorare in moriendo ex amore illius, & quòd ille, qui dat doctrinam, ſit nobilior homo, quàm alius, & quòd ipſémet faciat hoc, quod prædicat, & quòd ſuſtineat labores & mortem ad honorandum DEUM; & quia JESUS Chriſtus, ſi non laborâſſet & mortuus eſſet ad honorandum DEUM, non haberet opus, quod reſponderet nobilitati ſuæ Naturæ, igitur convénit, quòd laboraverit & mortuus ſit ad honorandum DEUM, & ſerviendum illi: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus ſit mortuus.

ARTICULUS XI.

Quòd JESUS Chriſtus deſcenderit ad Inferos.

1. ILle, qui eſt verus & perfectus Reparator, debet verè & perfectè facere Reparationem; & quia JESUS Chriſtus eſt verus Reparator & Recreator, debuit liberare animas illorum, qui erant in inferis propter originale peccatum, qui habebant ſpem in illius Adventum, & quòd ſuámet Anima ad illos deſcenderet, poſtquam ipſémet fecerat Recreationem; ſicut ſi quidam homo liberaret alium ex carcere, & ſi ipſémet intraret in carcerem, & extraheret illum ex carcere, illum magìs perfectè liberaret, quàm ſi ipſum liberaret per alium.

2. Noſter Dominus JESUS Chriſtus fuit præſens in Recreatione, quantum ad Animam & Corpus, ipſo moriente ad Recreandum humanum genus; igitur convénit, quòd fuerit præſens in liberatione; non potuiſſet in illa eſſe præſens, in quantum Homo, ſi ſua Anima non deſcendiſſet ad inferos, & ex inferno extraxiſſet Patriarchas, Prophetas & Sanctos: & etiam ſecundùm naturalem rationem eſt magìs proprium, quòd ille, cui eſt facta offenſio, faciat liberationem, poſtquam fuit facta ſatisfactio: igitur eſt probatum, quòd Anima JESU Chriſti deſcenderit ad inferos.

3. Eſt impoſſibile, quòd JESUS Chriſtus DEUS & Homo faciat injuriam, cùm ipſe ſit totus juſtus; feciſſet injuriam homini, niſi in continenti & ſinè aliqua ſucceſſione & medio feciſſet liberationem Sanctorum, qui erant in inferno, quamprimùm fecit Recreationem; quam liberationem non feciſſet, ſi illos cum alio extraxiſſet; nam ſi ad illos miſiſſet nuncium, qui illos ex illo extraxiſſet, jam eſſet medium inter JESUM Chriſtum & illos, quod medium eſſet nuncius transmiſſus, & inde ſequeretur ſucceſſio unius in alterum in liberatione, & non eſſet in Recreatione; igitur convenit, quòd, ſicut non fuerunt medium & ſucceſſio in Recreatione, ita non fuerint in liberatione: igitur JESUS Chriſtus deſcendit ad inferos, ut in uno inſtanti fieret Recreatio & liberatio.

4. Omnis perfecta & plena ſatisfactio peccati debet fieri per contrarium, ſicut ſi homo peccavit per nimium comedere & per delicatos cibos, debet jejunare & comedere aſperos cibos; & quia Sancti propter originale peccatum deſcenderunt ad inferos, & ipſímet fuerunt illi, qui deſcenderunt, & fuerunt in inferno, convenit, quòd cum adjutorio eriperentur à morte, & aſſumerentur ad cœlos, & quòd ipſémet, qui cum adjutorio delevit & vicit mortem, & illam convertit in vitam, deſcenderit ad inferos, & ex illo extraxerit Sanctos; & ille fuit JESUS Chriſtus, qui cum ſua morte convertit in vitam mortem illorum, qui erant in inferno propter originale peccatum, qui exſpectabant Adventum illius.

5. Convenit, quòd in omni eo, in quo fit major & nobilior liberatio & ſatisfactio, ſit major manifeſtatio & major veritas ſatisfactionis & liberationis; igitur convénit, quòd JESUS Chriſtus deſcenderit ad inferos, & ipſémet repræſentaverit ſatisfactionem & liberationem, quia niſi ipſémet repræſentâſſet illam, potuiſſent eſſe in dubitatione, & manifeſtatio non eſſet in majori gradu, in quo potuit eſſe.

Et ſi dicitur, quòd ipſe meliùs manifeſtâſſet liberationem, ſi ad illos deſcendiſſet, quantum ad Corpus: reſpondemus & dicimus, quòd ex hoc ſequeretur inconveniens, ſcilicet, quòd non manifeſtâſſet ſuam mortem illis, qui ipſum occiderunt, ſi, quamprimùm fuit mortuus, ſuum Corpus fuiſſet abſens à viſu illorum, & deſcendiſſet ad inferos.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ARTICULUS XII.

Quòd JESUS Chriſtus reſurrexerit.

PRobavimus, quòd JESUS Chriſtus debuerit mori, modò volumus probare ſuam Reſurrectionem.

1. Quando duæ res ſunt unitæ ad unum finem, ſicut anima & corpus, quæ ſunt unita, ut ſit unus homo, quando illæ res dividuntur, ut aliquid vel aliqua poſſint complere & deducere ad finem, facto illo complemento debent redire in ſuam unionem & ſtatum; & quia Anima & Corpus JESU Chriſti ſe debuerunt ſeparare ratione mortis Chriſti, qui fuit mortuus, in quantum Homo, convénit, quòd factâ ſatisfactione pro originali peccato redierint ad uniendum Hominem; & per hoc eſt probata Reſurrectio JESU Chriſti.

Et ſi aliquis diceret, quòd, quamprimùm fuit mortuus & fuit facta reparatio humani generis, debuerit reſurgere: reſpondemus & dicimus adhoc, quòd, ſi in continenti reſurrexiſſet, non viſum fuiſſet illis, qui ipſum occiderunt, quòd fuiſſet mortuus, ût ſuprà diximus.

2. Quando aliquis procurat & facit bonum pro ſua poteſtate, in faciendo bonum non debet injuriari nec inhonorari; JESUS Chriſtus procuravit & fecit bonum in hoc, quòd tractavit Redemptionem humani generis, & illa tractatio fuit facta cum ſua morte; & ideo non convénit, quòd ipſe inde injuriaretur, ſed quòd inde honoraretur & gratificaretur; & ſi non reſurrexiſſet, ſua Anima & ſuum Corpus eſſent injuriata, in quantum eſſent ſeparata, quia illorum perfectio eſt in conjunctione & unione amborum, in quantum homo eſt de ambobus: igitur JESUS Chriſtus reſurrexit.

3. DEUS, cùm ſit juſtus, non permittit, quòd creatura ordinata ad vitam ſit ſubjugata morti ſinè culpa, JESUS Chriſtus, quantum ad Corpus & Animam, eſt Creatura, & eſt ſinè culpa, poſtquam eſt conjunctus cum Divina Natura, & recreavit humanum genus; & ideo non convénit, quòd poſt ſuam mortem eſſet ſubjugatus morti, poſtquam non habebat culpam; eſſet ſubjugatus morti, ſi non reſurrexiſſet, quia ipſe non eſt mortuus, quòd haberet culpam, ſed propter culpam aliorum, qui non reſurgent usque ad diem judicii, quia habent culpam propter originale peccatum, quantum ad corpus, ût jam probavimus.

4. JESUS Chriſtus eſt de duabus Naturis, ſcilicet de Divina & humana; & quia eſt impoſſibile, quòd iſtæ duæ Naturæ ſint contrariæ, convénit, quòd JESUS Chriſtus reſurrexerit, cùm Anima naturaliter deſideret corpus; & ſi non reſurrexiſſet, DEUS eſſet contra voluntatem animæ, in quantum illi non daret id, quod deſideraret, & quod deſideraret cum juſtitia: igitur Deitas voluit id, quod voluntas deſideravit; & poſtquam Deitas hoc voluit, complevit: igitur JESUS Chriſtus reſurrexit.

5. Divina Natura aſſumpſit humanam, in quantum Filius DEI fuit factus Homo, & illa aſſumptio fuit completè per unionem Animæ & Corporis, non per ſeparationem amborum; ſed quia Anima & Corpus debebant ſeparari ad delendum originale peccatum, permiſit & conſenſit Divina Natura, quòd Corpus & Anima ſepararentur, ſed factâ Recreatione Divina Natura voluit illam completam unionem; nam ſi ipſam non voluiſſet, fuiſſet contra illam, & non amaret magnam unionem Animæ & Corporis in ſe ipſa; quod eſt impoſſibile: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus reſurrexerit.

ARTICULUS XIII.

Quòd JESUS Chriſtus aſcenderit ad Cœlos.

PRobavimus, quòd JESUS Chriſtus reſurrexerit, modò volumus probare, quòd aſcenderit ad Cœlos.

1. JESUS Chriſtus fuit nobilior Homo, quàm alia perſona, quia fuit conjunctus cum Divina Natura; & nobilior locus, qui ſit, eſt cœlum; igitur convénit ſecundùm proportionem loci & collocati, quòd JESUS Chriſtus aſcenderit ad Cœlos, ut ſibi invicem correſpondeant ambæ nobilitates collocantis & collocati, quæ correſponſio non eſſet, nec locus haberet nobilitatem per collocatum, ſed per ſe ipſum; quod eſt impoſſibile & contra naturalem curſum: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus aſcenderit ad Cœlos.

2. JESUS Chriſtus reparavit humanum genus ſpiritualiter & corporaliter, ût probavimus, ſcilicet per Recreationem, quam convénit eſſe; igitur reduxit corporales creaturas

(c) 2006 Ministerio de Cultura

turas ad finem, propter quem erant creatæ; & hoc idem de ſpiritualibus: igitur convénit, quòd ſuum Corpus exiſteret in altiori & nobiliori loco; quia ſi non, eſſet ſicut oleum, quod exiſteret ſub aqua contra ſuam naturam, & eſſet contrarietas inter Corpus JESU Chriſti & alia inferiora corpora, ſicut eſſet contrarietas inter oleum & aquam, quia oleum haberet appetitum aſcendendi ſurſum, & aqua deſcendendi deorſum; & quia Corpus JESU Chriſti eſt innocens & ſanctum, non convénit, quòd ſit in loco illi contrario: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus aſcenderit ad Cœlos.

3. Omni creatæ & ordinatæ naturæ ad beatitudinem debet dari locus, in quo poſſit haberi illa beatitudo; niſi illud pervertat aliquod accidens contrarium per culpam; & JESUS Chriſtus, in quantum eſt Homo, eſt creatura ordinata ad beatitudinem, & ipſe non habet culpam, imò delevit & conſumpſit generalem culpam: igitur convénit, quòd ſit in illo loco, in quo recipitur & datur beatitudo, & ille locus eſt Cœlum empyreum, & non hic mundus, in quo ſumus, & in quo habemus plures adverſitates, quàm proſperitates & felicitates: igitur JESUS Chriſtus aſcendit ad Cœlos.

4. Iſte locus, in quo ſumus, eſt ſubjectus corruptioni & peccato, & ideo ſimpliciter non poteſt eſſe ſubjectus puritati & ſanctitati; & quia Corpus JESU Chriſti ſimpliciter eſt ſanctum & purum ſinè culpa & peccato, & poſtquam eſt victoria contra peccatum, illi convenit locus, qui ſimpliciter ſit ſanctus & purus, & qui non ſit ſubjectus corruptioni nec peccato, igitur illi convenit Cœlum empyreum, & non hic locus, in quo ſumus: igitur aſcendit ad cœlos, ut Divina Natura illi corpori det illum locum, qui illi convenit, & ne illud faciat exiſtere in illo loco, qui illi non convenit.

5. Inter gloriam & pœnam eſt contrarietas, & inter ſanctitatem & peccatum; & ideo debet eſſe remotio inter locum, in quo ſunt Sancti, & locum, in quo ſunt peccatores; animæ peccatorum ſunt in inferno, qui eſt in centro terræ, & in illo loco habent pœnam, animæ Sanctorum ſunt in Cœlo empyreo, & in illo loco habent gloriam; & quia probavimus, quòd JESUS Chriſtus reſurrexerit, ratione remotionis, quæ eſt inter ſuperiorem & inferiorem locum, convénit, quòd JESUS Chriſtus aſcenderit ad Cœlos.

Quòd ſex Articuli, quos probavimus, qui pertinent ad Humanitatem, jam ſint præteriti, & non ſint futuri.

PRobavimus, quòd DEUS debuerit aſſumere Carnem, & quòd debuerit eſſe Conceptus de Sancto Spiritu, & Natus, & Mortuus, & deſcenderit ad Inferos, & quòd reſurrexerit, & aſcenderit ad Cœlos, modò volumus probare, quòd iſti ſex Articuli de JESU Chriſto jam fuerint, & non ſint futuri; & in hac probatione volumus dare neceſſarias Rationes, ut, ſi aliqui dicerent, quòd JESUS Chriſtus nondum fuerit, ſed ſit futurus, homo poſſit probare, quòd ipſe jam fuerit; & convenit, quòd homo ſupponat principia; nam quis poſſet probare, quòd Moyſes dederit Legem Judæis, & quòd ipſi fuiſſent illi contrarii; & Saracenis, quòd Mahometus ſit Propheta; & Romanis, quòd Romulus ædificaverit Romam, & quòd Imperator Juſtinianus conſtituerit Leges, ſi quilibet neget illorum Scripta? nullus poterit hoc facere: igitur convenit, quòd homo cum neceſſariis Rationibus inſiſtat primis principiis, & ſumat poſitiones illorum, & faciat veras concluſiones; quæ principia ſunt Divinæ Dignitates & Proprietates.

1. Probavimus, quòd DEUS debuerit aſſumere Carnem, & concipi & naſci, & ſic de aliis Articulis, & hæc operatio eſt major & nobilior veritas, quæ poſſit eſſe de DEO in creatura; & ideo convenit, quòd ſit revelata, monſtrata & principiata per nobiliorem & veraciorem Hominem, qui poſſit eſſe, hoc eſt, per illum eundem DEUM Hominem; & eſſet contrarium hujus, ſi JESUS Chriſtus, quem Chriſtiani credunt, eſſet venturus, & non veniſſet; & ille JESUS Chriſtus, qui jam fuit in tempore præterito, eſſet falſior & pejor homo, quàm ullus alius, & monſtrâſſet majorem & nobiliorem veritatem; quod eſt impoſſibile & contra magnam Bonitatem Divinæ Veritatis, Virtutis, Sapientiæ & Voluntatis.

2. In Operibus DEI non eſt ulla confuſio, imò ſunt tota clara & manifeſta, quia ſua Sapientia hoc declarat, & ſua Veritas hoc manifeſtat; & ſi JESUS Chriſtus non veniſſet, & eſſet venturus, ſubjectum veræ Fidei Chriſtianæ eſſet tam confuſum, quòd ipſa non poſſet haberi nec poni in habitu; nam omnes Chriſtiani, qui fuerunt ab illo tempore, quo JESUS Chriſtus fuit, usque ad illud

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tempus, in quo ſumus, fuerunt in errore & in falſitate; & omnes illi, qui ſunt, ſunt in errore & in falſitate JESU Chriſti, in quantum credunt, quòd ipſe fuerit, & non ſit venturus; & hoc idem erit de Chriſtianis, qui erunt ab hoc tempore, in quo ſumus, usque ad tempus veri JESU Chriſti venturi; & ſic quando JESUS Chriſtus veniet, Chriſtiani in illo tempore non credent in illum, quia credent, quòd jam venerit, & Veritas non habebit, in quo recipiatur, & opus Veritatis erit confuſum, non ex parte recipientis, ſed ex parte agentis, ſcilicet DEI, qui Fidei non dediſſet ordinatum & clarum ſubjectum; & de una & eadem Veritate ſequeretur major falſitas & error, qui poſſit eſſe, quia Chriſtiani, qui fuerunt, ſunt & erunt, credunt illam eandem Veritatem Articulorum, quam ille verus JESUS Chriſtus prædicabit; & quia hoc eſt inconveniens & contra Divinas Dignitates, eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus jam fuerit, & non ſit venturus, & quòd ipſe jam ſit incarnatus, natus, mortuus, deſcenderit ad inferos, reſurrexerit, aſcenderit ad cœlos.

3. Omnis veritas ratione principii meliùs convenit cum illo, qui illam primò invenit & manifeſtat, quàm cum illo, qui illam non invenit, ſed qui illam enarrat, ſicut jam eſt enarrata ab alio; & ſi JESUS Chriſtus non vénit, ſed eſt venturus, ſua Veritas meliùs convenit cum illo Chriſto, qui non eſt verus, qui Veritatem invénit & enarravit & monſtravit, & in Chriſtianis habituavit, quàm cum illo vero JESU Chriſto, qui eſt venturus; & hoc eſt inconveniens & impoſſibile ſecundùm Divinas Dignitates: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus venerit.

4. Eſt impoſſibile invenire nobiliorem Veritatem, quæ poſſit eſſe, ſinè adjutorio DEI; nam ſicut Veritas eſt in Summitate Bonitatis, Magnitudinis & Virtutis, ita primò convenit incipere cum adjutorio ſupremæ Veritatis Divinæ, bonæ & magnæ & virtuoſæ; hoc non eſſet ita, ſi Chriſtus non veniſſet; nam ille Chriſtus, qui eſt præteritus, non eſſet verax, in quantum ſe fingeret verum Chriſtum, & non eſſet, & invénit Supremam Veritatem Articulorum, & monſtravit illam; & quia ipſe non eſſet verax, non potuit habere adjutorium à Suprema Veritate DEI in inveniendo Supremam Veritatem Articulorum, cùm ipſe eſſet mendax & exiſtens in peccato, & contra Virtutem, Magnitudinem & Bonitatem DEI: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus jam fuerit.

5. Si JESUS Chriſtus non vénit, & eſt venturus, DEUS non habet populum, quia omnes homines, qui ſunt Chriſtiani, Judæi & Saraceni, Idololatræ & alii, ſunt in errore & in falſitate; Chriſtiani non ſunt in veritate, quia non credunt in verum JESUM Chriſtum, nam credunt in illum, qui vénit, & non in illum, qui venturus eſt; & nec Saraceni nec Judæi nec Idololatræ credunt in JESUM Chriſtum, qui vénit, nec venturum; & ſic mundus non eſt in veritate, nec DEUS habet populum, à quo ametur, & illi obediatur, nec ipſe amat aliquem; & etiam quando JESUS Chriſtus veniet, non inveniet ordinatam fœminam, in qua poſſit aſſumere carnem, quia non eſſet de veraci populo; & hoc eſt inconveniens, quòd DEUS non habeat populum, & quòd debeat aſſumere Carnem, & quòd non poſſit illam aſſumere, & quòd non amet homines, quos creavit, & quòd non ametur: igitur eſt probatum, quòd JESUS Chriſtus jam venerit.

Probavimus, quòd JESUS Chriſtus jam venerit, per quod ſequitur, poſtquam vénit, quòd jam ſit incarnatus, natus, mortuus, deſcenderit ad inferos, & aſcenderit ad cœlos, cùm jam probaverimus, quòd iſti ſex Articuli neceſſariò debeant eſſe.

ARTICULUS XIV.

Quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus judicabit bonos & malos in Die Judicii.

AD probandum, quòd JESUS Chriſtus debeat judicare vivos & mortuos, bonos & malos in ultimo Die Judicii, *primò* convenit probare, quòd generatio & corruptio mundi habebit finem & terminum; *ſecundò* convenit probare, quòd omnes homines boni & mali reſuſcitabuntur; & *tertia* probatio erit, quòd JESUS Chriſtus judicabit bonos & malos; bonos ad ſalvationem, & malos ad damnationem.

Quòd Generatio Hominum habebit finem.

PRobavimus, quòd homo ſit creatus ad Beatitudinem, & probavimus Recreationem, & ex hac probatione probamus, quòd generatio habebit finem, quam probationem facimus hoc modo.

Eſt

(c) 2006 Ministerio de Cultura

1. Eſt impoſſibile, quòd finita materia ſufficiat infinitis corporibus in numero, & ſi generatio hominum non habet finem, corpora hominum erunt infinita in numero; quod eſt impoſſibile ratione materiæ, quæ ibi non poſſet ſufficere. Et ſi generatio eſſet circularis, homo non poſſet eſſe creatus ad perpetuam Beatitudinem, quia nullus homo poſſet ſemper durare, poſtquam de corpore unius hominis deberet generari corpus alterius hominis, & perderetur finis Recreationis & Beatitudinis; quod eſt impoſſibile ſecundùm ſupradictum ordinem: igitur ſequitur, quòd generatio habeat finem & terminum, & quòd non ſit impoſterum.

2. Si generatio hominum eſt infinita in duratione, Sapientia DEI non poteſt ſcire numerum hominum, quia infinitus numerus non poteſt comprehendi nec numerari; & quia Poteſtas DEI humanæ naturæ dediſſet poteſtatem infinitè generandi & multiplicandi homines, Poteſtas DEI eſſet major, quàm ſua Sapientia; & ratione majoritatis eſſent differentes per eſſentiam; quod eſt impoſſibile: igitur generatio humanæ naturæ habet finem.

3. Quando DEUS creavit hominem vel creavit ipſum propter aliquem ordinatum finem, vel non? non potuit illum creare propter inordinatum finem, quia ſuæ Rationes ad hoc non conſenſerunt, ſinè quibus ipſe nullas res poteſt producere; igitur creavit hominem ad ordinatum finem; & ſi generatio hominis non haberet finem, inde non ſequeretur ordo, nam ordo non poteſt attingi in creaturis, niſi antè & poſt ſucceſſivè: igitur generatio hominis habet finem, in quo habet quietem: etiam convenit, quòd generatio habeat finem, ne ſit fortuitò & caſu, quæ eſſet fortuitò & caſu, ſi non haberet finem, quia non haberet naturale agens, & nullum ens productum fortuitò & caſu poteſt eſſe infinitum in duratione, quia non haberet ſubjectum, in quo finis haberet ſuſtentationem.

4. Si generatio hominum infinitè durat, de neceſſitate ſequitur, quòd infiniti boni homines habeant ſalvationem, & finiti mali homines habeant damnationem, vel quòd infiniti mali homines habeant damnationem, & finiti boni homines ſalvationem; & nullus iſtorum terminorum poteſt eſſe, ſi generatio hominum eſt infinita, quia illi, qui ſunt infiniti, indigebunt materiâ illorum finitorum; propter quod de neceſſitate convenit, quòd duratio generationis habeat terminum: & hoc idem ſequitur, ſi finiti boni homines & finiti mali homines eſſent æquales in numero, quia non haberent ſubjectum, quod poſſet ſuſtentare æqualitatem numeri & illum perpetuò multiplicare.

5. Si generatio hominum perpetuò durat, ſuum tempus & ſuus motus erunt infinita; & ſi tempus & motus ſunt infinita in duratione, non ſunt de finitis partibus, quia eſt impoſſibile, quòd infinitum totum poſſit eſſe de finitis partibus; & ſi ſuæ partes ſunt infinitæ, quælibet pars eſt tam magna, ſicut ſuum totum, & eſt pars, & non pars, & totum, & non totum, & attingitur finis numeri hominum, & non attingitur, quia non poteſt attingi, poſtquam ſtat in multiplicatione; & hoc eſt impoſſibile & contradictio: igitur eſt probatum, quòd generatio hominum habeat terminationem.

Quòd omnes Homines reſurgent cum ſuis propriis Corporibus.

1. HOmo ſecundùm ſuam conſtitutionem eſt ordinatus ad Beatitudinem, & homo eſt ex anima & corpore, & homo eſt recreatus, quantum ad animam & quantum ad corpus, & non poteſt eſſe ſinè anima & corpore; & ideo convenit, quòd boni homines veniant ad illum finem, propter quem ſunt recreati, hoc eſt, ad Beatitudinem; & ſi non reſurgerent, ſua antecedentia eſſent neceſſaria, & conſequentia eſſent contingentia; quod eſt impoſſibile: igitur juſti homines reſurgent, & ſimiliter mali homines, ut Juſtitia DEI poſſit habere ſubjectum in dando Beatitudinem juſtis, & pœnam illis, qui illam offenderunt.

2. Homo eſt ille, qui facit bonum vel facit malum, quia ipſe movet actus ſuarum potentiarum ad objecta, quæ deſiderat vel odit, vel recolit vel intelligit vel ſentit; & ideo homo eſt ſubjectum, cui ſimpliciter convenit meritum boni, vel meritum mali; & ſi homo non reſurgeret, meritum daretur ſuæ parti, quæ eſt mota per ſuum totum, & non illi, qui moviſſet partes; & non remuneraretur homo, qui feciſſet bonum vel malum, ſed alius, qui non eſſet homo, ſcilicet anima & corpus; nam anima non eſt homo, nec corpus eſt homo; & hoc eſt impoſſibile, quòd ſit beatus ille, qui non principaliter fecit bonum, & non ille, qui illud fecit, & quòd puniatur ille, qui principaliter non fecit

(c) 2006 Ministerio de Cultura

fecit malum: igitur convenit, quòd homo reſurgat, & ille idem homo in numero, qui fecit bonum & malum.

3. Probavimus, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus reſurrexerit; & ſi non eſt Reſurrectio hominum, ipſe exiſtens homo de corpore & de anima haberet majorem proportionem in participatione cum animabus ſeparatis à corporibus, quàm cum hominibus exiſtentibus quolibet de corpore & de anima; quod eſt impoſſibile: & etiam Corpus JESU Chriſti non eſſet viſibile nec audibile, & non remuneraret corpora hominum in videndo, audiendo & loquendo, qui propter amorem illius in hoc mundo habuerunt multas adverſitates, & periret finis omnium creaturarum corporalium; quod eſt impoſſibile & contra juſtitiam DEI & ſuarum aliarum Rationum.

4. Per experientiam videmus, quòd in hac vita ſint multi juſti homines, qui propter noſtrum Dominum DEUM laborant, & habent multas adverſitates, & paucas proſperitates; & videmus multos malos homines, qui offendunt DEUM, & non ſunt illi obedientes, & habent paucas adverſitates, & multas proſperitates; & ideo in hac præſenti vita non eſt perfecta remuneratio boni & mali; igitur convenit, quòd ſit Reſurrectio, & quòd in alia vita perfecta remuneratio ſit ſubjectum Juſtitiæ DEI & ſuis aliis Rationibus.

5. Anima naturaliter amat corpus, ut cum illo & de illo ſit homo; & quia ipſa magìs eſt creata, ut ſit homo, quàm ut ipſa ſit, cùm finis creationis magìs principaliter conſiſtat in toto, quàm ſingulariter in aliqua ſuarum partium, igitur convenit, quòd ſit Reſurrectio, ut animæ reſtauretur ſua natura, quam diximus, in amando corpus, & quam naturam aſſumpſit in creatione per Creatorem; & ſi non eſt Reſurrectio, anima perdit illam naturam amoris, & non poteſt habere perfectam gloriam, nam poſtquam habet in ſe vacuitatem & defectum, non habet, in quo recipiat perfectionem & complementum, & perfectum ſubjectum deficit perfectæ judicationi Juſtitiæ DEI, & perfectæ amationi Voluntatis DEI, & perfectæ bonificationi ſuæ Bonitatis, & perfectæ magnificationi ſuæ Magnitudinis; & hoc eſt impoſſibile: igitur eſt Reſurrectio.

Quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus debeat judicare omnes Homines.

AD probandum hunc Articulum convenit probare *duo*; *unum* eſt, quòd ſit generale Judicium; *alterum*, quòd JESUS Chriſtus DEUS Homo faciat Judicium; & primò *de primo*.

1. DEUS eſt juſtus, & ſua Juſtitia eſt illi ita ratio judicandi, ſicut ſua Sapientia intelligendi, & ſua Voluntas amandi; & ideo DEUS ſcit homines, qui ſunt boni, & qui ſunt mali, & ſcit numerum illorum; & quia bonis hominibus convenit locus beatitudinis, & malis convenit locus infelicitatis, convenit, quòd ſit differentia inter locum bonorum, & locum malorum; & quia generatio hominum habebit finem, ût probavimus, convenit, quòd ſit generale & ultimum Judicium, & quòd boni habeant bonum pro bono, quod fecerunt, & mali habeant malum pro malo, quod fecerunt.

2. Requiritur, quòd homines judicentur ſecundùm opera, quæ hìc habent, & ſecundùm finem, ad quem ſunt creati, cùm liberè faciant bonum vel malum; & illi, qui ſequuntur finem, ſunt diſpoſiti, ut judicentur ad beatitudinem; & illi, qui non ſequuntur finem, ſunt diſpoſiti, ut puniantur; igitur eſt ſubjectum Juſtitiæ, & eſt de multis hominibus & differenter, ût diximus: igitur ſubjectum ſecundùm ſuam diſpoſitionem requirit ſuperius agens, ſcilicet generalem Juſtitiam DEI; & quia ſubjectum eſt generale, & Juſtitia DEI eſt generalis, requirunt generalem actum, hoc eſt, generale Judicium, ſinè quo Juſtitia DEI deficeret ſubjecto; quod eſt impoſſibile: igitur eſt generale Judicium.

3. *Secundum* eſt, quòd generalis Judex ſit Homo & DEUS: convenit, quòd ſit DEUS ratione Sapientiæ, quæ comprehendat omnia opera hominum, & ratione Poteſtatis, ut bonis poſſit dare beatitudinem, & malis pœnam, & cuilibet ſecundùm quòd convenit: convenit, quòd ſit Homo ratione participationis Divinæ & Humanæ Naturæ; nam in hoc, quòd Divina Natura participat cum Humana JESU Chriſti, ambabus Naturis exiſtentibus unâ Perſonâ, Divina Natura participat cum omnibus hominibus in Humana Natura; & ideo convenit, quantum ad ſubjectum, quòd DEUS Homo ſit Judex, ut per Scientiam & per Naturam attingat

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tingat Judicium, & ut propter fragilitatem humanæ naturæ Divina Natura moveatur ad magnam miſericordiam & pietatem.

4. Omne judicium debet eſſe clarum & manifeſtum, & quantò majus & generalius eſt, tantò majorem declarationem & manifeſtationem debet habere; homo eſt de anima & de corpore, & ſi facit bonum, facit illud cum anima & cum corpore, & ſi facit malum, ſimiliter: igitur convenit, quòd illud, quod judicatur, quantum ad animam, intelligat judicium, & quantum ad corpus, videat & audiat illud, ſcilicet, quòd videat Judicem, & quòd audiat judicium, quod dabit; & quia DEUS non poteſt videri nec audiri, voluit eſſe Homo, ut in Homine videretur & audiretur ſuum Judicium: igitur convenit, quòd JESUS Chriſtus, qui eſt DEUS & Homo, ſit Judex.

5. Quia JESUS Chriſtus eſt magìs nobilis & magìs potens & magìs humilis & magìs pius & magìs miſericors Homo, & quia ſua Deitas eſt ſumma in Juſtitia, ideo convenit, quòd JESUS Chriſtus ſit Judex, ut ſua Humana Natura excitet & inclinet Divinam Naturam ad habendum pietatem & miſericordiam de ſuo populo, quia tam gravis res eſt peccare, & maximè contra infinitam Naturam, quòd Humana Natura JESU Chriſti eſt medium, quòd Divina Natura moveatur ad miſericordiam & pietatem propter amorem illius & propter participationem, quam habet cum illa: igitur generalis Judex erit JESUS Chriſtus, ût probavimus.

De Fine hujus Libri.

1. FEcimus hunc Tractatum eâ intentione, ut noſter Dominus JESUS Chriſtus ametur & cognoſcatur per totum mundum, & ut Infideles, qui ſunt in errore, qui non habent cognitionem Chriſtianæ Fidei, veniant ad Catholicam Fidem, ad quam venient, ſi ſcient & intelligent Rationes hujus Tractatûs; & eſt facilius cum veritate vincere errores, quàm, quòd unus homo cum armis vincat alium, nam quilibet poteſt ſe defendere contra alium, ſed error non poteſt ſe defendere contra veritatem; & ideo eſſet pulchra ordinatio, quòd major vis impenderetur ad conquirendum Infideles, & amplificandum Chriſtianam Fidem per Rationem, quàm per vim ~~amorem~~ *armorum*: quare „ego Raymundus indignus feci hunc Li„brum, & *feci illum poni in Latino, ve„runtamen non literâ ad literam, ſed ſen„ſu ad ſenſum*, ut quilibet inde remaneat „in ſua virtute & in ſua Rhetorica„; & ille, qui eſt in Latino, eſt præſentatus Domino Papæ & Dominis Cardinalibus, ſupplicando, quòd illum transmittant ad Infideles per homines intelligentes, & qui ſciant linguagia illorum; & quia Rationes hujus Libri ſunt neceſſariæ, nullus Infidelis poterit ſe defendere ab illis, ſed vulnerabitur in ſua conſcientia, ſi intelligat Rationes, & per illam vulnerationem poterit venire ad converſionem.

2. Si in hoc Tractatu aliquis vult facere objectiones, & reprehendit nos, quòd illis non ſolverimus illas, quod faceremus, ſi poſſemus: ad hoc dicimus, quòd, ſi nos feciſſemus objectiones, & ſolviſſemus illas, Liber fuiſſet nimìs magnus, & non eſſet tam conveniens ad præſentandum Domino Papæ & Cardinalibus; & nos promittimus reſpondere ad omnes illas objectiones, & quilibet, qui bene intelligit hunc Librum, ſciet reſpondere & illas ſolvere.

3. Et ſi dicitur, quòd ſit vilipenſio Fidei intelligere Articulos per neceſſarias Rationes, quia per hoc perditur meritum Fidei: ad hoc reſpondemus & dicimus, quòd homines credant, ut intelligant, non quòd intelligant, ut credant; & ideo intelligere eſt nobilius, quàm credere, cùm credere ſit per ſecundam intentionem, & intelligere per primam: & ideo legitur in Sacra Pagina: *Niſi credideritis, non intelligetis*: igitur meritum intelligendi eſt nobilius, quàm credendi, poſtquam intelligere eſt nobilior actus, quàm credere; veruntamen, quamvìs homo illos intelligat, per hoc non perditur meritum ipſius credere, poſtquam per credulitatem homo vénit ad meritum ipſius intelligere; & etiam ille, qui intelligit, ſupponit, quòd, ſi contingeret, quòd non intelligeret Articulos, & de illis dubitaret, illos crederet, & ſic rediret ad credulitatem; & ideo ſunt duo actus credere & intelligere, & unus adjuvat alium. Et adhuc reſpondemus & dicimus, quòd homo principaliter ſit creatus ad cognoſcendum DEUM, & magìs ad cognoſcendum illum, quàm ad habendum meritum per credulitatem: quare, ſi homo magìs amaret credere, quàm intelligere, magìs amaret habere meritum & gloriam, quàm DEUM; & ſic peccaret & eſſet contra principalem finem, ad quem eſt creatus:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tus: & etiam dicimus, quòd, ſicut bonitas eſt ratio Martino bono, quòd agat bonum, ita Fides ſit ratio Martino, qui non poteſt intelligere, quòd crederet: & ſicut ſi Martinus faceret unum bonum, adhuc ſua bonitas eſſet generalis ratio, quòd faceret aliud bonum, vel illud poſſet facere ſecundùm rationes bonitatis, ſic, ſi Martinus intelligit, Fides illi eſt ratio & habitus ſuperior, quòd poſſit credere quandam aliam veritatem, quam non intelligit; & ideo Fides eſt habitus, qui natat & ſtat ſuperiùs, ſicut oleum ſuper aquam, quantum ad generalitatem, propter quam illa non perditur per actum ipſius intelligere, nec eſt illi ulla ignominia, imò eſt ſua perfectio, quòd homo per illam poſſit venire ad intelligendum veritatem de DEO & de ſuis Operationibus: quare illi, qui dicunt, quòd Fides diminuatur per intelligere, non habent cognitionem de natura Fidei nec ſuæ virtutis; & per hoc, quod dicunt, ſupponunt, quòd illi, qui magis intelligunt DEUM, habeant minus meritum, & peccent, & magis peccent, quàm illi, qui illum non tantum intelligunt; quod eſt impoſſibile & contra Rationes DEI.

Deſcriptio Loci hujus compoſiti Operis.

HIc Tractatus fuit factus in Civitate Romæ Anno noſtri Domini DEI MCCXCVI., & completus in Vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ; & iſte Tractatus ſit commendatus DEO, & poſitus in cuſtodia noſtræ Dominæ & Angelorum; & ſicut eſt factus ad honorem DEI, ita ipſe multiplicet hunc Tractatum in animis hominum, & ille, qui eſt illuminans, illuminet cum illo animos hominum in tantum, quòd, ſicut eſt unus DEUS, ita ſit unus populus in una vera Catholica Fide, & hoc duret usque ad finem ſæculi, & poſt finem veniamus ad gloriam DEI. Amen.

Amen.

BEATI

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER APOSTROPHE, SIVE DE ARTICULIS FIDEI SACROSANCTÆ ET SALUTIFERÆ LEGIS CHRISTIANÆ.

Hunc Tractatum quoad ſubſtantiam eundem cum priori ipſémet B. Auctor jam olim Romæ fecit poni in Latino, non de litera ad literam, ſed ſenſu ad ſenſum; & ideo hìc ponitur duplicatus.

INTRODUCTIO IN PROBATIONEM ARTICULORUM FIDEI.

1. ALiqui Chriſtiani, qui nominantur magni in Scientia, dicunt, quòd Sancta Catholica Fides ſit magìs improbabilis, quàm probabilis, quod eſt pudendum & plorandum: unde ſequitur magna infamia apud Infideles, qui propter hoc credunt, quòd noſtra Fides ſit nulla; & fortè aliqui Chriſtiani malè ſuſpicantur contra dictam Fidem. Ulteriùs, aliqui dicunt & affirmant, quòd Fides ſit vera, ſed ſecundùm modum intelligendi videatur non eſſe vera: ideo cum auxilio Sancti Spiritûs conabimur, quantum poterimus, probare, quòd dicta Fides ſit vera & probabilis. Dicunt etiam, *quòd Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum;* & ideo dicunt, quòd non ſit bonum, probare Fidem, ut meritum non amittatur.

2. Illi autem, qui affirmant & docent iſta (quanquam ſe reputent magnos, & quod eſt pejus, ab aliis reputentur) oſtendunt ſe manifeſtiſſimè ignorantes; quia aut intendunt dicere, quòd ipſa Fides ſit magìs improbabilis, quàm probabilis in ſe, & etiam quantum ad DEUM; videlicet, quòd ſit magìs improbabile, quòd ipſa ſit à DEO, quàm quòd non ſit à DEO: & in hoc caſu nullus debet adhærere tali Fidei, quæ eſt magìs improbabilis, quàm probabilis in ſe & quan-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tum ad hoc, quòd ſit à DEO; nec in non adhærendo poteſt condemnari à juſto Judice, imò adhærendo eſt ſtultus, quia facit contra rationem adhærendo improbabilitati, & deſerendo probabilitatem.

Aut intendunt dicere, quòd ipſa Fides ſit magìs improbabilis, quàm probabilis in ſe, ſed ſit probabile, quòd ſit à DEO; & in hoc caſu, ſi eſt probabile, quòd ſit à DEO, ſequitur, quòd ipſa ſit probabilis; & ſi eſt verum, quòd ſit à DEO, eſt vera & neceſſaria; cùm DEUS ſit ſumma Veritas & ſumma Sapientia, quæ non fallit, nec fallitur, & ipſe dicit, quòd illa ſit; ergo eſt veriſſimum: ſi enim eſt credendum cuilibet experto in ſua ſcientia, ergo multò magìs expertiſſimo & ſapientiſſimo in omnibus.

Nec poſſunt dicere tertium, ſcilicet quòd ipſa ſit probabilis in ſe, ſed ſit magìs improbabile, quàm probabile, quòd ſit à DEO; cùm enim Catholica Fides jubeat amare DEUM ſuper omnia, & ponat Divinas Perfectiones in ſuperlativo gradu perfectionis, & extirpet vitia inſerendo virtutes in altiori gradu perfectionis, qui poſſit dari, & per conſequens ſit bona & optima, & omne bonum ſit à DEO tanquam à Supremo Bono, neceſſariò ſequitur, quòd ipſa ſit à DEO, ergo eſt neceſſaria. Si autem detur quartum membrum, ſcilicet, quòd in utroque modo ſit magìs probabilis, tunc eorum error eſt magìs apertus.

3. Et cùm noſter Zelus & noſtra totalis intentio ſit omnino circa defenſionem Fidei, idcirco nos Magiſter RAYMUNDUS LULLUS legamus hanc ſchedulam Sapientibus & discretis Religioſis & Sæcularibus, ut videant, ac diligentiſſimè perſcrutentur prædicta, & etiam an infrà ſcripta ſequentia de neceſſitate contineant veritatem, videlicet, quòd aliqui Magiſtri in Theologia aſſerunt & teſtantur, quòd quæcunque propoſita objectio contra Sacroſanctam Catholicam Fidem poſſit ſolvi per neceſſarias Rationes, ſcilicet *intelligendo conſequentias ipſarum rationum*: ergo manifeſtè ſequitur, quòd Sancta Catholica Fides juxta eorum teſtimonium poſſit probari per neceſſarias Rationes, & hoc per modum intelligendi, non tantùm per modum credendi. Si quis autem dixerit, quòd iſta conſequentia, quam facimus, non attingat veritatem, cogitur dicere, quòd prædicta ratio Magiſtrorum ſit inanis, & quòd principium ſit prius per ſuum conſequens, & poſterius per ſuum antecedens, & quòd in ſyllogiſmo minor propoſitio ſit antecedens, & major ſit conſequens; quod eſt impoſſibile & contra naturam intellectûs.

RAYMUNDUS etiam rogat Religioſos & ſæculares Sapientes, ut videant, an Rationes, quas ipſe facit contra Saracenos, ad probandum Catholicam Fidem, habeant veritatem; quia ſi fortè aliquis ſolveret rationes, quæ opponuntur per Saracenos contra Catholicam Fidem, cùm tamen ipſi non poſſint ſolvere rationes, quæ fiunt pro eadem, fortificati valde literati & ſapientes Saraceni fierent Chriſtiani.

4. Si quis autem dixerit, quòd objectiones, quæ poſſunt fieri contra Fidem, poſſint ſolvi per neceſſarias Rationes, & Probationes, quæ poſſunt fieri pro Fide, poſſint frangi per neceſſarias Rationes, dicimus, quòd implicat contradictionem, quæ non poteſt ſtare; quia duæ concluſiones contrariæ circa idem non poſſunt ſtare; & de hoc ſubjungimus hoc exemplum: *ubicunque eſt generatio, ibi eſt etiam corruptio; ſed in DEO eſt Generatio, ergo in DEO eſt corruptio;* qui autem intendit improbare per neceſſarias Rationes, quòd in DEO non ſit corruptio, ille non tantùm debet tenere, quòd Generatio ſit in DEO, ſed debet etiam neceſſariò ſcire, quòd Generatio ſit in DEO; hoc idem poteſt dici de iſtis maximis: *ubicunque eſt principium, ibi eſt tempus: ubicunque eſt productio, ibi eſt ſucceſſio: omne agens agit cum motu: de nihilo nihil fit: nullum infinitum poteſt eſſe finitum: qui non intelligit particularia, non poteſt intelligere ſe ipſum: nulla Virgo poteſt parere: nullum agens agit ſinè inſtrumento: nullum novum eſt perpetuabile: ubicunque eſt prioritas, ibi eſt poſterioritas: nullum ens, quod eſt purus actus, eſt multiplicabile: nullum ens poteſt perficere perfectum: nullum intelligibile eſt intellectum: ubi ſunt plura, ibi eſt compoſitio: nullus mortuus homo poteſt reſurgere idem in numero, idem actu: nullum corpus poteſt eſſe in pluribus locis in eodem tempore: nullum agens poteſt eſſe ſinè ſubjecto: nulla operatio poteſt eſſe infinita: in nulla æternitate eſt æternabile:* multas alias maximas poſſumus invenire, ſed iſtas ponimus, quia, qui ipſas poteſt ſolvere per neceſſarias Rationes, debet ſcire primitiva principia, cum quibus ſolvat prædictas maximas, ût ſuprà eſt ſignificatum, ſed qui affirmant prædicta, oſten-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

oſtendunt, quòd ignorent, quòd DEUS ſit, & quid DEUS ſit.

5. Quòd autem DEUS ſit, eſt neceſſarium & demonſtrabile per magìs neceſſariam demonſtrationem, quàm ſit aliqua mathematica demonſtratio: nam quamvìs dicant, quòd potiſſima demonſtratio non ſit, niſi illa, in qua propria paſſio probatur de proprio ſubjecto, tamen eſt certum, quòd etiam in tali demonſtratione præmiſſæ ſint magìs neceſſariæ, veræ & notæ, quàm concluſio, aliàs ex eis non probaretur, notificaretur vel neceſſitaretur concluſio. Ergo ratio, quæ per neceſſarias & ſubſtantiales propoſitiones concludet unam ſubſtantialem concluſionem, in qua aliquid ſubſtantiale prædicetur de ſubjecto, ût ſubſtantia de homine (quæ concluſio habeat ita neceſſariò aliquem modum dicendi per ſe, ſicut una præmiſſarum demonſtrationis concludentis paſſionem de proprio ſubjecto) erit magìs neceſſaria, quàm illa, quæ concludet paſſionem de ſubjecto, ût iſta: *omne illud, quod ſtat per ſe & ſubſtat accidentibus, eſt ſubſtantia, homo ſtat per ſe & ſubſtat accidentibus, ergo homo eſt ſubſtantia:* iſta ratio vel ſyllogiſmus eſt magis neceſſarius, quàm ille, in quo concluditur, omnis homo eſt riſibilis; & iſta: *omnis trilatera figura eſt figura, triangulus eſt trilatera figura, ergo triangulus eſt figura:* iſta eſt magìs neceſſaria ratio, quàm illa, in qua concluditur, quòd triangulus habeat tres angulos; cujus ratio eſt, quia ſubſtantialia, quæ conſtituunt ſubjectum, ſunt magìs de neceſſitate ſubjecti, quàm accidentia, ſicut primus & quartus modus dicendi per ſe ſunt magìs neceſſarii & evidentes, quàm ſecundus & tertius.

Ulteriùs eſt mirandum, cùm dicant, quòd Demonſtratio *propter quid*, ſit, quando concluditur paſſio de ſubjecto; quare illi, qui hoc dicunt, non conſideraverunt, quòd actio ſit nobilior, quàm paſſio? cùm cuilibet ſubjecto conveniat propria actio, ſicut propria paſſio, & propria actio habeat ita neceſſarias & evidentes cauſas, ſicut propria paſſio, & multò magìs, ſi quis bene conſideret? & quare non dixerunt potiſſimam demonſtrationem, quando propria actio probatur de proprio ſubjecto? ſicut quando propria paſſio probatur de proprio ſubjecto? hoc dictum eſt contra illos, qui tantum arctant & malè ſumunt vocabulum demonſtrationis.

Ergo redimus ad id, de quo priùs fuit ſermo, & dicimus, quòd illi, qui docent prædicta, oſtendunt, quòd ignorent, quòd ſit DEUS, & quid ſit DEUS; nam quando eſt manifeſtatum & probatum, quòd ſit DEUS, & quid ſit, hoc eſt, quæ ſint ejus Perfectiones & Dignitates, ſequitur, quòd Articuli Chriſtianæ Fidei non ſolùm ſint magìs probabiles, quàm improbabiles, ſed etiam quòd ſint veri & neceſſarii, quod probamus in pluribus noſtris Libris.

APOSTROPHE

Ad Summum Pontificem.

SUſcipiat ſublimis Apex, reverenda Corona
Eccleſiæ, quod Sancta Fides Romana miniſtrat,
Undique per latium, mundi per climata cuncta
Gentibus & populis, Tu, qui Bonifacius eſſe
Diceris Octavus, qui Petri Sede refulges,
Ut Pæan Cœli Solio, ſuper omnia, cujus
Lumen ades, digneris Opus breve ſumere miſſum,
Articulos Fidei producens ordine pleno,
Illos atque probans Rationum motibus omnes,
Illis concludens præmiſſis inde duabus:
Si quid in his poſitum non eſſet, ût eſſe liceret,
Illud corripiat Veſtræ ſolertia limæ:
Omnia non omnes poſſunt ubicunque videre:
Ac Majeſtati Veſtræ Raymundus in illis
Evigilans ſtuduit, ſupplex & talia Vobis
Scripſit, ut in robur Fidei pertranſeat iſtud.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DEUS in tua Virtute ſperantes & de tua Gratia confidentes incipimus probare Articulos Catholicæ Fidei per neceſſarias Rationes.

DE PROLOGO.

AD probationem Articulorum Fidei accedentes, antequam probemus, quòd unus DEUS ſit, intendimus probare, quòd DEUS ſit; ad probandum autem, quòd DEUS ſit, convenit præcognoſcere, quid ſit, quod dicitur per hoc Nomen DEUS: & dicimus, quòd tam ſcientes, quàm minùs ſcientes quaſi pro regula & ût naturaliter notum teneant, quòd hoc Nomen DEUS ſignificet Ens, quod eſt ſummè & infinitè bonum & Bonitas, magnum & Magnitudo, æternum & Æternitas, potens & Poteſtas, ſapiens & Sapientia, volens & Voluntas, virtuoſum & Virtus, verum & Veritas, glorioſum & Gloria, habens in ſe omnem Perfectionem infinitam & in ſummo ſinè aliqua imperfectione: in hoc enim omnes intelligentes conveniunt, tanquam in uno principio communi & per ſe noto, quòd DEO attribuant, quidquid altius, nobilius & perfectius poteſt cogitari. Si tamen nobis negaretur, quòd hoc Nomen DEUS ſignificet hoc, quod diximus, nobis ſufficit probare, quòd ſit tale Ens, quale deſcripſimus, & non volumus contendere de nomine: & quòd ſit tale Ens, volumus probare per *quinque Rationes*, omittendo multas alias causâ brevitatis hujus Operis; & primò probamus, quòd ſit Ens ſupremum in Bonitate & ſummè bonum.

Quòd Ens ſummè Bonum ſit.

1. SI Summum Bonum eſt, ſummum malum non eſt; & ſi ſummum malum eſt, Summum Bonum non eſt; quia duo & maximè, quæ ſunt contraria, non poſſunt eſſe ſumma ſimpliciter: nam quia ponuntur eſſe duo ſumma, ſequitur, quòd neutrum duorum ſit ſummum ſimpliciter: ſi autem ponatur, quòd Summum Bonum non ſit, ſequitur, quòd ſua privatio ſit ſummè mala; nam ſicut poſitio Summi Boni eſt ſummè bona, ſic privatio Summi Boni eſt ſummè mala; his præmiſſis oſtenſivè ſyllogizamus ſic:

Omne illud, cujus præſentia eſt ſummè bona, & ſua abſentia eſt ſummè mala, eſt neceſſarium, cùm bonum & *eſſe* conveniant, & malum & *non eſſe*; aliàs *non eſſe* & privatio eſſent actualiora, meliora & perfectiora, quàm *eſſe* & actus; quod eſt contradictio, & per conſequens Summum Bonum & ſummum *eſſe* erit ſummum malum & ſummum *non eſſe*; aliàs quodcunque bonum non ſummum eſſet melius, quàm Summum Bonum, vel ſaltem æquale: ſed præſentia Summi Boni eſt Summum Bonum, cùm ponat Summum Bonum, & privet ſummum malum, & ſua abſentia eſt ſummè mala, cùm dicat privationem Summi Boni, & affirmet ſummum malum, ût probatum eſt: ergo neceſſarium eſt, quòd Summum Bonum ſit: imò ſi ratio ſubtiliter conſideretur, ſequitur, quòd ſit neceſſarium, quòd ſolum Summum Bonum ſit; cùm ſolum Summum Bonum & ſummum *eſſe* conveniant, & ſolum Summum Bonum ſit ſimpliciter & unicè neceſſarium; aliàs non eſſet ſummum, nec aliquod *eſſe* eſt ſummum, niſi ſit neceſſarium; tale autem Summum Bonum dicimus DEUM: ergo neceſſarium eſt, quòd DEUS ſit.

Quòd Ens infinitè magnum ſit.

2. OMnis res, quantò magìs accedit ad *eſſe* & participat plus entitatis, tantò major & melior eſt; ſed ſi nullum ens eſt infinitè magnum, & omne ens eſt finitè magnum, ens finitè magnum eſt nobilius, quia eſt, quàm ens infinitè magnum, quod non eſt; & ſic ſequitur, quòd, quantò magìs res erit finita, tantò magìs accedet ad *eſſe*, & major & melior erit: cùm igitur pars ſit magìs finita, quàm ſuum totum, erit major & melior, quàm ſuum totum; ergo pars non erit pars, ſed totum; nec totum erit totum, ſed pars; & hoc eſt falſum & impoſſibile, quia contradictio: igitur id, ex quo ſequitur, eſt falſum & impoſſibile; ſequitur autem ex hoc, quòd ponatur, quòd Ens infinitè magnum non ſit: ergo eſt impoſſibile, quòd Ens infinitè magnum non ſit; ergo eſt neceſſarium, quòd Ens infinitè magnum ſit: oſtenſivè ſyllogizamus ſic:

Omne

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Omne ens, quantò majus eſt, de neceſſitate tantò plus entitatis participat; ſed Ens infinitè magnum de neceſſitate eſt majus, quàm ens finitè magnum: ergo de neceſſitate participat plus entitatis: igitur cùm ens finitè magnum ſit, neceſſarium eſt, quòd Ens infinitè magnum ſit; & tale Ens dicimus DEUM, qui eſt Infinitas: ergo eſt neceſſarium, quòd DEUS ſit.

Quòd Ens æternum ſit.

3. OMne ens eſt æternum, vel non eſt æternum; ſed ens, quod non eſt æternum, eſt principiatum; ens verò principiatum non potuit principiare ſe ipſum, quia fuiſſet, antequam eſſet: igitur, cùm experiamur, quòd multa entia ſint principiata, convenit, quòd ſit Ens æternum, à quo ſint principiata; aliàs ſi non eſſet Ens æternum, etiam non eſſet principiatum, & ſic eſſet nihil; ſed eſt impoſſibile, quòd ſit nihil, ergo etiam id, ex quo ſequitur; ſequitur autem ex hoc, quòd ponatur, quòd Ens æternum non ſit; quod Ens æternum non eſſe eſt impoſſibile: ergo eſt neceſſarium, quòd Ens æternum ſit: oſtenſivè ſyllogizamus ſic:

Omnis exiſtentia entis principiati præſupponit de neceſſitate, quòd Ens æternum ſit, ût probatum eſt; ſed ens principiatum eſt: ergo de neceſſitate Ens æternum eſt; & dicimus, quòd tale Ens ſit DEUS; ergo neceſſarium eſt, quòd DEUS ſit. Si verò dicatur, quòd illud Ens æternum poſſit eſſe mundus vel aliquid aliud à DEO, hoc eſt falſum; nam ſicut Divina Bonitas non patitur, quòd ſit aliquod bonum aliud à ſe ſibi æquale in Bonitate, quia Summa eſt, ſimiliter nec Divina Æternitas, quia eſt Summa in Duratione; quia Summitas ex ſua natura non compatitur pluralitatem; nam ratione Summitatis dicit Singularitatem, & contradicit pluralitati: & iſtam objectionem etiam ſolvemus infrà, ubi probabimus, quòd nihil poſſit eſſe æternum, niſi ſolus DEUS.

Quòd Ens infinitum in Poteſtate ſit.

4. SI non eſt Ens infinitum & ſummum in Poteſtate, omne ens eſt finitum in poteſtate; & ſi ſic, nihil eſt æternum; quia quod eſt æternum, eſt infinitum in duratione; quod autem eſt infinitum in duratione, habuit & habet & habebit poteſtatem ad durandum in infinitum: & talis Poteſtas potuit in infinita præterita; nam in quantum poteſtas fuit infinita, potuit in infinita: igitur eſt Ens infinitum in Poteſtate; vel convenit dicere, quòd non ſit Ens æternum; ſed ſi non eſt Ens æternum, non eſt ens non æternum, ût ſuprà probatum eſt, quia nulla res poteſt principiare ſe ipſam, & ſic eſt nihil; ſed eſt falſum & impoſſibile, quòd ſit nihil, ergo & id, ex quo ſequitur: ſequitur autem ex hoc, quòd ponatur, quòd Ens infinitum in Poteſtate non ſit: ergo eſt impoſſibile, quòd Ens infinitum in Poteſtate non ſit; ergo eſt neceſſarium, quòd Ens infinitum in Poteſtate ſit; & dicimus, quòd tale Ens ſit DEUS, ergo eſt neceſſarium, quòd DEUS ſit.

Quòd Ens ſummum in Virtute ſit.

5. OMne ens, quantò plus Virtutis habet, tantò magìs appropinquat ad Infinitatem & Summitatem Virtutis; ſed quantò magìs appropinquat ad Infinitatem & Summitatem Virtutis, tantò magìs appropinquat ad nihil, ſi non datur Ens infinitum & ſummum in Virtute; quia appropinquat ad id, quod nihil eſt; quantò magìs autem appropinquat ad nihil, tantò minus eſt: ergo à primo ad ultimum, quantò plus virtutis habet ens, tantò minus virtutis habet; quia, quod modicum eſt, habet etiam modicum virtutis; & hoc eſt falſum & impoſſibile, quia contradictio; ergo etiam id, ex quo ſequitur: ſequitur autem ex hoc, quòd ponatur, quòd Ens ſummum in Virtute non ſit; ergo eſt impoſſibile, quòd Ens ſummum in Virtute non ſit; igitur eſt neceſſarium, quòd ipſum ſit; & tale Ens dicimus DEUM; ergo eſt neceſſarium, quòd DEUS ſit.

Ex præmiſſis colligitur, quòd Ens, quod eſt ſummum in Bonitate, infinitum in Magnitudine, æternum in Duratione, immenſum in Poteſtate & Virtute, ſit ſummè ſapiens & ſumma Veritas, aliàs non eſſet ſummè Bonum: caret etiam principio & fine, aliàs non eſſet eſſentialiter Æternum: eſt ſummè ſimplex, quia ſi in illo eſſet compoſitio, eſſet naturaliter diviſibile, & per conſequens mutabile, & poſſet non eſſe, & ſic non eſſet æternum nec ſimpliciter primum: eſt etiam infinitum in Virtute, & perfectum in omni perfectione, & principium omnium, aliàs non eſſet ſummè potens & omnipotens: eſt finis omnium, aliàs, ſi non ordinâſſet omnia ad ſe, non eſſet ſummè ſapiens nec ſummè bonum: eſt etiam purus Actus, ſcilicet pura forma, quia ſi in illo eſſet aliquid

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quid potentialitatis, ſcilicet materiæ, eſſet in eo compoſitio & diverſitas naturæ: etiam patet, quòd omnes iſtæ Rationes ſcilicet Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria & ſimilia ſint in illo realiter; aliàs non eſſet verum & perfectum bonum magnum &c., & quòd iſtæ Rationes in illo ſint unum & idem, una Eſſentia & Natura; ſi enim differrent, ſcilicet realiter, tale Ens non eſſet totum bonum, totum magnum, & ſic de aliis Rationibus: etiam ſua Potentia eſt ſua Eſſentia, aliàs in eo eſſet differentia; eſt etiam ab ipſo omne eſſe & omne poſſe, aliàs ſumma Eſſentia non eſſet ſumma Potentia: & ſi ab ipſo eſt omne eſſe & omne poſſe, quidquid habet & quidquid poteſt, habet & poteſt à ſe ipſo: igitur probavimus de neceſſitate, quòd ſit tale Ens, quale deſcripſimus, & per conſequens de neceſſitate, quòd DEUS ſit.

ARTICULUS I.
Quòd ſit unus DEUS tantùm.

POſtquam probavimus, quòd de neceſſitate ſit tale Ens, quale deſcripſimus, quod dicimus DEUM, probamus, quòd non ſit, niſi Unus DEUS.

1. Illud Ens eſt ſummè bonum, quod eſt ſupra omne bonum; ſed ſuprà probavimus, quòd de neceſſitate ſit Ens ſummè bonum: ergo ipſum eſt ſupra omne bonum; non autem eſſet ſupra omne bonũ, ſi eſſent duo vel plura ſumma Bona, cùm ſummum non ſit majus ſummo: ergo eſt tantùm Unum Summum Bonum, ergo eſt tantùm Unus DEUS.
2. Si ſunt plures Dii, ſunt plura Entia infinita, cùm probatum ſit, quòd DEUS ſit Ens infinitum; ſed eſt impoſſibile, quòd ſint plura Entia infinita; quia ſi eſſent plura Entia infinita, unum eſſet extra aliud; & cùm infinitum dicatur, quod nullâ menſurâ poteſt menſurari, menſura unius non comprehenderetur à menſura alterius; & ſic una menſura ſupergrederetur aliam, & ita neutrum eſſet infinitum; cùm extra infinitum nihil ſit: ergo eſt impoſſibile, quòd ſint plures Dii; & ſic eſt Unus DEUS tantùm.
3. In DEO ſua Bonitas, ſua Magnitudo, ſua Æternitas, ſua Poteſtas, & ſic de aliis, ſunt idem, & inter iſta eſt ſumma Concordantia, ſumma Unitas, ſumma Identitas, ût probatum eſt; ſed Divina Bonitas ratione ſuæ Nobilitatis & Summitatis non patitur, quòd ſit aliquod bonum aliud à ſe æquale ſibi in bonitate, ergo nec Divina Æternitas patietur, quòd ſit aliquod ens aliud à ſe ſibi æquale in æternitate ſive duratione, quia eſt ſumma in Duratione; ſed ſi ſunt plures Dii, ſunt plura Entia æterna; ergo eſt impoſſibile, quòd ſint plures Dii.
4. Si ſunt plures Dii, ſunt plures Omnipotentes; ſed eſt impoſſibile, quòd ſint plures Omnipotentes, ergo eſt impoſſibile, quòd ſint plures Dii: ergo eſt neceſſarium, quòd tantùm Unus DEUS ſit: patet autem, quòd ſit impoſſibile, quòd ſint plures Omnipotentes, nam aut potentia unius eſt potentia alterius, & ſic non ſunt eſſentialiter plures Omnipotentes, ſed Unus; aut potentia unius non eſt potentia alterius, ſed ſunt potentiæ diverſæ; & ſic nullus eſt omnipotens, unde quod poteſt unus, non poteſt alius; & ſimiliter, quia neuter illorum poteſt non dominari ſinè alio, cùm cuilibet competat dominari; quidquid ſit, ideo neuter illorum erit dominus nec omnipotens.
5. Eſt impoſſibile, quòd ſint plura Entia omni perfectione perfecta; ſed ſi ſunt plures Dii, ſunt plura Entia omni perfectione perfecta, cùm ita ſit, quòd intelligamus DEUM omni perfectione perfectum; ergo eſt impoſſibile, quòd ſint plures Dii, ergo eſt neceſſarium, quòd ſit Unus DEUS tantùm: quòd autem ſit impoſſibile, quòd ſint plura Entia omni perfectione perfecta, patet, quia ſi in quolibet eſſet omnis perfectio, quidquid perfectionis eſſet in uno, eſſet etiam in alio: ergo in omnibus eſſet una & eadem perfectio: ergo non ſunt plura in perfectione, nec plura perfecta, ſed Unum. Si autem dicitur, quòd perfectio, quæ eſt in uno, non ſit in alio, tunc in nullo erit omnis perfectio, imò cuilibet deficiet omnis perfectio, quia in quolibet ponitur omnis perfectio.

ARTICULUS II. & III.
Quòd in DEO ſit Pluralitas Perſonarum, & primò, quòd ſint duæ Perſonæ.

NOn minoris actualitatis, poteſtatis & nobilitatis eſt infinita Bonitas, quàm finita; ſed finita bonitas eſt ratio finito bono, quòd producat naturaliter & de ſe finitum bonum, ergo infinita Bonitas erit ratio infinito Bono, quòd producat naturaliter &

ex

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ex ſe infinitum Bonum: igitur cùm in DEO ſit infinita Bonitas, producet infinitum Bonum; nihil autem aliud à DEO poteſt eſſe infinitum, ſed ſolus DEUS, ût probatum eſt; unde cùm DEUS ſit infinitum Bonum, producet infinitum Bonum, & per conſequens idem & æquale ſibi in Bonitate, Eſſentia & Natura; cùm ſuperiùs ſit probatum, quòd non poſſint eſſe duo vel plura differentia per Eſſentiam: unde cùm omnis actio ſit ſuppoſitorum, ſcilicet ſuppoſiti ût producentis, & ſuppoſiti ût producti, convenit, quòd inter producentem & productum ſit Diſtinctio ſuppoſitorum, cùm idem non poſſit producere ſe ipſum; ergo ſequitur, quòd in Divinis erit Suppoſitum Producens & Suppoſitum Productum, & utrumque dicimus Perſonam, cùm perſona „dicatur individua ſubſtantia rationalis naturæ, vel ſuppoſitum rationalis naturæ„; & veriùs & magìs propriè dicetur Perſona in Divinis, quàm in creatis; quia „in Divinis *Perſona eſt incommutabilis exiſtentia Divinæ Naturæ* „: ergo ſequitur Pluralitas Perſonarum.

2. Item omne id, quod eſt purus Actus æternus & infinitus, agit æternaliter & infinitè Æternum & infinitum, aliàs non eſſet purus Actus æternus & infinitus; ſed DEUS eſt purus Actus æternus & infinitus, ergo agit æternaliter & infinitè Æternum & Infinitum; ſed omne tale eſt DEUS, ergo DEUS producit DEUM: ſicut enim magìs proprium & naturalius eſt creaturæ, cùm ſit finita, magìs operari parva, quàm magna, quia magìs participant cum creatura, quia magìs accedunt ad finitatem, ſicut miles, qui faciliùs dat unum equum, quàm unum caſtrum, & Rex unum caſtrum, quàm civitatem, ſic & multò magìs eſt magìs proprium & naturale DEO, cùm ſit infinitus, operari ea, quæ ſunt magna ſimpliciter, quàm ea, quæ ſunt parva; aliàs non operaretur ſecundùm modum & virtutem ſuæ naturæ: nihil autem eſt ſimpliciter magnum, niſi ſolus DEUS; ergo DEUS producit DEUM, ergo ſequitur Pluralitas Perſonarum.

3. In DEO ſuum exiſtere & ſuum agere ſunt idem, cùm ſit purus Actus; ſed DEUS eſt DEUS in exiſtendo, ergo erit DEUS in agendo, ergo DEUS producet DEUM; aliàs DEUS eſſet DEUS in exiſtendo, & non eſſet DEUS in agendo; igitur ſequitur Pluralitas Perſonarum.

4. Eſt impoſſibile, quòd una & eadem ſimplex eſſentia diſtet à nihilo in infinitum, & non diſtet à nihilo in infinitum, quia implicatur contradictio; ſed Divina Eſſentia eſt eadem cum ſua Potentia, quia eſt ſimplex, & cùm Eſſentia ſit infinita, diſtat à nihilo in infinitum; ſed ſi de ſe & naturaliter nihil poteſt producere, ſua Potentia non diſtat à nihilo in infinitum, imò habet ſécum annexum nihil, ſi de ſe nihil poteſt producere: ergo Divina Eſſentia diſtat à nihilo in infinitum, & Divina Potentia, quæ eſt idem cum Divina Eſſentia, non diſtat à nihilo; ſed hoc eſt impoſſibile: igitur Divina Potentia poteſt aliquid de ſe & ex ſe producere, non finitum, quia non eſt diviſibilis, cùm ſit ſimplex: ergo producet de ſe & ex ſe Infinitum: ergo ſequitur Pluralitas Perſonarum.

5. Illud Ens eſt nobilius, quod eſt Bonum & facit Bonum, eſt Infinitum & facit Infinitum, eſt Æternum & facit Æternum, eſt Perfectum & facit Perfectum &c., quàm illud, quod non facit; aliàs potentia & privatio eſſent nobiliora, quàm ſit actus; ſed DEUS non ſolùm eſt Ens nobilius, quàm omne ens, ſed etiam ſimpliciter nobiliſſimum: unde cùm ipſe ſit ſummè Bonus, Infinitus & Perfectus, ût ſuprà probatum eſt, producet Bonum Infinitum, Æternum & Perfectum; quia producendo bonum finitum non coæquaret ſuum actum, quantum ad terminum *ad quem*, ſcilicet ad rem productam; cùm eſſet finitus, ſibi ipſi, qui eſt infinitus; nec in tali actu communicaret ſuam Eſſentiam: nihil autem poteſt eſſe Bonum Infinitum, Æternum & Perfectum, niſi ſolus DEUS, ergo DEUS producet DEUM æqualem ſibi in omnibus: igitur probavimus, quòd in Divinis ſint duæ Perſonæ, una Producens, & alia Producta; Perſonam Producentem appellamus Patrem, & Perſonam Productam appellamus Filium.

Quare Perſona producens dicatur Pater, & producta Filius?

OMne illud, quod producitur de eſſentia alicujus ſecundùm operationem naturæ & ſecundùm principalem modum & ordinem procedendi, & eſt in eadem eſſentia & natura cum producente, dicitur & eſt filius producentis, & producens dicitur pater, cùm ſint relativa; ſicut videmus & dicimus, quòd homo generatus ab alio homine dicitur ejus filius, à quo eſt immediatè generatus, quia eſt de eſſentia generantis, & educitur ab eo in eſſe per naturalem gene-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

rationem, & participat cum illo ſecundùm ſpeciem eandem eſſentiam & naturam, & procedit ab eo ſecundùm principalem modum & ordinem procedendi, quia ab eo procedit per generationem & immediatè: & ſi homo generatus à patre haberet Animam, per quam eſt homo, veriori & perfectiori modo eſſet filius ejus: & ſi eſſet à patre ſecundùm totam ſubſtantiam & ſinè adjutorio matris, adhuc veriori & perfectiori modo eſſet ejus filius: & ſi haberet eandem eſſentiam cum eo & ab eo, adhuc veriori & perfectiori modo eſſet filius ejus, & per conſequens pater eſſet veriori & perfectiori modo pater: unde cùm DEUS ratione ſuæ ſummæ Nobilitatis, Actualitatis & Fœcunditatis producat de ſe toto æqualem ſibi per omnia & naturaliter (nam probatum eſt, quòd DEUS ſit DEUS in agendo, ſicut in exiſtendo) ſic etiam iſta Productio eſt ſecundùm principalem modum & ordinem procedendi: quia ſicut dualitas eſt prior, quàm trinitas, ſic Proceſſio unius de uno per modum Generationis eſt prior ordine naturæ, quàm Proceſſio, quæ non eſt per modum generationis, nec unius de uno, ſed unius de duobus: igitur veriſſimè in Divinis in Productione, quâ unus producitur ab uno, Productus dicitur Filius, & Producens Pater; & tantò veriori modo, quàm in rebus creatis, quantò veriori modo omnia prædicta inveniuntur in Divina Generatione.

ARTICULUS IV.

Quòd in Divinis ſit Tertia Perſona.

POſtquam probavimus, quòd in DEO ſit Perſona Patris & Filii, reſtat probare Tertiam Perſonam, ſcilicet Sanctum Spiritum.

1. Probatum eſt ſuperiùs, quòd Pater producat Filium per modum Naturæ, qui eſt idem cum Patre in Subſtantia, & æqualis per omnia: unde ſicut naturale eſt Patri generare Filium, ita eſt illi naturale amare Filium, cùm ipſe Filius ſit infinitè bonus; & ſicut naturale eſt Filio generari à Patre, ita naturale eſt illi amare Patrem; inde arguimus ſic: Omnis Amor verus, actualis & perfectus de neceſſitate requirit Amantem, Amatum & Amare; ſed in DEO eſt Amor verus, actualis & perfectus, & ibi eſt Amans Pater, qui eſt Perſona, & Amatus Filius, qui eſt Perſona, ût probatum eſt: ergo etiam Amor procedens à Patre in Filium, & è converſo, erit Perſona; aliàs Divinus Amor non eſſet tantæ Actualitatis, Bonitatis, Magnitudinis &c., quantæ eſt Amans & Amatus.

2. Eſt impoſſibile, quòd in Divinis ſit aliquod accidens, cùm Divina Eſſentia, ût probatum eſt, ſit ſimpliciſſima & nobiliſſima; ſed ſi Amor Patris & Filii non eſſet Perſona, ille Amor eſſet accidentalis: ergo neceſſarium eſt, quòd ille Amor ſit Perſona.

3. Tantæ Actualitatis & Fœcunditatis eſt Amare in DEO, quantæ Generare; ſed per Generare exit Perſona de Perſona, ſicut Filius de Patre: ergo de Amore Patris & Filii exit Perſona.

4. Major Unitas, quæ poteſt eſſe, ſalvâ Diſtinctione Perſonarum, debet eſſe inter Patrem & Filium (cùm inter illos ſit ſumma Concordantia) ſed Unitas Eſſentiæ & Operationis eſt major, quàm Unitas Eſſentiæ tantùm: ergo Pater & Filius unientur non ſolùm in Eſſentia, ſed in Operatione naturali infinita & eſſentiali, quæ ſit eis æqualis per omnia; hoc autem non eſſet, niſi illud Productum eſſet Perſona, in cujus Productione Pater & Filius æqualiter concordarent, quantum ad omnes Rationes & Dignitates.

5. Omnis operatio, ſicut eſt ſuppoſiti vel ſuppoſitorum, ût termini *à quo*, ita convenit, quòd ſit ſuppoſiti, ût termini *ad quem:* unde cùm omnes Dignitates, quæ ſunt in Patre & Filio, ſint activæ, ſicut Pater eſt Perſona, & Filius eſt Perſona, ſic eorum Operatio vel Productio intrinſeca erit Perſona: igitur apparet, quòd, ſi in Divinis ponatur prædicta Pluralitas Perſonarum, quam probavimus, omnes Divinæ Dignitates habeant ſuos Actus intrinſecos & perfectos ſecundùm omnes Rationes: ſicut Bonitas Bonificativum, Bonificabile & Bonificare; Magnitudo Magnificativum, Magnificabile & Magnificare; & ſic de omnibus aliis Dignitatibus: ſi autem non ponatur in Divinis prædicta Pluralitas Perſonarum, nulla Divina Dignitas habebit Actum naturalem & intrinſecum, imò omnes erunt ab æterno otioſæ intrinſecè, & carentes naturali perfectione & fœcunditate; nec DEUS habebit, cui impendat ſummum & infinitum Amorem, nec à quo ſummè & infinitè diligatur: poterit etiam operari aliquid de nihilo, ſicut creaturas; de ſe autem nihil poterit operari; & ſic DEUS non erit Ens nobiliſſimum,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

liſſimum, actualiſſimum & perfectiſſimum, quia non erit activus de ſe & naturaliter, nec habebit perfectas Rationes; quod eſt impoſſibile.

Quare Perſona procedens à Patre & Filio dicatur Sanctus Spiritus.

1. PRobavimus ſuperiùs, quòd ex Amore Patris ad Filium, & è converſo, procedat Tertia Perſona, quam appellamus Sanctum Spiritum; nam ſicut, quando duo homines mutuò & intimè ſe diligunt, fit communicatio ſpirituum eorum, & quidam intimus & æſtuans impulſus amoris eorum, propter quod & illi dicuntur habere unum ſpiritum, qui idem amant & idem affectant, cùm amicitiæ ſit idem velle: ſic, quia Pater amando Filium intimâ & ſummâ dilectione, cùm ſit ſummè bonus, & Filius amando Patrem intimâ & ſummâ dilectione ad invicem in iſto Amore communicant, Perſona procedens per modum mutui & intimi Amoris dicitur Spiritus; quia ſicut „Spiritus vitalis eſt nexus & unio corporis & animæ„, ſic, imò nobiliori modo Sanctus Spiritus eſt nexus Patris & Filii; & non dicitur Filius, quia eſt alius modus in Divinis, quo unus procedit ab uno per modum Generationis, & alius, quo unus procedit ab illis duobus per modum Amoris

2. Dicitur etiam & appellatur Sanctus, quia eſt Opus Sanctificationis, & procedens ex Sanctificatione; quia Pater diligendo Filium ſummo & intimo & æterno Amore eſt innocens Filio, & Filius diligendo Patrem ſummo & intimo & æterno Amore eſt innocens Patri; & quia ex iſto mutuo & intimo Amore, quo Pater eſt innocens Filio, & è converſo, procedit, dicitur Sanctus: quia ſicut eſt ex Natura ſpirativa amborum, ſic eſt ex Natura ſanctificativa amborum. Dicitur etiam Sanctus, quia innocens, quia adeò perficit & complet numerum Divinarum Perſonarum, quòd non poſſint eſſe plures, quàm tres, nec pauciores; ſicut ex ſequentibus intendimus declarare & probare.

Quòd in Divinis ſint tantùm tres Perſonæ.

IN præcedentibus probatum eſt, quòd in Divinis ſint tres Perſonæ, quarum unam appellamus Patrem, aliam Filium, qui à Patre procedit, aliam Sanctum Spiritum, qui à Patre & Filio procedit: Prima Perſona eſt, quæ à nulla procedit, ſed ab ipſa ſola procedit alia, ſcilicet Filius, quæ Prima eſt Pater; Secunda Perſona eſt, quæ procedit ab alia, & ab ipſa procedit alia, quæ Secunda eſt Filius; Tertia Perſona eſt, quæ procedit à duabus, & ab ipſa nulla procedit, quæ Tertia eſt Sanctus Spiritus: unde *primò* probabimus generaliter, quòd non poſſint eſſe niſi Tres Perſonæ: *ſecundò* probabimus in ſpeciali, attendendo Nomina & Proprietates Perſonarum.

1. *Primò*, omnes Divinæ Dignitates & Rationes ſunt in DEO perfectiſſimæ & completiſſimæ, cùm ſint idem, quod DEUS; ſed ipſæ non poſſunt ſignificari, diſtingui & determinari, niſi ſub Numero & in Numero Ternario, ergo nec Perſonæ; aliàs inter Divinas Dignitates & Perſonas eſſet realis diverſitas: & ſi ſic, Divinæ Dignitates non eſſent DEO Ratio producendi Suppoſita ſeu Perſonas; quod eſt impoſſibile: quòd autem Rationes & Dignitates ſint in Numero Ternario tantùm, patet; nam omne, quod eſt bonum, vel eſt bonificans, vel bonificatum, vel bonificare; & omne, quod eſt magnum, vel eſt magnificans, vel magnificatum, vel magnificare; & ſic de aliis: igitur cùm non poſſit inveniri completa Ratio Dignitatum in minori numero, quàm in Ternario, nec inveniri in majori, dictæ Perſonæ erunt in Numero Ternario.

2. Ille numerus, qui eſt nobilior & magìs neceſſarius, quàm omnes alii, debet poni in Deitate, poſtquam probatum eſt, quòd ibi ſit Pluralitas; ſed Numerus Ternarius eſt nobilior & magìs neceſſarius, quàm alii; cùm nullus actus poſſit eſſe ſinè numero ternario, & hoc patet, quia in omni actu convenit dari terminum *à quo*, & *ad quem*, & actum medium nexum utriusque termini: ergo in Deitate erit Numerus Ternarius.

3. Ille numerus, cujus partes magìs conformiter & regulatè & ordinatè ſe habent, eſt ponendus in Divinis; cùm ibi ſit ſummus Ordo, non temporis, ſed Proceſſionis vel Originis; ſed Numerus Ternarius, ût ponitur in Divinis, habet partes conformes regulatas & ordinatas; nam quæcunque Divina Perſona conſideretur, duæ aliæ eam æqualiter reſpiciunt, & æqualiter reſpiciuntur ab ea: imò quod eſt mirabile & ſingulare in Divinis, conſideratâ quâvis unâ Perſonâ tanquam pro una parte Numeri Ternarii, & aliis duabus eam æqualiter reſpicientibus, fit triangulus: ût ſi conſideras Perſonam Patris, Perſona Filii & Sancti Spiritûs

(c) 2006 Ministerio de Cultura

eam æqualiter reſpiciunt, & æqualiter reſpiciuntur ab ea; ſi conſideras Perſonam Filii, æqualiter & immediatè reſpiciunt eam Pater & Sanctus Spiritus, & reſpiciuntur ab ea; ſi conſideras Perſonam Sancti Spiritûs, æqualiter reſpiciunt eam Pater & Filius, & reſpiciuntur ab ea; & ita „ſemper fit trianguſlus: & quia hoc fit conſideratâ quâlibet „Perſonâ, fit ibi circulus; & ita Numerus „ternarius triangulatur, & triangulus circu„latur, & circulus triangulatur„: in nullo autem alio numero poteſt inveniri iſta harmonia & iſta pulchritudo, niſi in Numero Ternario, & non in quocunque numero ternario; quia non in numero ternario directè producto, licèt enim in numero ternario directè producto primum æqualiter ſe habeat ad ſecundum, ſicut ſecundum ad primum, & ſecundum ad tertium, & è converſo, non tamen primum æqualiter ſe habet ad tertium & ſecundum, nec tertium ad primum & ſecundum; ſed hoc invenitur in ternario ordinato eo modo, quo numerus ternarius ponitur in Divinis: igitur patet, quòd in Divinis ſint tres Perſonæ tantùm, & quòd ſic ſint ordinatæ & diſtinctæ, ſicut diximus.

4. *Secundò* probamus, quòd in Divinis non ſint, niſi Tres Perſonæ, attendendo Nomina Divinarum Perſonarum & Proprietates earum. Omnia illa, quæ ſunt in Divinis, ſunt perfectiſſima & in ſummo eſſe; ſed ſi eſſent in Divinis plures Patres vel plures Filii, vel plures Sancti Spiritus, aut eſt neceſſarium, quòd ſint plures Patres vel plures Filii vel plures Sancti Spiritus, aut non? ſi non eſt neceſſarium, quòd ſint plures, non ſunt; nam omne id, quod eſt in Divinis, eſt neceſſarium, & non contingens: ſi eſt neceſſarium, quòd ſint plures, in nullo reperitur perfecta, completa & coæqualis Ratio Paternitatis, Filiationis & Spirationis, & per conſequens nullus eſt perfectus Pater, nullus perfectus Filius, nullus perfectus Sanctus Spiritus, poſtquam non ſufficit unus Pater, unus Filius, nec unus Sanctus Spiritus; ergo nullus eſt perfectè bonus, nullus perfectè producit, nullus perfectè producitur, nullus perfectè dat, nec recipit; ſed hoc eſt impoſſibile: igitur non eſt quarta vel ulterior Perſona, quæ ſit Pater, vel Filius, vel Sanctus Spiritus.

Si autem dicitur, quòd ſit quarta Perſona, vel ultra, quæ non ſit Pater, nec Filius, nec Sanctus Spiritus, talis Perſona non erit producta à Patre & Filio & Sancto Spiritu, in quantum Pater & Filius & Sanctus Spiritus, poſtquam Perſona producta non erit Pater, nec Filius, nec Sanctus Spiritus; cùm tamen omnis actio ſit ſuppoſitorum. Si autem dicitur, quòd non producatur à tribus Perſonis, ſed ab una vel duabus, ſequitur idem inconveniens, quod priùs; & ultra hoc, quòd Perſona producta magìs immediatè & cum majori amore & germanitate adhærebit illi vel illis, à qua producetur, quàm à qua non producetur.

5. Omnis ratio principii activè & paſſivè ſumpta, ſi perfectè & ſecundùm ſuam totalem rationem ſumatur, de neceſſitate requirit tres terminos, ſcilicet principium principians & non principiatum, ut nihil ipſum præcedat, aliàs eſſet proceſſus in infinitum à parte antè; & principium principiatum & non principians, aliàs eſſet proceſſus in infinitum à parte poſt; & principium principiatum principians, quod eſt medium inter ea, & ſapit naturam utriusque; nec poteſt pluribus, quàm iſtis tribus modis dici vel eſſe principium, nec ſinè iſtis tribus modis poteſt tota & perfecta ratio principii reperiri; ſed in DEO eſt totalis & perfectiſſima Ratio Principii, igitur in Divinis erit Principium Principians & non Principiatum, & iſtud Principium dicimus Patrem; & Principium non Principians & Principiatum, & iſtud dicimus Sanctum Spiritum; & Principium Principiatum & Principians, & iſtud dicimus Filium, qui eſt Principiatus à Patre, & principiat cum Patre Sanctum Spiritum: ergo ſunt tantùm tres Perſonæ, & non plures; & ſic probavimus primum, ſecundum, tertium & quartum Articulum.

ARTICULUS V.
De Creatione.

QUintus Articulus eſt, quòd DEUS ſit Creator mundi, & hoc probamus ſic:

1. Divina Bonitas, Divina Magnitudo, Æternitas, Poteſtas & cæteræ Divinæ Dignitates ſunt in DEO unum & idem; ſed Divina Poteſtas non poteſt aliquid, quod non ſit de ſua Natura, ſibi coæquare in Magnitudine, Bonitate nec in Poteſtate, ergo nec in Æternitate; igitur cùm nec mundus nec aliquid aliud à DEO ſit de Eſſentia DEI, non ſolùm ſequitur, quòd non ſit æternus, imò quòd non poſſit eſſe æternus; & hoc idem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

idem ſequitur de quacunque re alia à DEO.

2. Probatum eſt, quòd DEUS ſit Omnipotens, & quòd non ſit, niſi unus Omnipotens; & ſic omnia, quæ ſunt, ſunt producta ab ipſo, aliàs non eſſet Omnipotens; inde arguimus ſic: Si DEUS produxit mundum, aut produxit eum de ente æterno, aut de ente non æterno, aut de nihilo; non de ente æterno, nam cùm nihil eſſentialiter ſit æternum, niſi ſolus DEUS, ût probatum eſt, mundus eſſet de Subſtantia DEI, imò eſſet DEUS, cùm Subſtantia DEI (eò quòd, eſt ſimpliciſſima) non poſſit communicari, niſi tota: nec de ente non æterno potuit eum producere ab æterno, quia eſt contradictio: nec de nihilo potuit eum producere ab æterno, quia, quod accepit eſſe ex nihilo, aliquando fuit verum dicere, quòd non fuerit, aliàs non potuiſſet creari ex nihilo; nomen enim & ratio creationis, quâ creatio dicitur factio de nihilo, manifeſtè declarat, quòd omne creatum cœperit eſſe, poſtquam de nihilo factum eſt; quod autem cœpit eſſe, non eſt æternum: ergo nullum creatum poteſt eſſe æternum; nam æternum non poteſt eſſe, niſi de æterno.

3. Omne illud, quod plùs participat & accedit ad naturam æternitatis, plùs participat de natura entitatis, & nobilius eſt, quàm id, quod minùs participat; ſed ſi mundus eſt æternus, corruptio eſt æterna ſecundùm ſpeciem & ſecundùm numerum; cùm omne, quod generatur, corrumpatur; & res corrupta nunquam redeat eadem numero, imò ſemper ſtet in privatione & corruptione, & ideo eſt æterna ſecundùm numerum & ſpeciem; quod non ſic eſt de generatione; nam res genita aliquando corrumpitur, & nunquam redit eadem numero, ût dictum eſt, & ſic generatio non eſt æterna ſecundùm numerum, ſed tantùm ſecundùm ſpeciem; cùm nullum ſuppoſitum, poſtquam corruptum eſt, redeat idem numero, ergo corruptio eſt nobilior, quàm generatio; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo mundus non eſt æternus: corruptio etiam non erit prior, quàm generatio, nec è converſo (quia æternum non eſt prius duratione vel tempore, quàm æternum) cùm tamen generatio de neceſſitate præſupponat corruptionem prioritate temporis, eò quòd fit ſucceſſivè & paulatim, & generatio præſupponat id, de quo fit, & corruptio id, à quo fit, & ſic neutrum eſt æternum; quod eſt contradictio.

4. Nulla poteſtas plùs poteſt ſub aliena ratione, quàm ſub propria ratione, quia plùs poſſet in alia, quàm in ſe ipſa; ſicut nec bonitas poteſt dici magìs bona ſub ratione poteſtatis, quàm ſub ratione bonitatis; ſed Divina Poteſtas non poteſt alicui, quod non ſit de ſua Eſſentia, dare poteſtatem, quæ ſit infinita ſub ratione poteſtatis & in quantum poteſtas; quia ſi poſſet, illud (cui daret talem poteſtatem, quæ eſſet infinita, in quantum poteſtas) poſſet in infinita & in infinitum; & ſic eſſet DEUS: ergo nec Divina Poteſtas poteſt alicui communicare infinitam durationem.

5. Omne illud, per quod Divina Eſſentia in omnibus tranſcendit omnia alia à ſe, eſt neceſſarium; aliàs Divina Eſſentia non eſſet nobiliſſima, actualiſſima, ſingulariſſima & unicè unica; ſed ſi aliquid aliud à DEO eſſet vel poſſet eſſe æternum, Divina Eſſentia non tranſcenderet illud in Æternitate: ergo nihil aliud à DEO eſt æternum, nec poteſt eſſe æternum; DEUS enim non eſſet omnipotens, niſi omnia, quæ ſunt, principiâſſet; nec eſſet ſimpliciter primus, niſi omnia alia à ſe præcederet & principiâſſet: & ideo per hoc demonſtratur, quòd omne id, quod eſt aliud à DEO, ſit ab eo creatum, & per conſequens non ſit æternum; cùm omne creatum ſit deductum de non eſſe ad eſſe.

ARTICULUS VI.

De Recreatione.

SExtus Articulus eſt Recreatio; & ad probandum Recreationem convenit probare *quatuor*. *Primum*, quòd Primi Parentes peccaverint. *Secundum*, quòd Peccatum eorum omnibus hominibus ſit generale corporaliter. *Tertium*, quòd ſit generale ſpiritualiter, hoc eſt, quantum ad Animam. *Quartum*, quòd ſit neceſſaria Recreatio: & primò.

Quòd Primi Parentes peccaverint.

1. DEUS, qui creavit mundum, ût probatum eſt, creavit ſeu fecit hominem, qui eſt pars mundi, quem, cùm ſit rationalis naturæ, fecit talem, ut diſcerneret inter bonum & malum, & diligeret bonum, & odiret malum; aliàs fruſtra feciſſet eum rationalis naturæ, & ut majus bonum magìs diligeret, & Summum Bonum ſummè & liberè dili-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

diligeret; tantæ enim nobilitatis eſt Summum Bonum, quòd liberè velit & debeat diligi: igitur ſecundùm hoc homo à DEO factus eſt bonus, & ad bonum ordinatus, factus eſt etiam juſtus; quia etiam juſtitia eſt bonum diligere, & ſumma Juſtitia Summum Bonum ſummè diligere: & cùm ſit factus ad diligendum Summum Bonum, liberè meretur, & convenit, quòd aſſequatur id, aliàs fruſtra factus eſſet ad illud; & ſi illud aſſequitur, aſſequitur & meretur Beatitudinem; aliàs Summum Bonum non eſſet Summum Bonum, ſi non eſſet Beatitudo illis, qui aſſequuntur ipſum: homo etiam ſecundùm ſuî inſtitutionem eſt factus ad vivendum, non ad moriendum; cùm mors non ſit beatitudo, ſed miſeria; ut, ſi ſervaret ordinem à DEO ſibi inditum, mereretur Beatitudinem, ſcilicet vitam æternam & gloriam; ſi autem non ſervaret, ſed mutaret illum ordinem, puniretur morte, infelicitate & ignominiâ: his præmiſſis arguimus ſic:

Omnis natura à DEO in rectitudine inſtituta, & ad Summum Bonum & ad Beatitudinem ordinata, ſi ſecundùm ordinem à DEO ſibi inditum operetur, bene & bona & magna opera operatur, & non parva; ſi autem operatur mala & parva opera ſemper, vel magìs, quàm bona & magna, non ſequitur ordinem ſibi à DEO inditum, ſed mutat illum, & per conſequens peccat, quia non manet in obedientia DEI, & non tendit ad finem, ad quem erat facta; & ſi talis mutatio invenitur in quolibet individuo illius naturæ, convenit, quòd iſta mutatio inceperit in illo vel ab illis, à quibus omnia illius naturæ individua proceſſerunt; aliàs non inveniretur in omnibus: ſed humana natura eſt à DEO in rectitudine inſtituta, & ad Summum Bonum & Beatitudinem ordinata, ût probatum eſt: unde, cùm non operetur bona & magna opera ût plurimùm, quia videmus, quòd in omnibus hominibus ſit multum de malo, & parum de bono, nec in aliquo homine eſt tantum de bono, quantum deberet eſſe, ſequitur ergo, quòd conditio hominum ſit in contrarium mutata; non à DEO, quia iſta mutatio eſt mala & contraria ordinationi DEI; nec ab alio, qui poſſet mutare hominem contra ſuam voluntatem; quia ſic non haberet culpam, & per conſequens nec pœnam: ergo iſta mutatio eſt in homine ex eo, quia habuit naturam operandi bonum cum libertate, & ſervandi rectitudinem, quam non ſervavit; quia ſi ſinè libertate habuiſſet talem naturam, non haberet meritum, nec poſſet flecti ad contrarium; ſicut ignis, qui non cum libertate, ſed cum neceſſitate ſuæ naturæ calefacit, non meretur, nec poteſt flecti ad frigefaciendum: & cùm iſta mutatio inveniatur in omnibus hominibus, convenit, quòd inceperit in Primis Parentibus, à quibus omnes homines proceſſerunt: ergo ſequitur, quòd Primi Parentes peccaverint.

2. Si Primi Parentes non peccâſſent, tam ipſi, quàm omnes derivati ab eis eſſent virtuoſi virtutibus politicis naturaliter, & habitus virtutum politicarum eſſent eis naturales, quia humana natura à ſuî inſtitutione eſt ordinata ad virtutes, ût ſuprà declaratum eſt, & ſic generaret virtuoſos homines; videmus autem contrarium, quòd omnes homines, qui volunt eſſe virtuoſi prædictis virtutibus, habeant eas per acquiſitionem, & non per naturam: igitur, cùm iſta contrarietas & mutatio reperiatur in omnibus hominibus, convenit, quòd inceperit eſſe in primis Parentibus; aliàs non eſſet generalis omnibus hominibus: ergo Primi Parentes peccaverunt.

3. Omne compoſitum conſtans ex duobus principiis, quorum unum eſt actualius & nobilius, quàm alterum, magìs inclinatur & debet inclinari ad perfectiones nobilioris & actualioris, quàm minùs nobilîs & minùs actualîs; ſed homo componitur ex Anima & corpore, & Anima eſt nobilior, quàm corpus, ergo homo magìs inclinabitur ad perfectiones Animæ, quàm corporis; ſed videmus contrarium in omnibus hominibus: ergo iſta contrarietas & deordinatio incepit in primis Parentibus, à quibus omnes alii proceſſerunt; aliàs non eſſet generalis: ergo Primi Parentes peccaverunt.

4. Omnes homines cum difficultate & labore operantur virtuosè, & cum facilitate & levitate vitia; hoc autem non poteſt eſſe in hominibus à natura inſtituta, quia malè & ad malum eſſet inſtituta, cujus contrarium ſuprà probatum eſt: igitur cùm hoc ſit in multis hominibus, erit in eis à natura corrupta; & cùm ſit in omnibus hominibus, convenit, quòd iſta corruptio inceperit in Primis Parentibus; aliàs non eſſet generalis: ergo Primi Parentes peccaverunt.

5. Omnis natura ſuſcipiens augmentum & decrementum vehementiùs operatur ſuas operationes naturales in ſtatu augmenti, quàm in ſtatu decrementi, & magis reſiſtit

ſuo

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuo contrario: igitur ſecundùm hoc humana natura, quæ eſt creata ad diligendum bonum, & odiendum malum, deberet eſſe magìs prona & inclinata ad bonum & virtutes, & fortis contra malum & vitia in ſtatu augmenti & juventutis, quàm in ſtatu decrementi & ſenectutis; ſed contrarium videmus in omnibus hominibus, quia ſunt magìs proni ad vitia in ſtatu juventutis, quàm ſenectutis: & cùm hoc non ſit in hominibus ab inſtitutione naturæ, quia eſt inſtituta in rectitudine, convenit, quòd ſit in eis à natura corrupta & perverſa: & cùm hoc ſit in omnibus hominibus, convenit, quòd iſta corruptio & perverſio inceperit in primis Parentibus, aliàs non eſſet generalis: ergo primi Parentes peccaverunt.

Quòd Peccatum Primorum Parentum ſit generale omnibus Hominibus corporaliter.

1. HUmana natura naturaliter & à creatione habet plus perfectionis & nobilitatis, cùm ſit creata ad diligendum Summum Bonum, quàm natura brutalis & irrationalis; inde arguimus ſic: Omnis natura, quantò nobilior eſt creata, tantò magìs naturaliter debet eſſe remota ab omni imperfectione & neceſſitate; ſed natura humana eſt nobilior, quàm omnis natura irrationalis, ergo magìs debet eſſe remota ab imperfectione & neceſſitate, quàm natura irrationalis: videmus autem contrarium, nam quando puer eſt natus, ſi illi non adminiſtraretur ad vivendum, moreretur; & indiget pluribus ad vitam, quàm animalia irrationalia, quorum multa moventur de loco ad locum immediatè, quando ſunt nata; & breviter, homo eſt ſubjectus pluribus periculis & neceſſitatibus & imperfectionibus à ſua nativitate, quàm aliquod aliud animal: igitur cùm in nobiliori ſubjecto inveniatur iſta imperfectio, & hoc non poſſit eſſe in humana natura à ſuî inſtitutione, & hoc ſit in omni homine, convenit, quòd hæc ſint ratione peccati originalis & infectionis, quæ à Primis Parentibus deciſa eſt extenſa in omnes homines.

2. Nulla pœna imponitur à juſto judice ſinè culpa; ſed omnes homines, tam injuſti, quàm juſti juſtitiâ morali, ſubjiciuntur à ſuî nativitate multis pœnis, tribulationibus, doloribus & ærumnis, ergo ratione alicujus culpæ, quæ eſt in utrisque; ſed in juſtis juſtitiâ morali non eſt peccatum, nec culpa peccati actualis, ergo convenit, quòd tam in injuſtis, quàm in juſtis ſit aliquod peccatum commune, ratione cujus omnes puniantur; aliàs DEUS eſſet injuſtus: nullum autem peccatum poteſt eſſe peccatum commune omnibus hominibus juſtis juſtitiâ morali, & injuſtis, niſi peccatum originale; ergo ipſum eſt generale corporaliter.

3. DEUS fecit hominem ad vivendum, non ad moriendum; ſed omnes homines naturaliter moriuntur, igitur convenit, quòd mors advenerit per peccatum; non enim poteſt veniſſe per vitam, cùm ſit contraria morti; nec per ſe ipſam, quia nihil educit ſe ipſum in eſſe; nec ab aliquo bono, cùm mors ſit mala & privatio: ergo venit per peccatum & malum ita generale, ſicut mortalitas eſt generalis; ſed mors eſt generalis omnibus corporaliter, ergo etiam peccatum eſt generale omnibus corporaliter.

4. Omnis natura, quæ magìs & meliùs eſt ordinata ad vitam, indiget paucioribus ad vitam in vivendo, quàm illa, quæ minùs & non ita bene eſt ordinata ad vitam; ſed natura humana magìs & meliùs eſt ordinata ad vitam, quàm aliqua alia corporalis natura animata, ût probatum eſt, ergo paucioribus indiget in vivendo, quàm aliquod aliud animal; ſed nos videmus contrarium, quia aves à nativitate habent plumas pro tunica, & ſua cibaria ſunt ſemina; & mutones (arietes) & ſimilia animalia habent lanam pro tunica, & herbam pro cibo, & ſtramen pro lecto, homo autem indiget tunicâ, camerâ, ollâ, bove, aratro, furno, medico & multis aliis, quæ longum eſſet narrare: ergo, cùm neceſſitas multorum importet defectum, & defectus non proveniat, niſi ex culpa & peccato, & iſta neceſſitas inſit & ſit communis omnibus hominibus, convenit, quòd peccatum & culpa iſtius neceſſitatis ſit generalis omnibus hominibus corporaliter.

5. Omnis actus creaturæ rationalis, quia eſt cum libertate, eſt virtuoſus vel vitioſus; ſed per actum virtuoſum humana natura non potuit deviare à fine ſibi à DEO indito; quia tunc virtus eſſet cauſa deviationis & mali; quod eſt impoſſibile: igitur cùm conſtet, quòd tota humana natura ſit deviata à fine ſibi à DEO indito, convenit, quòd talis deviatio ſit facta per actum vitioſum ita generalem, ſicut ipſa deviatio; ſed deviatio hominum eſt generalis corporaliter, cùm omnia corpora hominum corrumpantur, & moriantur, ergo etiam vitium & peccatum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

catum erit generale omnibus hominibus corporaliter: iſtud peccatum autem dicimus originale, quia deſcendit in ſingulos ab illis, à quibus omnes homines habent originem, & quia cum origine uniuscujusque perſonæ trahitur; & quia, ſicut omnes homines à Primis Parentibus ſibi traxerunt originem, ſic omnia peccata à peccato Primorum Parentum ſunt originata; nam humana natura, quæ tota erat in Primis Parentibus, per peccatum Primorum Parentum fuit tota infecta & corrupta & effecta peccatrix; & ideo non potuit propagare niſi peccatores infectos & corruptos; ratione cujus infectionis & corruptionis humana natura eſt inclinata ad alia peccata.

Quòd Peccatum Primorum Parentum ſit generale omnibus Hominibus, quantum ad Animam.

SI Anima, per quam homo habet formam humanam, & eſt homo, eſſet à generante, manifeſtum eſſet ex præmiſſis, quòd peccatum Primorum Parentum eſſet generale omnibus hominibus quoad Animam; ſed quia non eſt à generante, ſed à Creante, inducimus ad hoc ſpeciales rationes.

1. Quandocunque aliqua principia ordinantur ad conſtitutionem ſubſtantialem alicujus eſſe ſpecifici, & non ſunt propter aliud facta, niſi ut conſtituant illud eſſe ſpecificum, neceſſarium eſt, quòd illa principia ſequantur motum, modum, actum, conditionem & ordinem illius eſſe ſpecifici, quod conſtituunt; aliàs non inclinarentur ad illud conſtituendum ſubſtantialiter, nec ipſa principia eſſent naturaliter & ſubſtantialiter unita: ſed anima & corpus ſunt ordinata ad ſubſtantialem conſtitutionem ſpecifici eſſe hominis, nec ſunt propter aliquid aliud, niſi ut ſit homo; ergo anima & corpus de neceſſitate ſequuntur motum, modum, actum, ordinem & conditionem ſpecifici eſſe hominis: ſed ſpecies & humana natura, quæ tota erat in Primis Parentibus, & extra illos nihil, fuit tota infecta peccato, quantum ad corpus & quantum ad animam, & anima plùs, quàm corpus; peccatum enim incepit in anima, quia in voluntate, quia Primi Parentes noluerunt ſervare rectitudinem & juſtitiam, in qua erant creati, cùm tamen potuiſſent illam ſervare, ſi voluiſſent: igitur omnes homines, cùm ſint propagati à Primis Parentibus, erunt infecti peccato, non ſolùm quantum ad corpus, ſed etiam quantum ad animam, quia anima non eſt propter aliud, niſi ut ſit homo: igitur cùm tota humana ſpecies ſit corrupta & infecta peccato, & inimica DEI, immediatè, cùm anima adveniens corpori conſtituit hominem, quàm citò eſt verum dicere, quòd ſit homo, tam citò, in quantum eſt homo, eſt inimicus DEI, & ſic eſt peccator, quantum ad corpus & quantum ad animam: unde, qui vult intelligere, quomodo peccatum ſit in anima, conſideret, quomodo tota humana ſpecies ſit infecta & corrupta peccato, & quòd anima non ſit, niſi ut ſit homo; & conſideret, quòd DEUS non debeat mutare ordinem & juſtitiam in toto ratione partis, cùm totum non ſit propter partem, ſed pars propter totum: & ſicut in Primis Parentibus tota humana ſpecies fuit exaltata ſuper omnes ſpecies corporales per gratiam, in tantum, quòd, ſi ſervâſſent rectitudinem, acquiſivisſent pro ſe & ſua poſteritate beatitudinem, propagâſſent enim filios juſtos, quales ipſi erant, qui habuiſſent per naturam, quod Primi Parentes habuerunt per gratiam: ſic ratione peccati & culpæ Primorum Parentum tota humana ſpecies, quantum ad Primos Parentes & eorum poſteritatem, eſt ſubjecta infectioni & pœnæ, & poſteritas Primorum Parentum habet per naturam, quod Primi Parentes habuerunt per culpam; aliàs DEUS plus dediſſet homini ſinè aliquo merito per gratiam, quàm puniret propter culpam; & ſic ſua Juſtitia eſſet defectiva; quod eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd Juſtitia DEI tantum puniat in homine propter culpam, quantum dedit per gratiam; hæc enim eſt pœna criminis læſæ Majeſtatis; hoc etiam habet conditio ſervitutis, quòd omnes, qui naſcuntur de ſervis, ſint ſervi à nativitate.

2. Omnis rationalis anima, quæ movet ſuum corpus ad utendum his, quorum uſu corpus non eſt dignum, peccat, & per conſequens eſt ſubjecta peccato; ſed anima immediatè, cùm eſt infuſa corpori, movet corpus (aliàs non eſſet forma corporis, nec per conſequens pars ſubſtantialis hominis, nec homo eſſet homo per rationalem animam) ad neceſſitates corporis, ût ad augmentum, vel ad ſumendum victum, ût cibum vel potum, & ad utendum rebus, de quibus vivit, quæ ſunt creaturæ DEI, quorum uſu corpus alicujus hominis non eſt dignum, cùm ſit corruptum & infectum, quia Primi Parentes,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tes, à quibus omnes homines habuerunt ſua corpora, fuerunt contra DEUM ſuum Creatorem: ergo anima propter hoc habet culpam generalem; & ſic ſequitur, quòd peccatum in omnibus hominibus ſit generale, quantum ad animam.

3. Impoſſibile eſt, quòd unus homo habeat ſimul duos contrarios habitus; ſed ſi anima hominis non inficitur à corpore, nec inclinatur ad operationes corporis, homo, qui ſubſtantialiter conſtat ex corpore & anima, habet habitum operandi bonum & virtutes ratione animæ, quæ munda & immaculata à DEO corpori eſt infuſa, & habet habitum operandi malum & vitia ratione corporis, quod eſt infectum: igitur homo in eodem tempore & ſemper habebit inclinationem ad bonum & malum, aliàs non operaretur in virtute & natura principiorum ipſum conſtituentium; & ita homo ſimul poterit eſſe temperatus & ebrius; imò, quod plus eſt, ſi anima non inclinatur ad aliquem actum corporalem, nullus actus hominis erit vitioſus, quia nullus actus factus ſinè voluntate eſt vitioſus; videmus autem in hominibus multos actus vitioſos, igitur convenit, quòd anima inclinetur ad illos: etiam cùm omnes actus ſint ſuppoſiti, convenit dare, quòd ad omnes actus ſuppoſiti inclinentur principia ipſum ſubſtantialiter conſtituentia; & ita ad omnem actum hominis inclinabitur anima. Si autem dicatur, quòd anima juſti hominis non inclinetur ad aliquem actum corporis, eò quòd omnis actus corporis, quia corpus eſt infectum, eſt malus, ſequitur, quòd anima non ſit forma corporis, & quòd nullus actus corporalis hominis juſti ſit actus hominis, ſed tantùm corporis; propter quæ omnia, cùm ſint impoſſibilia, convenit concedere, quòd anima inclinetur ad actus corporis, & per conſequens inficiatur à corpore: ex quibus ſequitur, quòd peccatum originale ſit generale, quantum ad animam.

4. Omnis pars naturaliter priùs inclinat ſuum totum ad ſuas operationes, quàm ad alienas operationes; ſed anima eſt pars naturalis hominis, ergo priùs inclinabit hominem ad operationes animæ, quàm ad operationes corporis: videmus autem contrarium in omnibus hominibus, quia omnes homines aut ſunt magìs corporales, quàm ſpirituales, aut ſaltem omnes homines priùs incipiunt à corporalibus actibus, quàm à ſpiritualibus: igitur talis contrarietas & perverſio animæ non poteſt eſſe ſinè aliqua infectione ad hoc inclinante animam contra ſuam naturam; talem autem infectionem dicimus peccatum, quia per illam inclinatur ad peccatum: ergo peccatum eſt generale quoad animam.

5. Omnis natura naturaliter ſequitur curſum & ordinem, ad quem eſt creata, niſi ſuperveniat impediens; ſed anima eſt creata ad intelligendum, & non ad ignorandum, ad recolendum, & non ad obliviſcendum, ad diligendum bonum, & non ad odiendum, ad gloriam, & non ad pœnam, ùt ſuprà probavimus; nulla autem anima conjuncta corpori tantum intelligit, quantum ignorat, tantum recolit & memoratur, quantum obliviſcitur; tantum diligit bonum, quantum debet diligere; habet tantum gloriæ & quietis, quantum pœnæ & laboris: ergo iſta deordinatio & diminutio, quæ eſt in anima cujuslibet hominis, eſt per aliquod ſupervcniens impediens animam & devians illam à ſuo fine; à quo fine anima non poſſet deviari, niſi eſſet infecta: ſi enim non inficeretur à corpore, non impediretur à corpore in ſuis naturalibus operationibus exercendis: ergo probatum eſt, quòd peccatum Primorum Parentum omnibus hominibus ſit generale, quantum ad Animam.

Quòd ſit Recreatio.

1. ESt impoſſibile, quòd aliquod ens creatum deviet & fruſtret DEUM à ſua intentione & fine per ipſum indito rei creatæ, cùm ipſe ſit ſummè potens & ſummè ſapiens; ſed DEUS principaliter creavit hominem ad diligendum, recolendum & intelligendum DEUM (cùm iſte finis ſit nobilior & magìs naturalis, qui poſſit & debeat dari rationali creaturæ, quia ipſa eſt de memoria, intellectu & voluntate) & per conſequens ad beatitudinem; ſed humana natura per peccatum eſt deviata à dicto fine, & per conſequens à beatitudine, & tendit in nihilum, igitur ſi non eſſet Recreatio, DEUS non aſſequeretur in humana natura finem, ad quem ipſam creavit; & ſic Sapientia eſſet defectiva in creando humanam naturam ad finem, quem prævidit, quòd ipſa non ſit aſſecutura; & hoc eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd ſit Recreatio, per quam humana natura, quæ ratione peccati tendit in nihilum, reducatur ad debitum finem.

2. Suprà probatum eſt, quòd humana natura tota ſit infecta peccato corporaliter & ſpiri-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſpiritualiter, & ſic per conſequens ſit privata beatitudine & gloriâ, & tendat ad æternam pœnam, quia offendit DEUM, qui eſt æternus; igitur ſi non eſſet Recreatio, per quam fieret generalis ſatisfactio, ſicut peccatum & offenſa fuit generalis, omnes homines tam juſti juſtitiâ morali, quàm injuſti, damnarentur æternaliter; quod eſt impoſſibile: quia Juſtitia DEI non diſcerneret inter juſtum & injuſtum, quia haberet ſubjectum confuſum, & non diſtinctum; nec Miſericordia DEI haberet ſubjectum, in quo poſſet habere ſuum actum, nec poſſet ſalvare aliquem hominem, ſinè Recreatione, per quam fiat ſatisfactio de peccato: ergo convenit, quòd ſit Recreatio.

3. Si non eſſet Recreatio, DEUS non poſſet peccatores judicare ad æternam pœnam pro actuali peccato, quod eſt majus in illo, qui peccat actuali peccato, quàm ſit peccatum originale; quia, qui ſemel judicatus eſt ad æternam pœnam, non poteſt iteratò judicari ad æternam pœnam; ſed omnes homines tam juſti juſtitiâ morali, quàm injuſti, ſunt judicati ad æternam pœnam ratione peccati originalis, ergo peccatores, qui ſunt in actuali peccato, non poterunt judicari ad æternam pœnam nec ad privationem beatitudinis, cùm jam ſint judicati; & ſic Juſtitia DEI eſt defectiva in non judicando actuale peccatum, quod eſt majus, & in judicando peccatum originale, quod eſt minus; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd ſit Recreatio.

Ulteriùs Virtus & vitium ſunt contraria immediatè, ſed nullus homo, quantumcunque juſtus per virtutes, poſſet pervenire ad beatitudinem, ſi non eſſet Recreatio, per quam fieret ſatisfactio pro peccato originali, ergo nec per vitium ſeu per actuale peccatum aliquis, quantumcunque peccator, habebit æternam pœnam; nam ſicut virtus non poteſt eſſe cauſa gloriæ, ſic nec vitium cauſa pœnæ; & hoc eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd ſit Recreatio.

4. Eſt impoſſibile & irrationabile, quòd DEUS aliquid conſervet & faciat durare in eſſe ſinè aliquo fine & utilitate; ſed DEUS gubernat mundum & conſervat & conſervabit in eſſe à tempore peccati Primorum Parentum usque nunc, ergo hoc facit propter aliquem finem & utilitatem: ſed ſi non eſſet Recreatio, per quam fieret ſatisfactio de peccato, per quod humana natura privatur ſuo fine, multiplicatio & generatio ſeu eſſe hominum & eorum, quæ ſunt propter hominem, ad nihil eſſet utilis, nec perveniret ad aliquem finem, ergo non debuit nec debet facere durare multiplicationem hominum.

Si autem dicitur, quòd faciat durare multiplicationem hominum, ut juſtitia puniat homines pro peccato originali: igitur faciet ſemper durare generationem, ut ſemper puniat; & ſi facit ſemper durare, ſua Juſtitia & ſua punitio nunquam venient ad complementum, & non faceret durare multiplicationem hominum propter aliquem finem, poſtquam non habebit finem; quod eſt contradictio: ergo convenit, quòd ſit Recreatio.

5. Eſt impoſſibile, quòd aliqua creatura poſſit plus deſtruere, quàm DEUS poſſit reparare vel conſtruere; quia creatura plus poſſet, quàm DEUS, & ſic DEUS non eſſet omnipotens; ſed homo per peccatum deviavit à fine ſibi indito & naturali; ergo DEUS poteſt illum reducere ad priſtinum finem; talem autem reductionem dicimus Recreationem: ergo DEUS poteſt recreare hominem; & ſi poteſt recreare, recreabit: nam ſicut in creatione hominis, quia voluit creare hominem, potuit, & ſic Divina Poteſtas fuit concomitans Voluntatem, ſic in Recreatione, ſicut Divina Poteſtas poteſt recreare, Divina Voluntas debet concomitare Poteſtatem, ut, quod Poteſtas poteſt, Voluntas velit; cùm inter Divinam Poteſtatem & Divinam Voluntatem non ſit differentia.

Et ſi objicitur, quòd DEUS multa poſſit facere, quæ non vult facere, dicendum, quòd omnia, quæcunque DEUS poteſt facere, quæ, ſi non faceret, ſequeretur inconveniens, illa velit facere, eò quòd debet; cùm ſuum Poſſe & ſuum Velle coincidant: quia ergo, ſi non eſſet Recreatio, ſequeretur, quòd DEUS in humana natura non aſſequeretur finem, ad quem illam creavit, & quòd DEUS non haberet Pietatem nec Miſericordiam erga humanam naturam & erga pœnitentem de peccato, quod eſt inconveniens: convenit, quòd hoc faciat, ne ſequatur aliquod inconveniens ex ſupradictis & plura alia: ergo convenit, quòd ſit Recreatio.

) ✝ (

ARTI-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ARTICULUS VII.

Quòd DEUS ſit Glorificator.

1. PRobavimus, quòd humana natura à ſuî creatione & inſtitutione à DEO ſit ordinata ad æternam beatitudinem & gloriam, ſed per peccatum Primorum Parentum ſit deviata à ſuo fine, & per conſequens privata æternâ gloriâ & beatitudine, & ſic ſubjecta æternæ miſeriæ; inde arguitur ſic: Omnis natura ordinata ad beatitudinem & æternam gloriam, & deviata ab ipſa beatitudine, ſi reparatur & reducitur ad priſtinum ſtatum & finem ſibi inditum, eſt reſtituenda ad eandem æternam gloriam & beatitudinem; ſed per Recreationem, quam probavimus, quòd DEUS debeat facere, reſtituetur & reparabitur humana natura ad priſtinum finem & ad terminum ſibi à DEO inditum, aliàs Recreatio non eſſet Recreatio: ergo ſicut DEUS humanam naturam inſtituit & ordinavit ad æternam beatitudinem & gloriam, ſic humanam naturam per peccatum lapſam reſtitutam & recreatam reſtaurabit ad æternam beatitudinem & gloriam; aliàs non ſufficienter recreâſſet: ergo DEUS erit Glorificator hominum recreatorum juſtorum.

2. Manifeſtâ experientiâ probamus, quòd homines, quantò juſtiores ſunt, in hoc mundo plus laboris habeant corporaliter & ſpiritualiter; corporaliter, quia plùs dant ſe jejuniis, lacrymis & orationibus; ſpiritualiter, quia plùs dolent de offenſa DEI propter peccata, quæ multiplicantur in hoc mundo: igitur ſi DEUS illis non daret aliam gloriam, quàm iſtam, quæ eſt in hoc mundo, Juſtitia DEI eſſet defectiva in hoc, quòd hominibus minùs juſtis & peccatoribus daret multò plus gloriæ, quàm magìs juſtis.

Si autem dicitur, quòd DEUS non det gloriam, quæ eſt in hoc mundo, ſequitur, quòd, ſi non eſſet alia gloria, quàm gloria hujus mundi, DEUS nullam gloriam dabit juſtis, ergo ejus Juſtitia eſt defectiva; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo eſt alia gloria, quam DEUS dabit juſtis.

3. DEUS creavit hominem ad diligendum, recolendum & intelligendum DEUM; ſed ſi non eſt alia gloria vel vita, quàm gloria & vita hujus mundi, homo finito tempore diligit, intelligit & recolit DEUM, & infinito tempore ſtat in privatione diligendi, recolendi & intelligendi DEUM; & hoc eſt contra Juſtitiam DEI, quòd ipſe permittat, quòd ſuus amor ſtet infinito tempore in privatione, cùm DEUS, eò quia eſt ſummè bonus, continuè & ſemper ab hominibus ſit diligendus: ergo convenit, quòd detur alia gloria & vita, in qua DEUS æternaliter diligatur ab hominibus.

4. Humana natura, quæ conſtat ex anima & corpore, eſt creata ad aliquem perfectum finem & terminum; ſed in hac vita non poteſt venire ad perfectum finem; cùm in hac vita non maneat conjunctio corporis & animæ, ſed fiat ſeparatio: ergo convenit, quòd detur alia vita, in qua iteratâ unione corporis & animæ humana natura perveniat ad ſuum finem & terminum; aliàs DEUS non creâſſet illam ad aliquem finem; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd detur alia vita; quam vitam dicimus gloriam.

5. Humana natura eſt creata ad amandum ſummum Bonum, & per conſequens ad beatitudinem, ût ſuprà probavimus; ſed in hac vita humana natura non poteſt habere perfectam beatitudinem, ût manifeſtè videmus, ergo convenit, quòd DEUS humanæ naturæ det aliam gloriam & vitam, in qua aſſequatur beatitudinem; aliàs DEUS fruſtra ordinâſſet humanam naturam ad beatitudinem, ſi non pertingeret ad beatitudinem, nec DEUS eſſet ſummum & perfectum Bonum, ſi non eſſet Gloria & Beatitudo aſſequentibus ipſum: ergo DEUS erit Glorificator & dator gloriæ ipſi humanæ naturæ.

ARTICULUS VIII.

De Incarnatione DEI.

PRobavimus *ſeptem Articulos*, qui tantùm pertinent ad Deitatem, modò intendimus probare alios *ſeptem Articulos*, qui pertinent ad Humanitatem; & quia primi ſex Articuli, qui pertinent ad Humanitatem, ſcilicet Articulus Incarnationis, Nativitatis, Mortis, Deſcenſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis affirmant, quòd iſta ſint facta, nos *primò* probamus, quòd iſta debuerint fieri; *ſecundò*, quòd ſint facta, ſicut Sancta Romana Eccleſia confitetur: *& ſicut in Articulis, qui pertinent ad Deitatem, proceſſimus per Rationes ſumptas ex Divinis Dignitatibus, quas probavimus,*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd ſint in DEO in principio hujus Tractatûs, ſic etiam in iſtis intendimus procedere: & *primò* probabimus, quòd DEUS debuerit incarnari: *ſecundò*, quæ Perſona de Divinis debuerit incarnari, & quòd debuerit concipi de Sancto Spiritu, quæ omnia pertinent ad octavum Articulum.

Quòd DEUS debuerit incarnari.

1. QUando DEUS creavit mundum, illius Dignitates poſuerunt ſuas *ſimilitudines* in mundo; ſicut Divina Bonitas in creando mundum poſuit ſuam ſimilitudinem in eo, quòd fecit illum bonum; & Magnitudo in eo, quòd fecit illum magnum; & Æternitas in eo, quòd fecit mundum durabilem, & ſic eſt de aliis; inde arguimus ſic:

Omne illud, per quod Divinæ Dignitates meliùs & perfectiùs oſtendunt ſuas ſimilitudines & perfectiones & quietantur in mundo, eſt neceſſarium, quòd DEUS faciat, cùm iſte ſit nobilior finis, propter quem mundus vel aliqua creatura poſſit creari; „DEUS enim ad hoc creavit mundum, „ut in illo oſtenderet ſe ipſum & ſuam in„trinſecam Operationem„; ſed ſi humana Natura eſt aſſumpta à DEO in Unitate Suppoſiti vel Perſonæ, quæ Perſona ſit verus DEUS & verus Homo, omnes Divinæ Dignitates perfectè habent ſuas ſimilitudines in hoc Opere; nam Divina Bonitas non poteſt melius opus facere de creatura, nec Magnitudo majus, nec Æternitas magìs durabile, & ſic de aliis Divinis Dignitatibus: ſi autem humana Natura non eſt aſſumpta à Divino Suppoſito, nulla Divina Dignitas habet perfectionem nec quietem in productione mundi; quia Divina Poteſtas ſemper poteſt in mundo facere majus & melius opus, quàm quodcunque opus factum aliud ab iſto opere: ergo convenit, quòd ſit Incarnatio, ut Divinæ Dignitates perfectè oſtendant ſuas ſimilitudines in creatura, & quietentur in illa, cùm in nullo alio opere extrinſeco poſſint quietari, niſi in iſto; in iſto autem quietantur omnes Divinæ Dignitates & operatio totalis mundi tanquam in ſummo & nobiliſſimo Opere.

2. Neceſſarium eſt, quòd DEUS faciat omne id, per quod humana natura, quæ eſt creata ad diligendum DEUM, magìs poteſt ferri & moveri & debet moveri ad diligendum DEUM; aliàs, ſi DEUS in humana natura non faceret id, per quod DEUS magìs poſſet diligi ab humana natura, DEUS nollet, quòd intimè & totaliter ab ea diligeretur, quod eſt impoſſibile, cùm ipſe ſit ſummum Bonum, & per conſequens ſummè diligibilis; vel DEUS vellet, quòd ſummè & totaliter ab humana natura diligeretur, ipſo non faciente in ea omne id, per quod illum plùs debet diligere; & ſic ab illa requireret, quod non debet exigere, & vellet, quòd relatio amoris veriùs fundaretur in illa, quàm in ſe ipſo; quod eſt impoſſibile: ſed id, per quod humana natura magìs poteſt ferri & debet moveri ad diligendum DEUM, eſt, ſi humana natura eſt aſſumpta à DEO & ipſi unita in unitate Perſonæ, ita quòd una & eadem Perſona ſit DEUS & Homo: ergo convenit, quòd ſit Incarnatio.

3. Omne id, per quod omnes creaturæ habent nobiliorem & perfectionem finem in DEO, eſt neceſſarium, cùm ipſe ſit nobilior & perfectior finis, qui poſſit eſſe; & cùm ipſe ſit principium omnis creaturæ, & omnia ad ſe ordinaverit, ût ſuprà probatum eſt, convenit, quòd ſit finis & terminus & quies omnis creaturæ: ſed ſi DEUS aſſumpſit humanam Naturam, omnis creatura habet ſuum finem in DEO, & participat cum DEO, in quantum humana Natura, cum quâ ſolâ participat omnis creatura, eſt unita DEO: ſi autem humana Natura non eſt aſſumpta à DEO, nulla creatura participat cum DEO in Unitate Suppoſiti: igitur convenit, quòd ſit Incarnatio, per quam omnis creatura aſſequatur ſuum finem in DEO, & non ſolùm quemcunque finem, ſed finem immediatum, nobiliſſimum & intimum.

4. Probavimus, quòd Recreatio debeat eſſe, per quam humana natura per peccatum Primorum Parentum deviata à ſuo fine reſtituatur ad finem & priſtinum ſtatum; inde arguimus ſic.

In omni reparatione, reconciliatione & recreatione creaturæ ſubjectæ peccato & offenſæ debitè & juſtè facienda requiritur, quòd ſatisfactio de offenſa fiat illi, contra quem eſt facta, & quòd ille, qui ſatisfacit, poſſit & debeat ſatisfacere; ſed homo peccavit, ergo homo debet ſatisfacere pro peccato Primorum Parentum: ſed nec ſolus homo nec aliqua pura creatura poteſt ſatisfacere, quia peccatum Primorum Parentum eſt generale, ût probatum eſt, & infinitum, quia eſt contra DEUM, qui eſt Infinitus,

omnis

(c) 2006 Ministerio de Cultura

omnis autem particularis creatura eſt finita: ergo talis ſatisfactio ſolùm poteſt fieri per DEUM, qui eſt ſupra omnem creaturam, non autem debet fieri niſi per hominem, quia homo peccavit: ergo convenit, quòd ille, qui ſatisfacit, ſi eſt ſufficiens & juſtus ac debitus Satisfactor & Reparator, ſit DEUS & Homo, ut, in quantum DEUS, poſſit ſatisfacere, & in quantum Homo, debuerit ſatisfacere: ergo ſequitur Incarnatio.

5. Divina Sapientia, cùm ſit perfectiſſima, ſcit & comprehendit illum majorem amorem, quem DEUS poteſt habere ad humanam naturam; igitur convenit, quòd Divina Voluntas diligat actum illius majoris amoris, quem Sapientia ſcit, ut inter Divinam Voluntatem & Sapientiam ſit concordantia; ſed major gradus amoris, quem Divina Sapientia ſcit, quòd poſſit habere ad humanam naturam, eſt, quòd ſibi uniat humanam Naturam in Unitate Suppoſiti: ergo Divina Voluntas diligit illum gradum; & ſi diligit, faciet, ergo erit Incarnatio.

Et ſi objicitur, quòd Divina Sapientia ſciat, quòd potuerit aſſumere naturam Angelicam vel aliam naturam, ergo illius Voluntas debuit velle; reſpondemus, quòd aſſumendo naturam Angelicam vel aliam non participaret cum omni creatura; & ſi DEUS feciſſet Recreationem vel Liberationem humanæ naturæ per Angelum, vel per aliam creaturam, humana natura non ſufficienter eſſet reſtituta vel reſtaurata, quia non eſſet in illa nobilitate, in qua erat ante peccatum; quia ante peccatum humana natura non erat ſubjecta & obligata, niſi ſoli DEO; ſi autem per aliam creaturam eſſet reparata, humana natura eſſet obligata & ſubjecta illi creaturæ. Et ad iſtam objectionem & alias ſumus parati latiùs reſpondere ſuo loco, nunc verò dimittimus brevitatis gratiâ.

De Incarnatione Filii DEI & ſua Conceptione per Sanctum Spiritum.

PRobavimus, quòd DEUS debuerit incarnari & aſſumere humanam Naturam, modò intendimus probare, quæ Perſona de Divinis debuerit incarnari: & *primò*, quòd Perſona Filii DEI debuerit incarnari: *ſecundò* probabimus, quòd ejus Conceptio debuerit fieri per Sanctum Spiritum.

1. Eſt neceſſarium, quòd illa Perſona incarnetur, quæ ſecundùm Proprietatem Perſonalem meliùs eſt appropriata & convenientiùs ordinata ad participandum cum humana Natura, quam probavimus debere aſſumi à DEO in Unitate Suppoſiti & Perſonæ, & per conſequens incarnari; ordo enim non poteſt tolli ab Operibus, quæ DEUS fecit; ſed Perſona Filii DEI eſt meliùs appropriata & congruentiùs ordinata ſecundùm Proprietatem Perſonalem ad participandum cum humana Natura (& è converſo) in Opere Incarnationis, quàm Perſona Patris vel Sancti Spiritûs: ergo eſt neceſſarium, quòd Perſona Filii DEI incarnetur: quòd autem Perſona Filii DEI ſecundùm proprietatem Perſonalem ſit magìs appropriata ad participandum cum humana Natura, patet, quia humana Natura eſt filia DEI per Creationem: ergo humana Natura, cùm ſit filia DEI, magis participat cum Perſona Filii DEI, quàm cum Perſona Patris vel Sancti Spiritûs, quarum neutra eſt filia DEI: etiam cùm Perſona, quæ debet incarnari & aſſumere humanam Naturam, debeat naſci, ût probabitur in ſequentibus, & Nativitas meliùs ac magìs propriè conveniat Filio, quàm Patri vel Sancto Spiritui, ſimiliter Incarnatio meliùs & magìs propriè convenit Filio, quàm Patri & Sancto Spiritui.

2. Omne id, per quod Divinæ Perſonæ ſunt magìs diſtinctæ in ſuis Proprietatibus, eſt neceſſarium; cùm in Divinis ſit ſingularior diſtinctio Proprietatum, & in perfectiori eſſe diſtinctionis, quod poſſit eſſe vel intelligi; ſed ſi Perſona Patris vel Sancti Spiritûs fuiſſet incarnata, fuiſſet Filia humanæ Naturæ Virginis MARIÆ, à qua generaretur Pater, ergo eſſet Filius, vel Sanctus Spiritus eſſet Filius; igitur in Patre non eſſet ſingularis Proprietas Paternitatis, quia eſſet Pater & Filius; nec in Sancto Spiritu eſſet ſingularis Proprietas Spirationis, quia eſſet Sanctus Spiritus & Filius; nec in Filio Filiatio eſſet ſingularis Proprietas, quia in Patre vel Sancto Spiritu inveniretur ratio Filiationis: ergo convenit, quòd Filius ſit incarnatus, ut Divinæ Proprietates in Divinis Perſonis ratione Humanitatis aſſumptæ non ſint confuſæ, ſed maneant ſingulariter diſtinctæ, & ut in Filio ſit omnis ratio Filiationis.

3. *Secundò* probamus, quòd ejus Conceptio debuerit fieri per Sanctum Spiritum, & hoc ſic: eſt impoſſibile, quòd ſupernaturale Opus fiat per naturalem generationem, vel per naturale agens creatum; quia nulla operatio nec ullum agens tranſcendit limites

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſuæ naturæ; ſed Incarnatio, quam probavimus, per quam DEUS eſt Homo, & Homo eſt DEUS in Unitate Suppoſiti & Perſonæ, eſt ſupernaturale Opus: ergo non potuit fieri per naturalem generationem vel per naturale agens creatum; ergo non potuit fieri per virum; igitur debuit fieri per DEUM, & ſpecialiter per Sanctum Spiritum, quod probamus ſic.

In omni Divino Opere extrinſeco operatur tota Trinitas, aut ſecundùm unam communem Rationem, aut ſecundùm Proprietates Perſonales; ſed in tali Incarnatione Pater mittit Filium, ut generetur, ut, ſicut illum generat in Divina Natura, ita ſuo modo illum generet in humana Natura, ut in Patre ſit totalis Ratio Paternitatis, quam Generationem appellamus *Miſſionem*; Filius autem eſt, qui generatur: igitur cùm in tali Incarnatione non ſint, niſi *tria*, ſcilicet *Miſſio*, *Generatio paſſiva*, & *Conceptio*, cùm Patri attribuatur Miſſio, Generatio paſſiva Filio, Sancto Spiritui debet attribui Conceptio; igitur Conceptio Filii DEI non debuit fieri per virum; quia actus, qui fuiſſet medius inter Virum & Matrem concipientem DEUM, non fuiſſet purus & mundus, & ſic ineptus & indecens ad uniendum Divinam & Humanam Naturam; etiam in tali Conceptione vir ſe haberet per modum agentis, cùm ſit finitus, & Divina Natura, quæ eſt infinita, per modum patientis; quod eſt inconveniens; Filius DEI etiam haberet duos Patres, unum DEUM, & alium hominem; & ſic aſſumpta Humanitas eſſet cauſa confuſionis ratione Paternitatis in DEO Patre, qui Pater non eſſet ſingularis ſuo Filio; quod eſt inconveniens.

4. Convenit, quòd omnis Operatio, quæ eſt ſupernaturalis, & fit ex ſummo amore, fiat per illum, qui eſt Summus Amor; ſed ſupradicta Conceptio eſt ſupernaturale Opus, & procedit ex ſummo amore, quem DEUS oſtendit & habet ad humanam naturam: ergo fiet per Sanctum Spiritum, qui eſt Summus & Intimus Amor Patris ad Filium, & è converſo, qui imprimat ſuam ſimilitudinem in Matre concipiente, ut priùs concipiat Filium mente, quàm corpore; aliàs non eſſet digna ad concipiendum; talis Conceptio enim non debuit fieri per virum, quia talis Conceptio non fuiſſet pura, ſed corrupta, quia fœmina concipiens non fuiſſet Virgo, ſed corrupta per virum: & ſic Perſona Filii DEI non aſſumpſiſſet Carnem virgineam, ſed corruptam; & ſic non eſſet ſufficiens Recreator & Reparator, quia non reſtituiſſet humanam naturam ad illam nobilitatem, in qua erat ante peccatum; quia humana natura in Primis Parentibus ante peccatum erat integra & incorrupta virgo; nec Filius DEI fuiſſet perfectus Satisfactor nec Deſtructor peccati, niſi fuiſſet Deſtructor & Purgator corruptionis & infectionis ſecutæ ex peccato; ſi autem aſſumpſiſſet Carnem ex corrupta muliere, perpetuâſſet corruptam naturam, & exaltâſſet corruptam naturam ſuper virgineam puram & integram naturam, &, quantum ad carnem, non fuiſſet ita nobilis homo, ſicut Primi Parentes: unde cùm iſta omnia ſint impoſſibilia, convenit dicere, quòd non ſit conceptus per virum, ſed per Sanctum Spiritum, & quòd aſſumpſerit Carnem de Virgine, & quòd in Conceptione illius Mater permanſerit Virgo.

5. Convenit, quòd omnis ſupernaturalis nexus fiat per illum, cui eſt proprium, quòd ſit nexus; ſed nexus & unio humanæ Naturæ ſuſtentatæ in Divina Perſona Filii eſt ſupernaturalis Nexus & Unio: ergo fiet per Sanctum Spiritum, qui eſt Nexus Patris & Filii, ut Sanctus Spiritus, qui eſt *Unio paſſivè ſumpta* Patris & Filii, ſit unitivus Divinæ & Humanæ Naturæ, ut completa Ratio Unionis in Sancto Spiritu ſit ſingularis Proprietas, & in illo ſingulariter reperta; non enim debuit concipi per virum, quia fuiſſet in conceptione viri Patris & fœminæ Matris ita homo, ſicut alius homo, & non poſſet eſſe Incarnatio, (quam probavimus, quòd neceſſariò conveniat, quòd illa ſit) quia eſſet homo humanificatus & ſuſtentatus in Humanitate, & non in Deitate: & ſic, in quantum homo, eſſet perſona, & non poſſet aſſumi à Divina Natura in Unitate Suppoſiti ſeu Perſonæ, quia duæ perſonæ non poſſunt eſſe una perſona: igitur quia Incarnatio eſt neceſſaria, convenit concedere, quòd talis Conceptio non fuerit facta per virum, ſed per Sanctum Spiritum, ita quòd humana Natura ſit aſſumpta à Divina in unitate Perſonæ, & quòd humana Natura ſuſtentetur in Divino Suppoſito, in quo habet tantò verius & perfectus *eſſe*, quàm ſi eſſet ſuſtentata in ſe ipſa, ſcilicet in humano vel proprio ſuppoſito, quantò magis Subſiſtentia Divini *Eſſe* in omnibus antecedit omnem creatam ſubſiſtentiam.

ARTI-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ARTICULUS IX.

Quòd debuerit naſci de Virgine.

PRobavimus, quòd Perſona Filii DEI debuerit incarnari,& quòd illius Incarnatio ſive Conceptio debuerit fieri de Sancto Spiritu ſive per Sanctum Spiritum; nunc intendimus probare, quòd debuerit naſci ex Virgine; & *primò* probabimus, quòd debuerit naſci; *ſecundò*, quòd ex Fœmina; *tertiò*, quòd ex Fœmina Virgine.

1. Igitur *primò* probamus, quòd debuerit naſci: nulla cauſa infallibiliter & propter finem operans operatur fruſtra; ſed DEUS eſt Cauſa infallibiliter & propter finem operans, & ordinavit, quòd Perſona Filii aſſumat Humanam Naturam,& quòd talis Conceptio fiat per Sanctum Spiritum, ût ſuprà probatum eſt: ergo convenit,quòd ad iſtam Conceptionem ſequatur Nativitas; aliàs talis Conceptio eſſet fruſtra.

2. Si Perſona Filii DEI,quam probavimus, quòd debuerit aſſumere Humanam Naturam, non naſceretur Homo, non deberet facere Opera Recreationis, propter quam Recreationem debuit aſſumere Humanam Naturam & eſſe verus Homo: ergo debuit naſci & eſſe verus Homo, ut natus faceret Opera Recreationis.

3. *Secundò* probamus, quòd debuerit naſci ex Fœmina. Omnis vera nativitas hominis eſt ex fœmina; fœminæ enim eſt concipere, & conceptum fovere & nutrire, & nutritum parturire, hoc autem non eſt de natura viri; ſed Perſona Filii DEI debuit concipi verus Homo & naſci verus Homo: ergo debuit naſci ex Fœmina; non enim debuit naſci ex viro, ne ſua Nativitas eſſet contra nativitates aliorum hominum;nam ſi naſceretur ex viro, ille vir, ex quo naſceretur, eſſet ejus mater: ſi enim diceretur,quòd eſſet ejus pater, in DEO Patre non eſſet ſingularis Ratio Paternitatis, quia non eſſet ſingularis Pater ſuo Filio; quia Filius DEI haberet duos Patres, unum DEUM, & alium hominem.

4. *Tertiò* probamus, quòd debuerit naſci ex Fœmina Virgine. Omnis Proles ſupernaturalis & nobiliſſima,ſupernaturaliter & nobiliſſimè concepta requirit Ortum ſupernaturalem & nobiliſſimum & Matrem ſupernaturaliter parientem & nobiliſſimam; aliàs quantò magis proles accederet ad perfectum eſſe, tantò magis accederet ad ignobilitatem; ſed iſte,quem probavimus,quòd debuerit concipi de Sancto Spiritu, eſt Proles nobiliſſima & ſupernaturalis, quia DEUS & Homo, & ſupernaturaliter & nobiliſſimè concepta, quia per Sanctum Spiritum: ergo ejus Ortus & Nativitas debuit eſſe nobiliſſima; nulla autem nativitas eſt nobiliſſima, niſi ſit ſinè corruptione, nec ſupernaturalis, niſi ſit ex Virgine, nec Mater parit ſupernaturaliter,nec eſt nobiliſſima, niſi pariat & ſit ſinè corruptione: ergo talis Conceptus, ût diximus, debuit naſci de Virgine & ſinè corruptione, ut puritati & ſingularitati Filii reſponderet puritas & ſingularitas Matris in altiori gradu puritatis, qui potuit inveniri in Fœmina; aliàs relatio inter nobiliſſimum Filium & Matrem ejus claudicaret; cùm tamen conveniat, quòd illa ſit verior relatio, quàm omnis alia relatio, quæ poſſit reperiri in creaturis.

5. Eſt impoſſibile, quòd ex puritate ſequatur vel cauſetur corruptio vel impuritas, cùm unum contrarium non ſit cauſa effectiva alterius; ſed Conceptio Filii DEI fuit puriſſima, quia per Sanctum Spiritum facta: ergo, cùm Fœmina concipiens DEUM & Hominem debuerit eſſe Virgo, ût probatum eſt, ex tali Conceptu non debuit ſequi aliqua ignobilitas ſeu corruptio in Nativitate; aliàs Nativitas non correſponderet Conceptioni, nec talis Conceptio eſſet ordinata ad talem Nativitatem, quia nulla nobilitas debet ordinari ad ignobilitatem; Humanitas etiam Filii DEI non eſſet in plena obedientia & poteſtate Deitatis, nec ſuſtentata in Divino Suppoſito, ſi Divina Natura non operaretur ex ea in virtute Divinæ Naturæ, cujus eſt operari ſinè corruptione: ergo ſequitur, quòd ſit natus & ex Fœmina Virgine; & dicimus, quòd talis ſic conceptus & natus debeat appellari JESUS ſecundùm rem & effectum, ut per ipſum humanum genus, quod perierat, reſtauretur ad ſalutem, ſicut probavimus.

ARTICULUS X.

Quòd Dominus JESUS Chriſtus debuerit mori.

1. PRobavimus Incarnationem Filii, & per conſequens Humanam Naturam exaltatam à DEO, quantò plùs potuit exaltari; inde arguimus ſic: omnis creatura, quantò plùs exaltatur à DEO, tantò humilior & ſubjectior

(c) 2006 Ministerio de Cultura

jectior debet eſſe DEO, & promptior ad obediendum illi; ſed Humana Natura aſſumpta à DEO eſt tantum exaltata à DEO in Domino JESU, quantum potuit exaltari: ergo Humana Natura in Domino JESU debet ſe totaliter dare & humiliare ac exponere ad ſerviendum DEO & ad omnia, quæ pro DEO poteſt ſuſtinere in ſummo gradu humilitatis, laboris, afflictionis & obedientiæ; ſed ſummus gradus humilitatis, laboris, afflictionis & obedientiæ eſt Mors: ergo Humana Natura in Domino JESU debuit ſuſtinere Mortem & quoscunque labores pro DEO, ut ſummæ Exaltationi factæ Humanitati à Deitate in Domino JESU reſponderet ſumma Humilitas & Obedientia exhibita Deitati ab Humanitate in ipſo Domino JESU.

2. Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ; ſed peccatum Primorum Parentum fuit cum delectatione: ergo Dominus JESUS, qui ſoluspoteſt & debet ſatisfacere pro dicto peccato, quia eſt DEUS & Homo, debet ſatisfacere pro dicto peccato cum Paſſione, quæ ſit in altiſſimo & ſummo gradu Paſſionis, ut tranſcendat delectationem peccati, ut deleat peccatum ratione ſatisfactionis; nulla autem Paſſio eſt in tam ſummo gradu Paſſionis, ſicut Mors: ergo Dominus JESUS debuit mori, ut per ſuam Mortem ſatisfaceret pro peccato originali.

3. Primi Parentes per peccatum originale fuerunt inobedientes, & deviaverunt ſe à DEO totaliter, quia & quantum ad voluntatem & quantum ad corpus; ergo Dominus JESUS, qui debuit facere ſatisfactionem, debuit ſe dare totaliter & quantum ad voluntatem & quantum ad corpus; non autem potuit ſe totaliter dare DEO, niſi vellet mori pro DEO & moreretur: ergo Dominus JESUS, in quantum Homo, debuit mori pro DEO, & voluit mori.

4. Eſt impoſſibile, quòd Recreator naturæ & Reparator ſufficiens ad ſatisfaciendum, imò ſufficientiſſimus & nobiliſſimus transcendatur & ſuperexcellatur in obedientia vel in aliquo Opere Recreationis, Reparationis & Satisfactionis ab aliquo, qui non eſt recreator & reparator; ſed ſi Dominus JESUS, quem probavimus, quòd ſit Recreator & Reparator ſufficientiſſimus & nobiliſſimus, quia eſt DEUS & Homo, non fuiſſet mortuus, quantum ad paſſionem mortis & meritum poſſet ſuperari ab aliquo, qui poſſet mori pro DEO: ergo oportuit eum mori pro DEO, in quantum Homo, ut nullus homo illum poſſit tranſcendere in obedientia, paſſione & merito.

5. Omne id, per quod Dominus JESUS, quem probavimus, quòd ſit Recreator, magìs poteſt elevare & animare homines ad honorandum DEUM, & per conſequens ad obediendum DEO, eſt neceſſarium, quia humana natura DEO debet obedientiam & reverentiam totaliter & in ſummo; iſtud etiam eſt nobilius opus, quod aliqua creatura DEO poſſit impendere; ſed Dominus JESUS non poteſt per aliquid tantum elevare & animare homines ad honorandum DEUM & ſuſtinendum pro DEO multas tribulationes (& etiam ſi oportet, mortem) & per conſequens ad obediendum totaliter DEO, ſicut ſi ipſe Dominus JESUS verus DEUS & verus Homo mortuus eſt propter hominem: ergo oportuit, eum mori, ut cum ſuo exemplo omnes homines animaret ad totalem dilectionem DEI, & completam obedientiam & reverentiam.

ARTICULUS XI.

Quòd DEUS deſcenderit ad Inferos.

QUia probavimus, quòd peccatum originale ſit generale omnibus hominibus corporaliter & ſpiritualiter, & per conſequens, quòd omnes homines priventur beatitudine & viſione ſeu fruitione Summi Boni, quæ fruitio eſt Summa Beatitudo, aliàs DEUS non eſſet Summum Bonum; per conſequens, poſtquam omnes homines ratione peccati originalis recedunt à Summo Bono, moriuntur corporaliter, & animæ eorum poſt mortem corporis ratione ejusdem peccati deſcendunt ad infimum, eò quòd ratione peccati & offenſæ DEI debent poni ſubtùs omnem creaturam, cùm ratione inobedientiæ ſint viliores, quàm omnis alia creatura; ſicut, ſi non fuiſſet peccatum originale, aſcenderent ad ſummum: unde arguimus ſic.

1. Omnis juſtus & perfectus Reparator debet facere omnia opera Reparatoris & Recreatoris; ſed Dominus JESUS fuit juſtus Recreator & Reparator humanæ naturæ, ût probatum eſt: ergo factâ Reparatione & Recreatione per ſatisfactionem pro peccato originali debuit deſcendere ad Inferos, ut educeret de infimis & inferis eos, qui ratione peccati

(c) 2006 Ministerio de Cultura

peccati originalis apud Inferos tenebantur, ut, ſicut voluit mori pro reparandis & recreandis, ſic voluerit deſcendere ad liberandum recreandos, qui in infimis & inferis tenebantur.

2. Nihil naturalius, quàm id eo modo diſſolvi, quo & ligatum eſt; ſed Primi Parentes per peccatum originale & per actum proprium dejecerunt ſe & ſuam totam poſteritatem ad inferos: ergo Dominus JESUS, qui ſatisfecit pro dicto peccato, debuit eos extrahere ab Inferis,& reducere ad Superos, ut, ſicut prævaricator fuit captivans & ligans, Satisfactor ſit diſſolvens & liberans; aliàs prævaricator fuiſſet immediatior cauſa captivationis, quàm Satisfactor liberationis; & licèt Divina Natura ſit ubique, debuit facere, quòd humana Natura, quantum ad rationalem Animam, deſcenderit ad Animas eorum, quæ ratione peccati originalis detinebantur apud Inferos, ut, ſicut tota Humana Natura Domini JESU fuit præſens in Paſſione, per quam recreavit humanum genus,in ſuî totalitate quantum ad Animam & Corpus, ſic illius Anima fuerit præſens in liberatione recreatarum Animarum ab inferis,ut totũ correſpondeat toti,& pars parti.

3. Eſt impoſſibile,quòd DEUS, cùm ſit juſtus, poſſit operari injuſtè; ſed in eodem inſtanti indiviſibili, in quo fuit facta ſatisfactio pro peccato, debuit ab inferis fieri liberatio eorum, qui detinebantur in inferis ratione peccati originalis, aliàs injuſtè detinerentur: ergo oportuit, quòd Dominus JESUS, quantum ad Animam, quæ erat conjuncta Deitati, deſcenderet ad Inferos; nam ſi miſiſſet aliquam aliam creaturam ad inferos, eſſet ſucceſſio inter ſatisfactionem & liberationem detentorum ratione ordinationis miſſionis alterius: etiam ſi DEUS liberâſſet eos ſinè deſcenſu humanæ Naturæ, eſſet etiam ibi ſucceſſio, quia in eodem inſtanti, in quo eſſet facta ſatisfactio, detentis non eſſet nota liberatio; quia non poſſent in eodem dicto inſtanti comprehendere, quòd per Humanam Naturam fuerit facta ſatisfactio, poſtquam Humana Natura non eſſet præſens, quantum ad Animam.

4. Omnis plena & perfecta ſatisfactio peccati debet fieri per actus contrarios peccato vel offenſæ, ex qua ſequitur damnatio; ſed propter peccatum Primorum Parentum, qui erant creati ad vitam, mors aſcendit ad vitam, & devicit eam,quia viventes ſibi ſubjugavit, & Animas eorum dejecit ad locum mortis & ad inferos: ergo Recreator & Reparator poſt factam ſatisfactionem pro dicto peccato debuit accedere & deſcendere usque ad mortem & inferos, ut devictâ & calcatâ morte eos, quos mors propter peccatum originale dejecerat ad inferos, reduceret ad vitam & ad Superos; aliàs mors fuiſſet magìs contraria vitæ, quàm vita morti; quod eſt impoſſibile: ergo Anima Domini JESU, quæ ſemper fuit conjuncta Deitati, debuit deſcendere ad inferos.

5. Omnis plena, perfecta & totalis ſatisfactio de neceſſitate requirit id, per quod fit plenior & perfectior manifeſtatio dictæ ſatisfactionis; ſed ſi Anima Chriſti conjuncta Deitati deſcendit ad Inferos,ubi detinebantur mortui propter peccatum originale, fuit facta manifeſtatio Satisfactionis dicti peccati tam liberandis, qui erant liberandi ab inferis, quàm non liberandis: etiam manifeſtatur Victoria & Dominium ipſius Liberatoris & Reparatoris, & major Pietas, Dominium & Humilitas erga liberandos: ergo DEUS debuit deſcendere ad inferos ad liberandum illos, qui habuerunt Fidem in ejus Adventum.

ARTICULUS XII.

Quòd Dominus JESUS Chriſtus debuerit reſurgere à mortuis.

PRobavimus, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus debuerit mori, in quantum Homo, & quòd per ejus mortem mundus ſit recreatus: inde arguimus ſic.

1. Quandocunque aliqua duo naturaliter & ſubſtantialiter uniuntur, ſi propter aliquod faciendum vel habendum ſeparentur, iſto facto vel habito, propter quod ſeparabantur, debent iteratò ſubſtantialiter uniri, aliàs non ſepararentur propter illud tantùm; ſed Anima & Corpus Domini JESU fuerunt ſubſtantialiter unita, aliàs non fuiſſet verus Homo, & illius mors, in qua fuit ſeparatio animæ & corporis, fuit, ut per ſuam mortem fieret ſatisfactio pro peccato originali, & reparatio humani generis: ergo factâ Satisfactione & Reparatione Anima illius debuit uniri Corpori, aliàs non fuiſſet mortuus propter Satisfactionem peccati & Reparationem humani generis, ſed propter aliquid aliud,quod non eſſet jam factum;ſed hoc eſt impoſſibile & falſum, ût patet ex præmiſſis:

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ergo convenit, quòd illius Anima iteratò ſit unita corpori: ergo ſequitur, quòd reſurrexerit.

Et ſi dicitur contra nos, quòd ſecundùm iſtam rationem videatur probari, quòd immediatè poſt mortem debuerit reſurgere; dicendum, quòd non ſit verum; quia ſi citò vel quaſi ſtatim poſt mortem reſurrexiſſet, poſſet dubitari de ejus morte, & credi, quòd non fuiſſet verè mortuus, ſed fortè in extaſi poſitus, ideo mors ejus debuit declarari per congruum intervallum Mortis & Reſurrectionis.

2. Pro bono opere non debet alicui irrogari injuria, ſed potiùs honor & reverentia; ſed Opus Satisfactionis & Recreationis, quod Dominus JESUS operatus eſt per ſuam Mortem, fuit Opus non ſolùm bonum, ſed optimum: ergo ex illo non debet Domino JESU irrogari injuria, ſed potiùs honor & reverentia; ſed ſi factâ Recreatione non reſurrexit, ejus Corpus remaneret injuriatum, quia non eſt unitum Animæ, per quam vivebat, & ad quam habet naturalem inclinationem: remaneret etiam inhonoratum, quia mortuum; cùm vivum corpus ſit nobilius, quàm mortuum corpus: ergo convenit dicere, quòd reſurrexerit.

3. DEUS, cùm ſit juſtus, non permittit, ut creaturæ ordinatæ ad vitam dominetur mors ſinè culpa; ſed Dominus JESUS, qui eſt verus DEUS & verus Homo, debuit & voluit mori, ût ſuprà probavimus, non pro ſua culpa, quia nullam culpam habuit (ſi enim habuiſſet culpam, non potuiſſet ſatisfeciſſe pro peccato originali, nec fuiſſet idoneus Recreator & Reparator) ſed voluit mori pro Satisfactione peccati & culpæ originalis Primorum Parentum & reparatione humani generis: ergo factâ ſatisfactione & reparatione Domino JESU non debuit dominari mors, nec pro ſua culpa, quam nunquam habuit, nec pro aliena, quam jam delevit; ergo reſurrexit.

4. Eſt impoſſibile, quòd inter Naturam Divinam & Humanam in Domino JESU ſit contrarietas, cùm inter utramque Naturam in Domino JESU ſit ſumma concordantia & unio, & per conſequens ſummus & intimus amor; ſed Anima Domini JESU naturaliter appetit ſuum Corpus, & maximè, poſtquam eſt facta Recreatio & Reparatio: ergo Divina Natura volet Animæ reſtituere ſuum Corpus; aliàs eſſet inter utramque Naturam Divinam & Humanam in Domino JESU, quantum ad voluntatem, contrarietas; & ſi debet velle & poteſt facere, cùm ſit omnipotens, faciet: ergo Dominus JESUS reſurrexit à mortuis.

5. Quantò intimiùs aliquid unitur aliquibus, tantò, ſi inter illa fit ſeparatio, fortiùs appetit unionem illorum; ſed Divina Natura ſeu DEUS in Domino JESU intimiùs ſibi univit Humanam Naturam, quàm ejus Anima fuerit unita ſuo Corpori, eò quòd Humana Natura erat ſuſtentata in Divino Suppoſito, in quo erat & ipſa natura diviſa; igitur cùm ejus Anima appetat uniri ſuo Corpori factâ Recreatione, à quo fuit ſeparata propter Recreationem faciendam; Natura Divina ſeu DEUS factâ Recreatione fortiùs appetit unionem Corporis & Animæ Domini JESU; ergo ſequitur, quòd Dominus JESUS reſurrexerit.

ARTICULUS XIII.

Quòd Dominus JESUS aſcenderit ad Cœlos.

1. PRobavimus, quòd Dominus JESUS reſurrexerit à mortuis, nunc intendimus probare, quòd aſcenderit ad Cœlos. Nobiliſſimæ corporali Naturæ debetur nobiliſſimus locus, ut inter locatum & locum ſit proportio; ſed Humana Natura Chriſti eſt nobilior, quàm omnis alia corporalis creatura, & inter omnes homines Dominus JESUS eſt nobilior Homo, qui fuerit, vel poſſit eſſe: ergo illi debetur nobiliſſimus locus; ſed quanto altior eſt locus, tantò nobilior eſt: ergo debuit aſcendere ad cœlos, ût ad locum nobiliorem & debitum ſibi ac proportionatum.

2. Illa Creatura, per quam omnia creata ſunt reparata & ad debitum finem reſtituta, eſt ſuper omnia creata collocanda, & omnia creata debent illi eſſe ſubmiſſa, & exhibere reverentiam; ſed per Dominum JESUM omnia creata ſunt reparata & ad debitum finem reſtituta (natura enim corporalis ad debitum finem reſtituta eſt per illum, eò quòd humana natura, propter quam omnia corporalia ſunt creata, eſt per illum reſtituta & reparata; etiam natura ſpiritualis, eò quòd participat cum humana natura, quantum ad animam, quæ eſt ſpiritualis ſubſtantia, & quia eſt ordinata ad Dominum JESUM, eò quòd ipſe eſt nobilior, quàm omnis creatura) ergo debuit collocari & aſcendere ſuper omnem

(c) 2006 Ministerio de Cultura

omnem creaturam, & in illius Aſcenſu omnis creatura eidem debuit exhibere famulatum & reverentiam, aliàs ſtaret contra ſuam naturam & omnium creatorum: ſicut enim, ſi oleum eſſet in centro aquæ, ſtaret ibi contra ſuam naturam, cujus eſt aſcendere ſupra aquam, ſtaret etiam contra naturam aquæ, eò quòd occuparet locum aquæ, & niſi impediretur, aſcenderet ſupra aquam naturaliter, quinimo & aqua eidem cederet naturaliter, & ſe ût gradum vel ſcalam in ejus aſcenſu exhiberet, ſic & multò fortiùs Dominus JESUS debuit aſcendere ad cœlos; aliàs ſi ſtaret citra, ſtaret violenter & contra ſuam naturam & omnium creatorum; quam violentiam non poteſt nec potuit aliquid creatum inferre, ût patet ex præmiſſis, nec DEUS, qui ſemper operatur cum juſtitia.

3. Omni naturæ ad beatitudinem ordinatæ debetur locus, qui eſt meliùs diſpoſitus ad beatitudinem; ſed Dominus JESUS, in quantum Homo, eſt ordinatus ad beatitudinem in ſummo: ergo illi debetur locus ad beatitudinem ſummè diſpoſitus; talis autem eſt locus cœleſtis, ergo debuit aſcendere ad Cœlos.

4. Omni naturæ ſanctæ & incorruptibili debetur locus purus non terrenus nec deditus corruptioni, ſed elongatus à corruptione; ſed Dominus JESUS eſt Naturæ Sanctiſſimæ, puriſſimæ & incorruptibilis: ergo illi debetur locus non terrenus nec deditus corruptioni, ſed puriſſimus & à corruptione elongatiſſimus; ſed locus cœleſtis eſt talis: ergo illi debetur locus cœleſtis; ergo debuit aſcendere ad Cœlos.

5. Omne id, per quod gloria & pœna (cùm ſint contrariæ) & Beati & damnati magìs diſtant ab invicem, eſt neceſſarium; ſed damnatis debetur infimus locus, ſcilicet centrum: ergo Beatis & Sanctis debetur ſummus locus; talis autem eſt locus cœleſtis: igitur cùm Dominus JESUS ſit beatior & ſanctior, quàm omnes alii Beati, debet eſſe in altiori loco, quàm cæteri Beati & Sancti: ergo debuit aſcendere ad Cœlos.

Quòd ſex Articuli, qui pertinent ad Humanitatem, quos probavimus debere fieri, jam ſint facti.

PRobavimus, quòd DEUS debuerit aſſumere Humanam Naturam, & per conſequens, quòd fuerit verus Homo, & quòd debuerit naſci, mori, deſcendere ad inferos, reſurgere à mortuis, aſcendere ad cœlos; & quia Catholica Fides credit & aſſerit, quòd iſta jam ſint facta, nos intendimus probare, quòd omnia iſta jam ſint facta, ſicut Sacroſancta Romana Eccleſia confitetur.

Et licèt videatur, quòd, ad probandum, quòd iſta jam ſint facta, non poſſint haberi Rationes, cùm ſit quæſtio facti, ad quod probandum non poſſunt induci, niſi teſtes vel inſtrumenta, in aliqua Secta vel Scientia: quis enim probabit, quòd Moyſes acceperit Legem Judæorum à DEO, & quòd Moyſes eam tradiderit Judæis, niſi credatur ſcriptis Judæorum? quis probabit, quòd Mahometus inſtituerit Sectam Saracenorum, niſi credatur Libris & Scriptis eorum? quis probabit, quòd Imperator Juſtinianus legalem Scientiam (ût hodie traditur) inſtituerit, niſi credatur Libris legalibus? quis probabit, quòd Romulus condiderit Romam, niſi credatur Libris & Geſtis Romanorum? & ſic diſcurrendo per omnes Scientias & facta præterita invenietur, quòd non poſſint probari, quòd ab illis, qui dicuntur factores vel inventores, ſint facta vel inventa, ſi non creditur teſtibus, ſi extant, vel atteſtationibus teſtium, ſi illi non extant, vel aliis Scripturis.

Et ſi de atteſtationibus teſtium & per ſcripturas ſumitur fides & probatio, nulla Secta eſt ita vallata & roborata atteſtationibus teſtium, ſcripturis & inſtrumentis, ſicut Chriſtiana Fides, quam Sacroſancta Romana Eccleſia confitetur; quæ enim Secta habet tot teſtes, quot Fides Chriſtiana, pro qua confitenda & teſtificanda millia millium hominum ſunt martyrizata? imò, quod ſingulare & mirabile eſt, nulla Secta moriendo eſt fundata nec multiplicata, nec lætatur de morientibus, niſi ſola Chriſtiana Fides: quæ ſecta habet tot ſcripturas tam altas, tam multiplices omnes ad unam veritatem Chriſtianæ Fidei concurrentes, ſicut Fides Chriſtiana? imò ſi ſcripturæ aliarum Sectarum librentur & comparentur ad Scripturas Chriſtianæ Fidei, non videntur ſcripturæ, ſed potiùs quædam ruditates & deliramenta: quinimo Chriſtiana Fides tam evidentibus Signis & Miraculis eſt probata, & per noſtrum Dominum JESUM Chriſtum & eum ſequentes tam evidenter tradita & etiam declarata, quòd dicta Signa & Miracula non potuerint fieri, niſi à DEO, nec per ipſum Dominum JESUM Chriſtum potuiſſent talia fieri, qualia

(c) 2006 Ministerio de Cultura

fecit, nec tam evidenter tradi & declarari, quæ nobis tradidit, niſi ipſe eſſet verus DEUS & verus Homo, & per conſequens vera omnia, quæ nos docuit facere, & faciendo firmavit.

Et licèt, poſtquam Chriſtiani habent ſubſtantiam veritatis, deberet eis credi de antecedentibus, utpote de Actore & tempore, ſicut creditur Judæis de Moyſe, Saracenis de Mahometo, Romanis de Romulo, Legiſtis de Juſtiniano, quia ipſi habent ſubſtantiam factorum per eos, nos tamen ad abundantiam noſtri Tractatûs & Laudem Chriſtianæ Fidei, ad probandum, quòd ille, quem Chriſtiana Fides confitetur, ſit verus JESUS Chriſtus, & per conſequens ſint vera, quæ fecit & docuit, intendimus inducere ſpeciales Rationes; & poſtquam erit probatum, quòd ille, quem Chriſtiana Fides confitetur, ſit verus JESUS, erit probatum, quòd ſit Incarnatus, Natus, Mortuus, & ſic de aliis Articulis.

1. Probavimus majorem veritatem, quæ ſit vel poſſit eſſe, quantum ad Articulos Chriſtianæ Fidei, quos veros eſſe probavimus; inde arguimus ſic. Eſt impoſſibile, quòd optima & altiſſima Veritas inveniatur & doceatur à pejori & infimiori homine, & ab illo, qui fuerit falſior homo & major inimicus DEI, qui fuerit vel poſſit eſſe; quia ſequeretur, quòd pejor & falſior homo de mundo ſuperâſſet omnes bonos homines in inventione & doctrina; & ſic unus & idem homo fuiſſet pejor homo & melior totius mundi: ſed ſi ille JESUS Chriſtus, in quem Chriſtiani credunt, vel quicunque alius, qui ſe dixit Chriſtum, & docuit hanc Veritatem Articulorum, quos probavimus, non fuit verus JESUS Chriſtus, ipſe fuit pejor homo, qui fuerit, vel poſſit eſſe, & major inimicus DEI, quia docuit, ſe eſſe DEUM, & fecit ſe DEUM, cùm non eſſet, & fœdavit & corrupit majorem Veritatem, quæ poſſet eſſe: ergo non potuit invenire & docere iſtam ſummam Veritatem. Unde, cùm iſta ſumma Veritas, quam probavimus, pervenerit ad Chriſtianos, convenit, quòd ille, à quo iſta ſumma Veritas pervénit ad Chriſtianos, fuerit verax, & per conſequens vera docuerit.

2. DEUS, cùm ſit ſummè Sapiens & ſummè Bonus, ſic debet diſponere ſuas Operationes, quòd in eis non ſit confuſio & falſitas; ſed ſi Dominus JESUS nondum vénit, Chriſtiani, qui fuerunt & ſunt, ſunt in errore, quantum ad hoc, quòd nondum vénit, quem dicunt veniſſe. Unde, cùm probaverimus, quòd debeat venire, ſi nondum vénit, quando veniet, non credent in eum Chriſtiani, quia jam credunt, quòd venerit; nec Judæi, nec Saraceni, nec aliqui alii à Chriſtianis credent in eum, quia nulli credunt, quòd debeat eſſe talis, qualem probavimus, quòd debeat eſſe: ergo quando veniet, ejus adventus erit ignotus & inutilis, quia illi non credetur ab aliquo; & illi, qui non credent in eum, habebunt ſufficientem excuſationem de incredulitate eorum, quia ille, qui veniet, ſi eſt verus Chriſtus, docebit eandem Veritatem, quam Chriſtiani tenent, quam nos veram eſſe probavimus, & poterunt rationabiliter dicere, quòd non credant in eum, quia ita poſſent in illo decipi, ſicut Chriſtiani, qui credunt eandem Veritatem, fuerunt decepti in eo, qui ſe dixit Chriſtum, cùm non eſſet Chriſtus; & maximè, quia ille, qui veniet, cùm debeat eſſe, ût probavimus, verus DEUS & verus Homo, non poſſit tranſcendere in doctrina illum, in quem Chriſtiani credunt, qui non fuerit verus DEUS nec verus Homo.

3. Omnis veritas magìs dependet ab illo, qui eam primò invénit & docuit, quàm ab illo, qui eam non invénit; ſed Veritas Articulorum Chriſtianæ Fidei, quos probavimus eſſe veros, eſt inventa & incepta, quantum ad manifeſtationem & doctrinam ejusdem veritatis, ab illo, à quo Chriſtiani habuerunt eam: ergo magìs dependet ab eo, quàm ab aliquo alio, qui poſt illum eam docuit vel docebit, & non invénit; ſed ſi ille, à quo Chriſtiani habuerunt iſtam Veritatem, non fuit verus Chriſtus, ſed adhuc eſt venturus, prædicta Veritas veriùs dependet ab illo, qui non fuit Chriſtus, quia primò invénit & docuit eam, quàm ab illo, qui erit verus Chriſtus; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo convenit dicere, quòd ille, qui manifeſtavit dictam Veritatem Chriſtianis, fuerit verus Chriſtus, & talis, qualem ſe eſſe docuit, ne nobiliſſima Veritas incipiat à falſitate.

4. Eſt impoſſibile, quòd altiſſima & infinita Veritas inveniatur in ſublimi gradu ejus ab aliqua creatura per ſe naturaliter ſinè lumine ſupernaturali & adjutorio DEI; ſed Veritas Articulorum, quos probavimus, eſt altiſſima & infinita Veritas, quantum ad Articulos, qui pertinent ad Deitatem, & eſt major Veritas, quæ poſſit eſſe in aliqua re creata,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

creata, quantum ad Articulos, qui pertinent ad Humanitatem; & in tantum eſt iſta Veritas altiſſima, infinita & magna, quòd etiam hodie, poſtquam dicta Veritas eſt manifeſtata Chriſtianis, aſſeritur à multis Chriſtianis, quòd homo non poſſit venire ad iſtam Veritatem per Rationem, ſed ſolùm per Fidem: ergo nulla creatura per ſe & ſinè adjutorio DEI potuit ipſam invenire.

Et ſi dicitur, quòd à DEO ſit manifeſtata, ſequitur ex præmiſſis, quòd DEUS, cùm ſit juſtus & ſapiens, non debuerit illam manifeſtare homini falſo & perſiſtenti in falſitate ante dictam manifeſtationem & poſt, nec debuerit eam manifeſtare cum falſitate temporis & perſonæ, ne ſummam Veritatem principiaret in falſo ſubjecto; quia DEUS faciendo hoc faceret altiſſimæ Veritati majorem injuriam, quæ poſſet fieri altiſſimæ Veritati: imò DEUS, cùm ſit ſummè bonus, non debet ſuſtinere, quòd ſumma & nobiliſſima Veritas habeat falſum principium; ſed ſi ille, quem Chriſtiani credunt veniſſe, nondum vénit, omnes Chriſtiani ſunt in falſitate, & omnes alii à Chriſtianis ſunt etiam in falſitate, quia non credunt, quòd debeat eſſe talis, qualem probavimus eum debere eſſe: ergo convenit, cùm Veritas dictorum Articulorum pervenerit ad Chriſtianos, quòd ad eos pervenerit à DEO, & in vero Homine fuerit ſuſtentata & principiata; & per conſequens talis veritas eſt vera, non ſolùm quantum ad ejus ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad perſonam & ad tempus & alia accidentia.

5. Si Dominus JESUS Chriſtus, in quem Chriſtiani credunt, & cujus Doctrinam amplectuntur, nondum vénit, Chriſtiani, Judæi, Saraceni & quæcunque alia Secta eſt in errore & falſitate; Chriſtiani enim, licèt credant Articulos Chriſtianæ Fidei, quos probavimus eſſe veros, &, quantum ad hoc, ſint in veritate, tamen ſi ille, quem credunt veniſſe, nondum vénit, ſunt, quantum ad hoc, in errore & falſitate: Judæi etiam, Saraceni & quæcunque aliæ Sectæ ſint, ſunt in falſitate, quia nulla alia Secta à Chriſtianis credit, quòd debeat eſſe talis, qualem probavimus debere eſſe: ergo ſequitur, quòd omnes homines, qui ſunt & fuerunt, ſint in errore, nec aliquis homo habet notitiam de DEO, nec aliquis homo eſt amicus DEI, neque DEUS habet populum, nec DEUS diligit Veritatem, quia illi non eſt cura de manifeſtatione Veritatis, nec DEUS compatitur hominibus, cùm permittat, quòd omnes perſiſtant in falſitate & errore; quæ omnia ſunt ſatis & evidenter irrationabilia.

Sequitur etiam ulteriùs, ſi dicta ratio diligenter conſideretur, quòd nec amodò poterit venire, quia nulla Secta credit, quòd ille, qui venturus eſt, ſit talis, qualem probavimus eum debere eſſe; & ſic in nulla Secta invenietur aliqua fœmina, quæ ſit idonea ad concipiendum illum, poſtquam non credet in eum, nec aliquis populus erit diſpoſitus ad recipiendum illum, poſtquam non habet fidem in eo: & ſic non erit Incarnatio nec Recreatio, quam ſuprà probavimus eſſe neceſſariam: ergo convenit, quòd Dominus JESUS, in quem Chriſtiani credunt, ſit verus JESUS, & per conſequens ſua Doctrina ſit vera & ſaluberrima: ex quo ulteriùs ſequitur, quòd ſex Articuli, qui pertinent ad Humanitatem Chriſti, non ſolùm debeant eſſe veri, ſed etiam ſint verificati & facti, ſicut Sacroſancta Romana Eccleſia confitetur.

ARTICULUS XIV.

Quòd Dominus JESUS Chriſtus debeat judicare Vivos & Mortuos.

AD probandum, quòd Dominus JESUS debeat judicare omnes homines, tam vivos, quàm mortuos, *primò* volumus probare, quòd Generatio hominum habebit finem: *ſecundò*, quòd omnes homines reſurgent cum ſuis corporibus: *tertiò*, quòd Dominus JESUS eos debeat judicare: & *primò*.

Quòd Generatio hominum habebit finem.

1. PRobavimus ſuperiùs, quòd totus homo, videlicet cum corpore & anima à ſuî inſtitutione ſit ordinatus ad beatitudinem, ſed per peccatum ſit deviatus à beatitudine; per Paſſionem autem & Mortem Domini JESU eſt totus, ſcilicet cum corpore & anima, recreatus & reſtauratus ad beatitudinem; aliàs non eſſet ſufficienter recreatus; inde arguimus ſic:

Eſt impoſſibile, quòd materia finita ſufficiat ad corpora infinita; ſed ſi generatio hominum nunquam haberet finem, corpora hominum eſſent infinita, ergo aut non

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſufficiet omnis materia creata, de qua fiant corpora hominum, cùm ſint infinita, aut oportet ponere circulationem in corporibus hominum; ſed circulatio non poteſt poni in corporibus hominum, cùm totus homo, ſcilicet cum anima & corpore, ſit ordinatus ad beatitudinem, ſi juſtus eſt, vel totus cum anima & corpore ordinatus ad pœnam, ſi injuſtus eſt: ergo convenit, quòd Generatio hominum habeat finem.

2. Si generatio hominum nunquam habet finem, Sapientia DEI non novit numerum hominum generandorum, cùm generatio hominum & multiplicatio duret in infinitum, & per conſequens numerus ſit innumerabilis, poſtquam eſt infinitus; & ſic Divina Poteſtas dedit humanæ naturæ poteſtatem multiplicandi homines in infinitum, quos Sapientia non novit, & eſſet differentia inter Divinam Poteſtatem & Sapientiam; & hoc eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd generatio hominum habeat finem.

3. DEUS, qui creavit mundum, ût ſuprà probatum eſt, ordinavit Generationem & multiplicationem hominum; aut ergo ordinavit eam ad aliquid vel propter aliquid, aut non ad aliquid; ſi non ad aliquid, fruſtra ordinavit, imò ſequitur, quòd non ordinaverit; quod eſt impoſſibile; ſi autem illam ordinavit ad aliquid, ipſa Generatio aſſequetur illud, aliàs non eſſet ordinata ad illud; & ſi illud aſſequitur, quieſcet & terminabitur in illo: quia omne, quod naturaliter movetur ad aliquid, illo habito naturaliter quieſcit in illo: igitur ſequitur, quòd aut generatio hominum habebit finem, aut quòd non ſit facta propter aliquid, neque ordinata ad aliquid; ſed hoc eſt multipliciter impoſſibile: ergo convenit, quòd Generatio hominum habeat finem: etiam ſequitur, quòd, ſi Generatio non eſt propter aliquid, nec ordinata ad aliquid, Generatio non ſit ab agente à propoſito, nec à natura, ſed à caſu vel à fortuna; & ſic non eſt naturalis: nihil autem, quod eſt à caſu vel à fortuna, poteſt eſſe perpetuum, nec ex parte ante nec ex parte poſt: ergo convenit, quòd Generatio hominum habeat finem.

4. Si Generatio hominum non habet finem, cùm quidam homines ſint boni, quidam mali, aut homines boni erunt infiniti & homines mali infiniti, aut boni erunt infiniti & mali finiti, aut mali infiniti & boni finiti; non enim eſt quartum membrum diviſionis, ſcilicet, quòd boni & mali ſint finiti, quia nullum infinitum poteſt conſtare ex finitis: ſi autem boni ſunt infiniti, non erit materia pro corporibus malorum, quia corpora bonorum, quæ ſunt infinita, indigent totâ materiâ, & non ſufficit eis: ergo nullus malus damnabitur, poſtquam non poterit reaſſumere ſuum corpus. Si etiam mali ſunt infiniti, non erit materia pro corporibus juſtorum, cùm tota materia ſit neceſſaria pro corporibus malorum, nec ſufficiet, cùm ſint infiniti: ergo convenit dicere, quòd aut boni ſalventur, & mali non damnentur, aut quòd mali damnentur, & boni non ſalventur. Si autem boni & mali ſunt infiniti, nec omnes boni nec omnes mali poſſunt pervenire ad beatitudinem vel pœnam; tum quia Generatio hominum, quæ ponitur durare in infinitum, indigebit materiâ pro corporibus generandorum, tum quia materia, cùm ſit finita, non ſufficiet ad corpora infinita; & ita plures erunt non beati, quia infiniti, quàm beati, quia finiti, & plures non damnati, quia infiniti, quàm damnati, quia finiti; aut nullus beatificabitur, nec aliquis damnabitur. Sequitur etiam, quòd, ſi boni ſunt infiniti, & mali infiniti, cùm nihil ſit majus, quàm infinitum, mali infiniti & boni infiniti non erunt in numero plures, quàm boni tantùm, cùm ſint infiniti, vel quàm mali tantùm, cùm ſint infiniti; ſed omnia ſupradicta ſunt manifeſtè impoſſibilia: ergo convenit, quòd generatio hominum habeat finem.

5. Si Generatio hominum non habet finem, motus eſt infinitus, quia non habet finem, & tempus ſimiliter; ſed ſi tempus eſt infinitum, non habet partem finitam; cùm infinitum non conſtet ex finitis: ergo hominum, qui generantur & corrumpuntur, quorum eſſe, duratio & exiſtere eſt finitum, eorum exiſtentia, quæ eſt in tempore, non menſurabitur tempore; aut ſi menſuratur tempore, menſurabitur tempore infinito, cùm ſit finita; quorum utrumque eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd Generatio hominum habeat finem.

Quòd omnes Homines reſurgent cum ſuis corporibus.

1. HOmo, ût ſæpe dictum eſt, à ſuî inſtitutione eſt ordinatus ad beatitudinem, & per conſequens ad vitam; ſed per peccatum eſt deviatus à dicta beatitudine, inde arguimus ſic:

Humana natura eſt recreata, & ad ſuum finem

finem reſtituta per Mortem Domini JESU, ût ſuprà probavimus; ſed ſi homo non peccâſſet, tota humana natura, ſcilicet cum corpore & anima erat aſſumenda ad beatitudinem: ergo, cùm ſufficienter ſit recreata, tota, ſcilicet cum corpore & anima eſt aſſumenda ad beatitudinem, quantum ad juſtos; vel tota, ſcilicet cum corpore & anima, eſt deducenda ad æternam miſeriam, quantum ad injuſtos: ergo convenit, quòd ſit Reſurrectio hominum.

2. Omnis operatio meritoria vel demeritoria procedens ab homine principaliùs & veriùs attribuitur compoſito & ſuppoſito, quàm partibus ejus; ût operari bonum vel malum veriùs attribuitur homini, quàm animæ vel corpori; cùm actus principaliter ſint ſuppoſitorum; unde, cùm homo ſit ille, qui operatur bonum vel malum, & anima non ſit homo, nec etiam corpus ſit homo, convenit, quòd ſit Reſurrectio hominum, ut, qui totus, ſcilicet cum corpore & anima bene egit, totus, ſcilicet cum corpore & anima remuneretur, & qui totus malè egit, pro malo totus, ſcilicet cum corpore & anima puniatur: ergo erit Reſurrectio hominum.

3. Si homines non reſurgerent cum ſuis corporibus, Dominus JESUS non participaret (quem probavimus reſurrexiſſe) in beatitudine & vita æterna cum hominibus, ſed cum animabus eorum, & Corpus Domini JESU non videretur corporaliter, nec ſuum verbum audiretur, nec ipſe daret gloriam alicui naturæ corporali, & ſuum Corpus ſtaret ſolum in gloria; quæ omnia ſunt irrationabilia & impoſſibilia: ergo convenit, quòd ſit Reſurrectio hominum.

4. Eſt impoſſibile, quòd DEUS, cùm ſit juſtus, aliquid dimittat impunitum vel irremuneratum; ſed per certam experientiam videmus, quòd multi homines boni in hoc mundo ſuſtineant multas injurias, adverſitates, tribulationes & labores corporales, & faciant multa bona & meritoria opera corporalia, & quaſi, quamdiu ſunt in hoc mundo, ſint in continua afflictione corporis, & multi homines mali ſint, qui habent multas malas & inordinatas delectationes corporales & quaſi continuas, & faciant multa gravia peccata, de quibus non portant pœnam in hoc mundo: ergo convenit, quòd ſit Reſurrectio hominum, ut DEUS bonis retribuat in corporibus eorum pro bono, quod fecerunt in illis corporibus, & malis det pœnam pro malis, quæ fecerunt in illis corporibus; aliàs DEUS non juſtè procederet.

5. Si homines non reſurgerent cum ſuis corporibus, nulla anima haberet perfectam beatitudinem nec completam gloriam; nam cùm anima naturaliter inclinetur ad ſuum corpus, quia anima ideo eſt creata, ut cum corpore conſtituat hominem, ſi non rehaberet ſuum corpus, privaretur ſuo naturali deſiderio, & ita non haberet perfectam gloriam, quia non aſſequeretur ſuum naturale deſiderium; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo convenit, quòd ſit Reſurrectio hominum. Sequitur etiam, ſi homines non reſurgunt cum ſuis corporibus, quòd aut anima, quæ eſt pars, ſit nobilior, quàm ſuum totum, quia anima erit beata, homo autem non; aut quòd nec anima nec homo perveniat ad beatitudinem; cujus contrarium multipliciter ſuperiùs eſt probatum.

Quòd Dominus JESUS Chriſtus debeat judicare omnes homines.

AD probandum, quòd Dominus JESUS debeat judicare omnes homines, probabimus *primò*, quòd debeat eſſe Generale Judicium omnium hominum, & quòd DEUS debeat eſſe Judex illius Judicii: *Secundò*, quòd Dominus JESUS Chriſtus, qui eſt verus DEUS & verus Homo, debeat eſſe Judex illius Judicii.

1. *Primo.* Manifeſtum eſt, quòd conditio omnium hominum ſit diviſa in duas partes, quia quidam eorum ſunt boni, quidam mali; inde arguimus ſic:

Nullus juſtus Judex debet bonos & malos admittere ad eundem locum, nec ad eos uniformiter ſe habere, ſed debet inter eos diſcernere, & ſecundùm quòd diverſimodè operati ſunt, retribuere, & per conſequens inter eos judicare, & pro bono debet retribuere bonis, ſecundùm quòd plus vel minus boni fecerunt; malis autem ſupplicium & pœnam, ſecundùm quòd plus vel minus mali fecerunt, cùm Juſtitia ſit: *jus ſuum unicuique tribuere;* ſed DEUS eſt juſtus Judex, imò nullus alius eſt juſtus Judex, niſi ipſe: quòd enim ipſe ſit juſtus, ſatis patet ex ſuperioribus; quòd autem ipſe ſolus debeat eſſe Judex, patet, eò quòd ipſe ſolus eſt Dominus omnium, quia omnia fecit, & ad ipſum pertinet primò & immediatè omnis operatio creaturæ ſive bona ſive mala: ipſe etiam ſolus eſt, qui poteſt retribuere & punire, cùm ipſe ſolus ſit omnipotens; ipſe etiam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

etiam ſolus eſt, qui novit merita & demerita omnium hominum, quantum ad facta & etiam cogitata, non ſolùm quantum ad numerum, ſed etiam quantum ſunt intenſa & remiſſa; cùm enim ſit ſolus & ſummè Sapiens, ſolus etiam omnia ſcit, & ſic præterita, ût præſentia contemplatur: ergo DEUS debet inter bonos & malos diſcernere, & diverſimodè retribuere & punire, & per conſequens inter eos judicare: ergo convenit, quòd ſit Generale Judicium omnium hominum.

2. Omnia particularia & inferiora judicia debent examinari per Generalem & Superiorem Judicem, & examinata ratificando vel infirmando judicari & regulari; aliàs eſſet error in judiciis, quia in illis homines poſſunt falli, & non eſſet ordo in judiciis; Juſtitia DEI etiam eſſet defectiva, niſi ſe extenderet ad omnia judicia regulanda: ſed omnes actus hominum tam exteriores, quàm interiores ſunt quædam judicia, quia fiunt cum libertate: ergo omnia debent per Superiorem Judicem examinari & ratificari vel infirmari; ſed ſolus DEUS eſt Superior ad omnes homines: ergo ipſe debet eſſe Judex omnium actuum hominum, qui ſolus novit omnia, & ſolus poteſt omnibus declarare omnia facta in uno inſtanti: iſtud Judicium etiam debet eſſe Unum & Generale, in quo omnes homines debent adeſſe, & poſt Reſurrectionem hominum, aliàs non eſſet omnibus manifeſtum.

3. *Secundò* probamus, quòd Dominus JESUS debeat eſſe Judex illius Judicii. Nullus judex eſt tam idoneus, ſicut ille, qui participat cum utraque partium, inter quas debet eſſe Judicium, & qui novit merita utriusque partis non ſolùm ſecundùm ſcientiam, ſed etiam ſecundùm experientiam; ſed natura humana debet judicari pro iis, quæ fecit ſecundùm Voluntatem DEI & contra Voluntatem DEI: ergo nullus eſt tam conveniens Judex, ſicut ille, qui participat cum DEO & homine; talis autem eſt Dominus JESUS, qui eſt verus DEUS & verus Homo, ût ſuprà probavimus: ergo ipſe debet eſſe Generalis Judex omnium hominum.

4. Omne Judicium ritè ordinatum requirit, quòd omnibus ſit notum & manifeſtum, qui judicandi ſunt; ſed omnes homines conſtant ex corpore & ex anima: ergo judicium hominum debet eſſe notum non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter; ſed ſi ſolus DEUS judicaret, ſua Perſona non videretur corporali oculo, nec ſua ſententia audiretur nec perciperetur aliquo corporali ſenſu: ergo convenit, quòd ille, qui judicat, ſit talis, quòd poſſit perfectè & completè manifeſtare ſuum Judicium, ſcilicet corporaliter & ſpiritualiter; talis autem eſt ſolus Dominus JESUS, cùm ſit verus DEUS & verus Homo: ergo ipſe debet eſſe Judex.

5. Nullus eſt tam idoneus Judex, ſicut ille, in quo reperiuntur & concordant Juſtitia, Manſuetudo & Miſericordia; ſed in Domino JESU eſt ſumma Juſtitia, cùm ſit verus DEUS, & Manſuetudo & Miſericordia, cùm ſit verus Homo, per quam naturam inclinatur ad miſerendum hominibus, qui cum illo participant & inſimul concordant: ergo ipſe debet judicare, ut in Judicio adſit Deitas, quæ excitet illum ad Juſtitiam, & Humanitas, quæ inclinet illum ad Miſericordiam.

De Fine hujus Tractatûs.

1. HUnc Tractatum fecimus eâ intentione, ut fideles & devoti Chriſtiani attendant, quòd, cùm nulla Secta alia à Chriſtiana Fide poſſit probari eſſe vera, nec defendi à ſequentibus vel defendentibus eam, nec poſſit rationabiliter impugnare Chriſtianam Fidem, quia omnes ſunt innixæ falſo & frivolo fundamento, Chriſtiana autem Fides non ſolùm poſſit defendi contra omnes impugnantes illam, ſed etiam probari, & quamcunque aliam Sectam infringere per neceſſarias Rationes, ſicut patet ex ſupraſcriptis Rationibus, ob zelum Fidei animati ardenti deſiderio meditentur, quòd, cùm nihil poſſit reſiſtere Veritati, quia eſt fortior ſuper omnia, per viam & fortitudinem Rationum cum Adjutorio & Virtute DEI poterunt reducere Infideles ad viam Veritatis, ſic, quòd Nomen Domini JESU omni laude digniſſimum, quòd in plerisque partibus Mundi & à quàm plurimis ignoratur, manifeſtabitur & habebitur in reverentia & honore: & hæc via ad convertendum Infideles eſt facilior, quàm omnes aliæ; durum enim & periculoſum videtur Infidelibus dimittere ſuam Credulitatem pro aliena Credulitate vel Fide; ſed falſum & impoſſibile pro vero & neceſſario non deſerere, quis eorum poterit ſuſtinere?

2. Et ſi dicatur, quòd in hoc Tractatu nobis poſſint fieri aliquæ objectiones, ad quas non reſpondimus, dicimus, quòd in hoc Tractatu hoc tantum habuerimus in intentione,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tione, ut oſtenderemus, quòd Chriſtiana Fides poſſit probari per neceſſarias Rationes: & licèt, ſi totus Tractatus memoriter teneatur, credamus, quòd ſolutiones multarum objectionum appareant diligenter intelligentibus eum, nos aliquas dimiſimus brevitatis gratiâ; „offerimus nos tamen ſinè „præſumptione in Virtute Chriſtianæ Fidei „reſpondere ad omnes Objectiones Infide„lium, & eis contra eorum Sectas & pro „Chriſtiana Fide tales poſitiones facere & „probare, quòd ad eas nullatenus poterunt „reſpondere.

3. Et ſi dicitur, quòd velle inniti Rationibus, deroget Fidei vel merito Fidelium, dicimus, quòd Fideles, qui non quærunt intelligere, ut credant, ſed credentes, quòd, ſi non crediderint, non intelligent, Fidem ſimpliciter & conſtantiſſimè amplectentes poſſint in virtute ejusdem Fidei elevari ad tantam ſublimitatem intelligentiæ, quòd ipſa Fides, quæ erat vita, pabulum & fomentum voluntatis firmiter illam credentium, ſubminiſtrabit eisdem „ſua funda„menta, quibus innititur, ſcilicet neceſſa„rias Rationes, quæ ſint confortativum, „exaltativum, illuſtrativum ac ſpeculum & „objectum intellectûs„; ipſa autem Fides adinſtar ſupernatantis olei in ſublime conſurgens ad tantò altiorem gradum in eisdem credentibus elevatur, quantò altiorem ſcalam ſibi intellectus erexit multiplicatis neceſſariis Rationibus, quia ipſa *Fides intellectum in ſe ipſa fundans, & eum inveſtigando continuè concomitans & confortans excandeſcit ſupra vires & potentiam intellectûs quia fatigari neſciens ſemper nititur intenſiùs & altiùs ad credendum; propter quod Fides altiùs erigitur, & meritum credentium ampliatur.*

4. Verùm ſi dicitur nobis, quòd aliquæ vel multæ de ſupraſcriptis Rationibus alibi ſint inſertæ, dicimus, quòd nos eas invenerimus ſecundùm modum & Artem cujusdam *Tabulæ Generalis*, quam fecimus; tamen ſi alibi & ab aliis ſunt repertæ, in quantò pluribus Libris & à pluribus ſunt dictæ, tantò ampliùs exultamus; nos enim non intendimus ad aliud, niſi ad oſtendendum, quòd Chriſtiana Fides vel Fideles per illam per Rationes poſſint convincere quamcunque Sectam, & convertere Infideles, & Nomen DEI per cuncta climata mundi celebre & ſolenne omnibus declarare.

Exhortatio.

5. PRopter quod flexis genibus cum humilitate & reverentiâ, quantâ poſſumus, Sanctiſſimo Patri Summo Pontifici Domino Bonifacio Chriſti Vicario & Dominis Cardinalibus ſupplicamus, ut ipſi dictam viam amplectantur, cùm inter omnes vias ad convertendum Infideles & Recuperationem Terræ Sanctæ iſta ſit levior, facilior, velocior & amicabilior & magìs conſona Charitati, & tantò fortior, quàm omnes aliæ viæ, quantò fortiora ſunt arma ſpiritualia, quàm corporalia; hæc enim armatos ſuos non onerant nec moleſtant, non hebetantur ictibus, non franguntur, non rubiginantur algoribus, nec diſſolvuntur caloribus, ſed quantò plùs in virtute eorum agitur, tantò ſubtiliùs acuuntur & multipliciùs multiplicantur, & armatos ſuos agiliores, fortiores, armatiores & audaciores faciunt plùs in medio & in fine, quàm in principio; præter multa alia, quæ omittimus enarrare, ne videamur ſæcularibus Poteſtatibus in aliquo derogare; licèt ipſi poſſint & debeant rationabiliter cogitare, quòd arma Clericorum ſint nobiliora & fortiora, quàm arma eorum.

Factus fuit iſte Tractatus Romæ anno Domini MCCIVC., & completus ibidem in Vigilia Beati Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini JESU Chriſti, cui placeat Dominum deprecari, ut, ſicut ipſe fuit Præco Lucis & Luminis, & ipſum, qui eſt vera Lux, digito demonſtravit, & ſuo tempore fuit Gratia inchoata, ſic placeat Domino JESU Chriſto novam Lucem mundo infundere, ad cujus Lumen ambulantes Infideles converſi nobíscum ſecurè occurrant eidem Domino JESU Chriſto, cui ſit Honor & Gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Corrigenda.

PAg. 4. col. 1. lin. 1. creatæ & finitæ Bonitati *legatur* creato & finito bono.

Pag. 4. col. 1. num. 2. lin. 1. & 2. per actum æternum & infinitum *legatur* actus æternus & infinitus.

Pag. 9. col. 2. n. 2. lin. 5. primis *addatur* Parentibus.

Pag. 25. col. 1. num. 1. lin. pen. amorem *legatur* armorum.

Pag. 31. col. 2. num. 5. lin. 16. virtute, *deleatur* comma.

Pag. 56. col. 2. num. 1. lin. 20. quòd *legatur* quod.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI SUPPLICATIO SACRÆ THEOLOGIÆ Profeſſoribus ac Baccalaureis Studii Pariſienſis.

DEUS cum tua altiſsima Gratia, Sapientia & Virtute incipit *Supplicatio Raymundi Venerabilibus & Subtilibus Sacratiſſimæ Theologiæ Profeſſoribus ac Baccalaureis Studii Pariſienſis.*

DE PROLOGO.

QUoniam eſt maxima derogatio Catholicæ Fidei, quod apud Infideles communiter eſt divulgatum, videlicet, quòd Fides Chriſtianorum per Rationes cogentes humanum Intellectum ſit magìs improbabilis, quàm probabilis, & propter hoc aſſerunt, quòd Chriſtiana Fides per nullam inſolubilem Rationem poſſit confirmari, ſed potiùs improbari; qui etiam dicunt, quòd nos Fideles Chriſtiani hoc idem dicamus: ideo RAYMUNDUS advertens, quòd hoc ſit extirpandum, ſupplicat, quantò humiliùs & ardentiùs poteſt, Facultati Sacræ Theologiæ Venerabilium Magiſtrorum, quatenus Vobis Reverendis Magiſtris ac Dominis placeat in ſcriptis ponere illas Rationes, quæ videbuntur magìs confirmare Catholicam Fidem Chriſtianorum, ut prædictus error per earundem efficaciam poſſit extirpari apud Infideles. Item ſupplico dicto modo, quatenus Vobis Dominis & Magiſtris placeat confirmare & ratificare pro poſſe iſtas Rationes, quas ego facio in hoc Libro, ut ſecuriùs poſſim aggredi Diſputationem eorum; nam, cùm ego ſciam Arabicum & etiam disputare cum ipſis, propono redire ad ipſos, ut cum eis diſputando per Lumen Divini Ignîs poſſim retrahere dictos Infideles ab errore, & reducere ad Fidem Chriſti & ad Viam Veritatis.

De Diviſione hujus Libri.

1. ISte Liber dividitur in *duas Diſtinctiones:* in *prima* Diſtinctione intendimus probare & inveſtigare, quantum poterimus, Divinam Trinitatem; in *ſecunda* Diſtinctione probabimus Divinam Incarnationem.

In prima Diſtinctione intendimus facere *viginti Syllogiſmos*, quorum Majores probabimus, & Minores erunt ſatìs notæ; & hoc idem intendimus facere in ſecunda Diſtinctione.

2. Antequam deſcendamus ad propoſitum,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tum, facimus quandam manifeſtam Suppoſitionem, quæ eſt: quòd *omne agens agat propter finem;* ex quo neceſſariò ſequitur, quòd *omne ens magìs agens agat propter majorem finem; DEUS autem inter omnia entia eſt magìs Agens: ergo agit propter majorem Finem.* Et quia iſte Syllogismus eſt *primitivus, verus & neceſſarius,* intendimus nos dirigere ad probandum Divinam Trinitatem & Incarnationem cum ipſo.

3. Multæ Objectiones autem poſſunt fieri ad improbandum Divinam Trinitatem & Incarnationem, ſed ex prædicto Syllogismo & ex iis, quæ ſequuntur, poſſunt ſolvi; etiam, quia Venerandi Magiſtri in Theologia promittunt ſolvere, quidquid contra Sanctam Catholicam Fidem poſſunt objicere Infideles; ſi Ego *in aliquo errem in Catholica Fide impropriè loquendo, vel aliter quoquo modo, non ſcienter, ſed potiùs ignoranter errarem.*

4. In iſto Libro non intendo demonſtrare prædicta ex cauſis, cùm DEUS non habeat cauſam, cùm ſit Cauſa omnium aliorum, ſed intendo probare per Divina Attributa exiſtentia æqualiter in ipſo ût in ſuperlativo gradu. Item intendo taliter probare, quòd Habitus Fidei maneat integer & illæſus, qui datus eſt à primo Creante, ſicut *in aliis Libris* de hoc aliàs latiùs tractavimus.

DISTINCTIO I.
De Trinitate.

ISta Diſtinctio Continet *viginti Syllogismos*, cuilibet Syllogismo autem aſſignabimus unam propriam Propoſitionem, quæ ſunt hæ: ſcilicet

Divina Unitas eſt uniſſima.
Divina Operatio eſt operaliſſima.
Divina Bonitas eſt optima.
Divina Magnitudo eſt maxima.
Divina Æternitas eſt æternaliſſima.
Divina Poteſtas eſt potentiſſima.
Divinus Intellectus eſt intellectiſſimus.
Divina Voluntas eſt voliſſima.
Divina Virtus eſt virtuoſiſſima.
Divina Veritas eſt veriſſima.
Divina Gloria eſt glorioſiſſima.
Divina Infinitas eſt infinitiſſima.
Divina Simplicitas eſt ſimpliciſſima.
Divina Singularitas eſt ſingulariſſima.
Divina Neceſſitas eſt neceſſiſſima.
Divina Perfectio eſt perfectiſſima.
Divina Natura eſt naturaliſſima.
Divinum Principiũ eſt principialiſſimũ.
Divina Ordinatio eſt ordinatiſſima.
Divinus Finis eſt finaliſſimus.

Omnes prædictæ Propoſitiones ſunt per ſe notæ, & nullum ens poteſt ipſas impedire: non DEUS, quia impediret ſe, & ageret contra ſe ipſum; nec aliud ens, cùm Divina Poteſtas poſſit ſuper omnia. Cum iſtis Propoſitionibus autem intendimus Syllogizare; & primò de primo Syllogismo.

1. Omne Ens uniſſimum agit uniſſimè; ſed DEUS eſt Ens uniſſimum: ergo agit uniſſimè, & producit de ſe intrinſecum Uniſſimatum coæquatum in Unitate, procedente ab utroque Uniſſimare concordare; iſta tria Suppoſita, quæ inquirimus, ſunt in Divina Unitate relata & diſtincta, & remanent una Eſſentia Unitatis indiviſa concordando denudata ab omni difformitate.

Si verò dicas: non eſt ibi multiplicatio Perſonarum, cùm ſit una indiviſa Eſſentia, dico, quòd ſit verum de Eſſentia abſolutè ſumpta, ſed non relativè; cùm illa Relatio dicat aliquid reale & per ſe.

2. Nullum Ens operaliſſimum agit operaliſſimè, niſi producat in ſe intrinſecum operaliſſimatum diſtinctionaliſſimatum coæquatum, procedente ab utroque operaliſſimare concordare; ſed DEUS eſt Ens operaliſſimum: ergo agit operaliſſimè; ſed non poteſt agere operaliſſimè, niſi producat in ſe ipſo intrinſecum Operaliſſimatum diſtinctum & coæquatum, & procedat ab utroque Operaliſſimare concordare, ita, quòd iſta ſint remota ab omni otioſitate: ergo DEUS producit in ſe intrinſecum operaliſſimatum diſtinctionaliſſimum coæquatũ, procedente Operaliſſimare concordare ab utroque.

Si autem objicias, quòd Sanctus Spiritus ſit otioſus, quia non producit aliam Divinam Perſonam, dico, quòd hoc non ſit otioſitas, quia non convenit ei producere, ſecundùm quòd eſt concordatus & quietatus; aliàs eſſet proceſſus in infinitum; quod eſt impoſſibile.

3. Omne Ens optimum agit optimè; ſed DEUS eſt Ens optimum: ergo agit optimè; hoc autem eſt producendo Optimatum diſtinctum propter ſe & propter productum, & propter Optimare & concordare procedens ab utroque remotum ab omni malitia.

Si autem objicias, quòd Optimans ſit in altiori gradu, quàm Optimatus, reſpondeo, quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd non, sequitur verò, quòd productum sit de tota Bonitate producentis optimi.

4. Nullum Ens maximum agit maximè, nisi producat maximatum distinctum in sua maximitate coæquatum, & procedat ab utroque maximare concordare remotum ab omni parvitate; sed DEUS est Ens maximum agens maximè: ergo producit maximatum distinctum in sua maximitate coæquatum, & procedit ab utroque maximare concordare remotum ab omni parvitate.

Si autem objiciatur, quòd Finis DEI vel Patris sit parvus, quia non producit alium Filium, dico, quòd non sequatur, quia derogaret suæ singulari Filiationi & singulari Paternitati sui Patris; quod est impossibile.

5. Omne Ens æternalissimum agit æternalissimè; sed DEUS est Ens æternalissimum: ergo agit æternalissimè; ad tale agere autem necessariò sequitur distinguere inter-producens et productum & æternare concordare procedens ab utroque, ut relatio Personarum sit in superlativo gradu remota ab omni novitate.

Si objiciatur, quòd Pater sit ante Filium, & Filius ante Sanctum Spiritum; non valet, quia Pater & Filius & Sanctus Spiritus sunt in Æternitate, *ante* verò non est in Æternitate, sed in tempore: ergo Pater non est ante Filium, nec Filius ante Sanctum Spiritum.

6. Nullum Ens potentissimum agit potentissimè, nisi producat distinctissimè potentissimatum in superlativa relatione relatum, & ab utroque procedat potentissimare concordare, istis tribus remanentibus una Substantia potentissima denudata ab omni accidente & materia & impotentia; sed DEUS est Ens potentissimum agens potentissimè: ergo producit Potentissimatum in superlativa relatione relatū, & ab utroque procedit Potentissimare concordare, ipsis tribus remanentibus una Substantia potentissima denudata ab omni accidente & materia & impotentia.

Si fortè diceret aliquis, quòd sit impossibile; dico, quòd non sit impossibile, posito, quòd Potestas potentissima prædicetur de Unitate unissima & de Operatione operalissima, de Bonitate optima &c.

7. Omnis Intellectus intellectissimus agit intellectissimè de se & à se intellectissimatum in superlativo gradu relatum; sed DEUS est Intellectus intellectissimus: ergo producit Intellectissimatum distinctum de se & à se in superlativo gradu relationis relatum, & ab utroque procedit Intellectissimare concordare, omnibus essentibus unus Intellectus remotus ab omni ignorantia, ita, quòd Intellectissimatus non causet nec reflectat Intellectissimantem, sed potius è converso; aliàs enim destrueretur relatio & intelligere.

Si verò dicatur, quòd Sanctus Spiritus, qui reflectitur supra suum intelligere, & non producit Personam, confundat Relationem: dicendum, quòd non sequatur, cùm illud Intelligere sit idem personaliter cum illo, qui est productus à Patre & Filio; & sic non convenit ei producere Personam.

8. Nullum Ens volissimum agit volissimè, nisi producat volissimatum de se & in se & per se distinctum in superlativo gradu relatum, ita, quòd ab utroque procedat amare concordare remotum ab omni odio; sed DEUS est hujusmodi: ergo DEUS producit volissimatum de se & in se & per se distinctum in superlativo gradu relatum, ita, quòd ab utroque procedat amare concordare remotum ab omni odio.

Et si dicatur, quòd Sanctus Spiritus non sit volissimatus, quia Pater & Filius nolunt, quòd producat Personam: respondeo & dico, quòd non sequatur, quia, quòd ipse sit volissimatus, non est, quòd ipse possit producere, sed quòd sit contentus illo, quod habet à Patre & Filio; sicut Filius, qui est contentus, quod sit Filius, & non alter, quia Pater & Sanctus Spiritus hoc volunt &c.

9. Omne Ens virtuosissimum agit virtuosissimè distinguendo & producendo virtuosissimatum in superlativo gradu virtutis relatum, ita, quòd ab utroque procedat virtuosissimare concordare; sed DEUS est Ens virtuosissimum: ergo agit virtuosissimè producendo de se & per se Virtuosissimatum distinctum à Virtuosissimante, & Virtuosissimare concordare procedente ab utroque; aliter non essent distincta, & illud agere esset vitiosum, & contra prædictam relationem, quod est impossibile.

Et si dicis, quòd vitiosè producat, quia coæquat & distinguit à se productum, cùm Ens virtuosissimum sit purus Actus; dico, non sequitur, imò vitium est, qui potest agere virtuosissimè & uti suâ virtute & non vult, & illud agere virtuosissimum est purus actus, & conversus cum existentia Virtutis.

10. Nullum Ens verissimum agit verissimè, nisi producat verissimatum distinctum in summo gradu Veritatis relatum, ab utroque procedente verissimare concordare; sed DEUS est Ens verissimum: ergo agit verissimè producendo Verissimatum distinctum in

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſummo gradu Veritatis relatum, & ab utroque procedit Veriſſimare concordare.

Si autem dicatur, quòd Verificans reflectatur ſupra ſe, in quantum producit Verificatum, & nullum ens verificet ſe naturaliter, dico, quòd non verificet ſe, quòd producat ſe, ſed verificet ſe, quia producit aliam Perſonam veriſſimam de ſe ipſa, quæ eſt pura Veritas remota ab omni falſitate.

11. Omne Ens glorioſiſſimum agit glorioſiſſimè diſtinctiſſimè relatiſſimè producendo glorioſiſſimatum diſtinctiſſimum relatiſſimum, ab utroque procedente glorioſiſſimare concordare; ſed DEUS eſt Ens glorioſiſſimum diſtinctiſſimum: ergo agit producendo Glorioſiſſimatum diſtinctum in ſuperlativo gradu Gloriæ relatum, Glorioſiſſimare concordare procedente ab utroque.

Si verò dicatur, quòd Glorioſiſſimans non ſit perfectè glorioſus, quia totam Gloriam communicat Glorificato, ſcilicet Pater Filio; dico, quòd non ſequatur, cùm Gloria ſit indiviſa, & producatur de tota Gloria; imò eſſet illi pœna, ſi non poſſet illam communicare alteri ſibi coæquali, cùm ipſe ſit purus Actus Gloriæ exiſtendo & agendo.

12. Nullum Ens infinitum poteſt agere infinitatum ſibi coæquatum intrinſecum ſinè diſtinguere & infinire & concordare ab utroque procedente; ſed DEUS eſt Ens infinitum: ergo poteſt agere Infinitatum ſibi coæquatum intrinſecum cum diſtinguere & Infinire & concordare ab utroque procedente; quia, ſi deficeret ei infinire diſtinguere, eſſet terminatum, quia non haberet Operationem purè infinitam.

Si verò dicatur, quòd ſecundùm quid ſit infinitus, quia cauſat Mundum æternum, non autem ſit infinitus in vigore, dico, quòd, ſi non habet infinitum Intrinſecum, non poſſet habere Infinitatum extrinſecum, quia nihil eſt majus extra ſe, quàm intra ſe.

13. Omne Ens ſimpliciſſimum agit ſimpliciſſimè diſtinguendo & ſimpliciſſimando ſimpliciſſimatum, ab utroque procedente ſimpliciſſimare concordare; ſed DEUS eſt Simpliciſſimus: ergo agit ſimpliciſſimè & diſtinctiſſimè, ſimpliciſſimare ab utroque procedente.

Si fortè dicit aliquis, quòd, ſi plures ſunt in Eſſentia DEI, Eſſentia ſit compoſita, reſpondeo, quòd DEUS Pater, qui eſt ipſa Simplicitas, producat de toto ſe ipſo ſimplificatum Filium & Sanctum Spiritum.

14. Nullum Ens ſingulariſſimum agit ſingulariſſimè ſinè diſtinguere & ſingulariſſimare concordare procedente à ſingulariſſimante & ſingulariſſimato diſtincto intrinſeco; ſed DEUS eſt Ens ſingulariſſimum: ergo agit ſingulariſſimè cum diſtinguere & ſingulariſſimare concordare procedente à Singulariſſimante & Singulariſſimato diſtincto intrinſeco.

Et ſi objiciatur, quòd Pater non producat Sanctum Spiritum ſimpliciter, quia cum Filio, dico, quòd non ſequitur, quia Filius eſt ſuus ſingularis Genitus.

15. Omne Ens neceſſiſſimum agit neceſſiſſimè neceſſitatum diſtinctum intrinſecum, ita, quòd ab utroque procedat neceſſitare concordare; ſed DEUS eſt Ens neceſſiſſimum: ergo agit neceſſiſſimè Neceſſitatum intrinſecum, Neceſſitare concordare procedente ab utroque.

Si verò dicatur, quòd Filius ſit Ens neceſſarium, quia neceſſariò eſt à Patre, & ſic de Sancto Spiritu; dico, quòd non ſequitur, cùm illa tria non ſint, niſi una Eſſentia eſſentialiſſima, quæ eſt Neceſſitas indiviſa denudata ab omni contingentia.

16. Nullum Ens perfectiſſimum agit perfectiſſimè, niſi producat perfectiſſimatum diſtinctum intrinſecum perfectè relatum, & quòd ab utroque procedat perfectiſſimare concordare; ſed DEUS eſt Ens perfectiſſimum, ergo agit perfectiſſimè producendo Perfectiſſimatum diſtinctum intrinſecum perfectè relatum, & ab utroque procedit Perfectiſſimare concordare.

Si dicatur, quòd non ſit perfectiſſimus, quia perficit ſe in producendo perfectiſſimatum; dico, quòd non ſequitur, & quòd de tota Perfectione producat ipſum, & ſinè ipſo eſſet otioſus, & non remotus ab imperfectione.

17. Omne Ens naturaliſſimum agit naturaliſſimè naturaliſſimatum diſtinctum & intrinſecum, naturaliſſimare concordare procedente ab utroque; ſed DEUS eſt Ens naturaliſſimum: ergo agit naturaliſſimè Naturaliſſimatum intrinſecum diſtinctum, Naturaliſſimare concordare procedente ab utroque.

Si verò dicatur, quòd DEUS non habeat Naturam nec ſit Natura, niſi Natura naturans; dico, quòd DEUS ſit Natura naturans, & habeat Naturam intrinſecè producentem Naturatum intrinſecum productum, aliter non eſſet Ens naturaliſsimum, nec naturaliſſimè poſſent de ipſo ſuæ Rationes

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nes realiter prædicari, scilicet naturalis Unitas unissima, naturalis Operatio operalissima, Naturalis Bonitas optima &c., quod est impossibile & contra superlativum gradum, in quo illæ Rationes naturaliter existunt.

18. Nullum Ens principialissimum agit principialissimè, nisi producat principialissimatum distinctum in summa relatione relatum, principiare concordare procedente ab utroque; sed DEUS est Ens principialissimum: ergo agit principialissimè producendo Principialissimatum distinctum in summa relatione relatum, Principiare concordare procedente ab utroque.

Et si dicatur: quòd non sit de Ratione DEI, quòd sit principialissimatum; cùm nullum principiatum possit coæquari suo principianti: dico, quòd non sequatur, nisi in inferioribus, non autem in superioribus, quia Principians est æternus, & de sua Æternitate producit Principiatum æternatum.

19. Omne Ens ordinatissimum agit ordinatissimè distinguendo & referendo, existente ordinatione in superlativo gradu; sed DEUS est Ens ordinatissimum: ergo agit ordinatissimè productum Ordinatissimum distinctum & relatum, Ordinatissimare concordare procedente ab utroque.

Et si dicatur, quòd Sanctus Spiritus non sit tantum ordinatus, quantum Filius, quia est Genitus & Spirator, & Sanctus Spiritus tantùm Spiratus, dico, quòd non sequatur, quia tantum est habere spirare à Patre & Filio, quantum generare & spirare in Filio.

20. Nullum Ens, quod est Ultimus Finis, agit finalissimè, nisi producat finalissimatum distinctum à se in suprema relatione relatum & coæquatum, finalissimare concordare procedente ab utroque; sed DEUS est ultimus Finis: ergo agit finalissimè producendo Finalissimatum distinctum à se in suprema relatione relatum & coæquatum, Finalissimare concordare procedente ab utroque.

Et si opponat aliquis, quòd nullum Ens perfectissimum tantum se habeat ad alterum, quantum ad se ipsum, sicut ponis, quòd Pater tantum se habeat ad Filium, quantum ad se ipsum; dico, quòd non sequatur in Superioribus, sed in inferioribus tantùm; nam hic Filius est genitus de toto Patre, in aliis entibus verò non; etiam quia Pater, Filius & Sanctus Spiritus essentialiter sunt unus Ultimus Finis in Divinis.

Venati sumus Beatissimam Divinam Trinitatem; quòd autem solùm sit ibi Trinitas, scilicet Pater, Filius & Sanctus Spiritus, potest patere ex dictis subtiliter perscrutanti; de hoc autem in *aliis Libris* explicitè tractavimus, & etiam ampliore sermone.

DISTINCTIO II.
De Incarnatione.

ISta Distinctio est de Incarnatione Filii DEI, quam intendimus investigare per has viginti Propositiones, quarum prima est:

DEUS est Causa unissima.
DEUS est Causa operalissima.
DEUS est Causa maxima.
DEUS est Causa durabilissima.
DEUS est Causa potentissima.
DEUS est Causa intellectissima.
DEUS est Causa amantissima.
DEUS est Causa virtuosissima.
DEUS est Causa verissima.
DEUS est Causa glorioſissima.
DEUS est Causa sanctissima.
DEUS est Causa summa.
DEUS est Causa perfectissima.
DEUS est Causa concordalissima.
DEUS est Causa digniſsima.
DEUS est Causa singulariſsima.
DEUS est Causa principialissima.
DEUS est Causa ordinatissima.
DEUS est Causa nobilissima.
DEUS est Causa finalissima.

Et primò de prima.

1. Unissimum est, quòd unissimum sit Causa unissima; sed DEUS est Ens unissimū: ergo est Causa unissima; nullum Ens autem potest impedire, quòd ipse non sit Causa unissima, DEUS non, quia impediret suam unissimam causalitatem, creatura etiam non, quia est inferioris ordinis, à quo non patitur superius. Sed DEUS non potest esse Causa unissima, nisi habeat Causatum unissimatum, cùm relativè se habeant, & in tantum sit unissimatum, quòd natura unissimati sit connexa cum natura unissimantis; tale unissimatum autem est JESUS Christus noster Dominus, quem inquirimus.

Si verò dicatur, quòd, si sit incarnatus Filius, sit incarnatus Pater, cùm sint eadem indivisa Essentia, dico, quòd non sequatur, quia non convenit singulari Paternitati DEI, quòd sit Filius hominis, Filio verò non repugnat, quia est Filius.

2. Justum est, quòd omne Ens operalissimum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

mum ſit Cauſa operaliſsima; ſed DEUS eſt Ens operaliſsimum: ergo eſt Cauſa operaliſsima; ſed talis Juſtitia non poteſt impediri à DEO, quia injuriaret ſe, nec ab alio, quia eſt in hoc impotens, cùm omne aliud ſit finitum; ſed DEUS non poteſt eſſe Cauſa operaliſsima ſinè Cauſato operaliſsimato, cùm relativè ſe habeant, quod Cauſatum eſt Chriſtus, quem inquirimus, Homo in Filio DEI ſuſtentatus & operaliſsimatus, & Filius DEI in ipſo Homine Homo factus.

Sed dices, quòd Filius DEI fuiſſet magìs operaliſsimatus, ſi fuiſſet angelicatus, dico, quòd non ſequatur, quia homo participat cum tota natura Univerſi, Angelus autem non, ſed ſolùm cum ſpirituali natura; quia eſt Spiritus non conjunctus.

3. Optimum eſt, quòd omne Ens optimum ſit Cauſa optima; ſed DEUS eſt Ens optimum: ergo eſt Cauſa optima; optimum eſt, quòd ſit Cauſa optima, & hoc non poteſt impediri, à DEO non, quia eſſet contra ſuam optimitatem, nec ab alio, quia eſſet peſsimum ſupra optimum, quod eſt impoſſibile; & quia Cauſa non poteſt eſſe ſinè effectu: igitur eſt Effectus optimatus, quem vocamus Chriſtum DEUM Hominem.

Sed dices, quòd plùs eſſet optimatus, ſi Sanctus Spiritus etiam eſſet incarnatus, dico, quòd non, quia non convenit ei, quòd ſit Filius; & ſic ſequeretur, quòd Filius DEI eſſet magìs Filius hominis, quàm Sanctus Spiritus.

4. Maximum eſt, quòd Ens maximum ſit Cauſa maxima; ſed DEUS eſt Ens maximum: ergo eſt Cauſa maxima; DEUS autem non poteſt eſſe Cauſa maxima, niſi habeat effectum maximatum, quod non poteſt impediri: à DEO non, quia impediret ſuam maximitatem, quod non eſt poſsibile, nec ab alio, quia nihil aliud eſt tantæ poteſtatis; & talem Effectum maximum vocamus JESUM Chriſtum verum DEUM & Hominem.

Si verò dicas, quòd plùs eſſet maximatus, ſi plures humanitates aſſumpſiſſet, dico, quòd non ſequatur, quia non eſſet extrinſecè unum maximum cauſatum, & perderetur extrinſeca maximitas.

5. Durabiliſsimum eſt, quòd omne Ens durabiliſsimum ſit Cauſa durabiliſsima; ſed DEUS eſt Ens durabiliſsimum: ergo eſt Cauſa durabiliſsima; ſed quia Cauſa non poteſt eſſe ſinè Effectu, ergo eſt Effectus durabiliſſimatus, quod non poteſt impediri, DEUS non poteſt, quia eſſet contra ſe ipſum, nec creatura, quia non eſt tanti vigoris.

Sed dices: eſſet plùs durabiliſsimatus, ſi aſſumpſiſſet hominem, quamprimùm homo fuit creatus; dico, quòd fuerit magìs idoneum in ſexta ætate Mundi, cùm illa ſit penultima.

6. Potentiſsimum eſt, quòd omne Ens potentiſsimum ſit Cauſa potentiſsima; ſed DEUS eſt Ens potentiſsimum: ergo eſt Cauſa potentiſsima, quod non poteſt impediri, non à DEO, quia impediret ſuam Poteſtatem, quod eſt impoſsibile, nec etiam ab alio, ût ſæpe dictum eſt; ſed Cauſa potentiſsima habet Effectum potentiſsimatum, cùm Cauſa & Effectus relativè ſe habeant; & talis Effectus potentiſsimatus eſt Chriſtus DEUS Homo, quem inveſtigamus.

Si verò dicatur, quòd ſit impoſsibile, quòd DEUS infinitus ſe faciat hominem, qui eſt finitus, dico, quòd bene ſequeretur, ſi Divina Eſſentia eſſet facta humana eſſentia, hoc autem non eſt, ergo tua ratio non valet.

7. Intellectiſsimum eſt, quòd omnis Intellectus intellectiſsimus ſit Cauſa intellectiſsima; ſed DEUS eſt Intellectus intellectiſsimus: ergo eſt Cauſa intellectiſsima, quod non poteſt impediri, ût multoties probavimus; ſed non poteſt eſſe Cauſa intellectiſsima ſinè Effectu intellectiſsimato annexo cum ſua Cauſa, quem Effectum appellamus Chriſtum, quem inquirimus.

Si fortè opponeret aliquis, quòd ipſe non ſit Effectus intellectiſsimatus, quia, cùm erat in Mundo, didicit literas, dico, quòd non diſcebat ſic, ut priùs ignoraret, ſed utebatur ſcripturis, ut manifeſtaret hominibus, quòd eſſet verus homo.

8. Amantiſsimum eſt, quòd omne Ens amantiſsimum ſit Cauſa amantiſsima remota ab omni impedimento; ſed DEUS eſt Ens amantiſsimum: ergo eſt Cauſa amantiſsima remota ab omni impedimento, nec poteſt impediri, quia, ſi DEUS hoc faceret, impediret ſe ipſum; nec creatura, quia inferius non agit in ſuum ſuperius; & quia Cauſa non eſt ſinè Effectu ſibi proportionato, ideo habebit Effectum amantiſsimatum cum ipſa aſſumptum, quem vocamus Chriſtum verum DEUM & Hominem.

Si verò dicatur, quòd non fuerit amantiſsimatus, quia Pater permiſit ipſum mori in Cruce, dico, quòd hoc fuerit, ut redimeret

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ret humanum genus, & maximè, ut Filius pro Patre faceret, quantum erat posibile, ad honorandum ipsum.

9. Virtuosissimum est, quòd Ens virtuosissimum sit Causa virtuosissima; sed DEUS est Ens virtuosissimum: ergo est Causa virtuosissima; DEUS non potest hoc impedire, quia faceret contra suam Virtutem, ergo creatura multò magis non potest; sed Causa virtuosissima non est sinè Effectu virtuosissimato: ergo est talis Effectus, quem vocamus Christum.

Si fortè aliquis dicet, quòd Christus non fuerit virtuosissimatus, postquam erat Filius DEI, quia hoc non omnibus, qui illud volebant scire, manifestè revelabat; dico, quòd falsum accipiatur in probatione, quia revelabat se manifestissimè omnibus vel dicto vel faciendo manifesta miracula, sicut resuscitare mortuos, & alia his similia

10. Verisimum est, quòd omne Ens verissimum sit Causa verisima; sed DEUS est Ens verisimum: ergo est Causa verisima; &, si DEUS est talis Causa, habet Causatum verisimatum; cùm Causa non sit sinè effectu, & hoc non potest impediri; non à DEO, ût sæpe probatum est, nec etiam à creatura; & talem effectum appellamus Christum, quem inquirimus.

Et si dicas, quòd Causa verisima magis potuerit verisimare ipsum, quàm verificavit, cùm sit infinita, dico, quòd non potuerit, in quantum cum sua Causa fuit verisimè assumptus.

11. Glorioisissimum est, quòd omne Ens glorioisissimum sit Causa glorioisissima; sed DEUS est Ens glorioisissimum: ergo est Causa glorioisissima; &, si DEUS est Causa glorioisissima, habet Effectum glorioisissimatum, quem vocamus Christum DEUM & Hominem benedictum; & nec DEUS nec aliquis alius potest hoc impedire, DEUS non, quia perturbaret suam gloriam, ergo multò minùs potest aliqua creatura.

Si quis verò dicat, quòd non fuerit glorioisissimatus, quia in Mundo passus est opprobria, mortem Crucis, & verbera, famem, sitim & alia; jam apparet ex prædictis, quid sit dicendum.

12. Sanctissimum est, quòd omne Ens sanctissimum sit Causa sanctissima; sed DEUS est Ens sanctissimum: ergo est Causa sanctissima; sed Causa sanctissima habet Effectum sanctissimatum: igitur DEUS, qui est Causa sanctissima, habet Effectum sanctissimatum, qui est Christus; & hoc non potest impediri ab aliquo agente: ab infinito non, quia ageret contra suam Sanctitatem; & si infinitum non potest, multò minùs finitum, ergo nihil potest hoc impedire.

Et si dicatur, quòd magis fuisset sanctissimatus, si omnes tres Personæ fuissent incarnatæ, absolutè dico, quòd non sequatur, quia quælibet Persona est tota Essentia DEI indivisa, sicut tres Personæ simul.

13. Summum est, quòd Ens summum sit Causa summa; sed DEUS est Ens summum: ergo est Causa summa, nec DEUS nec alter potest hoc impedire, cujus rationem multoties dedimus; sed Causa summa habet Effectum summum, quem appellamus Christum.

Et si dicatur, quòd non potuerit ipsum facere summum, cùm quidditas hominis sit finita respectu summæ Divinitatis; dico, quòd non sequatur, quia fuit factus summa Creatura, quia assumptus est ad intrinsecam Summitatem, cujus fuit Summum Signum significatum in Summo Significato.

14. Perfectissimum est, quòd Ens perfectissimum sit Causa perfectissima; sed DEUS est Ens perfectissimum: ergo est Causa perfectissima; & hoc nullus potest impedire, quia esset contra Perfectionem DEI, quod est impossibile: & si DEUS est Causa perfectissima, habet Effectum perfectissimatum, quem vocamus Christum.

Et si quis dicat, quòd non fuerit perfectissimatus, quia Filius DEI fuit difformatus in descendendo ad Incarnationem; dico, quòd non fuerit difformatus, quia est æternus & immutabilis, & ille Homo fuit perfectissimatus, quia fuit exaltatus super omnes creaturas.

15. Concordalissimum est, quòd omne Ens concordalissimum sit Causa concordalissima; sed DEUS est Ens concordalissimum: ergo est Causa concordalissima; sed non potest esse Causa concordalissima sinè Effectu concordalissimato, quem vocamus Christum, & hoc non potest impediri, quia esset contra Concordantiam DEI.

Sed dices, quòd non fuerit concordalissimatus, quia dixit: *DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti;* dico, quòd hoc dixerit ad significandum, quòd esset verus Homo, qui timebat mortem naturaliter, & dixerat Patri: *non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

16. Singularissimum est, quòd omne Ens singu-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ſingulariſsimum ſit Cauſa ſingulariſsima; ſed DEUS eſt Ens ſingulariſsimum: ergo eſt Cauſa ſingulariſsima, & hoc non poteſt impediri propter cauſam jam dictam; ſed Cauſa ſingulariſsima non eſt ſinè Effectu ſingulariſsimato, quem vocamus Chriſtum.

Si dicatur, quòd non fuerit ſingulariſsimatus, quia fuit Homo compoſitus ex ſpirituali & corporali natura, & ſic Angelus eſſet magìs ſingularis, quia eſt unius naturæ; dico, quòd non valet, quia Anima & corpus fuerunt ſingulariſsimatæ, & per conſequens tota creata natura.

17. Principialiſsimum eſt, quòd omne Ens principialiſſimum ſit Cauſa principialiſsima; ſed DEUS eſt Ens principialiſsimum: ergo eſt Cauſa principialiſsima, & hoc non poteſt impediri, quia eſſet contra Principialiſsimitatem DEI, quod eſt impoſsibile, ſed Cauſa principialiſsima non eſt ſinè Effectu principialiſsimato, quem vocamus Chriſtum.

Sed dices, quòd non ſit principialiſsimatus, quia, quidquid eſt creatum, non fuit creatum propter ipſum; dico, quòd aſſumas falſum, quia plus dilexit illam Humanitatem ratione conjunctionis, quàm totum reſiduum, & hoc eſt dignum & juſtum.

18. Ordinatiſsimum eſt, quòd omne Ens ordinatiſsimum ſit Cauſa ordinatiſsima; ſed DEUS eſt Ens ordinatiſsimum: ergo eſt Cauſa ordinatiſsima, & nihil poteſt hoc impedire, quia ageret contra Ordinationem DEI, quod eſt impoſsibile; ſed talis Cauſa non eſt ſinè Effectu ordinatiſsimato, quem vocamus Chriſtum.

Sed dices, quòd non ſit ordinatiſsimatus, quia, ſi ſic, totus Mundus eſſet ordinatus, quod eſt falſum, imò eſt in perverſo ſtatu; dico, quòd ex parte Chriſti optimè ſit ordinatus, quia ordinavit Eccleſiam optimâ Lege & Regulâ volentibus acceptare; ſed, ſi eſt inordinatio, eſt ex parte eorum, qui debent ordinari, & etiam alios ordinare, ex parte autem JESU Chriſti eſt nullus defectus, cùm ejus Vita facto & dicto virtuoſiſsimè fuerit conſummata, velut Exemplar omnis boni.

19. Nobiliſsimum eſt, quòd omne Ens nobiliſsimum ſit Cauſa nobiliſsima; ſed DEUS eſt Ens nobiliſsimum: ergo eſt Cauſa nobiliſsima; ſed Cauſa nobiliſsima habet Cauſatum nobiliſsimatum, cùm cauſa & effectus relativè ſe habeant, & DEUS non poteſt hoc impedire, quia eſſet contra ſuam Nobilitatem; & ſi DEUS non poteſt, nec alter, & multò minùs; talem Effectum autem vocamus Chriſtum.

Sed dices, quòd non fuerit Effectus nobiliſsimatus, cùm fuerit mortalis; dico, quòd fuerit major Nobilitas mori ad Honorem DEI pro ſuo populo, quàm, ſi fuiſſet immortalis, ſicut dives fit nobilior accipiendo paupertatem, & dimittendo divitias egentibus propter Chriſtum.

20. Finaliſsimum eſt, quòd Ens finaliſsimum ſit Cauſa finaliſsima; ſed DEUS eſt Ens finaliſsimum: ergo eſt Cauſa finaliſsima, & talis Cauſa non poteſt eſſe ſinè Effectu finaliſsimato, qui non poteſt impediri: non à DEO, quia ageret contra ſuum Finem, quod eſt impoſsibile, nec eſt aliud ens, quod poſsit agere contra Finem DEI; & talem Effectum finaliſsimatum vocamus Chriſtum benedictum.

Et ſi dicas, quòd non ſit finaliſsimatus, quia eſt minor, quàm Pater, ût legitur in Sacra Scriptura; dico, quòd ſit verum, in quantum Homo reſpectu Deitatis; ſed ſic eſt finaliſsimatus, quia excedit omnes creaturas, cùm iſta prædicatio ſit vera: Chriſtus eſt DEUS, Chriſtus eſt Homo, DEUS Homo eſt Chriſtus, Chriſtus eſt DEUS Homo; & non poteſt eſſe altior Prædicatio inter Creatorem & creaturam.

Probavimus Divinam Trinitatem & Incarnationem adjuvante Sancto Spiritu, & ſolvimus quasdam difficiles Objectiones, & ſicut has ſolvimus, ſic etiam per illum modum poſſunt aliæ ſolvi; quia autem eſt oſtenſum, quòd illud, quod eſt veriſimum, operaliſsimum, optimum &c. non poſsit impediri, manifeſtè videtur, quòd Rationes contra Sanctam Catholicam Fidem neceſſariò non concludant.

Ad Laudem & Honorem DEI finivit RAYMUNDUS hunc Librum Pariſiis Anno MCCCX. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti, in cujus Cuſtodia ſit recommendatus, & Beatæ MARIÆ Virginis ejus Matris.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE CONVENIENTIA Fidei & Intellectûs in Objecto.

DEUS cum tua Sapientia & Charitate, Gratia & Benedictione incipit Liber, qui eſt *de Convenientia, quam habet Fides & Intellectus in Objecto.*

De Diviſione hujus Libri.

ISte Liber dividitur in *tres Partes. Prima* Pars eſt de quibusdam dicendis contra illos, qui dicunt, quòd Fides non debeat probari. *Secunda* Pars eſt de Probatione aliquorum Articulorum Fidei. *Tertia* Pars eſt de Narrationibus Damni, quod ſequitur ex eo, quia eſt infamia ab Infidelibus ad Fideles, qui dicunt, quòd Sancta Catholica Fides non poſſit probari. Et primò de prima Parte ſic dicemus.

PARS I.

1. ALiqui dicunt, quòd non ſit bonum, quòd Fides poſſit probari, quia, ſi poſſet probari, amitteretur meritum, & Fides eſſet nulla; & ad hoc confirmandum adducunt iſtam Authoritatem: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Unde ad hoc reſpondemus ſic: Omne præceptum, quod fecit Chriſtus, eſt bonum; & ideo, quando præcepit beato Thomæ dicens: *mitte manum tuam in Latus meum*, feci bonum Præceptum, ut Thomas haberet experientiam: primò tamen dixit Thomas, *niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum & mittam digitum meum in locum clavorum & mittam manum meam in Latus ejus, non credam:* & quod Thomas dixit, eſt verum ſignificatum, quia factâ experientiâ remanſit Fides in eo; quia ipſe dixit: *non credam*, & Chriſtus illi dixit: *noli eſſe incredulus ſed fidelis;* &: *quia vidiſti me Thoma, credidiſti.*

Præterea, nos multò magis ſumus creati ad intelligendum, diligendum & recolendum DEUM, quàm propter noſtrum meritum; cùm contemplari DEUM ſit per priùs, & noſtrum meritum per poſteriùs.

2. Iterum beatus Petrus Apoſtolus in ſua Canonica dixit: *eſtote parati ad ſatisfactionem ſemper omni petenti vos rationem*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

de ea, quæ in vobis eſt Fide & Spe; ſed Beatus Petrus non dixit contra Divinam Ordinationem.

3. Iterum Beatus Auguſtinus fecit Librum ad probandum Divinam Trinitatem ſuppoſito merito Fidei, contra quam Fidem ipſe non fuit, quia erat ſanctus.

Iterum (beatus) Thomas de Aquino fecit unum Librum contra Gentiles, qui requirunt Rationes; quia nolunt dimittere credere pro credere, ſed credere pro intelligere; ipſe autem in faciendo Librum & Rationes contra Gentiles non intendebat deſtruere Fidem, quia fuit Vir ſapiens & Catholicus.

4. Iterum Doctores Sacræ Scripturæ conantur, quantum poſſunt, deducere Rationes ad probandum Divinam Trinitatem & Incarnationem &c. habentes ſanam mentem & intentionem ad exaltandum ſanctam Fidem. Et ideo ego, qui ſum verus Catholicus, non intendo probare Articulos contra Fidem, ſed mediante Fide; cùm ſinè ipſa non poſſem probare; nam Articuli ſunt per ſuperiùs, & meus Intellectus eſt per inferiùs, & Fides eſt habitus, cum quo Intellectus aſcendit ſupra ſuas vires. Non autem dico, quòd probem Articulos Fidei per cauſas, quia DEUS non habet cauſas ſupra ſe, ſed per talem modum, quòd Intellectus non poteſt rationabiliter negare illas Rationes, & poſſunt ſolvi omnes objectiones contra ipſas factæ, & Infideles non poſſunt deſtruere tales Rationes vel Poſitiones; talis eſt iſta Probatio, ſive dicatur Demonſtratio, ſive Perſuaſio, vel quocunque alio modo poſſit dici, hoc non curo; *quia propter noſtrum affirmare vel negare nihil mutatur in re.*

PARS II.

ISta Pars eſt diviſa in duodecim Syllogismos, cum quibus intendimus probare aliquos Articulos Fidei, ût patebit; & primò de primo ſic dicemus.

1. *Nullus Intellectus in Via ſinè habitu Fidei poteſt intelligere, quòd DEUS ſit; ſed quidquid intelligitur de DEO in Via, intelligitur per Intellectum: ergo intelligere, quòd DEUS ſit, eſt cum habitu Fidei.* Probatio majoris eſt, quia DEUS eſt ſuperiùs, & Intellectus inferiùs, & ſic Intellectus naturaliter non poteſt aſcendere ad objectandum ipſum DEUM intelligendo, ratione cujus DEUS habituat ipſum de Fide, ut mediante Fide poſſit aſcendere ad intelligendum DEUM ſupra ſe; ſicut humana Voluntas, quæ per ſe non poteſt aſcendere ad diligendum DEUM ſupra ſe, niſi per Charitatem, quæ eſt ſuus habitus, ut aſcendat ad diligendum DEUM ſupra ſuas vires. Probatio Minoris; nam intelligibile eſt proprium objectum Intellectûs, & communis opinio eſt, quòd probatum ſit, quòd DEUS ſit. Et ideo patet, quòd Fides & Intellectus conveniant in objecto Intellectûs, ſub habitu Fidei intelligendo, quòd DEUS ſit.

2. Nulla inferior potentia poteſt aſcendere ad ſum̃um Objectum per ſe tantùm; ſed humanus Intellectus eſt inferior potentia: ergo humanus Intellectus non poteſt aſcendere ad ſummum Objectum per ſe tantùm. Majorem & Minorem non oportet probare, quia per ſe patent; & quia communis opinio eſt, quòd, quando Intellectus intelligit, quòd ſit Unus DEUS tantùm, & non plures, Intellectus aſcendat mediante Intelligere, Fide exhibente ipſi habitum, quòd ſit Unus DEUS tantùm; & ſic patet, quòd per intelligere non deſtruatur Fides; quia Fides eſt inſtrumentum, cum quo Intellectus aſcendit ſupra ſuas vires.

3. Factâ hypotheſi, quòd DEUS ſit Ens magìs agens per ſuas Rationes, Intellectus poteſt intelligere, quòd DEUS ſit Trinus, ût in Libro, qui dicitur *Supplicatio*, probatum eſt; talis hypotheſis autem eſt actus Fidei, ſinè quo Intellectus non poteſt probare, quòd DEUS ſit Trinus; & ideo arguo ſic.

Omne credere habituatum à Fide disponit Intellectum ad intelligere; ſed credere Fidelîs eſt credere habituatum à Fide: ergo credere Fidelîs disponit Intellectum ad intelligere. Probatio Majoris: Iſaias Propheta dixit: *Niſi credideritis, non intelligetis;* & ſic formaliter ſequitur, quòd, ſi credo, quòd DEUS ſit Trinus, poſſim intelligere, quòd ipſe ſit Trinus; quia credere eſt antecedens ipſum intelligere, & intelligere eſt conſequens factâ hypotheſi, quòd DEUS ſit Ens magìs agens per ſuas Rationes, ſinè qua Trinitate DEUS non poſſet eſſe magìs agens per ipſas. Minor per ſe patet; & ideo eſt oſtenſum, quòd poſitâ Fide ponatur poſſibilitas ad intelligere, remanente Fide; ſicut poſito antecedente ponitur conſequens.

4. Chriſtus dixit in Evangelio: *Qui ſe humiliat, exaltabitur;* & ideo arguo ſic:

Quicunque ſe humiliat, exaltabitur; ſed Intellectus ſe humiliat, quando credit: ergo Intellectus, quando credit, exaltabitur. Major

(c) 2006 Ministerio de Cultura

jor per ſe patet, quia quidquid dixit Chriſtus, eſt verum. Minorem ſic probo: de ratione Intellectûs eſt intelligere, non autem credere; & ideo, quando Intellectus per ſe non poteſt intelligere, quòd DEUS ſit Trinus, humiliat ſe ad credere, quòd DEUS ſit Trinus; & ſic aſcendit ad intelligere faciendo aliquam hypotheſin, ſicut credere, quòd DEUS habeat infinitam Poteſtatem; & ſic concludit, quòd conveniat, quòd, ubicunque eſt infinitum Poſſe, ſit infinitum Poſſificans, & infinitum Poſſificatum, & infinitum Poſſificare ſinè quibus non poteſt eſſe; & ſic intelligit illa tria infinita Correlativa, cum quibus conſiderat Divinam Trinitatem, Fide remanente, ſicut habitus in Subjecto.

5. Factâ iſtâ hypotheſi, quòd DEUS ſit Ens magìs agens extenſivè, arguo ſic: Omne Ens magìs agens extenſivè cauſat Summum Signum agentis magìs agentis intenſivè; ſed DEUS eſt Ens magìs agens extenſivè: ergo DEUS cauſat Summum Signum agentis magìs agentis intenſivè. Major eſt vera per ſuppoſitionem. Minor per ſe patet; & ſic Intellectus per ſuppoſitionem, quæ eſt actus Fidei, aſcendit ad intelligere Incarnationem, Fide ſemper remanente; ſinè qua Incarnatione DEUS non cauſaret Summum Signum; & hoc *in ſecunda Diſtinctione* ſuprà dicti Libri declaratum eſt.

6. Suppono, quòd DEUS ſit Ens magìs agens per Creationem, & ideo arguo ſic: omne Ens magìs agens per Creationem deducit creatum in *eſſe* à *non eſſe;* ſed DEUS eſt Ens magìs agens per Creationem: ergo DEUS deduxit creatum in *eſſe* à *non eſſe.* Probatio Majoris: quoniam agens magis agit, quando deducit in *eſſe*, quod non erat, quàm, ſi deduceret aliquid in *eſſe* de alio *eſſe:* Minor per ſe patet; & ideo remanente Syllogiſmo remanet poſitio, & per conſequens Fides, quæ eſt antecedens, & intelligere ſtat conſequens.

7. Suppono, quòd DEUS ſit Ens magìs agens per Juſtitiam, & ideo arguo ſic: Omne Ens magìs agens per Juſtitiam judicat totum hominem ad beatitudinem, vel ad ſempiternam pœnam; ſed DEUS eſt Ens magìs agens per Juſtitiam: ergo DEUS judicat totum hominem ad beatitudinem, vel ad ſempiternam pœnam. Probatio Majoris: nam, ſi homo non reſurgeret, DEUS judicaret partem, ſcilicet animam, & non totum; ſed judicare totum hominem eſt judicare corpus & animam, ex quibus eſt conſtitutus; & ſic per ſuppoſitionem Intellectus transit ad intelligere, quòd erit Generalis Reſurrectio, remanente ipsâ ſuppoſitione, quæ eſt actus Fidei. Adhuc dico, quòd remaneat Fides, nam poſito, quòd Intellectus non intelligeret Generalem Reſurrectionem hominum, recurreret ad credendum ſub habitu Fidei credendo ipſam, ût patet per iſtud exemplum: quando aqua eſt calida, ſua frigiditas conſiſtit in ipſa in potentia, & ſic in abſentia actionis ignîs in aquam frigiditas aquæ, quæ eſt in potentia, reducitur ad actum, exiſtendo aqua frigida, ſicut erat.

8. Nulla virtus corrumpitur, quando cauſat virtuoſum; ſed Fides eſt virtus: ergo Fides non corrumpitur, quando cauſat virtuoſum. Major & Minor per ſe patent; & ideo, quando dicitur: DEUS non eſt corpus, non eſt compoſitus, non eſt finitus, non eſt novus, & hujusmodi, Intellectus cum habitu Fidei ſupponit, quòd DEUS ſit Ens altius, quàm corpus vel quàm compoſitum, vel quàm finitum & novum, confitendo, quòd DEUS ſit Spiritus ſimplex, infinitus & æternus; & tunc tranſit ad intelligendum DEUM, & deducit de ipſo veras & reales affirmationes vel negationes, ex quibus facit ſcientiam, Fide permanente ſinè corruptione credendi & intelligendi, concordante Intellectu & Fide in eodem Objecto.

9. *Nullum dilectum, niſi cognitum;* ſed DEUS eſt dilectus: ergo DEUS eſt cognitus. Major eſt duplex, quia cognoſcere exiſtit per credere & per intelligere; ratione cujus credere eſt fundamentum, & intelligere eſt finis; ſicut in domo, in qua fundamentum eſt inferiùs, & ratione finîs parietes & tectum ſunt ſuperiùs, quia fundamentum eſt, ut ſequatur domus: unde, ſicut domus non poteſt eſſe ſinè fundamento, ſic Intellectus, quando intelligit alta de DEO, non poteſt aſcendere ſinè habitu Fidei. Ergo oſtenditur, per quem modum Intellectus & Fides conveniant in Objecto.

10. Nullum intelligibile poteſt eſſe ſinè memorabili; DEUS eſt intelligibilis: ergo DEUS eſt memorabilis. Major & Minor per ſe ſunt manifeſtæ; memorabile autem poteſt eſſe duobus modis, videlicet per credere & intelligere; ſed Memoria eſt altior per memorabile cum intelligere, quàm per memorabile cum credere reſpectu finîs; & ſic de Intellectu; veruntamen credere eſt ſuperiùs, tanquam habitus, & intelligere inferiùs, tanquam habituatus; & ideo, ſicut cappatus homo aſcendendo in montem, quantò magìs

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gìs aſcendit, tantò magìs aſcendit cappa, quæ eſt ſupra ipſum; à ſimili de Intellectu, quantò magìs aſcendit ad intelligendum DEUM & Articulos Fidei, tantò magìs aſcendit Fides, quæ eſt ſuus habitus.

II. Nullum diligibile poteſt eſſe ſinè memorabili; ſed DEUS eſt diligibilis: ergo DEUS eſt memorabilis. Major & Minor per ſe ſunt ſatìs evidentes; diligibile autem eſt duobus modis, ſcilicet per rationem Intellectûs, & per rationem Credulitatis; quando diligibile eſt mediante recolibili per intelligere, eſt per priùs, & quando diligibile eſt per recolere, eſt per poſteriùs; & ideo quantò magìs Intellectus aſcendit per priùs ad intelligendum DEUM, tantò magìs convenit cum Voluntate & Memoria in Objecto remanente Fide, quæ eſt ſuus habitus, ſicut in vaſe, in quo eſt aqua & oleum, quantò magìs additur aqua, tantò magìs aſcendit oleum; & ſic de habituato, quantò magìs aſcendit, tantò magìs aſcendit ſuus habitus: ergo patet, per quem modum Fides & Intellectus invicem conveniant in Objecto.

12. Omne meritum conſiſtit magìs per majorem actum, quàm per minorem; ſed intelligere eſt major actus, quàm credere: ergo majus meritum conſiſtit per intelligere, quàm per credere. Major & Minor per ſe ſunt probatæ; unde patet, quòd intelligere ratione finîs ſit quies & Dominus, & credere, quod eſt inſtrumentum, ſit ſervus; & ſic ſequitur, quòd, quando permanet Dominus, eſt ſervus permanens. Ergo patet, per quem modum homo intelligens alta de DEO acquirat majus meritum per intelligere, quàm per credere, quolibet merito exiſtente in ſuo Subjecto diverſimodè ſecundùm ſuum modum, & hoc in eodem tempore; veruntamen ſucceſſivè.

Diximus de duodecim Syllogismis, cum quibus eſt probatum, quòd Fides & Intellectus conveniant in eodem tempore in Subjecto ſive in Objecto quolibet permanente, veruntamen ſucceſſivè, ſicut in curſu, in quo movens & mobile ſunt permanentes ſucceſſivè.

PARS III.

ISta Pars eſt de quibusdam Narrationibus, cum quibus patebit, quòd ſit bonum, quòd Fides & Intellectus ad invicem conveniant in Objecto, conſtituendo illam Convenientiam per credere & intelligere, ſinè quibus non poteſt eſſe.

1. Narratur, quòd quidam Rex Tunicii, qui Miramamolinus vocabatur, peritus in Logica & in Naturalibus, diſputavit cum quodam Catholico Religioſo valde bene ſciente hiſtorias & etiam ita bene Arabicum, ſed non erat bene fundatus in Logicalibus & in Naturalibus, ſed in Moralibus bene & competenter, ratione cujus moralitatis probavit illi Regi, quòd Fides Mahometi eſſet erronea & falſa; & cognitâ Ratione Rex conceſſit, nam erat rationabilis homo, ût dictum eſt; tunc ait Rex: impoſterum non ſum Saracenus, ſed proba mihi, quòd tua Fides ſit vera, & ego faciam me Chriſtianum cum omnibus hominibus mei Regni, & qui noluerit eſſe Chriſtianus, decapitabitur. Tunc dixit Religioſus, Catholica Fides eſt tam alta, quòd non poſſit eſſe probabilis, ſed poſitivè & ſimpliciter declaravit ipſi Symbolum in Arabico, dicens: crede hoc, & ſalvaberis. Tunc ait Rex, hæc non eſt aliqua probabilitas, imò totum eſt poſitivum, & ſic nolo dimittere credere pro credere, ſed bene credere pro intelligere; & ſic tu malè feciſti, quia me evacuâſti Fide, quam habebam, modò non ſum Chriſtianus, nec etiam Saracenus, nec Judæus. Et tunc Rex fecit ipſum vituperari, & ejici illum Fratrem è ſuo Regno. Et ego vidi Fratrem cum ſuis Sociis, & fui locutus cum ipſis. Hoc narro propterea, quòd, ſi dictus Frater habuiſſet notitiam de modo probandi Articulos, ſicut dedimus exempla *in præcedenti Libro*, ille Rex fuiſſet factus Chriſtianus, & totum ſuum Regnum fuiſſet Chriſtianorum DEO adjuvante.

2. Item narratur, quòd quidam Saracenus Philoſophus cognoverit, quòd Lex Mahometi eſſet falſa & erronea, & invenit ſimul diſputantes Catholicum, Græcum, Jacobinum & Neſtorinum; tunc dixit illis Saracenus: ego volo fieri Chriſtianus. Et quilibet illorum dixit illi, quòd converteretur ſecundùm ſuum modum. Tunc dixit Saracenus: oſtendatis mihi primò, quæ Secta veſtrûm ſit altior & vera, & hoc ſecundùm verum & realem modum argumentationis. Et illi dixerunt, quòd non haberent reales rationes, ſed tantùm poſitivas. Ergo, dixit Saracenus, detis mihi veram Fidem. Et illi dixerunt: nos non poſſumus dare, ſed à ſolo DEO datur talis habitus. Tunc ait Saracenus: ſi vos mihi non datis, nec DEUS dat, cùm non ſentiam me habituatum de vera Fide: quid igitur erit de me? coactè

(c) 2006 Ministerio de Cultura

coactè damnabor. Unde hoc narro propterea, quòd bonum fuiſſet, ſi Catholicus habuiſſet tales Rationes contra Saracenum & Schismaticos, quòd Fides & Intellectus, ût ſuprà dictum eſt, convenirent in Objecto; quia, ſi ſic, ille Saracenus ſinè dubio eſſet factus Catholicus; & hoc idem de Schismaticis.

3. Manifeſtum eſt, quòd Magiſtri in Theologia ſint altiores per intelligere, quàm Catholici ruſtici per credere. Hoc autem dico, quia, ſi malum eſſet probare Fidem Chriſti, ipſi, qui magìs intelligunt DEUM, magìs peccarent, & magìs diminuerent habitum Fidei & derogarent ei, & quantò minùs ruſtici de DEO intelligunt, tantò altiores eſſent per Fidem: unde ſequeretur, quòd meritum, quod rationabiliter eſt ſuperiùs, irrationabiliter eſſet inferiùs, quod eſt impoſſibile, & valde inconveniens. Ergo patet, quòd ſit bonum probare Fidem tantum, quantum poteſt probari.

4. Sunt tres Imperatores Tartarorum, quorum Major dicitur magnus Canis; & alter in Perſia & nominatur Carbenda; tertius verò apud Septentrionem, qui Cotan appellatur: Carbenda cum tota ſua Gente factus eſt Saracenus, & Saraceni conantur pervertere majores Imperatores, & alium etiam, qui Chaspar eſt dictus; & iſti tres Imperatores multò plus poſſident de terra, quàm omnes Chriſtiani, & etiam omnes Saraceni; & ſic, ſi omnes tres fierent Saraceni, quid eſſet de nobis minimis Chriſtianis? & non ſunt adhuc octoginta anni, quòd Tartari exierunt à montibus.

5. Ait Chriſtus Sancto Petro: *Petre amas me? paſce oves meas*, & ſic de multis aliis præceptis: & ideo excuſo me, quòd non poſſim plus facere; & credo, quòd in die judicii ſignabo eos cum digito dicens: ecce illos, quibus dixi, quomodo poſſent ordinare, quòd totus Mundus eſſet in bono ſtatu mediante gratiâ Chriſti; nam Chriſtus dixit. *Quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, petite & accipietis, date & dabitur vobis;* qui habet aures audiendi audiat.

Ad Honorem & Laudem noſtri Domini JESU Chriſti finivit RAYMUNDUS iſtum Librum in Monte Peſſulano Menſe Martio Anno MCCCIV. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti, in cujus cuſtodia commendavit iſtum Librum, & beatæ MARIÆ Virginis Matris ejus. *Si autem erravi in aliquo contra Fidem, hoc non feci ſcienter, ſed confiteor hoc ignoranter dixiſſe; idcirco ſubmitto ipſum correctioni Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE DEMONSTRATIONE PER ÆQUIPARANTIAM.

DEUS cum tua Benedictione *incipit Demonſtratio per Æquiparantiam.*

DE PROLOGO.

1. QUoniam, quidquid fuit demonſtratum ab antiquis, fuit demonſtratum aut *propter quid*, aut *per quia*, & ſubjectum hujus Libri ſit inveſtigare Diſtinctionem in Divinis Perſonis per Demonſtrationem, quæ Demonſtratio non poteſt fieri *propter quid*, quia DEUS non habet aliquid ſupra ſe, & Demonſtratio *per quia* non eſt potiſſima, idcirco intendimus probare Diſtinctionem in Divinis *per Æquiparantiam* & Æquivalentiam Actuum Divinarum Rationum.

2. Cùm igitur Demonſtratio, in quantum hujusmodi, procedat ex *primis, veris, immediatis* & *neceſſariis Principiis*, ideo per talia Principia volumus formare & invenire hujusmodi Demonſtrationem, quam nominamus *Æquiparantiam*; & ſicut exemplificabimus in Divinis, ita in aliis Scientiis ſuo modo poterit demonſtrari.

3. Adhoc igitur, ut poſſint exſtirpari æquivocationes vel dubia, appellamus iſta Principia ſimpliciter & abſolutè *prima*, non ideo, quòd alia ab eis deſcendant, ſed quia ipſa non deſcendunt ab aliis; & in hoc appareret, quòd talis primitivitas magìs retineat naturam primitivitatis, quàm primitivitas cauſæ ad effectum, quia prima eſt *abſoluta*, alia verò *reſpectiva*; verbi gratiâ, ſicut Intellectus in DEO eſt primitivus per ſuum intelligere, & Voluntas per ſuum velle ad omnes alias Dignitates, quia aliæ Dignitates habent intelligi per Intellectum, & diligi per Voluntatem, non autem ſicut effectus per cauſas, cùm aliæ Dignitates eis ſint æquivalentes in Eſſentia & Natura, & illis etiam primitivæ per ſuos actus proprios ſuo modo; ſicut Divina Bonitas, quæ per ſuum bonificare eſt primitiva ad bonum intelligere & amare; & ſicut Divina Magnitudo, quæ per ſuum magnificare eſt primitiva ad magnum intelligere & amare; & etiam Æternitas, quæ per ſuum æternare eſt primitiva ad æternum intelligere & amare; & ſic de aliis circulariter ſecundùm ſuos actus: dicimus autem iſtam primitivitatem *circularem*, quia intra Eſſentiam DEI eſt permanens, & non extra.

4. Quòd autem iſta Principia, ex quibus iſta Demonſtratio procedit, ſint *vera*, oſtendimus tali modo: quia ſicut, quidquid verè intelligitur, verè habet intelligi per Intellectum; & quidquid verè diligitur, verè habet diligi per Voluntatem; à ſimili, quid-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quid verè bonificatur, verè habet bonificari per Bonitatem; & quidquid verè magnificatur, verè habet magnificari per Magnitudinem; & quidquid verè æternificatur, verè habet æternificari per Æternitatem, & ita de aliis Dignitatibus ſuo modo.

5. Dicimus autem iſta Principia *immediata*, quia non eſt medium inter potentiam vel Dignitates & ſuum proprium actum, ſicut inter Intellectum & intelligere, inter Voluntatem & velle, Bonitatem & bonificare, Magnitudinem & magnificare, Æternitatem & æternificare &c.

6. Sunt etiam *neceſſaria*, quia de neceſſitate ad Divinum Intellectum ſequitur intelligere, cùm in DEO non ſit potentia ſinè actu, & ad Voluntatem velle, & ad Bonitatem bonificare, & ad Magnitudinem magnificare, & ad Æternitatem æternificare, & ſic de aliis.

7. Nos autem tenebimus in Prologo iſtum ordinem in probando; *primò* intendimus probare *ignotos Actus* per *notos Actus* in Divinis, ſicut bonificare &c. per intelligere & amare. *Secundò* probabimus per iſtos Actus *Concordantiam*, & per Concordantiam *Differentiam*, & per Concordantiam & Differentiam *Æqualitatem* in Divinis Perſonis; & poſtea deſcendemus ad principale propoſitum.

8. Volumus etiam declarare, cùm faciamus hanc inveſtigationem *per Principia noſtræ Artis Generalis*, quòd ſint tria principia conſecutiva, ſcilicet *Concordantia*, *Differentia* & *Æqualitas*, quibus mediantibus demonſtrabimus per Æquiparantiam ſupradictam Diſtinctionem.

9. Quòd autem Bonitas, Magnitudo &c. habeant Actus, ſic probamus: quando aliquæ Rationes ita ſe habent, quòd quædam habeant proprios Actus, & aliæ non, realiter inter ſe ipſas differunt; ſi Divinus Intellectus & Divina Voluntas habent proprios *Actus*, Divina Bonitas autem, Magnitudo, Æternitas &c. non, realiter inter ſe ipſas differrent; ſed conſtat, quòd realiter in DEO non differant: ergo Divina Bonitas &c. habent proprios *Actus*.

10. Probatum eſt, quòd Divina Bonitas habeat Actum, ſcilicet bonificare, & ſic de aliis; ſed quòd ex *Actu* ſequatur *Concordantia*, ſic probatur: quia, ubicunque eſt Actus, eſt agens & agibile; ſed agens & agibile conveniunt in agere; ergo ubicunque eſt Actus, eſt Concordantia, ſinè qua ille Actus non poſſet eſſe.

11. Quòd autem *Differentia* ſequatur ex Concordantia, ſic monſtratur: ubicunque eſt Concordantia, ſunt plura; ſed ubicunque ſunt plura, eſt Differentia; ergo ubicunque eſt Concordantia, eſt Differentia.

12. Quòd verò ex Concordantia & Differentia in DEO ſequatur *Æqualitas*, ſic probamus: in omni ſubjecto, in quo eſt Concordantia & Differentia infinitè & æternè, eſt Æqualitas earundem in Infinitate & Æternitate; ſed in DEO eſt Concordantia & Differentia, ût probatum eſt, & ſunt infinitæ & æternæ, veræ & neceſſariæ, quia non poſſunt ſe aliter habere: ergo ſequitur Æqualitas ex prædictis. Et ſic declaratus eſt noſter Prologus per ſupradicta Principia & probationes, quibus mediantibus veniemus ad propoſitum & intentum.

13. Sed quia materia eſt valde difficilis & ſublimis, *ſi in aliquo impropriè locuti ſumus, aut erravimus, intelligatur illud eſſe non intentionaliter, ſed ignoranter; & ideo ſubmitto hunc Librum Correctioni Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tanquam verus & Catholicus Chriſtianus.*

14. Iterum dicimus, quòd, ſi aliquis diceret, quòd ad probationem Trinitatis Fides deſtrueretur, ſicut ſcriptum eſt, quòd *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*: ad hoc reſpondemus: „quòd noſter Dominus DEUS JESUS „Chriſtus certificaverit Beatum Thomam, „quando voluit, quòd per experientiam „probaret Veritatem Fidei, dum ſuam ma„num poſuit in Vulnere Lateris ejus, & ta„men JESUS Chriſtus hoc non ſuſtinuiſſet, „ſi Beatus Thomas propter hoc amiſiſſet ſu„um meritum: etiam quia experimentum „non fit de ſpiritualibus, ſed ſolùm de cor„poralibus. Similiter nos non ſumus maxi„mè creati ad noſtrum meritum, ſed ad co„gnoſcendum, diligendum & honorandum „noſtrum Dominum DEUM. Ulteriùs di„cimus, quòd, ſi Rationes nobis deficerent, „ſemper haberemus recurſum ad Fidem, & „ſic Fides remanet in habitu. Etiam Iſaias „dixit: *niſi credideritis, non intelligetis;* „quaſi dicat, ſi credimus, hoc, quod credi„mus, poſſumus intelligere mediante Fide. „Etiam intellectus acquirit majus meritum, „quando objectat DEUM intelligendo, „quàm credendo; & ratio hujus eſt, quia „intelligendo eſt magis intenſus, quàm „credendo, cùm de ſua ratione ſit intellige„re, non autem credere„. Iterum, Infideles

non

(c) 2006 Ministerio de Cultura

non ſtant ad *Authoritates* Fidelium, & tamen ſtant ad *Rationes*; & ſic de multis aliis rationibus, quæ poſſent dici, per quas monſtratur, quòd iſte Tractatus non ſit contra Fidem, ſed ſit ad Exaltationem & Honorem Chriſtianæ Fidei; quoniam Infideles dicunt: *nolumus dimittere Fidem pro Fide, aut credere pro credere, ſed bene dimittemus credere pro intelligere.*

De Diviſione hujus Libri.

ISte Liber dividitur in *tres Diſtinctiones. Prima* eſt ad probandum, quòd in Divinis ſit Diſtinctio. *Secunda* eſt ad probandum, quòd ſint Tres Divinæ Perſonæ, & non plures nec pauciores. *Tertia* eſt ad probandum, quòd hæ Perſonæ ſint Pater & Filius & Sanctus Spiritus; & primò de prima ſic.

DISTINCTIO I.

Quòd in Divinis ſit Diſtinctio.

1 UBicunque eſt Concordantia, ibi eſt pluralitas; ſed in Bonitate DEI eſt Concordantia: ergo in Bonitate DEI eſt pluralitas. Major eſt evidens, *quia probata eſt ſuperiùs in Prologo;* minor declaratur ſic: quia ubicunque eſt Actus, ibi eſt Concordantia agentis & agibilis in ipſo Actu; ſed in Divina Bonitate eſt Actus, ſcilicet Bonificare, ût demonſtratum eſt: ergo in Divina Bonitate eſt Concordantia agentis & agibilis. Igitur eſt probatum, quòd ſit Diſtinctio in Divina Bonitate inter bonificantem, bonificabilem & bonificare.

2. Iterum: ubicunque eſt Concordantia, ibi eſt pluralitas; ſed in Divina Magnitudine eſt Concordantia: ergo in Divina Magnitudine eſt pluralitas. Major & minor ſunt evidentes, ſicut dictum eſt de Divina Bonitate: ergo eſt probatum, quòd ſit Diſtinctio in Divina Magnitudine inter magnificantem, magnificabilem & magnificare. Igitur in Divinis eſt Diſtinctio.

3. Iterum: ubicunque eſt Concordantia, ibi eſt pluralitas; ſed in Divina Æternitate eſt Concordantia: ergo in Divina Æternitate eſt pluralitas; & ſyllogiſmus eſt evidens, ſicut ſuprà. Et ſicut probatum eſt per Concordantiam cum iſtis tribus Divinis Dignitatibus, ſic poteſt demonſtrari cum aliis ſuo modo, ſcilicet cum Divina Poteſtate, Intellectu, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria. Igitur concluditur, quòd ſit Diſtinctio in Divinis.

4. Iterum: ubicunque eſt Æqualitas, eſt Differentia inter æqualificata; ſed in Divina Bonitate eſt Æqualitas inter bonificativum & bonificabilem: ergo in Divina Bonitate eſt Differentia inter bonificativum & bonificabilem. Major per ſe patet; minor declaratur ſic: quia ſi inter bonificativum & bonificabilem non eſſet Æqualitas, Actus non procederet æqualiter ab ambobus; ſed conſtat, quòd æqualiter procedat: ergo eſt Æqualitas inter bonificativum & bonificabilem. Igitur eſt probatum, quòd ſit Diſtinctio in Divina Bonitate inter bonificativum, bonificabilem & bonificare.

5. Iterum: ubicunque eſt Æqualitas, eſt Differentia inter æqualificata; ſed in Divina Magnitudine eſt Æqualitas inter magnificativum & magnificabilem: ergo in Divina Magnitudine eſt Differentia inter magnificativum & magnificabilem. Major & minor ſunt evidentes, ſicut dictum eſt de Divina Bonitate. Ergo probatum eſt, quòd in Divina Magnitudine ſit Diſtinctio inter magnificativum, magnificabilem & magnificare. Igitur in Divinis eſt Diſtinctio.

6. Iterum: ubicunque eſt Æqualitas, eſt Differentia inter æqualificata; ſed in Divina Æternitate eſt Æqualitas inter Æternificativum & Æternificabilem: ergo in Divina Æternitate eſt Differentia inter Æternificativum & Æternificabilem; & ſyllogiſmus eſt evidens, ſicut ſuprà. Et ſicut probatum eſt per Æqualitatem cum dictis Dignitatibus, ſic poteſt demonſtrari cum aliis, ſcilicet cum Divina Poteſtate, Intellectu, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria.

Diximus de prima Diſtinctione, in qua probavimus Diſtinctionem in Divinis per Concordantiam & per Æqualitatem, per quam Diſtinctionem manifeſtè apparent in DEO plures res reales de neceſſitate; quoniam quod eſt impoſſibile, quòd non ſit, eſt neceſſarium, quòd ſit; & quia impoſſibile eſt, quòd non ſit Diſtinctio in Divinis, ût probatum eſt, neceſſarium eſt, quòd ipſa ſit.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DISTINCTIO II.

Quòd ſint Tres Divinæ Perſonæ, & non plures, nec pauciores.

IN iſta Diſtinctione intendimus probare, quòd in DEO ſint Tres Perſonæ, & non plures, nec pauciores; & hoc probamus per *Majoritatem Actionis*, *Diſtinctionis*, *Concordantiæ* & *Æqualitatis* diſcurrendo per Divinas Rationes; & hoc ſic.

1. Illa Eſſentia, in qua ſufficit unica Actio & unica Paſſio & unicus Actus, magìs eſt in *Majoritate Actionis*, quàm illa, in qua ſunt plures actiones & plures paſſiones & plures actus; ſed in Divina Bonitate ſufficit unicus bonificativus, & unicus bonificabilis, & unicum bonificare: ergo Divina Bonitas magìs eſt in Majoritate Actionis per illa tria, quàm ſi eſſent plura vel pauciora. Major declaratur ſic: quia quando duæ actiones numero differentes ſunt in eadem eſſentia, una limitat & impedit agere alterius; & ſic de duabus paſſionibus & actibus numero differentibus. Minor ſic monſtratur: in Divina Bonitate ſufficit unicus bonificativus, unicus bonificabilis & unicum bonificare, quia ſunt infiniti, quod non poſſent eſſe, ſi eſſent plures bonificativi, plures bonificabiles & plura bonificare; ergo Divina Bonitas magìs eſt in Majoritate Actionis per unicum bonificativum & unicum bonificabilem & unicum bonificare, quàm ſi eſſent plures vel pauciores. Igitur concluditur, quòd in DEO ſint Tres Perſonæ, & non plures nec pauciores. Et ſicut dedimus exemplum de Actione & Paſſione & Actu in Divina Bonitate, ita poteſt concludi in Divina Magnitudine, Æternitate &c.

2. Illa Eſſentia, in qua ſufficit unicus diſtinctivus à ſe, qui eſt generativus & productivus de ſe, & unicus diſtinguibilis generabilis & producibilis, & unicum diſtinguere per ſpirare & amare, magìs eſt in *Majoritate Diſtinctionis*, quàm illa, in qua ſunt plures diſtinctivi & diſtinguibiles & plura diſtinguere; ſed in Divina Magnitudine ſufficit unicus magnificativus, qui eſt diſtinctivus à ſe & generativus productivus de ſe, & unicus magnificabilis, qui eſt diſtinguibilis à diſtinctivo & generabilis producibilis, & unicum magnificare, quod eſt diſtinguere per ſpirare & amare: ergo Divina Magnitudo magìs eſt in *Majoritate Diſtinctionis* per illa tria, quàm ſi eſſent plura vel pauciora. Major & minor declarantur ût ſuprà; „tamen ad excuſandum nos intendimus dicere, quòd Pater ſit unicus diſtinc„tivus generativus reſpectu Filii, & Filius u„nicus diſtinguibilis generabilis reſpectu „Patris, ſed Pater & Filius ſimul ſint unicus „diſtinctivus ſpirativus reſpectu Sancti Spi„ritûs, & Sanctus Spiritus eſt unicum diſtin„guere per ſpirare & amare reſpectu Patris „& Filii, qui ſunt unicus diſtinctivus ſpira„tivus. Ulteriùs dicimus, quòd, ſicut dedi„mus exemplum de Diſtinctione in Divina „Magnitudine, ſic poſſit dari in Divina Bo„nitate & Æternitate; & hoc idem de excu„ſatione, quam dedimus in prædicto ſyllo„giſmo.

3. Illa Eſſentia, in qua ſufficit unicus concordativus, & unicus concordabilis, & unicum concordare per amare, magìs eſt in *Majoritate Concordantiæ*, quàm illa, in qua ſunt plures concordativi, plures concordabiles, & plura concordare per amare; ſed in Divina Æternitate ſufficit unicus æternificativus, qui eſt concordativus, & unicus æternificabilis concordabilis, & unicum æternificare & concordare per amare: ergo Divina Æternitas magìs eſt in *Majoritate Concordantiæ* per illa tria, quàm per plura vel pauciora. Et ſyllogiſmus eſt evidens, ſicut ſuprà; & ſicut dedimus exemplum de Concordantia in Divina Æternitate, ita poteſt dari in Divina Bonitate, Magnitudine &c.

4. Illa Eſſentia, in qua ſufficit unicus æqualificativus & unicus æqualificabilis & unicum æqualificare, magìs eſt in *Majoritate Æqualitatis*, quàm illa, in qua ſunt plures æqualificativi, æqualificabiles & plura æqualificare; ſed in Divina Poteſtate ſufficit unicus Poſſificativus, qui eſt æqualificativus, & unicus Poſſificabilis æqualificabilis, & unicum poſſificare æqualificare per amare: ergo Divina Poteſtas magìs eſt in *Majoritate Æqualitatis* per illa tria, quàm per plura vel pauciora. Et ſyllogiſmus eſt evidens ſicut ſuprà; & ſicut dedimus exemplum de Æqualitate in Divina Poteſtate, ita poteſt dari in Divina Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c.

5. Etiam in numero ternario magìs æqualiter poſſunt ſtare plura Suppoſita, quàm in alio numero, ſicut in binario, quaternario vel quinario; ſicut ſecunda unitas, quæ æqualiter conſiſtit inter primam & tertiam, & medium inter principium & finem, & intellige-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

telligere inter intelligentem & intellectum, & amare inter amantem & amatum, & concordare inter concordantem & concordatum, & sic de aliis suo modo; sed talis *Majoritas Æqualitatis* non posset stare in numero binario, quaternario vel quinario, & sic de aliis, sicut in ternario: ergo probatum est, quòd Divinæ Personæ sint Tres, & non plures nec pauciores.

Diximus de secunda Distinctione, in qua probavimus per Demonstrationem Æquiparantiæ syllogizando per primitiva, vera & necessaria Principia, quòd Divinæ Personæ sint Tres, & non plures nec pauciores; quæ primitiva, vera & necessaria Principia sunt Actio, Distinctio, Concordantia, Æqualitas, ût dictum est.

DISTINCTIO III.

Quòd Divinæ Personæ sint Pater, Filius & Sanctus Spiritus.

IN hac Distinctione intendimus probare, quòd Tres Divinæ Personæ sint Pater, Filius & Sanctus Spiritus, per *easdem Rationes*, per quas probavimus, quòd sint Tres, & non plures nec pauciores; & primò sic.

1. Omne illud est in Divina Bonitate, per quod bonificans est in *majori Actione*, & bonificatus in majori passione respectu bonificantis; sed hoc est per Paternitatem & Filiationem: ergo in Divina Bonitate est Paternitas & Filiatio, & per consequens Pater & Filius. Major est per se evidens; minor sic declaratur: quia agens, qui est Pater, producit de tota sua Essentia & Natura agibilem vel actum Filium, quod non faceret, nisi esset Pater.

Iterum: omne illud est in Divina Bonitate, per quod bonificare est *major actus* bonificantis & bonificati; sed hoc est per amare: ergo in Divina Bonitate est amare, quod vocamus Sanctum Spiritum. Major de se patet; minor sic demonstratur; quia bonificare non posset esse infinitum & æternum sinè amare: ergo concluditur, quòd Tres Divinæ Personæ sint Pater & Filius & Sanctus Spiritus. Et sicut probavimus Patrem & Filium & Sanctum Spiritum in Divina Bonitate per *Majoritatem Actionis* & Passionis & ipsius Actûs, sic potest probari in Divina Magnitudine, Æternitate, & sic de aliis suo modo.

2. Omne illud est de necessitate in Divina Magnitudine, per quod Divina Magnitudo est magìs remota à Contrarietate; sed hoc est per *Concordantiam* magnificantis, magnificati & magnificare: ergo de necessitate sequitur Concordantia in Divina Magnitudine. Major & minor de se ipsis sunt evidentes; & quòd in ipsa Magnitudine sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus per Concordantiam, sic probamus.

Omne illud est in Divina Magnitudine, per quod magnificans & magnificatus magìs possunt concordare; sed hoc est per Paternitatem & Filiationem: ergo in Divina Magnitudine est Paternitas & Filiatio, & per consequens Pater & Filius. Major per se est evidens, minor sic declaratur: quia magnificans, qui est Pater, de tota sua Essentia & Natura & Magnitudine producit magnificatum Filium, quod non faceret, nisi magnificans esset Pater, & magnificatus Filius.

Iterum: omne illud est in Divina Magnitudine, per quod magnificare est *major Actus* magnificantis & magnificabilis; sed hoc est per amare: ergo in Divina Magnitudine est amare, quod vocamus Sanctum Spiritum. Major per se patet, minor sic declaratur; quia magnificare sinè amare non posset esse infinitum & æternum. Et sicut probavimus Patrem & Filium & Sanctum Spiritum in Divina Magnitudine per Concordantiam, sic potest probari in Divina Bonitate & Æternitate, & sic de aliis suo modo.

3. Omne illud est in Æternitate, per quod æternificans & æternificatus magìs possunt concordare; & quia, ubicunque est Concordantia, est *Differentia*, in Æternitate est Differentia inter æternificantem & æternificatum &c.; ideo, quòd in Æternitate sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus, arguimus sic: ubicunque est major Concordantia, est *major Differentia;* sed in Æternitate est major Concordantia inter Æternificantem & Æternificatum: ergo in Æternitate est major Differentia inter æternificantem & æternificatum. Major est evidens, quia major Concordantia non potest esse sinè majori Differentia; minor superiùs est probata; & ideo sequitur, quòd in Æternitate sit Paternitas & Filiatio, & per consequens Pater & Filius, quia sinè Patre & Filio non posset esse major Concordantia & Differentia.

Iterum: omne illud est in Æternitate, per quod Æternificare est *major Actus* æternifican-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nificantis & æternificati; sed hoc est per amare: ergo in Æternitate est amare, quod vocamus Sanctum Spiritum. Major per se patet, minor sic declaratur: quia æternificare sinè amare non posset esse infinitum in Bonitate, Magnitudine &c. Et sicut dedimus exemplum ad probandum Patrem & Filium & Sanctum Spiritum in Æternitate per *Differentiam*, sic potest dari in Divina Bonitate, Magnitudine & aliis suo modo.

4. Omne illud est in Divina Potestate, per quod Divina Potestas magìs distat ab inæqualitate; sed hoc est per *Æqualitatem* possificantis, possificati & possificare: ergo de necessitate convenit, quòd sit Æqualitas in Divina Potestate; & ideo, quòd in Divina Potestate sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus, arguimus sic: convenit, quòd, ubicunque est *major Æqualitas* inter possificantem & possificatum, sit Paternitas & Filiatio; sed in Divina Potestate est major Æqualitas inter possificantem & possificatum: ergo in Divina Potestate est Paternitas & Filiatio. Major sic patet, quia Pater in producendo Filium de toto se ipso coæquat illum sibi ipsi per Essentiam, Unitatem, Naturam & Bonitatem, Magnitudinem &c., quæ major Æqualitas non potest esse sinè Patre & Filio; minor sic declaratur: quia possificans & possificatus sinè *Majoritate Æqualitatis* non possent producere majus possificare.

Iterum: omne illud est in Divina Potestate, per quod possificans & possificatus magìs possunt coæquari; sed hoc est per amare: ergo in Divina Potestate est amare, quod vocamus Sanctum Spiritum. Major per se patet, minor sic declaratur: quia coæquare sinè amare non posset esse infinitum in Potestate. Et sicut dedimus exemplum de Æqualitate in Divina Potestate de Divinis Personis, sic potest dari in Divina Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Intellectu, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria suo modo.

Ad Gloriam, Laudem, Cognitionem & Honorem Divinæ Trinitatis finivit Raymundus istum Librum in Monte Pessulano mense Martii M CCC IV. Incarnationis nostri Domini JESU Christi, in cujus Custodia sit recommendatus iste Liber; & etiam in custodia gloriosæ Virginis Beatæ MARIÆ.

Hic Tractatus est restitutus juxta Hispanica Exemplaria noviter accepta, & ideo differt in fine, loco & anno ab eodem Tractatu citato in Catalogo Tomi I.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER FACILIS SCIENTIÆ.

DEUS, cum tua altisſima & profunda Veritate incipit *Liber Facilis Scientiæ.*

DE PROLOGO.

MAnifeſtum eſt, quòd unum oppoſitorum cognoſcitur per alterum; & ideo intendimus facere iſtum Librum vel Artem de Suppoſitionibus contradictoriis, ut cognoſcatur, quæ Propoſitio ſit vera, & quæ ſit falſa: & hoc intendimus exemplificare ad declarandam ſanctam Catholicam Fidem contra aliquos Philoſophantes dicentes, quòd Catholica Fides ſecundùm modum intelligendi ſit impoſſibilis.

Subjectum verò hujus Libri eſt miſcere Principia, ut videatur, quid ſequatur in concluſione.

De Diviſione hujus Libri.

1. ISte Liber dividitur in *decem Partes*, quæ ſunt hæ: *Divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Intellectus, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria* & *Perfectio:* & iſtæ Dignitates vel Rationes prædicantur de DEO, & una prædicatur de alia; & hoc ſic: DEUS eſt Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c., Divina Bonitas eſt Magnitudo, Æternitas &c. & è converſo, mutando ſubjectum in prædicatum; & per talem veram & neceſſariam prædicationem poteſt DEUS definiri, & quælibet ejus Ratio; & hoc ſic:

2. Si quæratur, quid eſt DEUS? reſpondeatur, quòd DEUS eſt Bonitas, Magnitudo &c.: & ſi quæratur, quid eſt Divina Bonitas? reſpondeatur, quòd Divina Bonitas eſt DEUS, & eſt Magnitudo, Æternitas, & ſic de aliis. Sed de nullo alio ente poſſunt eſſe tales definitiones, cùm iſtæ ſint ſupremæ, & permanentes in ſuperlativo gradu: ergo oſtenditur, per quem modum DEUS poteſt definiri & ſuæ Rationes, & per conſequens faciliter cognoſci; *& applicatis ad propoſitum prædictis definitionibus cum ſuppoſitionibus contradictoriis faciliter poteſt cognoſci, quæ ſuppoſitio eſt vera, & quæ eſt falſa, quia convenit, quòd illa ſuppoſitio ſit vera, primitiva & neceſſaria, quæ ſtat pro prædictis definitionibus, & ſua contraria ſuppoſitio ſit falſa & impoſſibilis:* ergo oſtenditur, per quem modum faciliter poſſit fieri Scientia de his, quæ prædicantur de DEO & de ſuis Rationibus.

De Bonitate.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, (& ſic poteſt dici de aliis Rationibus, ſed ſolùm de his tribus exemplificamus causâ brevitatis) quòd nulla impoſſibilitas poſſit impedire majorem poſſibilitatem Bonitatis; & ſi ſua contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd impoſſibilitas plus dicat, quàm poſſibilitas, quod eſt falſum & impoſſibile; cùm poſſibilitas dicat habitum poſitivum, & impoſſibilitas privativum: ergo concluditur, quòd Divina Incarnatio & Creatio & Reſurrectio hominum & æterna Beatitudo ſint poſſibilia apud DEUM, cùm ſint ſupremæ poſſibilitates, & hoc bene, magnè & verè, bene per Divinam Bonitatem, magnè per Divinam Magnitudinem, verè per Divinam Veritatem, cùm ſint Primæ Cauſæ.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas ſit forma magìs activa, quàm materia prima paſſiva; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna &

(c) 2006 Ministerio de Cultura

vera, materia prima plùs poteſt recipere Bonitatem quoad ſe, quàm Divina Bonitas infundere quoad ſe & propter ſe ; quod eſt falſum & impoſſibile; aliter definitio Bonitatis & aliarum Rationum eſſent læſæ; quod eſt impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Bonitas poſſit bene, magnè & verè agere ſuper materiam primam ad placitum, & hoc miraculosè.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas habeat correlativa, ut ſit diffuſiva intrinſecè, & poſſit habere Naturam, & in ſe ipſa naturaliter quieſcere; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas ſit vacua & ſinè Natura, nec habeat correlativa, ſic quoad ſuam Naturam, ſicut Divinus Intellectus quoad ſuam : ergo oſtenditur, quòd in Divina Bonitate ſunt tria correlativa, & per conſequens Trinitas.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas habeat tantam Poteſtatem quoad ſe ipſam, quantam habet Divina Æternitas quoad ſe ipſam; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Poteſtas ſit diviſa, infinita quidem quoad Æternitatem in duratione, finita autem quoad bonificationem, quod eſt falſum & impoſſibile; quia prædictæ definitiones eſſent læſæ: ergo eſt demonſtratum, quòd Divina Bonitas ſit ita infinita in vigore quoad bonificationem, ſicut quoad durationem.

5. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas ſit in tantum potens per Intrinſecam Operationem, quantum per ſuam Exiſtentiam; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd Divina Bonitas ſit minùs potens, & quòd hoc ſit bonum, magnum & verum; quod eſt falſum & impoſſibile: ex quo ſequitur, quòd Divina Trinitas ſit.

De Magnitudine.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Poteſtas ſit tantum immenſa per Magnitudinem, quantum Infinita Duratio per Æternitatem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd ipſa ſit finita; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd ipſa ſit immenſa.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Magnitudo ſit abſoluta exiſtendo & agendo; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd ſit finita, & impedita per aliquod impoſſibile, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Magnitudo ſit infinita exiſtendo & agendo, & per conſequens Trinitas.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd nulla magnitudo ſit maxima ſinè maximare; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd magnitudo ſit magìs magna ſinè maximare & ſinè proprio objecto, quàm cum maximare & proprio objecto; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd in Divina Magnitudine ſit maximare & proprium objectum, & per conſequens Divina Trinitas.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Magnitudo converſa cum Divina Bonitate, Æternitate, Poteſtate, Intellectu, Voluntate, Virtute, Veritate, Gloria & Perfectione nullo modo ſit impedita, ſed ſimpliciter abſoluta & infinita; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd non ſit converſa cum prædictis, ut non ſit abſoluta & infinita; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Magnitudo ſit infinita omnibus modis, & per conſequens Trinitas; & quòd Divina Poteſtas, cum qua eſt converſa, ſit infinita & abſoluta.

5. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Magnitudo habeat infinitam Naturam propter ſe, & propter Divinam Bonitatem, Æternitatem &c.; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd non ſit ſufficiens Magnitudini Divinæ Bonitatis, Æternitatis &c., nec cum ipſis converſa; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Magnitudo habeat infinitam actionem, contra quam nullum impoſſibile nec poſſibile poteſt agere.

De Æternitate.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum illud, per quod Divina Unitas & Æternitas habeant majorem convenientiam invicem, ut ſint unum Ens ſingulare, abſolutum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona,

magna

(c) 2006 Ministerio de Cultura

magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd ſint diverſæ eſſentiæ una ſeparata ab alia; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd, ſicut eſt una ſingularis abſoluta Unitas, ſic ſit una ſingularis abſoluta Æternitas; ex quo ſequitur, quòd mundus non ſit æternus; quia ſi ſic, eſſent plures æternitates.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divina Æternitas eſt magìs abſoluta; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, ſequitur, quòd hoc ſit bonum, magnum & verum, per quod eſt minùs abſoluta; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum hoc, per quod eſt magis abſoluta; ex quo ſequitur, quòd habeat correlativa abſoluta, ſinè quibus non poſſet eſſe abſoluta: ergo concluditur Divina Trinitas.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divina Poteſtas ſit tantum propter Divinam Magnitudinem, quantum propter Divinam Æternitatem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd Divina Poteſtas, Magnitudo & Æternitas non participent æqualiter propter finem; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd Divina Poteſtas ſit ita infinita quoad magnificationem, ſicut quoad durationem; & quòd Magnitudo ſit ita infinita ſuo modo, ſicut Æternitas ſuo modo.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd mundus non ſit æternus; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd non ſit Incarnatio, Reſurrectio, nec æterna Beatitudo; quod eſt falſum & impoſſibile.

* 5. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod duratio mundi magìs dependet ab Æternitate DEI; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod duratio mundi ſit minùs gubernans Univerſum; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd mundus ſit novus.

De Poteſtate.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod DEUS poſſit exiſtere & agere per ſe, propter ſe, in ſe ipſo, de ſe ipſo, & cum ſe ipſo; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit aliquod ens ſuperius impediens DEUM, quod ſit ejus cauſa; quod eſt impoſſibile, cùm omne poſſibile & impoſſibile ſint effectus Divinæ Poteſtatis; ergo concluditur, quòd Divina Poteſtas ſit abſoluta, & quòd DEUS poſſit exiſtere & agere ſinè Angelo, Cœlo & hujusmodi.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Poteſtas comprehendat totum Univerſum ſubjectivè & objectivè; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit aliquod ens in Univerſo impediens Divinam Poteſtatem, ut non ſit Cauſa Univerſi; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo probatum eſt, quòd DEUS ſit Cauſa efficiens.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd nullum impoſſibile poſſit impedire Divinam Poteſtatem, quin habeat bonum, magnum & verum poſſibile; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum impedire bonum, magnum & verum poſſibile Divinæ Poteſtatis; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Incarnatio, Creatio, ſempiterna Beatitudo &c. ſunt poſſibilia apud DEUM.

4. Suppono, quòd non ſit bonum, magnum nec verum, quòd Divina Poteſtas aliquo modo ſit finita; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd ſit maximè finita; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd ſit infinita, & quòd DEUS poſſit creare & reſuſcitare & hujusmodi.

5. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Poteſtas poſſit annihilare omnes alias poteſtates, quarum eſt finis; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod ea, quorum eſt finis, neceſſitant ipſam, quòd ſit finis eorum; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur; quòd Divina Poteſtas poſſit annihilare omnes alias poteſtates.

De Intellectu.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd intellectus poſſibilis non ſit de genere actionis; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd intellectus agens ſit de genere paſſionis; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd intellectus poſſibilis non poſſit eſſe unus in numero in omnibus hominibus, quia eſſet intellectus agens.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd humanus intellectus intelligat magìs bene , magnè & verè objectando DEUM & ſuas Rationes, quàm objectando ſenſibilia & imaginabilia ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur , quòd magìs intelligat per cauſas inferiores,quàm per ſuperiores; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur,quòd Scientia facta per ſuperiores cauſas ſit una ſcientia per ſe ſeparata à ſcientia, quæ eſt facta per inferiores cauſas.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd intellectus faciat magìs verè ſcientiam ſuperiorem cum habitu Fidei, quàm faciat ſcientiam inferiorem ſinè habitu Fidei; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur contradictio, quæ non poteſt ſtare: ergo oſtenditur,quòd intellectus intelligendo cum habitu Fidei poſſit intelligere & credere,tamen aliter & aliter.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd intelligere DEI ſit realis Relatio inter Intelligentem & Intelligibilem, & per conſequens Diſtinctio; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur , quòd ipſum intelligere ſit indeterminatum & confuſum, quæ indeterminatio ſit bona,magna & vera;(cùm,quidquid ſit in intelligere DEI ſit bonum , magnum & verum) quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt Divina Trinitas.

5. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum , quòd ſit æterna Beatitudo , ut quilibet intellectus Beati habeat objectum æviternum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd non ſit beatitudo , niſi in hac vita; quod eſt falſum & impoſſibile, & contra Divinam Bonitatem , Magnitudinem &c.

De Voluntate.

1. SUppono, quòd ſit bonum , magnum & verum, quòd Divina Voluntas diligat in Divina Bonitate proprium Objectum, ſcilicet Bonificantem, Bonificatum & Bonificare; & in Divina Magnitudine Magnificantem, Magnificatum & Magnificare, & ſic de aliis; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur,quòd ipſa Voluntas non ſit bona,magna nec vera; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Voluntas diligat in omnibus Dignitatibus DEI Objecta & Actus proprios.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Voluntas diligat,quòd Divina Magnitudo ſit infinita;& ſi contraria ſuppoſitio ſit bona , magna & vera , neceſſariò ſequitur , quòd habeat in ſe finitatem ſuorum Correlativorum, quæ ſinè infinita Magnitudine non poſſent eſſe infinita: ergo oſtenditur , quòd Divina Magnitudo ſit infinita.

3. Suppono, quòd ſit bonum , magnum & verum, quòd Divina Voluntas tantum diligat Divinam Poteſtatem, quantum diligit Divinam Æternitatem ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, ſequitur, quòd Poteſtas non poſſit ei ſufficere quoad infinitam Amationem, cùm Poteſtas non poſſet habere per ſe infinitam poſſificationem ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd Divina Voluntas diligat, quòd Poteſtas ſit infinita quoad poſſificationem , ſicut quoad æternificationem.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Voluntas diligat,quòd ſit infinita in tantum quoad bonificationem, quantum quoad volitionem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd diligat, quòd non ſit perfectè bona ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd Divina Bonitas tantum objectet Divinam Voluntatem ſuo modo , ſicut è converſo.

5. Suppono,quòd hoc ſit bonum,magnum & verum, per quod Divina Voluntas diligit Divinum Intellectum objectantem Divinam Bonitatem tantum , quantum objectat Divinam Voluntatem;& ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera , bonum, magnum & verum eſt, quòd Divina Voluntas non diligat perfectè Divinum Intellectum, nec Divinam Bonitatem ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd Divina Bonitas habeat in ſe ſic correlativa propter ſe, ſcilicet Bonificativum, Bonificabilem & Bonificare , ſicut Divinus Intellectus & Divina Voluntas habent Correlativa pro ſe ipſis.

De Virtute.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd humanus intellectus per ſuam virtutem & habituatus de habitu Fidei ſic ſe habeat ad attrahendum Divinas Similitudines de DEO, ſicut ſe habet ad attrahendum ſenſibiles ſimilitudines de corpore per ſenſum,& imaginabiles per imaginationem;

(c) 2006 Ministerio de Cultura

nem ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera,neceſſariò ſequitur,quòd ſit magìs virtuoſus objectivè per ſenſum & per imaginationẽ, quàm per Divinas Rationes; quod eſt falſum & impoſſibile:ergo oſtenditur, quòd intellectus habeat virtutem ad faciendũ ſcientiam de Similitudinibus DEI.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd DEUS ſic & multò magìs virtuosè ſe vertat ad humanum intellectum cum omnibus ſuis Dignitatibus, ſicut intellectus ad ipſum cum omnibus ſuis potentiis; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona,magna & vera, DEUS ſe habet erga intellectum vitiosè, & intellectus erga DEUM virtuosè; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur,quòd DEUS ſit cognoſcibilis, & quòd intelligat omnia particularia.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum,quòd DEUS habeat proprium ſubjectum & objectum ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, virtuoſum eſt,quòd DEUS habeat carentiam exiſtendi & agendi, & vitioſum eſt, quòd habeat exiſtentiam & agentiam quoad ſuas Rationes ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur,quòd ſit Productio in Divinis.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum , quòd nulla virtus inferior poſſit impedire ſuperiorem,ſed è converſo ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona,magna & vera,neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum,magnum &verum,quòd virtutes inferiores dominentur ſupra ſuperiores ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur,quòd Divina Virtus ſic ſit cauſa prima effectivè,ſicut finaliter.

5. Suppono , quòd ſit bonum, magnum & verum,quòd Divina Poteſtas ſit tantum virtuoſa propter ſe & propter Divinam Bonitatem & Magnitudinem , quantum propter Æternitatem , Intellectum & Voluntatem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona , magna & vera,neceſſariò ſequitur,quòd ſit vitium bonum,magnum & verum,quidquid eſt inDivina Bonitate,Magnitudine,Æternitate,Poteſtate, Intellectu & Voluntate;quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd Divina Poteſtas habeat infinitam Virtutem conſiderando omnibus modis.

De Veritate.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd DEUS formaliter ſic ſe vertat ad omne *eſſe* verificando , ſicut intelligendo; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera,neceſſariò ſequitur,quòd Divinus Intellectus attingat objectum intelligendo extra actum veritatis; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd omnia tam particularia, quàm univerſalia à Divino Intellectu verè ſint objectabilia.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd nullum ens ſit ſinè actu veritatis;& ſi contraria ſuppoſitio ſit bona,magna & vera, neceſſariò ſequitur , quòd Divina Veritas aliquo modo ſit otioſa; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd Divina Veritas ſic ſit univerſaliter cauſa effectiva , ſicut finalis.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum,quòd Divina Veritas ſub impoſſibili non poſſit habere paſſionem ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona , magna & vera , neceſſariò ſequitur , quòd ſit bonum , magnum & verum , quòd impoſſibilitas ſit ſua cauſa; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur , quòd Divina Veritas ſit abſoluta intrà & extrà.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum,quòd Divina Veritas ſit infinita; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona,magna & vera, neceſſariò ſequitur , quòd ſit bonum , magnum & verum hoc, per quod Divina Veritas eſt magìs finita ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur,quòd Divina Veritas ſit infinita , & quòd omne ens verum extrinſecum ſit ab ipſa verificatum ſubjectivè & objectivè.

5. Suppono, quòd ſit bonum , magnum & verum hoc, per quod Divinæ Rationes poſſunt habere magìs verè actus proprios ; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona , magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd Divinæ Rationes careant propriis actibus,& quòd ipſa carentia ſit bona, magna & vera ; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divinæ Rationes non tantùm habeant proprios actus quoad nos , ſed etiam quoad ſe ipſas.

De Gloria.

1. SUppono, quòd ſit bonum , magnum & verum hoc, per quod DEUS magìs ſe habet erga ſuos amicos glorificando gratiosè, juſtè & miſericorditer; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona , magna & vera , neceſſariò ſequitur , quòd ſe habeat erga ipſos malè, falsè & injuſtè , & erga ſuos inimicos bene, magnè & verè;quod eſt falſum & impoſſibile: ad conſequentiam autem iſtius impoſſi-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bilitatis ſequitur, quòd mundus ſit novus, & quòd gloria Beatorum ſit æviterna.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Angeli ſint magis propter ſe ipſos, quàm propter cœlum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd Angelus ſit magis glorioſus propter motum cœli, quàm propter objectare DEUM & ſeipſum, intelligendo, recolendo & amando; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenſum eſt, quòd Angelus non ſit propter motum Cœli.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Angelus ſit factus à DEO; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Angelus eſt minùs diſpoſitus ad recipiendum majorem gloriam à DEO, & per quod magis eſt ſeparatus ab ipſo; quod eſt falſum & impoſſibile, quia factio diſponit, quòd totus Angelus ſit glorioſus quoad ſuam eſſentiam & agentiam, non autem quoad ſuam æternitatem, poſito, quòd ſit æternus.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod homo magis poteſt intelligere, recolere & diligere Divinam Gloriam & ſuámmet gloriam; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd ~~Angelus~~ *homo* habeat majorem gloriam non objectando DEUM & non objectando ſeipſum, quàm objectando; quod eſt falſum & impoſſibile: ad conſequentiam iſtius ſequitur Divina Trinitas, Incarnatio, Reſurrectio, Creatio & hujusmodi.

5. Suppono, quòd non ſit bonum, magnum nec verum, quòd ſit unus intellectus in numero in omnibus hominibus; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod DEUS ſit minùs glorians, minùs amans, & quòd ſua Gloria ſit minùs intellecta & dilecta; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd intellectus ſit particularis & conjunctus cum corpore hominis.

De Perfectione.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd mundus non ſit æternus; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd DEUS non poſſit perficere mundum, qui eſt imperfectus, cùm perficere imperfectum non poſſit eſſe ſinè additione perfectionis, quæ additio non eſt de genere æternitatis; & cùm hoc ſit falſum & impoſſibile, probatum eſt, quòd mundus ſit novus.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd omne illud, quod dependet à poſſibili & impoſſibili, ſit imperfectum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd omne contingens ſit perfectum; quod eſt falſum & impoſſibile, quia DEUS eſt Ens perfectum: ergo eſt probatum, quòd omne ens abſolutè loquendo ſit à contingentia præter DEUM.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd DEUS ſit Cauſa perfectiſſima; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd nullus effectus ſit perfectus, cùm cauſa & effectus relativè ſe habeant; & ſequitur, quòd, ſi mundus non eſt factus, DEUS non ſit Cauſa perfectiſſima; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt probatum, quòd DEUS ſit Cauſa perfectiſſima ratione finîs & effectûs.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Philoſophia ſit primitiva, vera & neceſſaria ad intelligendum Philoſophiam naturalem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd intellectus ſit altior & perfectior in faciendo ſcientiam per ea, quæ ſunt inferiora, quàm per ea, quæ ſunt ſuperiora; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd intellectus ſit verior & perfectior extra ſenſum & imaginationem, quàm cum ſenſu & imaginatione in faciendo ſcientiam.

5. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd intellectus hominis habeat intrinſeca correlativa; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd habeat majorem naturam & perfectionem intelligendi extrinſecè, quàm intrinſecè; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd intellectus habeat tria correlativa, ſcilicet intelligentem, intelligibile & intelligere.

Perfectus eſt Liber, & data eſt Doctrina, per quem modum faciliter poſſit generari ſcientia, & hoc ſub conditionibus Divinarum Rationum, ût in Prologo dictum eſt, tenendo modum ſecundùm ea, quæ dicta ſunt, ad faciendum ſcientiam de his, quæ non ſunt dicta.

Ad laudem & honorem DEI finivit Raymundus iſtum librum Pariſiis Menſe Junii Anno MCCCXI. Incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti.

FINIS.

BEATI

(c) 2006 Ministerio de Cultura -

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI QUÆSTIONES SUPRA LIBRUM FACILIS SCIENTIÆ.

DEUS cum tua Benedictione & Virtute incipiunt Quæstiones supra *Librum Facilis Scientiæ.*

DE PROLOGO.

QUoniam Liber Facilis Scientiæ est Ramusculus *Artis Generalis*, ideo facimus Quæstiones de novem Subjectis, in quæ cadit, quicquid est, quæ sunt hæc: DEUS, Angelus, Cœlum, Homo, Imaginatio, Sensus, Vegetativa, Elementativa & Instrumentativa; & de istis intendimus facere Quæstiones, & applicabimus ipsas ad *Librum Facilis Scientiæ* tali modo, quòd per Doctrinam, quam dabimus, homo poterit solvere alias peregrinas Quæstiones factas per novem Subjecta.

De Divisione hujus Libri.

ISte Ramusculus Dividitur in *novem Partes*, videlicet in Quæstiones factas de DEO, de Angelo, de Cœlo, de Homine, de Imaginativa, de Sensitiva, de Vegetativa, Elementativa & Instrumentativa; & primò de prima Parte.

De Quæstionibus DEI.

1. UTrùm DEUS sit? *Solutio:* suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd DEUS sit; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera; bonum, magnum & verum est, quòd ipse non sit; quod est falsum & impossibile; & *in Capite de Bonitate* dicit prima Ratio, quòd nullum impossibile possit impedire majus possibile Bonitatis: quod impossibile impediret, si DEUS non esset; quod est impossibile: ergo probatum est, quòd DEUS sit.

2. Utrùm DEUS possit agere miraculosè? *Solutio:* Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd DEUS possit agere miraculosè; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera; bonum, magnum & verum est, quòd sua Potestas sit restricta, finita & impedita; quod est falsum & impossibile: & vade *ad secundum §. de Bonitate*, & ibi invenies solutionem implicatam.

3. Posito, quòd verè & necessariò possint solvi omnes Objectiones, quæ possunt fieri contra sanctam Catholicam Fidem, & quòd verè & necessariò possint solvi omnes Objectiones, quæ factæ sunt contra Infideles; Quæritur, utrùm implicaretur contradictio? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, ùt patet *in tertio §. Capitis de Bonitate;* quia si utraque solutio sit bona, magna & vera, necessariò sequeretur, quòd id, quod est bonum, esset malum; & quòd id, quod est magnum, esset parvum; & quod est verum, esset falsum; quod est contradictio: & sic potest dici, quòd esset bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas haberet & non haberet correlativa; quod est contradictio.

4. Utrùm DEUS sit infiniti vigoris? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, ût patet *in quarto §. Capitis de Bonitate*, quia si non, contrariæ suppositiones non implicarent contradictionem; quod est impossibile.

5. Utrùm Divina Bonitas possit esse tantum diffusa in se ipsa, quantum est sua Essentia? *Solutio.* Respondendū est, quòd sic, & vade *ad*

(c) 2006 Ministerio de Cultura

ad quintum §. in Capite de Bonitate; aliter implicaretur contradictio.

Diximus de Quæstionibus DEI applicatis *Capiti de Bonitate;* hoc etiam potest fieri de Quæstionibus applicatis *Capiti de Magnitudine, Æternitate* &c.

De Quæstionibus Angelorum.

INtendimus facere Quæstiones Angelorum quoad ea, quæ ponuntur *in Capite de Bonitate*, ut videatur, quòd ea, quæ diximus in illo Capite, sint communia ad solvendum Quæstiones factas de DEO, de Angelo, & sic de aliis subjectis, de quolibet suo modo; & sicut datur exemplum per *Caput de Bonitate*, ita potest dici de *Capite Magnitudinis, Æternitatis* &c.: unde, cùm hoc ita sit, est ostensum, quòd ista Ars habeat magnum ambitum ad solvendum multas Quæstiones.

1. Utrùm sint Angeli? *Solutio.* Dico, quòd sic; & vade ad primam Rationem *in Capite de Bonitate*, ubi dicitur, quòd nulla impossibilitas possit impedire majorem possibilitatem Bonitatis, quæ impossibilitas impediret majorem possibilitatem Bonitatis, si non essent Angeli; quod est contradictio: ergo est probatum, quòd sint Angeli.
2. Utrùm DEUS potuerit producere vel creare Angelos miraculosè? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, & vade ad *secundum §. in Capite de Bonitate*, in quo solutio est implicata.
3. Utrùm Divina Bonitas sit perfectum objectum Angelorum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; & vade ad *tertium §. in Capite de Bonitate*, in quo invenies solutionem implicatam.
4. Utrùm Divina Æternitas habeat majorem Potestatem in gubernando Angelum, quàm Divina Bonitas in bonificando? *Solutio.* Respondendum est, quòd non, & vade ad *quartum §. in Capite de Bonitate*, in quo invenies solutionem implicatam.
5. Utrùm Angelus sit tantum potens quoad suum agere, quantum quoad suum existere? *Solutio.* Respondendum est, quòd non; quia, si sic, esset nimis similis DEO, & esset impossibile, quòd DEUS esset finis ejus, & Factor ejus; quæ impossibilitas se haberet in plus, quàm major possibilitas Bonitatis; quod est impossibile.

De Quæstionibus Cœli.

INtendimus applicare Quæstiones Cœli ad *Caput de Magnitudine*, in quo sunt implicatæ solutiones Quæstionum Cœli & hoc sic:

1. Utrùm Divina Potestas possit extendere Cœlum in infinitum? *Solutio.* Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd hoc possit quoad Se, non quoad Cœlum; veruntamen etiam quoad Cœlum, si esset æternum; quia si esset immensum & remotum à quantitate, sic esset æternum & remotum à novitate; quod est impossibile, cùm sit corpus & habituatum de motu; & vade ad primam Rationem *in Capite de Magnitudine.*
2. Utrùm Cœlum posset impedire Magnitudinem Divinæ Potestatis? *Solutio.* Respondeo, quòd sic, si secunda suppositio est vera, quæ veritas est impossibilis; & hoc ideo, quia sequeretur contradictio, & vade ad *secundum Paragraphum in Capite de Magnitudine.*
3. Utrùm Cœlum sit magnum sinè proprio motu? *Solutio.* Respondendum est, quòd non quoad agentiam; & vade ad *tertium §. Capitis de Magnitudine.*
4. Utrùm innata principia Cœli convertantur ad invicem? *Solutio.* Respondeo, quòd sic, si cœlum sit æternum, & si contradictio sit possibilis; & vade ad *quartum §. ejusdem Capitis.*
5. Posito, quòd Cœlum sit æternum, quæritur, utrùm habeat infinitam naturam? *Solutio.* Respondeo, quòd sic, & non, quod est contradictio, hoc est, quia limitaret infinitam Naturam DEI, & è converso; & vade ad *quintum §. Capitis de Magnitudine.*

De Quæstionibus Hominis.

1. INtendimus applicare Quæstiones factas de Homine ad *Caput de Æternitate*, & illas solvere per ea, quæ sequuntur in eodem capite.

Utrùm forma & materia hominis magìs participent cum Divina Unitate & Æternitate, posito, quòd sint factæ à DEO? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia non sunt æternæ, nec gubernant se ipsas; & vade ad primam Rationem in *Capite de Æternitate*, in qua solutio est implicata.

Utrùm

(c) 2006 Ministerio de Cultura

2. Utrùm intellectus Platonis ſit particulatus ? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic, ratio hujus eſt, quia DEUS eſt magìs objectatus, ſcilicet intellectus per plures intellectus, quàm per unum intellectum in omnibus hominibus, & vade ad *ſecundum §. Æternitatis*, in quo ſolutio eſt ſignificata.
3. Utrùm DEUS habeat tantam Poteſtatem in homine quoad ſuam Bonitatem, quantam quoad ſuam Æternitatem? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; quia ſi non, eſſet magìs cauſa finalis quoad Æternitatem, quàm quoad Bonitatem, & implicaretur contradictio, ût patet in *tertio §. in Capite de Æternitate.*
4. Utrùm ſit poſſibile, quòd ſit Reſurrectio hominum ? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic ; aliter ſequeretur contradictio, quæ contradictio eſt ſignificata in *quarto §. in Capite de Æternitate.*
5. Utrùm ſit bonum, magnum &c. id, per quod homo magìs dependet à DEO ? *Solutio.* Dico, quòd ſic, & hoc cuilibet intuenti eſt manifeſtum in *quinto §. in Capite de Æternitate.*

De Quæſtionibus Imaginationis.

QUæſtiones & ſolutiones Imaginationis applicabimus ad *Caput de Poteſtate*, quia per ea, quæ manifeſtantur in illo Capite, ſunt quæſtiones ſolubiles.

1. Utrùm DEUS faciat motum Imaginationis? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; quia ſi non, implicaretur contradictio, & eſſet bonum, magnum & verum, quòd faceret & quòd non faceret, ût patet in prima Ratione *in Capite de Poteſtate.*
2. Utrùm DEUS cum ſua Poteſtate comprehendat totam eſſentiam Imaginationis & accidentia ejus? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; & hoc ideo, quia bonum, magnum & verum eſt; & vade ad *ſecundum §. in Capite de Poteſtate.*
3. Utrùm impoſſibile, quodcunque ſit, poſſit impedire poſſibilitatem Divinæ Poteſtatis? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non ; ratio hujus eſt, quia eſſet malum & falſum; & vade ad *tertium §. in Capite de Poteſtate*, ſecundùm quod implicaretur contradictio.
4. Poſitio, quòd homo mortuus reſurgat de morte ad vitam, utrùm DEUS poſſet reſuſcitare illam eandem Imaginationem, quam habebat in hac vita? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic: ratio hujus eſt, quia bonum, magnum & verum eſt; & vade ad *quartum §. in Capite de Poteſtate.*
5. Utrùm DEUS poſſet annihilare naturalem potentiam, quam habet Imaginatio? reſpondendum eſt, quòd ſic, ût patet *in quinto §. in Capite de Poteſtate.*

De Quæſtionibus Senſitivæ.

QUæſtiones Potentiæ Senſitivæ applicabimus *ad Caput de Intellectu*, & hoc ideo, quia in ipſo apparebunt ſolutiones.

1. Utrùm ſit Senſus agens? *Solutio:* reſpondendum eſt, quòd ſic; ratio hujus eſt, quia bonum, magnum & verum eſt, quòd ſit agens; & vade ad primam Rationem *in Capite de Intellectu.*
2. Utrùm humanus intellectus poſſit facere veriores & altiores ſcientias cum particularibus ſenſibus, quàm cum Divinis Rationibus? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non ; ratio hujus eſt, quia eſſet magnum malum & falſum ; & vade ad *ſecundum §. in Capite de Intellectu.*
3. Utrùm intellectus poſſit facere ſcientiam extra ſenſum ? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic ; aliter intellectus non poſſet facere veram ſcientiam de DEO, nec de ſeparatis *ſubſtantijs*, cùm non ſit objectum ſenſûs; & vade ad *tertium §. in Capite de Intellectu.*
4. Utrùm ſenſus particulatus habeat correlativa ſibi connaturalia? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic ; aliter non attingeret objectum in ſua eſſentia ; & vade ad *quartum §. in Capite de Intellectu.*
5. Utrùm mortuo animali annihiletur ejus ſenſus? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non ; ratio hujus eſt, quia bonum, magnum & verum eſt, quòd potentia ſenſitiva ſit una pars generalis univerſi, ſicut eſt bonum, magnum & verum, quòd ſit prima forma & prima materia ; & vade ad *quintum §. in Capite de Intellectu.*

De Quæſtionibus Vegetativæ.

QUæſtiones Potentiæ Vegetativæ applicabimus ad *Caput de Voluntate*, & hoc ideo, quia in ipſo apparent earum ſolutiones.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

1. Utrùm Vegetativa in sit proprium objectum, scilicet vegetatum ? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia bonum, magnum & verum est; & vade ad primam Rationem *in Capite de Voluntate.*

2. Utrùm Vegetativa sit potentia absoluta? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; quia bonum, magnum & verum est, cùm sit causa omnium vegetabilium; & vade ad *secundum §. in Capite de Voluntate.*

3. Utrùm Vegetativa tantum appetat suam potestatem, quantum appetit suam durationem? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia bonum, magnum & verum est, ût apparet *in tertio §. de Voluntate.*

4. Utrùm Vegetativa habeat ita magnum instinctum quoad se ipsam in bonificando plantam, quàm in magnificando ipsam? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia bonum, magnum & verum est, ût apparet *in quarto §. in Capite de Voluntate.*

5. Utrùm Vegetativa æqualiter appetat actus secundarios suorum principiorum innatorum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia talis appetitus est bonus, magnus & verus, ût apparet *in quinto §. in Capite de Voluntate.*

De Quæstionibus Elementativæ.

QUæstiones Elementativæ applicabimus ad *Caput de Virtute*, quia in ipso sunt manifestæ solutiones earum, & contrariæ solutiones implicarent contradictionem.

1. Utrùm intellectus ita verè cum habitu Fidei cognoscat DEUM, sicut cum sensu cognoscit elementum vel elementatum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia bonum, magnum & verum est, & suum oppositum esset malum & falsum; & vade ad primam Rationem *in Capite de Virtute.*

2. Utrùm DEUS magìs descendat ad illuminandum intellectum de se ipso, quàm intellectus ad sensum ad faciendum scientiam de elementis vel elementatis? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; ratio hujus est, quia bonum, magnum & verum est; & vade ad *secundum §. in Capite de Virtute.*

3. Utrùm potentia elementativa habeat proprium subjectum & objectum, videlicet subjectum elementando, & objectum optatum elementatum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; ratio hujus est, quia bonum, magnum & verum est; & vade ad *tertium §. in Capite de Virtute.*

4. Utrùm virtus potentiæ elementativæ possit impedire virtutem potentiæ vegetativæ? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic materialiter & per accidens, non autem formaliter; quia forma inferior non potest impedire formam superiorem, & hoc bonum, magnum & verum est; & vade ad *quartum §. in Capite de Virtute.*

5. Utrùm potentia elementativa sit tantum potens quoad suam bonitatem, quantum quoad suam potestatem? *Solutio.* Respondendum est, quòd non; ratio hujus est, quia unum suorum principiorum innatorum non potest prædicari de alio: quia si sic, essent nimìs similia Divinis Rationibus, quarum una prædicatur de alia; & hoc bonum, magnum & verum est; & vade ad *quintum §. in Capite de Virtute.*

De Quæstionibus Virtutum moralium.

IStæ Quæstiones sunt de numero novem subjectorum, scilicet de Instrumentativa, & applicabimus ipsas ad *Caput de Veritate;* & hoc sic:

1. Utrùm DEUS tantum utatur suâ Veritate ad verificandum morales Virtutes, quantum utitur suo Intellectu ad intelligendum ipsas? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; quia in DEO Bonitas, Veritas & Intellectus convertuntur; & vade ad *primam Rationem in Capite de Veritate.*

2. Utrùm Justitia, Prudentia &c. sint sinè actu veritatis? *Solutio.* Respondendum est, quòd non; quia sequeretur contradictio, scilicet, quòd essent veræ & non veræ; & vade ad *secundum §. in Capite de Veritate.*

3. Utrùm Virtus sit magis possibilis, quàm peccatum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; quia Virtus dicit verum positivum, & peccatum privativum; & vade ad *tertium §. in Capite de Veritate.*

4. Utrùm veritas Virtutum sit prius actus Divinæ Veritatis? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; quia Divina Veritas agit immediatè in causando veritates Virtutum, & homo per consequens utitur ipsis; & vade ad *quartum §. in Capite de Veritate.*

5. Utrùm Fides sit habitus nocivus intellectui, qui intelligit DEUM, & Charitas voluntati, quæ diligit DEUM? *Solutio.* Respondendum est, quòd non; quia si sic, Fides

(c) 2006 Ministerio de Cultura

des & Charitas eſſent bonæ & non bonæ, magnæ & non magnæ, quod eſt contradictio; & vade ad *quintum* §. *in Capite de Veritate.*

De Quæſtionibus Vitiorum.

QUæſtiones vitiorum intendimus applicare ad *Caput de Gloria;* & hoc ſic:

1. Utrùm Peccator aliquo modo ſit in gratia DEI? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; ratio hujus eſt, quia DEUS non bene, magnè & verè poſſet ei parcere peccata; & vade ad *primam Rationem in Capite de Gloria.*

2. Utrùm Angelus poſſit eſſe malus per peccatum? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; quia per hoc, quòd eſt de nihilo, poteſt ſe difformare contra finem, quare eſt, poſito tamen, quòd non ſit confirmatus, nec ſuſtentatus in gratia DEI; & vade ad *ſecundum* §. *in Capite de Gloria.*

3. Utrùm ſit bonum, magnum & verum, quòd peccatum ſit factum à DEO? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non, quia ſi ſic, bonum, magnum & verum eſſet, quòd Virtutes non eſſent factæ à DEO, quod eſt falſum & impoſſibile; & vade ad *tertium* § *in Capite de Gloria.*

4. Utrùm homo in ſciendo & amando Divinam Trinitatem cum Virtutibus ſit in peccato? *Solutio* Reſpondendum eſt, quòd non; quia ſi ſic, ſequeretur contradictio; & vade ad *quartum* §. *in Capite de Gloria.*

5. Utrùm DEUS poſſet creare aliquid contra ſuam Intelligibilitatem & Amabilitatem? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; quia ſi ſic, ſequeretur contradictio, quòd eſſet bonus & non bonus, magnus & non magnus &c.; quod eſt falſum & impoſſibile: & vade ad *quintum* §. *in Capite de Gloria.*

Dictum eſt de Quæſtionibus novem Subjectorum deductis per novem Principia *Libri Facilis Scientiæ;* & ſicut ſolvimus prædictas Quæſtiones cum ipſis Principiis, ſic poſſunt ſolvi aliæ peregrinæ quæſtiones: Quæſtiones autem *de Capite Perfectionis* intendimus facere, ut demus doctrinam, per quem modum aliæ Quæſtiones poſſint ſolvi.

De Quæſtionibus Perfectionis.

1. UTrùm ſit bonum, magnum & verum, quòd DEUS poſſit magìs perficere intellectum cum *intelligere*, quàm cum *credere? Solutio.* Eſt reſpondendum, quòd ſic; ratio hujus eſt, quia *intelligere* eſt ſimilitudo Divini Intellectûs, qui intelligit, *credere* autem eſt ſuum diſſimile; & hoc ideo, quia DEUS non credit; & vade ad *primam Rationem in Capite de Perfectione.*

2. Utrùm mundus ſit de neceſſitate, vel à contingentia? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd à contingentia; ratio hujus eſt, quia dependet à poſſibili & impoſſibili; & vade ad *ſecundum* §. *in Capite de Perfectione.*

3. Utrùm ſit perfectiſſimus Effectus, ſcilicet humana Natura Chriſti conjuncta cum Divina Natura? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; aliter ſinè perfectiſſimo effectu non poſſet eſſe perfectiſſima Cauſa, cùm relativè ſe habeant; & vade ad *tertium* §. *in Capite de Perfectione.*

4. Utrùm Theologia ſit ſcientia magìs perfecta, quàm Philoſophia? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; ratio hujus eſt, quia DEUS eſt ſubjectum Theologiæ cum ſuis perfectiſſimis Rationibus, intelligibile autem eſt ſubjectum Philoſophiæ cum perfectiſſimis principiis, tamen ſubalternatis; & vade ad *quartum* §. *in Capite de Perfectione.*

5. Utrùm humanus intellectus (& ſic de humana voluntate & memoria) poſſet perficere animam ſinè correlativis innatis? etiam ſic quærendum eſt de quatuor potentiis corporis? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; quia anima & corpus eſſent nimis diſparata à Similitudinibus DEI; & vade ad *quintum paragraphum in Capite de Perfectione.*

Ad laudem & honorem DEI finivit Raymundus Paraſiis prædictas Quæſtiones implicatas in Libro Facilis Scientiæ.



(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE NOVO MODO Demonſtrandi SIVE ARS PRÆDICATIVA MAGNITUDINIS.

DEUS cum tua Virtute & Veritate incipit iſte Liber, qui eſt *Novus Modus Demonſtrandi.*

DE PROLOGO.

QUia dicitur, quòd Fides non poſſit probari, fit Fallacia *ſecundùm quid* & *ſimpliciter*: quoniam eſt verum, quòd ſecundùm ſenſum & imaginationem Fides non poſſit probari; ratio hujus eſt, quia Articuli Fidei non ſunt ſenſibiles nec imaginabiles; veruntamen poteſt probari *ſecundùm Modum intelligendi cum Divinis Rationibus* permanentibus & agentibus in ſuperlativo gradu; quæ ſunt *Divina Unitas, Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Intellectus, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria.* Et de hoc eſt exemplificatum in *multis Libris,* quos fecimus, & apparebit in iſto; nam id, quod intelligitur, magìs diligitur, quàm illud, quod creditur. Idcirco intendimus dare *Novum Modum demonſtrandi* ad probandum Fidem; ipſa Fides autem eſt permanens Habitus coadjuvativus Intellectûs, ſicut Charitas, quæ eſt Habitus Voluntatis.

Novus Modus autem demonſtrandi eſt verior, fortior & clarior, quàm Modus demonſtrandi ſecundùm dialecticum Syllogiſmum; ratio hujus eſt, quia non patitur Sophiſmata, fallacias & inſtantias, & hoc, quia reducit concludendo contradictionem ſive impoſſibile; & hoc patebit in proceſſu hujus Libri.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

De Diviſione hujus Libri.

ISte Liber dividitur *in quinque Diſtinctiones.*

Prima Diſtinctio eſt de Contradictoriis Suppoſitionibus.

Secunda Diſtinctio eſt diviſa in *ſex Partes,* quæ ſunt hæ: probare, quòd DEUS ſit; probare, quòd ſit Unus, & non plures; probare Trinitatem; probare Creationem; probare Reſurrectionem; probare Glorificationem.

Tertia Diſtinctio eſt de Incarnatione, & ad probandum ipſam deducemus *decem Rationes.*

Quarta Diſtinctio eſt de Angelo, de Cœlo, de Homine, de Imaginativa, de Senſitiva, de Vegetativa, de Elementativa, de Inſtrumentativa, & de iſtis octo Partibus eſt conſtitutus Univerſus Orbis.

Quinta Diſtinctio eſt de Quæſtionibus, quas intendimus facere de DEO, de Incarnatione, de Angelo, de Homine & de Cœlo &c.

DISTINCTIO I.
DE
Contradictoriis Suppoſitionibus.

1. ISta Diſtinctio eſt de *Contradictoriis Suppoſitionibus* ſive de Impoſſibili; & ſuum Subjectum eſt *Magnitudo,* ſuper quam fundatur iſte Liber ſive *Ars Prædicativa Magnitudinis.*

2. Ens autem *bonum, magnum, verum, intelligibile* & *amabile* ſunt uniformiter *quinque termini* hujus Artis; oppoſitum verò horum terminorum eſt *magnum malũ, magnum falſum, ignorabile & odibile.*

3. *Suppoſitio,* quando eſt vera, eſt de genere Bonitatis, & quando eſt bona, eſt de genere Veritatis; ratio hujus eſt, quia bonum & verum conveniunt cum *eſſe.* Et quando Suppoſitio eſt falſa, eſt de genere malitiæ; & quando eſt mala, eſt de genere falſitatis; ratio hujus eſt, quia malitia & falſitas conveniunt cum *non eſſe.*

4. Et ideo intendimus ſyllogizare faciendo Contradictorias Suppoſitiones, & Propoſitiones bonas & veras declaratas reducere ad *Affirmationem,* & oppoſitas ad *Negationem,* & hoc cum magna intelligibilitate & amabilitate, bonitate & veritate uniformiter. Talis Modus autem demonſtrandi eſt Novus, & extra modum & figuram antiquorum Syllogiſmorum.

DISTINCTIO II.
DE
DEO, Uno, Trino, Creatore, Recreatore, Glorificatore.

IN ſecunda Diſtinctione probamus primò, quòd DEUS ſit, faciendo Syllogiſmum, qui habet Novum Modum & Figuram, conſtitutum de quinque terminis, qui ſunt Bonitas, Magnitudo, Veritas, Intellectus & Voluntas, in quibus habet ſuum fundamentum, ſcilicet bonum, magnum, verum, amabile & intelligibile; & ſic de aliis Syllogiſmis hujus Libri, quia omnes habent eundem Modum & Figuram.

PARS I.
Quòd DEUS ſit.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS ſit, & quòd hoc

(c) 2006 Ministerio de Cultura

hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, magnum bonum, magnum verum est, quòd DEUS non sit, & hoc intelligere & amare est magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: de necessitate sequitur, quòd DEUS sit; aliter sequeretur Contradictio, videlicet, quòd DEUS esset & non esset; quæ Contradictio est impossibilis: ergo est demonstratum, quòd DEUS sit.

PARS II.

Quòd sit Unus DEUS, & non plures.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd sit Unus DEUS & non plures, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, sequitur de necessitate, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd sint plures Dii, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile; quia, si essent plures Dii, per infinitam essentiam quilibet terminaret & causaret alium, quod est impossibile: ergo est ostensum, quòd sit Unus DEUS & non plures.

PARS III.

De Divina Trinitate.

ISta m Partem intendimus dividere in *decem Rationes* DEI, cum quibus venabimur Divinam Trinitatem syllogizando, tenendo supradictum Modum; & primò de Divina Unitate.

De Divina Unitate.

1. SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Unitas habeat intrinsecè Naturam uniendi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS non habeat intrinsecè Naturam uniendi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile; & hoc ideo, quia implicat in Divina Unitate vacuitatem, otiositatem & hujusmodi, quod est falsum & impossibile. Natura autem Divinæ Unitatis consistit per Intrinsecum Uniens, Unibile & Unire, quæ vocamus Divinam Trinitatem.

De Divina Bonitate.

2. SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Bonitas habeat intrinsecam Naturam bonificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Bonitas non habeat intrinsecam Naturam bonificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd DEUS intrinsecè habeat Naturam bonificandi per sua correlativa, quæ illi sunt coëssentialia, substantialia & naturalia, scilicet Bonificantem, Bonificatum, Bonificare. Et ista tria vocamus tres Divinas Personas, quas inquirimus.

De Divina Magnitudine.

3. SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS per suam magnitudinem habeat intrinsecam Naturam magnificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, necessariò sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS per suam Magnitudinem non habeat Naturam magnificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile; sed DEUS sinè proprio Magnificativo, Magnificabili, Magnificare non potest habere Naturam magnificandi: ergo concluditur, quòd in Divina Magnitudine sint tria correlativa, sive tria Supposita, quæ vocamus Divinam Trinitatem.

De Divina Æternitate.

4. SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Æternitas habeat intrinsecam Naturam æternandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, necessariò sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Æternitas non habeat Naturam æternandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, ma-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

gnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd in Divina Æternitate ſint tria correlativa, ſcilicet Æternans, Æternatum, Æternare, ſinè quibus Divina Æternitas non poſſet habere Naturam æternandi; illa correlativa autem vocamus Divinas Perſonas.

De Divina Poteſtate.

5. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS habeat intrinſecam Naturam poſſificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS non habeat intrinſecam Naturam poſſificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd DEUS habeat intrinſecam Naturam poſſificandi, quam Naturam non poteſt habere ſinè proprio Poſſificante, & proprio Poſſificato, & proprio Poſſificare; & illa correlativa vocamus Divinam Trinitatem, quam inquirimus.

De Divino Intellectu.

6. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divinus Intellectus habeat intrinſecam Naturam intelligendi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Divinus Intellectus non habeat intrinſecam Naturam intelligendi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd in Divino Intellectu ſint tria connaturalia Correlativa, ſcilicet Intelligens, Intellectum ſive Intelligibile, & Intelligere; ſinè iſtis autem non haberet intrinſecam Naturam intelligendi, quæ vocamus Divina Suppoſita.

De Divina Voluntate.

7. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS per ſuam Voluntatem habeat intrinſecam Naturam volendi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS per ſuam Voluntatem non habeat intrinſecam Naturam volendi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS per ſuam Voluntatem naturaliter habeat tria correlativa, ſcilicet Volens, Volitum & Velle, ſinè quibus non poſſet habere intrinſecam Naturam volendi; & iſta tria vocamus Divinas Perſonas.

De Divina Virtute.

8. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Virtus habeat intrinſecam Naturam virtuificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Divina Virtus non habeat intrinſecam Naturam virtuificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd in Divina Virtute ſint tria correlativa, ſinè quibus Divina Virtus non poſſet habere intrinſecam Naturam virtuificandi, quæ tria connaturalia correlativa, videlicet Virtuificans, Virtuificatum ſive Virtuificabile, & Virtuificare ſunt Divina Trinitas, quam inquirimus.

De Divina Veritate.

9. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS habeat intrinſecam Naturam verificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS non habeat intrinſecam Naturam verificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd DEUS per ſuam Veritatem habeat tria connaturalia correlativa, ſcilicet naturalem Verificantem, Verificatum, Verificare, quæ vocamus Divinam Trinitatem.

De Divina Gloria.

10. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Gloria habeat intrinſecam Naturam gloriandi, & quòd

(c) 2006 Ministerio de Cultura

quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS non habeat intrinſecam Naturam gloriandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd Divina Gloria habeat in ſe tria correlativa, ſinè quibus non poſſet habere Naturam gloriandi intrinſecè, ſcilicet, Glorians, Gloriatum, Gloriari, quæ tria vocamus Divinam Trinitatem.

Venati ſumus Divinam Trinitatem, & cum ſua Gratia & Adjutorio invénimus ipſam, tenendo modum artificiatum; ſi autem aliquis velit improbare id, quod probavimus, ex hoc neceſſariò oportet, quòd teneat, quòd primæ Poſitiones ſint falſæ, & ſecundariæ ſint veræ, & ſic implicabit, quòd ſit contradictio, quod eſt falſum & impoſſibile; cùm illud ſit poſſibile, hoc autem facere ſit impoſſibile, & contra intelligibile & amabile.

PARS IV.
De Creatione.

PRobationem Creationis Mundi intendimus facere cum Divina Poteſtate, Intellectu & Voluntate, quæ ſunt idem per Eſſentiam, Subſtantiam & Naturam; ex quo ſequitur, quòd, ſi DEUS poteſt creare Mundum cum ſua Poteſtate, Divinus Intellectus intelligat, & Voluntas diligat Mundum creare, poſito, quòd ſit magnum bonum, magnum verum creare Mundum de nihilo; & ideo arguo ſic:

Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS poſſit creare Mundum de nihilo, & quòd ſit à DEO intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS non poſſit creare Mundum de nihilo, & quòd hoc ſit à DEO intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd Mundus ſit creatus & deductus de non eſſe in eſſe.

PARS V.
De Reſurrectione.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS poſſit reſuſcitare eundem hominem in numero ſive omnes homines, & quòd hoc ſit à DEO intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS non poſſit reſuſcitare homines in eodem numero, & quòd hoc à DEO ſit intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd erit generalis Reſurrectio hominum, ut videatur magnum poſſe, & magnum intelligere & amare DEI, & etiam magnum bonum, magnum verum eſſe Judicium DEI, cùm homo ſit Judicandus totus, faciens bonum aut malum.

PARS VI.
De Glorificatione.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS poſſit dare æternam Gloriam juſtis & bonis hominibus, & quòd hoc ſit à DEO intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS non poſſit dare ſempiternam Gloriam bonis & juſtis hominibus; & quòd hoc ſit à DEO intelligibile & amabile, & à nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS dabit ſempiternam Gloriam Beatis.

Demonſtravimus prædictos Articulos Fidei, tenendo Novum Modum demonſtrandi; & ſicut fecimus Demonſtrationes per prædictos Syllogiſmos, ſic poſſunt fieri plures Demonſtrationes per Divinam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Virtutem, Veritatem & Gloriam; quia ſic convertuntur per Divinam Eſſentiam, Subſtantiam & Naturam, ſicut Divina Poteſtas, Intellectus & Voluntas convertuntur.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DISTINCTIO III.
De Incarnatione.

ISta Diſtinctio eſt diviſa in *decem Partes*, hoc eſt, in *decem Syllogiſmos* deductos per Divinam Unitatem, Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem, Intellectum, Voluntatem, Virtutem, Veritatem & Gloriam, conſiderando Cauſam cauſaliſſimam, & Effectum effectiſſimatum quoad Unitatem uniſſimam, quoad Bonitatem optimam, quoad Magnitudinem maximam &c. Et primò probabimus Divinam Incarnationem per Unitatem uniſſimam.

De Unitate Uniſſima.

1. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS per ſuam Unitatem ſit Cauſa uniſſima habens Effectum uniſſimatum, ſcilicet unum Chriſtum DEUM Hominem, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS per ſuam Unitatem non ſit Cauſa uniſſima, & quòd perdat effectum uniſſimatum relatum ad Cauſam uniſſimam, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS ſit incarnatus.

De Bonitate Optima.

2. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Bonitas ſit Cauſa optima habens Effectum optimatum, ſcilicet Chriſtum DEUM Hominem, cùm Cauſa & Effectus relativè ſe habeant, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Bonitas non ſit Cauſa optima, & quòd perdatur Effectus optimatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd DEUS ſit incarnatus.

De Magnitudine Maxima.

3. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS per ſuam Magnitudinem ſit Cauſa maxima habens Effectum maximatum, ſinè quo non poſſet eſſe Cauſa maxima, cùm Cauſa & Effectus relativè ſe habeant, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS per ſuam Magnitudinem non ſit Cauſa maxima, & quòd perdatur Effectus maximatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt probatum, quod DEUS ſit incarnatus.

De Æternitate Æternaliſſima.

4. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Æternitas ſit Cauſa æternaliſſima habens Effectum æternaliſſimatum, hoc eſt, quòd ſit Homo factus de humana Natura in Divina æterna Perſona & cum ipſa conjunctus, radicatus & ſuſtentatus, ſcilicet Chriſtus DEUS Homo, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Æternitas non ſit Cauſa æternaliſſima, & quòd perdatur Effectus æternaliſſimatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS ſit incarnatus.

De Poteſtate Potentiſſima.

5. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS per ſuam Poteſtatem ſit Cauſa potentiſſima habens Effectum potentiſſimatum, ſcilicet Chriſtum DEUM Hominem, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS per ſuam

(c) 2006 Ministerio de Cultura

am Poteſtatem non ſit Cauſa potentiſſima, & quòd perdatur Effectus potentiſſimatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile, neceſſariò ſequitur, quòd DEUS ſit incarnatus; non autem dico ſupremam neceſſitatem, ſicut eſt Neceſſitas Divinæ Trinitatis, quia illa eſt naturalis; ſed dico ſubalternatam neceſſitatem, & quia eſt de bene eſſe.

De Intellectu Intellectiſſimo.

6. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divinus Intellectus ſit Cauſa intellectiſſima habens Effectum intellectiſſimatum, ſcilicet Chriſtum DEUM Hominem, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divinus Intellectus non ſit Cauſa cauſaliſſima, & quòd perdatur Effectus intellectiſſimatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt probatum, quòd DEUS ſit incarnatus.

De Voluntate voliſſima.

7. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS ſit Cauſa amantiſſima habens Effectum amantiſſimatum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS non ſit Cauſa amantiſſima, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, & quòd perdatur Effectus voliſſimatus, ſcilicet Chriſtus DEUS homo; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS ſit incarnatus.

De Virtute virtuoſiſſima.

8. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Virtus ſit Cauſa virtuoſiſſima, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Divina Virtus non ſit Cauſa virtuoſiſſima, & quòd perdatur Effectus virtuoſiſſimatus, ſcilicet Chriſtus DEUS Homo, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd DEUS ſit incarnatus.

De Veritate Veriſſima.

9. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS ſit Cauſa veriſſima habens Effectum veriſſimatum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEUS non ſit Cauſa veriſſima, & quòd perdatur Effectus veriſſimatus, ſcilicet Chriſtus DEUS Homo, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS aſſumpſerit humanam Naturam.

De Gloria Glorioſiſſima.

10. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Gloria ſit Cauſa glorioſiſſima, & quòd illi reſpondeat Effectus glorioſiſſimatus, ſcilicet Chriſtus DEUS Homo; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Gloria glorioſiſſima non ſit Cauſa glorioſiſſima, & quòd perdatur Effectus glorioſiſſimatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd DEUS ſit incarnatus.

Demonſtravimus Divinam Incarnationem per Novum Modum demonſtrandi; & ſi aliquis vult improbare id, quod diximus, neceſſariò ſequitur, quòd ſuæ improbationes ſint de genere ſecundarum Suppoſitionum, & per conſequens, quòd ſint falſæ, quia de neceſſitate ſequitur, quòd ſecundæ Suppoſitiones ſint falſæ. Talis Modus demonſtrandi eſt compendioſus, facilis & valde remotus à falſis opinionibus.

DISTINC-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DISTINCTIO IV.
DE
Octo Partibus Univerſi.

ISta Diſtinctio dividitur in *octo Partes*, quæ ſunt Angelus, Cœlum, Homo, Imaginatio, Senſus, Vegetatio, Elementatio, Inſtrumentatio; de iſtis intendimus facere Syllogiſmos tenendo Novum Modum demonſtrandi, ut demus facilem veram & compendioſam Doctrinam ad cognoſcendum ea, quæ poſſunt prædicari de prædictis; & primò de Angelo.

PARS I.
De Angelo.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Angeli ſint, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd non ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Angeli ſint, & quòd ſit magnum bonum, magnum verum intelligere & amare, quòd ipſi non ſint, & quòd perdatur nobilior effectus, excepto Chriſto; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile, eſt demonſtratum, quòd Angeli ſint.

PARS II.
De Cœlo.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS moveat Cœlum ad per ſe movendum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd perdatur major participatio, quæ eſt inter DEUM & Cœlum, & inter Cœlum & inter ejus inferiores effectus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS moveat Cœlum ad per ſe movendum.

PARS III.
De Homine.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd humanus Intellectus poſſit facere veriorem, clariorem & nobiliorem ſcientiam cum Dignitatibus DEI, quàm cum Senſu & Imaginatione; & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe hoc, per quod Divinæ Rationes minùs ſunt Cauſæ humani Intellectûs, & quòd perdatur verior, clarior & nobilior ſcientia, & quòd intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd humanus Intellectus poſſit facere veriorem, clariorem & nobiliorem ſcientiam cum Dignitatibus DEI, quàm cum Senſu & Imaginatione.

PARS IV.
De Imaginatione.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Imaginativa Potentia ſit radicata in Senſitiva Potentia, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum hoc, per quod Imaginatio minùs poteſt extrahere ſpecies ſive phantaſias à Senſu, & quòd perdatur hoc, per quod intellectus magìs poteſt participare cum Senſitiva per Imaginativam in faciendo ſcientiam, & quòd hanc perditionem intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſſibile.

PARS V.
De Senſitiva.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Senſus ſit agens, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd perdatur hoc, per quod Senſus haberet majorem naturam ſentiendi,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

tiendi,bonificandi & magnificandi,& quòd hoc intelligere & amare esset magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd detur Sensus agens.

PARS VI.

De Vegetativa.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Vegetativa Potentia sit radicata in Elementativa Potentia, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse hoc, per quod minùs esset de genere substantiæ & de genere quantitatis,qualitatis & aliorum prædicamentorum, & quòd perditio istorum esset magnum bonum, magnum verum esse, & quòd hoc intelligere & amare esset magnum bonum, magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo est demonstratum,quòd Vegetativa sit radicata in Elementativa.

PARS VII

De Elementativa.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Elementativa sit per essentiam, substantiam & naturam in elementatis, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur,quòd sit magnum bonum, magnum verum esse hoc,per quod Elementa & elementata minùs participant per essentiam, substantiam & naturam, & quòd perdatur major participatio,& quòd intelligere & amare hanc perditionem sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum,quòd elementa per essentiam, substantiam & naturam sint in elementatis.

PARS VIII.

De Instrumentativa.

INstrumentativa Potentia est Ars, cum qua homo agit artificialiter vel moraliter, sicut Artes liberales & mechanicæ, & etiam Virtutes & Vitia; & quia volumus evitare prolixitatem, intendimus dare exemplum super Virtutes & Vitia duobus modis; & sicut exemplificabimus de istis, potest intelligi de aliis.

De Virtutibus.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse hoc, per quod DEUS sit Causa efficiens & finalis omnium Virtutum, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur,quòd sit magnum bonum,magnum verum esse hoc, per quod homo magìs distat à Divina Gratia, & quòd perdatur hoc,per quod DEUS est magìs gratiosus, & quòd intelligere & amare hanc perditionem sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd DEUS sit Causa efficiens & finalis omnium Virtutum, scilicet Justitiæ, Prudentiæ &c.

De Vitiis vel Peccatis.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse hoc, per quod DEUS magìs distat à Vitiis & peccatis, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum hoc, per quod DEUS sit magìs circa Vitia & peccata,& quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd DEUS habeat infinitam distantiam à Vitiis & peccatis.

Demonstratum est, per quem modum homo potest arguere & solvere de octo Prædictis generibus, ex quibus Universum est constitutum; & talis doctrina est valde utilis, facilis & compendiosa & remota à falsis opinionibus.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

DISTINCTIO V.
DE
Quæſtionibus.

ISta Diſtinctio dividitur in Quæſtiones, quas intendimus facere de DEO, de Incarnatione, de Angelo & Cœlo & Homine &c., & intendimus ipſas ſolvere ſyllogizando ſecundùm prædictum Modum; & ſecundùm quòd ſolvemus Quæſtiones hujus Libri, poterunt ſolvi aliæ peregrinæ Quæſtiones.

PARS I.
Quæſtiones de DEO.

1. *Quæſtio.* Quare DEUS eſt in Tribus Perſonis, & non in pluribus nec in paucioribus?

Reſpondeo & dico ſyllogizando. Suppono, quòd hoc ſit majus bonum, majus verum eſſe, per quod numerus Divinarum Perſonarum habet majorem convenientiam cum correlativis oſtenſis in *ſecunda Diſtinctione*, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd perdatur hoc, per quod Divinæ Perſonæ haberent majorem convenientiam cum correlativis ſecundæ Diſtinctionis, & quòd hoc intelligere & amare eſſet magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd Numerus Perſonarum conſiſtat in Tribus Perſonis, & non in pluribus, nec in paucioribus.

2. *Quæſtio.* Quare in Divina Trinitate una Perſona vocatur Pater, alia Filius, alia Sanctus Spiritus?

Reſpondeo ſyllogizando. Suppono, quòd ſit magìs magnum bonum, magìs magnum verum eſſe hoc, per quod Nomina Divinarum Perſonarum habent majorem convenientiam cum correlativis Divinarum Perſonarum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd perdatur major convenientia, quæ poteſt eſſe inter Nomina Divinarum Perſonarum & correlativorum Divinarum Rationum, & quòd hanc perditionem intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd Nomina Divinarum Perſonarum ſint relata à correlativis Divinarum Dignitatum.

3. *Quæſtio.* Utrùm magìs conveniat affirmare de DEO hoc, quod ipſe eſt, quàm negare hoc, quod ipſe non eſt?

Reſpondeo & dico, quòd ſic, & quòd hoc ſit verum, arguo ſic. Suppono, quòd ſit magìs magnum bonum, magìs magnum verum eſſe facere de DEO ſcientiam per hoc, quod ipſe eſt, quàm per hoc, quod ipſe non eſt, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magìs magnum bonum, magìs magnum verum dicere, quòd DEUS ſit hoc, quod eſt, per hoc, quia non eſt lapis vel aſinus &c., quàm per hoc, quia eſt Unitas uniſſima, Bonitas optima &c., & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd magìs conveniat affirmare de DEO hoc, quod ipſe eſt, quàm negare hoc, quod ipſe non eſt.

4. *Quæſtio.* Utrùm DEUS poſſit definiri?

Reſpondeo & dico, quòd ſic, & hoc probo ſyllogizando. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe hoc, per quod DEUS eſt à nobis cognoſcibilis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd iſta prædicatio ſit falſa: DEUS eſt Unitas uniſſima, DEUS eſt Bonitas optima &c., & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEUS poſſit definiri ſecundùm prædictum Modum, non autem per cauſas, quas habeat ſuprà ſe.

Quæſtio.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

5. *Quæstio.* Utrùm DEUS sit infinitus, & sic de suis Rationibus?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS sit infinitus, & sic de suis Rationibus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS non sit infinitus, & sic de suis Rationibus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd DEUS sit infinitus, & sic de suis Rationibus.

6. *Quæstio.* Utrùm in Divina Essentia sit una Bonitas, & non plures, una Magnitudo, & non plures?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd in Divina Essentia Uniens, Optimans, Maximans &c. sint Una Persona, scilicet DEUS Pater, & quòd Unissimatus, Optimatus, Maximatus &c. sint alia Persona, scilicet DEUS Filius, & quòd Unissimare, Optimare, maximare &c. sint alia Persona, scilicet Sanctus Spiritus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd in Divina Essentia essent plures unitates, bonitates, magnitudines &c., & quòd una limitaret aliam, & quòd perderetur Infinitas unius Unitatis, unius Bonitatis Optimitatis, unius Magnitudinis Maximitatis &c., & quòd hoc intelligere & amare esset magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est impossibile: ergo est demonstratum, quòd in Divina Essentia non sit, nisi una Unitas, una Bonitas, una Magnitudo &c.

7. *Quæstio.* Utrùm Divina Potestas habeat tantum per se ipsam infinitam possificationem, quantum habet per Æternitatem æternam existentiam?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magis magnum bonum, magis magnum verum esse hoc, per quod Divina Æternitas & Divina Potestas una possit prædicari de alia, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd perdatur hoc, per quod de Divina Æternitate & Potestate potest fieri major prædicatio, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum; magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Divina Potestas habeat tantum per se ipsam infinitam Possificationem, quantum per Æternitatem æternam existentiam.

8. *Quæstio.* Utrùm DEUS habeat naturam subjectivè & objective?

Respondeo, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Trinitas sit, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd perdatur, quòd in Divina Unitate sint correlativa, & sic de Divina Bonitate &c., ût dictum est in *secunda Distinctione*, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd DEUS habeat Naturam subjectivè & objectivè, subjectivè, quia DEUS Pater, qui est Divina Natura, de sua Natura producit DEUM Filium naturaliter à Patre objectatum, & Pater & Filius de eadem Natura, quam habent, producunt Sanctum Spiritum objectatum ab utroque.

9. *Quæstio.* Utrùm DEUS possit tantum de se ipso, quantus ipse est?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS possit tantum de se ipso, quantus ipse est, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS non possit tantum de se ipso, quantus ipse est, & quòd perdatur infinitum posse sive producere, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est probatum, quòd DEUS possit tantum de se ipso, quantus ipse est, scilicet DEUS Pater, qui potest de se ipso producere DEUM Filium, & ipsi simul de se ipsis possunt producere DEUM Sanctum Spiritum, & omnes tres possunt esse Unus DEUS.

10. *Quæstio.* Utrùm DEUS plus possit perficere de perfecto, quàm de imperfecto?

Respondeo & dico, quòd sic, & hoc pro-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS plus poſſit perficere de perfecto, quàm de imperfecto,& quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur,quòd ſit magnum bonum,magnum verum eſſe,quòd DEUS de ente,quod ſimpliciter non eſt perfectum, poſſit plus perficere,quàm de ente,quod ſimpliciter eſt perfectum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum,magnum verum eſſe;& quia hoc eſt impoſſibile: ergo eſt demonſtratum,quòd DEUS plus poſſit perficere de ente perfecto, quàm de ente imperfecto.

Fecimus decem Quæſtiones de DEO, & ſicut fecimus iſtas, poſſunt fieri plures, & per eundem Modum poſſunt ſolvi, & ſi aliquis vult improbare id, quod diximus, convenit, quòd teneat terminos oppoſitos contra primas Suppoſitiones, & quòd conveniant cum ſecundariis.

De Creatione Mundi.

Quæſtio. Quare DEUS non priùs creavit Mundum, quàm ipſum creavit?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono,quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòdDEUS creaveritMundum in illo *tunc*, in quo primum tempus fuit creatum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS creaverit Mundum extra creatum tempus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd DEUS creaverit Mundum in illo *tunc*, cui nullum tempus erat præjacens.

De Reſurrectione.

Quæſtio. Utrùm major impoſſibilitas poſſit impedire majorem poſſibilitatem Unitatis, Bonitatis &c. Reſurrectionis hominum?

Reſpondeo & dico, quòd non, & quòd hoc ſit verum, arguo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe hoc, per quod nulla impoſſibilitas poteſt impedire majorem poſſibilitatem unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. Reſurrectionis hominis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd major impoſſibilitas poſſit impedire majorem poſſibilitatem unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. Reſurrectionis hominum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum, & quòd perdatur major poſſibilitas unitatis,bonitatis,magnitudinis &c., & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd major impoſſibilitas non poſſit impedire majorem poſſibilitatem unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. Reſurrectionis hominum.

De Glorificatione.

Quæſtio. Utrùm Glorificatio Beatorum ſit æqualiter per Intellectum & Voluntatem hominis?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe illud, per quod Divinus Intellectus & Divina Voluntas ſunt magìs Cauſa efficiens & finalis Beatitudinis Beatorum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divinus Intellectus & Divina Voluntas inæqualiter ſint Cauſæ efficientes & finales Beatitudinis Beatorum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd Beati æqualiter habeant Gloriam per intelligere & amare.

PARS II.

Quæſtiones de Incarnatione.

1. *Quæſtio.* Utrùm DEUS ſit incarnatus de neceſſitate?

Reſpondeo & dico, quòd non ſecundùm Supremam Neceſſitatem, ſed ſecundùm ſubalternatam neceſſitatem;& vade ad Caput *de Poteſtate in tertia Diſtinctione.*

2. *Quæſtio.* Quare DEUS non aſſumpſit Angelicam Naturam?

Reſpondeo ſic ſyllogizando. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS aſſumpſerit illam Naturam, cum qua DEUS poſſet magìs partici-

pare

(c) 2006 Ministerio de Cultura

pare naturaliter cum toto Universo,& quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse,quòd DEUS assumpserit illam naturam, cum qua minus participat cum Universo, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo est data ratio, quare DEUS assumpserit Humanam Naturam,& non Angelicam,quia per Humanam Naturam,in quantum factus est Homo,participat cum tota spirituali & corporali Natura in genere; &, si assumpsisset Angelicam Naturam, non participaret, nisi cum spirituali natura tantùm.

3. *Quæstio.* Quare DEUS non assumpsit plures humanitates?

Respondeo sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd sufficiat una Humana Natura exaltata, radicata & conjuncta in uno infinito Supposito ad exaltationem & ordinationem totius Universi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd unum Divinum Suppositum non habeat sufficientiam ad exaltationem & ordinationem totius Universi cum una HumanaNatura sibi conjuncta,& quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo est data responsio, quare DEUS non assumpserit, nisi unam Humanam Naturam.

4. *Quæstio.* Quare DEUS non priùs assumpserit Carnem, quàm assumpsit?

Respondeo & dico sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòdDEUS assumpseritCarnem in illo tempore, in quo potuit, intellexit & voluit, & hoc bene magnè &c; & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur,quòd sit magnum bonum, magnum verum esse; quòd perdatur illud prædictum tempus, & quòd intelligere & amare hanc perditionem sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quare DEUS assumpserit Carnem in illo tempore, in quo potuit, intellexit & voluit.

5. *Quæstio.* Utrùm DEUS jam sit incarnatus?

Respondeo & dico sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS jam sit incarnatus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &,si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS non sit incarnatus, & quòd non assumpserit Carnem, & non habebit Populum, quia Christiani non credent in eum, quia credent, quòd jam fuerit incarnatus, nec Judæi nec Saraceni credent hoc, & quòd intelligere & amare perditionem Populi sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Christus jam sit incarnatus.

6. *Quæstio.* Quare Christus fuit pauper, passus & mortuus, cùm sit DEUS Homo?

Respondeo & dico sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd, sicut Divina Natura se humiliavit in assumendo Humanam Naturam, ut exaltaret ipsam, sic conveniat,quòd Humana Natura sit humiliata ad paupertatem & mortem ad honorandum Divinam Naturam, & quòd redimeret Humanum Genus, quod Divina Natura amiserat, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera,de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Humana Natura & Divina Natura non haberent ad invicem convenientiam, & quòd intelligere & amare hanc inconvenientiam esset magnum bonum,magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur ratio, quare Christus DEUS & Homo fuerit pauper,passus & mortuus,&etiam, quare Divina Natura fuerit humiliata ad paupertatem, passionem & mortem in Humana Natura.

7. *Quæstio.* Per quem modum Christus habet tres Naturas differentes per essentiam, scilicet Divinam Naturam, Naturam rationalis Animæ & corpoream Naturam?

Respondeo & dico sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Persona assumpserit in se ipsa Naturam Animæ & Naturam Corporis, & quòd in se ipsa det eis esse uniendi in suámet Unitate & Natura, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum

(c) 2006 Ministerio de Cultura

bonum, magnum verum eſſe perdere prædictum modum uniendi, & quòd intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, per quem modum Chriſtus ſit una Perſona per tres differentes Eſſentias.

8. *Quæſtio.* Utrùm Chriſtus ût Homo in uno tempore per Sacramentum Altaris poſſit eſſe in pluribus locis?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS, qui ubique eſt Homo, poſſit facere per Sacramentum Altaris, quòd Chriſtus in eodem tempore poſſit eſſe in pluribus locis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe perdere majorem participationem, quam DEUS poteſt habere in pluribus ~~hominibus~~ locis per præſentiam JESU Chriſti, & quòd intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt demonſtratum, quòd Chriſtus ût Homo per Sacramentum Altaris poſſit eſſe in pluribus locis in eodem tempore; & hoc jam declaravimus in *aliis Libris*, quos fecimus, aſſignando cauſam, quòd DEUS ſit ubique Homo per hoc, quia eſt ubique infinitus, & Filius DEI totus fuit incarnatus.

9. *Quæſtio.* Utrùm Chriſtus DEUS viluerit & deterioraverit ſe in aſſumendo Humanam Naturam?

Reſpondeo & dico, quòd non, & hoc oſtendo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS aſſumpſerit Humanam Naturam cum actibus Divinarum Dignitatum, ſcilicet cum Divina Unitate, Bonitate, Magnitudine &c.; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd non aſſumpſerit Humanam Naturam cum actibus Divinarum Dignitatum, & quòd viluerit & deterioraverit ſe, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſũ & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd DEUS non viluerit nec deterioraverit ſe in aſſumendo Humanam Naturam.

10. *Quæſtio.* Utrùm Mundus ſinè Incarnatione fuiſſet creatus propter majorem Finem?

Reſpondeo & dico, quòd non, & hoc oſtendo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Mundus non ſit creatus propter majorem Finem ſinè Incarnatione, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Mundus non ſit creatus propter majorem Finem, ſed propter minorem, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſſibile, cùm Mundus non poſſit pati, quòd ſit creatus propter majorem Finem ſinè Incarnatione: ergo eſt oſtenſum, quòd Mundus ſit creatus propter majorem Finem ideo, quia DEUS eſt incarnatus.

Diximus de decem Quæſtionibus Incarnationis DEI; &, ſi aliquis vult improbare noſtra dicta, ſuæ improbationes erunt de genere ſecundarum Suppoſitionum, quæ non poſſunt ſtare, quia non ſunt de genere intelligibilitatis & amabilitatis, noſtræ autem ſunt de genere intelligibilitatis & amabilitatis.

PARS III.

Quæſtiones de octo Partibus Univerſi.

1. *Quæſtio.* Utrùm Angelus ſit realiter vel intentionaliter in loco?

Reſpondeo & dico, quòd Angelus non ſit realiter in loco ideo, quia non occupat locum, ſed intentionaliter eſt in loco, quia intelligit, quòd ſit in uno loco, & non in alio loco, & quòd hoc ſit verum, arguo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Angelus realiter non ſit in loco, quia non occupat locum, ſed eſt intentionaliter in loco, quia intelligit, quòd ſit in uno loco, & non in alio loco, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd occupet locum, & quòd ſit corpus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd Angelus non ſit realiter in loco, occupando locum, ſed ſit in loco, quia intelligit, quòd ſit in uno loco, & non in alio.

2. *Quæſtio.* Utrùm Cœlũ habeat materiam?

Reſpon-

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Respondeo & dico, quòd sic, & quòd hoc sit verum, arguo sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd omne mobile subjectum sit corpus compositum ex forma & materia, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd motus Cœli non sit in mobili subjecto, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Cœlum habeat materiam.

3. *Quæstio.* Utrùm sit unus Intellectus in omnibus hominibus, vel plures?

Respondeo & dico, quòd sint plures, & non unus, & hoc ostendo sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd sint plures intellectus in omnibus hominibus, & non unus tantùm, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEUS non sit justus, nec bonus, magnus&c. in omnibus hominibus, & quòd perdatur alia Beata Vita, & quòd hanc perditionem intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd sint plures intellectus in omnibus hominibus, & non unus tantùm.

4. *Quæstio.* Utrùm humanus Intellectus faciat scientiam de Angelo per Imaginationem?

Respondeo & dico, quòd non, & hoc ostendo sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd humanus Intellectus non faciat scientiam de Angelo per Imaginationem, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Intellectus faciat scientiam de Angelo per Imaginationem, & quòd Angelus sit imaginabile corpus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est ostensum, quòd Intellectus non faciat scientiam de Angelo per Imaginationem.

5. *Quæstio.* Utrùm humana Voluntas diligat DEUM per Sensum?

Respondeo & dico, quòd non, & hoc demonstro sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd humana Voluntas non diligat DEUM per sensum, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd DEUS sit sensibile corpus, non Spiritus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd humana Voluntas non diligat DEUM per Sensum.

6. *Quæstio.* Utrùm Vegetativa Potentia sit magìs mobilis in homine, quàm in bruto.

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Vegetativa Potentia sit magìs mobilis in homine, quàm in bruto, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd anima hominis non sit magìs forma corporis, quàm Vegetativa corporis bruti, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd Vegetativa sit magìs mobilis in homine, quàm in bruto.

7. *Quæstio.* Utrùm ignis habeat majorem vigorem per caliditatem, quàm per luciditatem?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd ignis habeat majorem vigorem per caliditatem, quàm per luciditatem, cùm caliditas sit ejus propria passio, luciditas autem non, quia Sol est lucidus, etiam Saturnus, Jupiter &c., & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd ignis sit æqualiter vigorosus per qualitatem propriam & appropriatam; quod est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd ignis sit magìs vigorosus per suam caliditatem, quàm per suam luciditatem.

8. *Quæstio.* Utrùm Fides sit ita perfectus Habitus Intellectûs hominis, sicut Charitas Voluntatis hominis?

Dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Fides sit ita perfectus Habitus Intellectûs hominis, sicut Charitas Voluntatis hominis,

(c) 2006 Ministerio de Cultura

minis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Fides ſit habitus defectivus & impotens humano Intellectui, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile, etiam, quia Intellectus & Voluntas ſunt æquales potentiæ, ût probatum eſt in *ſecunda Diſtinctione* in Capite *de Glorificatione* Beatorum.

9. *Quæſtio.* Utrùm Avaritia ſit majus peccatum, quàm Luxuria?

Dico, quòd ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Avaritia ſit majus peccatum, quàm Luxuria; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Luxuria ſit majus peccatum contra DEUM, qui non eſt caſtus, quàm Avaritia, quæ eſt contra DEUM, qui eſt largus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quòd Avaritia ſit majus peccatum, quàm Luxuria.

10. *Quæſtio.* Utrùm Alchymia ſit Scientia?

Dico, quòd non, & hoc probo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Alchymia non ſit ſcientia, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd Alchymiſta habeat *ita magnum vigorem bonum & verum artificialiter, ſicut agens naturale naturaliter*, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſſibile: ergo concluditur, quòd Alchymia non ſit Scientia, ſed ſit figmentum.

Fecimus Quæſtiones de octo Partibus Univerſi, & ſolvimus ipſas *artificialiter*, dico autem artificialiter, quia ſyllogizando ſolvimus illas, & ita verè, quòd oppoſitum non eſt intelligibile nec amabile.

Si in aliquo erravi in iſto Libro contra Sanctam Catholicam Fidem, ſubmitto iſtum Librum Correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quia ſum verus Catholicus.

Præterea ſupplico Excellentiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Friderico Magnifico, Diſcreto, Liberali pariter & Fideli DEI Gratiâ Regi Siciliæ, & etiam Diſcreto Domino & Provido & Maturo, virtutibus inſignito Domino Arnaldo de Rexa DEI Gratia Archi-Epiſcopo Montis Regalis, quòd ſua Authoritate promoveant iſtum Librum, & illum publicent in tantum, quòd Judæi coacti intelligant iſtum Librum, & reſpondeant ad Rationes ſupradictorum Argumentorum.

Ad Laudem & Honorem DEI finivit RAYMUNDUS iſtum Librum Menſe Septembri in Civitate Majoricenſi, Anno MCCCXII. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

Corrigenda in Tomo IV.

In Lib. exponente Element. Figuram.

Pag. 2. col. 2. num. 3. lin. 4. illud ſuppoſitum *lege* in illo ſuppoſito

In Quæſtionibus per Art. Demonſtr. Solubil.

Pag. 3. col. 2. num. 8. lin. 8. parvitatem *lege* Magnitudinem
pag. 8. col. 2. num. 4. lin. 6. per aliquid *lege* ab aliquo
pag. 9. col. 2. num. 3. lin. 8. volens *lege* nolens
pag. 10. col. 2. num. 1. lin. 8. Voluntas *lege* Magnitudo
lin. 18. ſint *lege* non ſint
pag. 11. col. 2. lin. 5. odiret *lege* vellet
num. 9. lin. 6. Magnitudine *lege* Parvitate
pag. 12. col. 1. num. 2. lin. 6. infinitâ *lege* infinita
num. 3. lin. 3. Poteſtate *lege* Poteſtas
pag. 14. col. 2. num. 1. lin. 17. & 18. quantum ipſe eſt *lege* quantus eſt ipſe
pag. 26. col. 1. num. 1. lin. 36. Filii, *adde* & ſimiliter Filio
pag. 27. col. 1. num. 5. lin. 6. Medii *lege* Principii
pag. 27. col. 2. num. 6. lin. pen. qui *lege* quæ
pag. 29. col. 1. num. 3. lin. 10. Spirativum *lege* Spiratum
pag. 31. col. 1. num. 2. lin. 3. viſivus *lege* viſus
pag. 35. col. 2. num. 4. lin. 10. ſubſtantiæ *adde* ratione formæ
pag. 40. col. 2. num. 5. lin. 16. quantam *lege* quanta
Agentia *lege* Exiſtentia
pag. 41. col. 2. num. 9. lin. 4. diſtinguente *lege* diſtinguentibus
pag. 42. col. 2. num. 6. lin. 8. Eſſentâ *lege* Eſſentiâ
pag. 48. col. 2. num. 1. lin. 7. Trinitas *adde* in Unitate
pag. 68. col. 1. num. 4. lin. 11. effectum *lege* effectu
pag. 71. col. 1. num. 1. lin. 8. recolere *adde* intelligere
col. 2. num. 3. lin. 10. ſe *deleatur*
pag. 76. col. 2. num. 2. lin. 4. diſtinguet *adde* ſe
pag. 79. col. 1. num. 4. lin. 3. producit *adde* creaturas
lin. de ſe, *adde* ſed extra ſe,
pag. 81. col. 2. num. 2. lin. 3. ût Magnitudo *lege* in Magnitudine
ût Duratio *lege* in Duratione
pag. 91. col. 1. num. 3. lin. 11. fuerat *lege* ferveat
pag. 100. col. 1. num. 4. lin. 9. corpore *lege* re
pag. 103. col. 2. num. 4. lin. 3. quas habet ab Intellectiva *lege* quas habet, Intellectivæ,
pag. 130. col. 1. lin. 6. & *lege* nec
pag. 130. col. 2. num. 1. lin. 16. elementorum *lege* elementatorum
pag. 131. col. 2. ~~num. 2~~. lin. 4. ipſa *lege* in ipſa
pag. 137. col. 2. lin. 1. illa *lege* in illa
pag. 138. col. 1. lin. ult. ſit *lege* ſint
pag. 143. col. 2. num. 4. lin. 9. 10. Allium igitur *lege* Ignis igitur
pag. 145. col. 2. num. 1. lin. 23. bonificabilis *adde* eſt forma
pag. 146. col. 1. num. 3. lin. 4. levitas *lege* levis
pag. 153. col. 2. lin. 10. ponderoſior *lege* ponderoſius
pag. 167. col. 2. lin. 36. & 37. imaginabilis *lege* imaginalis
pag. 168. col. 1. lin. 9. & 10. imaginabilis *lege* imaginalis
pag. 170. col. 1. lin. 2. particularia *lege* particulares
pag. 173. col. 1. num. 1. lin. 13. excenderet *lege* excederet
pag. 198. col. 1. num. 3. lin. 5. aliqua *lege* ulla

In Diſputat. Eremitæ & Raymundi ſuper Librum Sententiarum.

Pag. 12. col. 2. num. 1. lin. 5. de quo *lege* de qua
pag. 16. col. 2. lin. 1. quia *lege* qui
pag. 47. col. 1. num. 3. lin. 16. ipſius *adde* Motûs
pag. 54. col. 2. lin. 9. different *lege* differrent
pag. 72. col. 1. num. 4. lin. 2. vegetativæ *lege* vegetativa
pag. 88. col. 2. num. 3. lin. 11. poſſunt *lege* non poſſunt
pag. 94. col. 1. num. 1. lin. 3. requirit *adde* unam
pag. 102. col. 1. num. 2. lin. 13. alia eſt *lege* & eſt
pag. 115. col. 2. lin. 6. eſſet *adde* una
pag. 116. col. 1. num. 5. lin. 5. delectationem *lege* actionem
pag. 117. col. 2. num. 3. lin. 6. mutavit *lege* mutabit

Reliqua corrigenda vide in calce hujus Tractatûs.

In Lib. ſuper Pſalmum: Quicunque.

Pag. 3. col. 2. num. 6. lin. 2. majorem *lege* magìs
pag. 7. col. 2. num. 9. lin. 3. intelligendo *adde* & amando
pag. 10. col. 1. num. 3. lin. 9. producendum *lege* procedendum
pag. 11. col. 2. num. 1. lin. 4. intellectus *lege* intellectum
pag. 15. col. 1. num. 3. lin. 38. Spiritualis *lege* Spirabilis
pag. 16. col. 1. num. 5. lin. 10. qui *lege* quæ
pag. 19. col. 1. num. 1. lin. 3. propterea *lege* præterea
pag. 20. col. 2. num. 2. lin. 9. vegetabilis *lege* vegetalis.
item ſenſibilis *lege* ſenſualis
pag. 21. col. 2. num. 1. lin. 12. ſenſibile *adde* & ſentitum
pag. 24. col. 1. num. 2. lin. 4. ex conjunctum *lege* conjunctum ex
pag. 25. col. 1. num. 1. lin. 9. calefactivum *lege* calefactum
pag 27. col. 1. num. 6. lin. 6. in *lege* te

In Diſput. Fidelîs & Infidelîs.

pag. 2. col. 2. num. 2. lin. 33. ſuis *lege* ejus
pag. 2. col. 2. lin. 4. ſimilitudibus *lege* ſimilitudinibus
pag. 3. col. 1. num. 3. lin. 10. quæ *lege* quia
pag. 4. col. 2. num. 8. lin. 8. facere *lege* ſcire
pag. 10. col. 2. lin. 13. Æternitatis *lege* Entitatis
pag. 15. col. 1. lin. 11. in *deleatur*
pag. 30. col. 1. lin. 51. deſtruerentur *lege* deſtruerentur
pag. 39. col. 2. num. 8. lin. 32. Virtute *lege* Virtutis
pag. 45. col. 2. lin. 35. ſubſtantiam *adde:*
pag. 49. col. 1. num. 1. lin. 27. non poſſe *lege* poſſe non
pag. 50. col. 2. lin. 11. producimus *lege* procedimus
pag. 52. col. 2. num. 8. lin. 2. creavit *lege* creaverit.

In Diſputat. Raymundi & Hamar.

pag. 11. col. 2. num. 8. lin. 8. 9. Miſericordiam *lege* Juſtitiam
pag. 18. col. 2. lin. 18. quia *lege* quæ
pag. 28. col. 1. lit. a. lin. 16. remunerandum *lege* remanendum
pag. 29. col. 1. lit. c. lin. penult. omnia *lege* omni

In Diſput. Fidei & Intellectûs.

Pag. 18. col. 2. num. 10. lin. 16. eſſet *lege* eſſe.

In Lib. de Articulis.

pag. 5. col. 2. num. 1. lin. 9. Spiratus *lege* Spirans
pag. 6. col. 1. num. 4. lin. 10. quòd *lege* ita, quòd
pag. 13. col. 1. num. 4. lin. antepen. abque *lege* absque
pag. 29. col. 2. lin. antepen. ſuppex *lege* ſupplex
pag. 33. col. 2. num. 5. lin. 14. productam; *lege* productam,
lin. 15. finitus ſibi *lege* finitus, ſibi
pag. 42. col. 1. num. 3. lin. 15. & in *lege* & non in
pag. 46. col. 2. num. 5. lin. 29. perfectus *lege* perfectius
pag. 49. lin. 4. recreandos *lege* recreatos

Reliqua vide in fine ipſiúsmet Tractatûs.

In Supplicatione.

Pag. 2. col. 1. lin. 9. vos *lege* nos
pag. 3. col. 1. num. 5. lin. 4. inter *adde* Producens &
pag. 6. col. 2. lin. 7. in *adde* ſexta

In Demonſtrat. per Æquiparantiam.

Pag. 2. col. 1. num. 9. lin. 5. ſed *lege* ergo
col. 2. num. 14 lin. 28. Intenſivus *lege* intenſus
pag. 5. col. 1. num. 1. lin. 18. eſſet *lege* eſſe

In Lib. Facilis Scientiæ.

Pag. 2. col. 1. num. 3. lin. 8. niſi *lege* nec
Pag. 6. col. 1. num. 4. lin. 7. Angelus *lege* homo
pag. 8. col. 1. num. 5. lin. 4. minùs *lege* nimìs
pag. 9. col. 1. num. 5. lin. 1. 5. Poſitio *lege* 4. Poſito
col. 2. num. 3. lin. 5. ſeparatis *aace* ſubſtantiis
pag. 10. col. 1. num. 1. lin. 1. Vegetativum *lege* in Vegetativa
optatum *lege* vegetatum

In Novo Modo Demonſtrandi.

pag. 14. col. 1. num. 8. lin. 15. hominibus *lege* locis.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

(c) 2006 Ministerio de Cultura

BIBL. PUBL. MALLORCA

1056452
R. Llull 12

(c) 2006 Ministerio de Cultura